
13
6 M
+

PANDECTARVM,

SEV DIGESTORVM DN. IVSTINIANI IMP. LIBRI QVINQVAGINTA, NON SOLVM AD EDITIONEM GREGORII HALOANDRI DILIGENTER

collati, sed & Andreæ ALCIATI Iureconsultorum nostra ætate decoris, consilio iudicioque in quàm plurimis locis feliciter recogniti, adiectis eiusdem beneficentia MODESTINI Responsis græcis, in titulo de EXCVSATIONIBVS tutorum hactenus desideratis nec unquam antea editis.

Quid præterea accesserit, facies cuiusuis Tomi indicabit.



Εἰς βίβλον.

Βίβλον Ἰουστινιανὸς ἄναξ τεχνήσατο τήνδε,
Τὴν δ' ἄρα Τριβωνιανὸς μεγάλῳ κάμε παμβασιλῆϊ,
Οἷά τις Ἡρακλῆϊ πανδαίδαλον ἀσπίδα τεύξας
Ἣ ἐπιμαρμαίρουσιν ἀγάλματα πάντα θεμίστων,
Ἄνθρωποι δ' Ἀσίης τε δορυκτήτου τε Λιβύης,
Εὐρώπης τε πίθονται ὅλου σημάντορι κόσμου.





BASILEAE,

APVD [redacted] ANNO M. D. XLI.

Cum gratia & priuilegio Cæsareo ad quinquennium.



nis sese exercet, modis omnibus hanc editionem placere studeremus. Quod animaduerte remus quàm sit necesse neminem rectè institutum hominem huius disciplinę tam sanctæ, tam titè à maioribus adornatæ perfectæq́, prorsus rudem aut imperitum esse, & si quem rerum istud acumen non multum detineat neq; admodum delectet, tamen uel linguæ la tinæ comparandę ornandæq́ gratia adductũ, in Pandectarũ lectione uersari deceat, quod & Politianus & ERASMVS noster faciendum esse admonẽr diligenter: talem operis for mam pręparandam curauimus, tũ chartarum magnitudine, tum characterum maiestate, qualis unicuiq; uiro studioso quàm gratissima & lectioni quàm aptissima fore uidebatur. Huic rei neq; animum mihi neq; impensas deesse passus sum: nihil non subiturus libenter quod uoluntatem aduersus publica, in primis uero rerum ciuilium studia, meam rectè declarare possit. Cæterum quod alij absoluto opere quopiam, factitare solent, ut patronũ scilicet sibi quærant aliquem, sub cuius auspicio in publicum prodeat: id ego dudum cogitaueram mecum, atque inter ipsa totius rei initia constitueram. Neq; tamen hac quoque in re consultores adhibui, quemadmodum in cæteris quæ ad hanc editionem comparandam erant necessaria. Non enim operæprecium ullum id habebat. Nam in rebus difficilibus tantum, aut alioqui ambiguis, uelut si magna copia aut penuria rerum sit, tum deliberari solet, aut unde capias aut quid nam capias potissimum. Vsuuenit hoc maximè nobis dum paria sunt de quibus habetur consultatio. At ubi supra cætera unum sese ostentat & opportunitatem maiorem pollicetur, qualem tum fortè quærimus, tum facessit consultatio. Id ipsum mihi hac in re accidit appositissimè, siue enim mentis acrimoniam spectarem, quam in talium rerum patrono summam esse oportet: ut cognoscat scilicet quibus quantisq́ rebus patrocinium ferat: siue prudentiam, quæ ostendit quibus consilijs quóue apparatu inuidiæ ac liuoris artes oppugnare oporteat: siue magnitudinem animi, quæ hos insultus sustinear & propellat: siue denicq; locum illum & conditionem spectarem, in quem hunc totius sapientiæ thesaurum reponere conueniret, coniuncta hæc in uno uiro omnia esse mihi uisa sunt aptissimè. Nam & huius ciuilis prudentiæ opus apud publici iuris custodem, aptissimè deponetur, & cæterarum quoq; uirtutum acie, ab hostilibus incursibus tutũ erit, quas uirtutes in te summas esse nõ solũ ab alijs deprædicatũ accepi, sed argumentis plerisq; ipse cognoui. Hanc itaq; animi nostri significationẽ eadem beneuolentia & candore nõ grauatim admittas qua bonarũ artium studiosos omnes amplecti soles ac fouere, Basileæ.

AMPLISSIMO DECVRIONVM ORDINI REI PVBLICAE NORENBERGENS. GREGORIVS HALOANDER.



QVIDEM existimo, magnifici ac sapientissimi uiri, si suus ubique rectis studijs honos haberetur: & qui ius ciuile profitentur, plus augendo bono publico, quàm priuato censui studerent: neque obstaret hominum inuidia, qui tunc demum se beatos, totoque terrarum orbe celebres fore credunt, si peruetusta exemplaria sollicitè penes se adseruent, & usibus publicis subtrahant: iam pridem aliquos futuros fuisse, qui peruestigatione ac collatione antiquorum codicum, summa ope adnisi, ius ciuile interpolatum, beneque castigatum nobis reliquissent. Quis enim neget, iam inde ab eo tempore, quo primum Romani imperij maiestas, partim incursione exterarum gentium, partim oppressione tyrannorum labefactata, & ad inane nomen redacta est: cum omnes bonas artes, præclaraque studia ingens uulnus accepisse: tum ius ipsum ciuile ita miserandum in modum magna ex parte concidisse, ut recuperandi restituendique eius in integrum omnis pene spes sublata esse uideatur. Nunc uero cum & bonæ literæ, quæ paulatim superioribus annis caput erexerant, sine quibus iuris ciuilis cognitio, tanquam firmissimo præsidio destituta consistere nequit, de integro pessum eant: & iuris studiosis, conatus: his autem, qui eius generis libros detinēt publicandi uoluntas desit: necessariò res eò decidit, ut quoniam iusti & ordinarij exemplaris copiam habere non datur, ne perpetuò puerorum more digitis micemus in tenebris, uicaria interim opera utamur. His ego rationibus adductus, nihil quidquam præter utilitatē publicam spectans: quo magis & ciuilium quæstionum modus adhibeatur, & studiosi præstantissimos humanisque actionibus utilissimos libros non offenso pede peragrare queant: notas Pandectarum Florentinarum, quæ olim Pisanæ fuerunt (antiquissimum exemplar, & quod ob synceritatem ac scripturæ fidem ante quadringentos annos in summa uenerati one semper habitum est) quarum inspiciendarum describendarumque potestatem magnus ille Politianus beneficio Laurentij Medicis excellentissimi uiri habuit, in commune profero. Hæ ipsæ quot quantisque mihi laboribus, sudoribus, curis, uigilijs, lucubrationibus cōstiterint: ne dicam me capitis periculum adijsse, dum communibus studijs opem ferre sedulò adnitor: facilius cogitatione consequi, quàm oratione explicare possim. Ac quo maiore cum authoritate (indigent enim tutelari quodam numine) prodeant: uobis muneri offero, non solum ut deditissimi mei erga uos animi, & summi aduersus rem publicam uestram amoris specimen edam: sed etiam ut studiosi bonique omnes immortales uobis gratias debeant, qui me huiusce rei ergò, & honorificè accipere, & singulari munificentia prosequi, uestrisque sumptibus hocce in opere absoluendo benignè sustentare non dubitaueritis. Accedet ergo ad cumulum uirtutum uestrarum hoc etiam, quod cum ita ab initio rem publicā uestram incredibili prudentia administraueritis, ut non modò cæteris Germaniæ ciuitatibus, municipijs, colonijs, metrocomijs admirationi, sed etiam unico exemplo fueritis: nunc ciuitas uestra, si nō alumna, tamen reparatrix legum meritò ab omnibus appelletur. Quod autem de notis à me scriptum est, id ne quis de uerbis meis erret, sic accipi uolo: non per omnia me illarum fidem secutum esse (quando plurima in ijs contineantur, quæ non solum nō defendi, sed ne tolerari quidem possint, aut debeant) sed eatenus duntaxat, quatenus peruulgata nostra lectionis bonitate manifestè præcelluerunt, uel alioqui probabilior ratio suasit: maximè si antiquorum codicum consensus, quos neque paucos, neque pessimos cum ijs contuli, accederet. Nam qui exemplar illud Florentinorum ἀρχέτυπον Iustiniani fuisse cō tendunt: hi mihi plurimum falli uidentur, contrariumque plus, quàm sexcentis locis, meridiano sole clarius commonstrari poterit. Illud tamen non iuerim inficias, si usquam hoc tempore exstet exemplar, quod & uetustate & integritate cæteris antistet, unde Pandectarum

iuris

iuris ciuilis opus citra controuersiam protsus in integrum restitui queat:hoc ex multis si nõ solum,præcipuum tamen fore.Quo factum est,ut si quando in diuersas sententias uarieta/te lectionnm raptus,iudicio meo confidere ausus non fuerim (hominem enim me esse me/mini,qui ut ignorare multa,ita & errare possim) maluerim integrum iudicium ad æquum lectorem transmittere,quàm de mea sententia quidpiam temere statuere,quam rem asteri sco(ut plurimum)notaq; adposita testatus sum: testaborq; deinceps, cum ab initio totum opus recognouero.Ex contrario non ita abiuratus & iniquus notis hisce fui,nt si quæ recta ratione prolata,ibiq; scripta essent,facile ab ijs recesserim:ut maximè exstiterint, qui pluri/ma in Pandectis corrigendo,instis etiã uoluminibus editis,aliter locum aliquem scribendũ reponendumq; putauerint. Libet eius rei in gratiã studiosorũ exempli caussa nnũ de mul/tis proferre,quo facilius de cæteris coniectura possit fieri.In eius constitutionis,quæ in uul/gatis codicibus sola præfationis instar est,in Pandectis Florẽtinis secundum locũ obtinet, τῇ ὡδὶ γραφῇ tũ contextu,crebra mentio antecessorũ fit.eam pleriq; dictionẽ,ut ratione carẽtem & subditiciã expungere, & uel adsessores, uel antesessores restituere non dubitarunt: quasi de προέδροις Atheniensium,uel præsidum παρέδροις hoc loco habeatur oratio,ac non potius scholasticũ hoc uerbum fuerit de uoce græca (licet nimis quã curiosè) expressum.si/quidem apud græcos uerbum προηγεῖσθαι per translationẽ inter cætera significasse, præeundo aliquẽ ueluti porrecta manu in penetralia facultatis ac professionis alicuius dedncere:id uel particula προηγουμένως Alexandro Aphrodisiensi cæterisq; familiaris ostẽdit: ut ante/cessores ea ætate nihil aliud,quã iuris professores habiti sint,qui in scholis publicis authori tate principis certis locis ius ciuile docerent:quibus ea cõstitutione Imperator quodammo do formã ac docendi rationẽ,quanquã à posteris pessimo exemplo neglectam, utilissimã tamen & cõmodissimam,præscribat:qua ratione & qui iuri operam nauabant: generali uo cabulo non tantũ discipuli,sed & scholastici appellatione dicebautur:id,quod ex gręcorum epigrammatis non uno in loco obseruauimus. Verum enimuero quod ad scribendi ratio/nẽ,quam Græci ὀρθογραφίαν appellant,pertinet:eam neq; remoriorẽ ab usu atq; obseruati one nostra adhibui,neq; item omnino circumforaneam illam atq; uulgarẽ amplexus sum: quemadmodum enim scriptionis insolentiam deuitans, non prægnas prægnatis, non ur/gueo,non pigneris,nõ infinita alia,quæ in Florentino codice propemodum perpetua sunt scripsi:ita de industria exsiliũ,adseruo, exstitit,cotidie,aliaq; eius generis, quæ legẽdo quis facilè animaduertet,non refugi.Neq; id imprudenter,sed doctissimis acerrimoq; in literis iudicio uiris authoribus feci:ex quibus honoris caussa nominare libet Io. Baptistam Egna tium Venetũ,& D.Iulium Pflugk,utrunq; incomparabili eruditione spectatāq; morũ inte gritate præditũ:quorum alter me non solum hominem Germanũ consilio,sed etiam uetu/stis codicibus adiuuit:alter uero,præterquã quod primus mihi author exstiterit iuris ciuilis capessendi,& mirabiliter hoc studij genus propter tot salebras,mendas,commentariorum barbariem,obscuras & nonnunquã inutiles quæstiones,rixasq; scholasticas initio auersan tem cohortationibus ac spe meliorũ retinuerit:postea ne quid in me benignitatis ac libera/litatis omitteret,suo etiã sumptu in Italiam ducere ac reducere nõ dubitauit:ut optimo iure studiosi, quidquid mea opera ac labore ad ipsos uel cõmoditatis uel utilitatis peruenturũ sit,huic tanquam authori primario acceptum ferre debeant. De librorum nomenclatura, quam inscriptionibus capitum adieci, nihil est,quod pollicear: cum non ex notis eam, sed alijs codicibus descriptam habuerim: nec alio consilio omissam putem, quàm quod mar-ginis angustia non caperet: quod idem in uno & item altero loco tractatus de Tutelis accidit, ubi uerba MODESTINI græca deesse notantur quidem, sed non adscribun/tur: qua in re tamen ne quis uel fidem uel diligentiam meam requireret: qnidquid eius erat,ita signis distinxi,ut sine negocio cognosci possit,quæ latinè,quæ rursus græcè scripta initio fuerint: dum quæ græca esse debent, congeminatam crucem præ se fernnt, latina trifolium. Potuissem sanè imitatus eorum exemplum, qui concinnandis adnotationi/bus gloriam sibi peperere,quos non multo meliores his puto, qui tantam nobis librorum

molem obiecerunt,& manifestè in Iustiniani edictum commiserunt:& ipse bonum numerum librorum cõficere,si tam gloriæ meæ,quàm studiosorum rationem habere uoluissem, qui hisce legendis magno temporis dispendio à cognitione iuris auocantur. Sed magis mihi Zamolxidis apud Platonem consilium adlubuit, qui putabat,tum demum certæ corporis parti rectè medicinam accommodari posse,si totum prius corpus bene constitutum fuisset. Consimiliter ego existimaui,felicius consuli huic studio,si fontes ipsi rerum , qui calamitate temporum,nostraq; socordia interciderunt,reparentur perpurgenturq;. Cæterum cum Digestorum opus Imperator in septem partes distribuit, quibus separati rerum tractatus & disputationes continerentur:rectè me atq; ordine facturum arbitratus sum, si in partiendo opere plus apud me pateret Imperatoris authoritatem,quàm imperitam uulgi, adeoq; sine ratione receptam consuetudinem ualere: præsertim uero cum ἐν ταῖς νεαραῖς (quod genus cõstitutiones nostri authores Bulgaro in collationes diuisas Authenticas uocant)ipse Imperator clamet,constitutione. 134. τὰ κακῶς ἐπινοούμενα οὐδὲ μακρᾷ συνηθείᾳ βεβαιοῦσθαι βουλόμεθα. Qua propter totum opus ita partiti sumus, ut siue in duo,siue in tria uolumina redigi id studiosi uelint,summa commoditate fiat:& una eademq; opera Bulgari & Azonis seculo natæ uoluminum appellationes,præter barbariem nihil olentes, è medio discedant. Laurentij denique Vallæ criminationibus,cæterorumq; calumnijs, quibus tã iure consultos ueteres,quàm ipsum Iustinianum conuitijs impetunt : alio tempore,cũ plus ocij nactus ero,& firmiore ualetudine fuero,respondere conabor. Illud in præsentia nõ negauerim,nulla iniuria nostrorum hominum imperitiam accusari,qui caput aliquod ex Digestorum opere in testimonium adducentes,legis uerbo & gemino .ff.utuntur:cum ex monumentis antiquissimorum codicum constet, latinos ἐν τοῖς παρατίτλοις simpliciter huic Ɗ , uel huic ꝟ notæ, qua operis nomen significabant (unde & supina librariorum negligentia irrepsit,ut hodie.ff.scribantur) titulum nudumq; capitis principium hunc in modũ adiecisse.Dig.uel Ɗ.uel ꝟ.de act. empt. Iulianus.græcos uero frequentius operis nomen omisisse:titulum,caput,ac uersum , quem θεμάτιον illi quasi nonam facti speciem siue casum,nostri ineptè paragraphum appellarunt , per numeros tantum indicasse hoc modo βιβ. δ. τίτ. β. κε. ς. ϑε. ια. id quod fragmenta quædam de pignoribus, de successione ab intestato,de peculio græcè scripta,quæ penes me habentur, antiquissima testari possunt. Quod reliquum est:exopto,ut æquus mihi rerum æstimator cõtingat, qui magis studium,uoluntatem,atq; industriam expendat, quàm si quid humani admiserim, calumniã nectat,& in pessimam partem omnia rapiat. Capiant de me exemplum , qui rei literariæ bene cupiunt:nactiq; meliores codices,non certando maledictis,à quibus natura sum alienissimus:sed benignè in publicum consulendo , honestissimum rebusq; humanis perquã necessarium studij genus adiuuent.qua re non solum à me, sed etiam bonis omnibus immortalem gratiam inibunt. Hos igitur libros,amplissimi patres,si ea fronte & animi hilaritate acceperitis,qua uobis à me offeruntur : non solum laboris atq; operæ magnum me fructum percepisse putabo:sed etiã efficietis,ut aliquando(uolente Deo)temporis progressu bonam Codicis Iustinianei partem,νεαρὰς denique ipsas in publicum proferam.quo magis facto nostro,& iuris ciuilis studium quotidie auctius reddatur:atq; ab omnibus Dei et seruatoris nostri benignitas prædicetur,qui non dedignatus fuerit per me infimũ homuncionem suos respicere.cui laus honor & gloria in secula seculorum, AMEN.

DIXI.

CVRAVIMVS præterea (ne quid dissimulem) maioribus literarũ formis describi, tũ legum, senatusconsultorum, edictorum & quæ materialiter poni à Grammaticis dicuntur, uerba: tum stipulationum, exceptionum, institutionum, substitutionum, legatorumq́ formulas: quod intelligerem ea re non solum magnam operi lucem accessuram: sed etiam studiosos bona laboris parte leuatum iri. eodem pacto ijs consuluimus, qui græca nesciunt, in fine operis Græcorum rescriptorum, responsorum, quæstionum, uocabulorum interpretatione adiecta.

IMP. IVSTINIANVS A. TRIBONIANO VIRO EMINENTISSIMO, QVAESTORI SACRI PALATII. S.



DEO authore, nostrum gubernante Imperium, quod nobis à cœlesti maiestate traditum est: & bella feliciter peragimus, & pacem decoramus, & statum reipublicæ sustentamus: & ita animos nostros ad Dei omnipotentis adiutorium erigimus, ut neq; armis confidamus, neq; nostris militibus, neq; bellorum ducibus, uel nostro ingenio: sed omnem spem ad solam prouidentiam referamus summæ trinitatis, unde & mundi totius elementa processerunt, & rerum dispositio in orbem terrarum producta est. Cum itaq; nihil tam † studiosum in omnibus rebus inuenitur, quàm legum autoritas, quæ & diuinas & humanas res bene disponit, & omnem iniquitatem expellit: reperimus autem omnem legum tramitem, qui ab urbe condita & Romuleis descendit temporibus, ita esse confusum, ut in infinitum extendatur, & nullius humanæ naturæ capacitate concludatur: prius nobis studium fuit à sacratissimis retrò principibus initium sumere, & eorum constitutiones emendare, ac uiæ dilucidæ tradere: quatenus in uno codice congregatæ, & omni superuacua similitudine & iniquissima discordia absolutæ, uniuersis hominibus promptum suæ serenitatis præbeant præsidium. Hocq; opere consummato, & in uno uolumine, nostro nomine præfulgente, coadunato: cum ex paucis & tenuioribus releuati, ad summam & plenissimam iuris emendationem peruenire properaremus, & omnem Romanam sanctionem & colligere, & emendare, & tot authorum dispersa uolumina uni codici indita ostendere (quod nemo alius neque sperare, neque optare ausus est) res quidem difficillima, imò magis impossibilis uidebatur. Sed manibus ad cœlum erectis, & æterno auxilio inuocato, eam quoq; curam nostris animis reposuimus: freti Deo, qui & res penitus desperatas donare, & consummare uirtutis magnitudine potest: & ad tuæ synceritatis optimum respeximus ministerium, tibiq́; primo & hoc opus commisimus ingenij tui documẽtis ex codicis nostri ordinatione acceptis) & iussimus, quos probares, tam ex facundissimis antecessoribus, quã ex iuris disertissimis togatis fori amplissimæ sedis, ad sociandum laborẽ eligere. His itaq; collectis, & in palatiũ nostrum introductis, nobisq́; tuo testimonio placitis, totã rem faciendam permisimus: ita tamen, ut tui uigilantissimi animi gubernatione res omnis celebraretur. Iubemus igitur nobis antiquorum prudentium, quibus authoritatem conscribendarum interpretandarumq́ legum sacratissimi principes præbuerunt, libros ad ius Romanum pertinentes & legere, & elimare: ut ex his omnibus materia colligatur, nulla (secundum quod possibile est) neq; similitudine, neq; discordia derelicta, sed quod ex his unum pro omnibus

† σπουδαῖον.

bus sufficiat. Quia autem & alij libros ad ius pertinentes scripserunt, quorum scripturæ à nullis authoribus receptæ, nec usitatæ sunt: neque nos eorum uolumina nostram inquietare sanctionem dignamur. Cumque hæc materia summi numinis liberalitate collecta fuerit oportet ea pulcherrimo opere exstruere, & quasi proprium & sanctissimum templum iustitiæ consecrare: & in libros quinquaginta & certos titulos totum ius digerere, tam secundum codicis nostri constitutionem, quàm edicti perpetui imitationem (prout hoc uobis commodius esse patuerit) ut nihil extra memoratam consummationem possit esse derelictum, sed his quinquaginta libris totum ius antiquum per mille & quadringentos ferè annos confusum, & à nobis purgatum, quasi quodam muro uallatum, nihil extra se habeat: omnibus authoribus iuris æqua dignitate pollentibus, & nemini quadam prærogatiua seruanda: quia non omnes in omnia, sed certi per certa, uel meliores, uel deteriores inueniuntur. Sed neque ex multitudine authorum, quod melius & æquius est, iudicatote: cum possit unius forsitan & deterioris sententia & multos et maiores aliqua in parte superare. Et ideo ea quæ in notis Aemilij Papiniani ex Vlpiano, & Paulo, necnon & Martiano adscripta sunt, quæ antea nullam uim propter honorem splendidissimi Papiniani obtinebant, non statim respuere: sed si quid ex his ad repletionem summi ingenij Papiniani laborum uel interpretationum necessarium esse perspexeritis, & hoc ponere legis uim obtinens non moremini.

Et omnes, qui relati fuerint in hoc codice prudentissimi uiri, habeant authoritatem, tanquam si eorum studia ex principalibus cōstitutionibus profecta, & à nostro diuino fuerint ore profusa. Omnia etiam meritò nostra facimus: quia ex nobis omnis eis impartietur authoritas. nam qui non subtiliter factum emendat: laudabilior est eo, qui primus inuenit. Sed in hoc studium nobis esse uolumus, ut si quid in ueteribus libris non bene positum inueniatis, uel aliquod superfluum, uel minus perfectum: superuacua longitudine semota & quod imperfectum est, repleatis: & omne opus moderatum & quàm pulcherrimum ostendatis: hoc etiam nihilominus obseruando, ut si quid ex ueteribus legibus uel constitutionibus, quas antiqui in suis libris posuerint, non rectè scriptum inueniatis: & hoc reformetis, & moderato ordini tradatis: ut hoc uideatur esse uerum, & optimum, quasi ab initio scriptū quod à uobis electum, & ibi positum fuerit: & nemo ex comparatione ueteris uoluminis, quasi uiciosam scripturam, arguere audeat. Cum enim lege antiqua, quæ regia nuncupabatur, omne ius omnisque potestas populi Romani in Imperatoriam translata sit potestatē nos uero sanctionem omnem non diuisimus in alias & alias conditorum partes, sed totam nostram esse uolumus: quid possit antiquitas nostris abrogare legibus? Et intantum uolumus eadem omnia, cum reposita sunt, obtinere: ut si aliter fuerint apud ueteres conscripta, in contrarium autem in compositione nostra inueniantur: non scripturæ, sed nostræ electioni hoc adscribatur. Nulla itaque in omnibus prædicti codicis membris ἀντινομία (sic enim à uetustate græco uocabulo nuncupatur) aliquem sibi locum uindicet: sed sit una concordia, una consequentia, aduersario nullo constituto. Sed & similitudinem (secundum quod dictum est) ab huiusmodi consummatione uolumus exsulare: & ea, quæ sacratissimis constitutionibus, quas in codicem nostrum redegimus, cauta sunt, iterum poni ex uetere iure non concedimus: cum Diualium constitutionum sanctio sufficiat ad eorum authoritatem: nisi fortè uel propter diuisionē, uel propter repletionem, uel pleniorē indaginem hoc contigerit: & hoc tamen perraro, ne ex continuatione huiusmodi lapsus oriatur aliquid in tali prato spinosum. Sed & si quæ leges in ueteribus libris positæ, iam per desuetudinem abierunt, nullo modo uobis easdem ponere permittimus: cum hæc tantummodo obtinere uelimus, quæ uel iudiciorum frequentissimus ordo exercuit, uel longa consuetudo huius almæ urbis comprobauit: secundum Saluij Iuliani scripturam, quæ indicat, debere omnes ciuitates consuetudinem Romæ sequi, quæ caput est orbis terrarum, non ipsam alias ciuitates. Romam autem intelligendum est non solum ueterem, sed etiam regiam nostram, quæ Deo propicio melioribus condita est augurijs. Ideo iubemus duobus

duobus istis codicibus omnia gubernari: uno constitutionum, altero iuris enucleati, & in futurum codicem componendi: uel si quid aliud à nobis fuerit promulgatum institutionū uicem obtinens, ut rudis animus studiosi simpliciter enutritus, facilius ad altioris prudentiæ redigatur scientiam. Nostram autem consummationem, quæ à nobis adnuente Deo componetur, Digestorum uel Pandectarum nomen habere sancimus: nullis iuris peritis in posterum audentibus commentarios illi adplicare, & uerbositate sua supradicti codicis compendium confundere: quemadmodum & antiquioribus temporibus factum est, cum per contrarias interpretantium sententias totum penè ius conturbatum est. sed sufficiat per indices tantummodo & titulorū subtilitatem, quę παράτιτλα nuncupantur, quædam admonitoria eius facere, nullo ex interpretatione eorum uicio oriundo. Ne autem per scripturam aliquam fiat in posterum dubitatio: iubemus non per signorum captiones & compendiosa ænigmata, quæ multas per se & per suum uicium ἀντινομίας induxerūt, eiusdem codicis textum conscribi: etiam si numerus librorum significabitur, aut aliud quidquam. neque etenim hæc per specialia signa numerorum manifestari, sed per literarum consequentiam explanari concedimus. Hæc igitur omnia Deo placido facere tua prudentia unà cum alijs facundissimis uiris studeat, & tam subtili, quàm celerrimo fini tradere: ut codex consummatus, & in quinquaginta libros digestus, nobis offeratur in maximam & æternam rei memoriam, Deiq; omnipotentis prouidentiæ argumentum, nostriq; Imperij & uestri ministerij gloriam. D. XIIII. CAL. IAN. CP. IIII. LAMPADIO & HORESTA VIRIS CC. CONSS.

IMP. CAESAR, FLAVIVS, IVSTINIANVS, ALEMANICVS, GOTTHICVS, FRANCICVS, GERMANICVS, ANTICVS, AFRICANVS, ALANICVS, *Vandalicus, pius, felix, inclytus, uictor ac triumphator semper Augustus. Theophilo, Dorotheo, Theodoro, Isidoro, Anatolio, Thallelæo, & Cratino uiris illustribus antecessoribus, & Salaminio uiro disertissimo. S.*



MNEM reipublicæ nostræ sanctionem iam esse purgatam & compositā, tam in quatuor libris institutionū seu elementorum, quàm in libris quinquaginta Digestorum seu Pandectarum, necnon duodecim Imperialiū constitutionum: quis amplius, quàm nos cognoscit? Quando omnia quidem, quæ oportuerat & ab initio mandare, & post omnium consummationem factam libenter admittentes definire: iam per nostras orationes tā in græca lingua, quàm Romanorum (quas & æternas fieri optamus) explicita sunt. Sed cum uos & omnes postea professores legitimæ scientiæ constitutos etiam hoc oportuerat scire, quid & in quibus temporibus tradi studiosis necessarium credamus, ut ex hoc optimi atq; eruditissimi efficiantur: ideoq; præsentem diuinam orationem ad uos præcipuè faciendam existimauimus: quatenus tam prudentia uestra, quàm cæteri antecessores, qui eandē artem in omne æuum exercere maluerint, nostris regulis obseruatis, inclytam uiam eruditionis legitimæ possint ambulare. Itaque cum dubio procul necesse sit institutiones in omnibus studijs primum sibi uindicare locum, utpote prima uestigia cuiusq; scientiæ mediocriter tradentes: ex libris autem quinquaginta nostrorum Digestorum sex & triginta tantummodo sufficere, tam ad uestram expositionem, quàm ad iuuentutis eruditionem iudicemus: ordinem eorum & tramites, per quos ambulandum est, manifestare tempestiuum nobis uidetur: & uos in memoriam quidem eorum, quæ antea tradebatis, redigere: ostendere autem nouellæ nostræ compositionis tam utilitatem, quàm tempora, ut nihil huius artis relinquatur incognitum. Et antea quidem (quemadmodum uestra scit prudentia) ex tanta legum multitudine, quæ in librorum quidem duo millia, uersuum autem tricies centena extendebatur: nihil aliud, nisi sex tantum libros,

& ipsos

& ipsos confusos, & iura in se utilia perrarò habentes, à uoce magistri discipuli accipiebant cæteris iam desuetis & omnino inuijs. In his sex libris Caij nostri institutiones & libri singulares quatuor, primus de uetere illa rei uxoriæ actione, secundus de tutelis, & tertius, nec non quartus de testamentis & legatis connumerabanmr: quos neq; totos per consequentias accipiebant, & multas partes eorū quasi superuacuas præteribant. Et primo quidem anno hoc opus tradebatur legentibus, non secundum edicti perpetui ordinationē, sed passim & quasi per saturam collectum, utili inutilibus misto, maxima tamen parte inutilibus deputata. Secundo autem anno præpostera ordinatione habita, prima pars legum eis tradebatur, quibusdam certis ab ea titulis exceptis: cum erat enorme post institutiones aliud legere quàm quod in legibus & primū positū est, & nuncupationē meruit τῶν πρώτων.

Post eorū uero lectionē, neq; illam continuā, sed particularē, & magna ex parte inutilē cōstitutā: tituli eis alij tradebantur, tā ex illa parte legū, quæ de iudicijs nuncupatur, ipsis non continuā, sed rarā utiliū recitationē præbentibus, quasi cætero toto nolumine inutili constituto: quàm ex illa, quæ de rebus appellatur, octo libris semotis & in ijs multis partibus legentibus inuijs, ut nō idoneis, nec aptissimis ad eruditionē cōstitutis. Tertio uero anno, quod in utroq; uolumine, id est, de rebus uel de iudicijs, in secundo anno nō erat traditū: accipiebant secundū uicissitudinē utriusq; uoluminis, & ad sublimissimū Papinianum, einsq; responsa iter eis aperiebatur. Et ex prædicta responsorū consummatione, quæ decimo & nono libro concludebatur, octo tantummodo libros accipiebant: nec eorum totum corpus eis tradebatur, sed pauca ex multis, & breuissima ex amplissimis, ut adhuc sitientes ab eis recederent. His igitur solis à professoribus traditis, Pauliana responsa per semetipsos recitabant: neq; hoc in solidum, sed per imperfectum, & iam quodammodo malè cōsequentiæ cursum. Is erat in quartum annum antiquæ prudentiæ finis: ut si quis ea, quæ recitabant, enumerare uellet, computatione habita inueniret ex tam immensa legū multitudine uix uersuum sexaginta milia eos uacuæ notionis perlegisse: omnibus alijs deuijs & incognitis constitutis, & tunc tantummodo ex aliqua minima parre recitandis, quoties uel indiciorum usus hoc exegit, uel ipsi magistri legum aliquid ex ijs perlegere festinabatis, ut esset uobis aliquid amplius discipulorum peritia. Et hæc quidem fuerunt antiquæ eruditionis monumenta, secundum quod & uestro testimonio confirmatur. Nos uero tantam penuriam legum inuenientes, & hoc misserrimum iudicantes: legitimos thesauros uolentibus aperimus, quibus per uestram prudentiam erogatis, ditissimi legum oratores efficiantur discipuli. Et PRIMO quidem ANNO nostras hauriant institutiones, ex omni penè ueterum institutionum corpore elimatas, & ab omnibus turbidis fontibus in unum liquidum stagnum corriuatas, tam per Tribonianum uirum magnificum magistrum & † exquæstore sacri palatij & † exconsule, quàm duos ex uobis, id est Theophilum & Dorotheum facundissimos antecessores. In reliquam uero anni partem secundum optimam consequentiam primam legum partem eis tradi sancimus, quæ græco uocabulo τὰ πρῶτα nuncupatur, qua nihil est anterius: quia quod primum est, aliud ante se habere non potest. Et hæc eis exordium & finem eruditionis primi anni esse decernimus: cuius auditores non uolumus netere tā friuolo, quā ridiculo cognomine Dupondios appellari, sed Iustinianeos nouos nuncupari. & hoc in omne post futurum æuū obtinere censemus: ut hi, qui rudes adhuc legitimæ scientiæ capessendæ adspirant, & scita prioris anni accipere maluerint, nostrum nomen mereantur: quia illico tradendum est eis primū uolumē, quod nobis emanauit authoribus, àntea enim dignū antiqua confusione legum cognomen habebant: cū autē leges tam clarè & dilucidè animis eorū tradendæ sint: necesse erit eos & cognomine mutato fulgere. SECVNDO aūt ANNO, per quē ex edicto eis nomen antea positū, & à nobis probatū est: uel de iudicijs libros septem, uel de rebus octo eos accipere sancimus, secundū quod temporis uicissitudo indulserit, quā intactam obseruari præcipimus. Sed eos libros de iudicijs uel rebus totos per suam consequentiam accipiant, nullo penitus ex his derelicto: quia omnia noua pulchritudine sunt decorata, nullo inutili, nullo desueto in ijs penitus

τὸ ἐκ τ῀ ὑπάτων, loquendi forma ei seculo familiaris pro quæstorio & consulari uiro quo modo ueteres Latini proconsule et Salluſt. pro milite, & Cic. proquæstore, uno uerbo per omnes casus et numeros dixerunt.

tus inueniendo. Alterutri autem eorundem uolumini, id est de iudicijs uel de rebus adiungi in secundi anni audientiam uolumus quatuor libros singulares, quos ex omni compositione quatuordecim librorum excerpsimus. ex collectione quidem tripertita uoluminis, quod de dotibus composuimus, uno libro excerpto: ex duobus autem de tutelis & curationibus, item uno: sed ex gemino uolumine de testamentis, uno, & ex septem libris de legatis & fideicommissis, & quæ circa ea sunt, simili modo uno tantum libro: hos igitur quatuor libros, qui primordijs singularum memoratarum compositionum præpositi sunt, tantummodo à uobis eis tradi sancimus, cæteris decem oportuno tempori conseruandis: quia neque possibile est, necꝙ secundi anni tẽpus sufficit ab istorũ quatuordecim librorũ magistri uoce eis tradendorũ recitationẽ. TERTII denicꝙ ANNI doctrina talem ordinẽ sortiatur ut siue libros de iudicijs, siue de rebus secundum uices legere eis sors tulerit: cõcurrat tripertita legum singulariũ dispositio, & in primis liber singularis ad hypothecariam formulam, quem oportuno loco, in quo de hypothecis loquimur, posuimus: ut cum æmula sit pignoraticijs actionibus, quæ in libris de rebus positæ sunt: nõ abhorreat earum uicinitatem, cũ circa easdem res ambabus penè idem studium sit. Et post eum librum singularem alius similiter eis aperiatur, quem de usuris: item alius, quem ad edictum ædilium, & de redhibitoria actione, & de euictionibus, necnon duplæ stipulatione composuimus: cum enim quæ de emptionibus & uenditionibus, legibus cauta sunt, in libris de rebus perfulgerent: hæ autem omnes, quas diximus, definitiones in ultima parte prætorij edicti essent positæ: necessariò eas in anteriorem locũ transtulimus, ne à uenditionibus, quarũ quasi ministræ sunt & uicinæ, ulterius deuagentur. Et hos tres libros pro acutissimi Papiniani lectione tradendos posuimus, cuius uolumina in tertio anno studiosi recitabant: nõ ex omni eorum corpore, sed sparsim pauca ex multis & in hac parte accipientes. Vobis autem pulcherrimè Papinianus non solum ex responsis, quæ in decem & nouem libris composita fuerant, sed etiam ex libris septem & triginta quæstionum, & gemino uolumine definitionum, necnon de adulterijs, & penè omni eius expositione in Digestorum nostrorum ordinatione perfulgente, proprijs partibus præclaram sui recitationẽ præbebit. Ac ne tertij anni auditores, quos Papinianistas uocabant, nomen & festiuitatem eius amittere uideantur: ipse iterum in tertium annum per bellissimam machinationem introductus est. librum enim hypothecariæ ex primordijs plenũ eiusdem maximi Papiniani fecimus: ut & lectionẽ & nomen ex eo habeant, Papinianistæꝙ uocetur: & eius reminiscentes lætificentur, & festum diem, quem cũ primum leges eius accipiebant, celebrare solebant, peragant: & maneat uiri sublimissimi præfectorij Papiniani per hoc in æternũ memoria, hocꝙ termino tertij anni doctrina concludatur. Sed quia solitum est QVARTO ANNO studiosos græco & consueto quodammodo uocabulo λύτας appellari: habeant quidem, si maluerint, hoc cognomen pro responsis autem prudentissimi Pauli, quæ antea ex libris triginta tribus uix in decem & octo recitabant, per iam expositam confusionem eos legentes: decem libros singulares, qui ex quatuordecim, quos antè enumerauimus, supersunt, studeãt lectitare: multo maioris & amplioris prudentiæ ex eis thesauros consecuturi, quàm ex Paulianis habebant responsis. Et ita omnis ordo librorum singulariũ à nobis compositus, & in decem & septẽ libros partitus eorum animis imponetur: quem in duabus Digestorũ partibus posuimus, id est quarta & quinta, secundum septem partium distributionem. Et quod iam primis uerbis orationis nostrę posuimus, uerum inuenietur: ut ex triginta sex librorũ recitatione fiant iuuenes perfecti, & ad omne opus legitimum instructi, nostroꝙ tempore nõ indigni: duabus alijs partibus, id est sexta & septima Digestorum nostrorũ, quæ in quatuordecim libris compositæ sunt, ita dispositis, ut possint postea eas & legere, & in iudicijs ostendere. Quibus si bene se imbuerint, & in quinti anni (quo προλύται nuncupantur) metas, constitutionum codicẽ tam legere, quàm subtiliter intelligere studeant: nihil eis legitimæ scientiæ deerit, & omne ab initio usꝙ ad finem suis animis complectentur. Et (quod penè in alia nulla arte euenit) cũ & si uilissimæ, omnes infinitæ tamen sint: hæc sola scientia finem habeat mirabilem,

præscien-

præsenti tempore à nobis ortum. Discipuli igitur, omnibus eis legitimis arcanis reseratis, nihil habeant absconditum: sed omnibus perlectis, quæ à nobis per Triboniani uiri excelsi ministerium, cæterorumq; composita sunt: & oratores maximi, & iustitiæ satellites inueniantur, & iudiciorum optimi tam athletæ, quàm gubernatores omni loco æuoq; felices. Hæc autem tria uolumina à nobis composita tradi eis tam in regijs urbibus, quàm in Berytiensium pulcherrima ciuitate, quàm & legum nutricem bene quis appellet, tantū modo uolumus (quod iam & à retro principibus constitutum est) & non in alijs locis, quæ à maioribus tale priuilegium non meruerunt: quia audiuimus iam in Alexandria splendidissima ciuitate, & in Cæsariensium, & in alijs, quosdam imperitos homines deuagari, & doctrinam discipulis adulterinam tradere, quos sub hac interminatione ab hoc conamine repellimus: ut si ausi fuerint in posterum hoc perpetrare, & extra urbes regias, & Berytiensiū metropolim hoc facere: denarum librarum auri pœna plectantur, & rejciantur ab ea ciuitate, in qua nō leges docent, sed in leges committunt. Illud autem, quod iam tum ab initio hoc opus mandantes in nostra oratione, & post completum in alia nostri numinis constitutione scripsimus, & nunc utiliter ponimus: ut nemo audeat eorum, qui libros conscribunt, signa in his ponere, & per compendium ipsi legum interpretationi & compositioni maximum discrimen adferre: scituris omnibus librarijs, qui hoc in posterum commiserint quod post † criminalem pœnam etiam æstimationem libri in duplum domino eius (si nescienti dederint) inferre compellentur: cum ipse, qui talem librum comparauerit, pro nihilo eum habebit, nemine iudice ex tali libro fieri recitationem concedente, sed pro non scripto haberi eum disponente. Illud uero satis necessariò constitutum cum summa interminatione edicimus, ut nemo audeat, neq; in hac splendidissima ciuitate, neq; in Berytiensium pulcherrimo oppido ex his, qui legitima peragunt studia, indignos & pessimos (imò seruiles, & quorum effectus iniuria est) ludos exercere, & alia crimina uel in ipsos † possessores, uel in socios suos, & maximè in eos, qui rudes ad recitationem legum ueniunt, perpetrare. Quis enim ludos appellet eos, ex quibus crimina oriuntur? hæc etenim fieri nullo patimur modo: sed optimo ordini in nostris temporibus & hanc partem tradimus, & toti postero transmittimus seculo: cum oporteat prius animis, & postea linguis fieri eruditos. Et hęc omnia in hac quidem florentissima ciuitate uir excelsus præfectus huius almæ urbis tam obseruare, quàm uindicare, prout delicti tam iuuenum, quàm scriptorum qualitas exegerit, curæ habebit. In Berytiensium uero ciuitate tam uir clarissimus præses Phœniciæ maritimæ, quàm beatissimus eiusdem ciuitatis Episcopus, & legum professores. Incipite igitur legum eis doctrinam Dei gubernatione tradere, & uiam aperire, quam nos inuenimus quatenus fiant optimi iustitię & reipublicę ministri, & uos maximum decus sequatur: quia uestris temporibus talis legum inuenta est permutatio, qualem apud Homerum patrem omnis uirtutis Glaucus & Diomedes faciunt, permutantes,

† aliàs, terminalem, quod respondet græco τελώνικόν.

† aliàs professores.

Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι ἐννεαβοίων.

Quę omnia obtinere sancimus in omne æuū, ab omnibus tam professoribus, quàm legum auditoribus, & librarijs, & ipsis iudicibus obseruanda. D. CP. XVII. CAL. IAN. D. IVSTINIANO. PP. III. CONS.

IMP. CAESAR FLAVIVS
IVSTINIANVS A. AD SENATVS, ET
OMNES POPVLOS.



ANTA circa nos diuinæ humanitatis est prouidentia, ut semper æternis liberalitatibus nos sustentare dignetur. post bella enim† Parthica æterna pace sopita: postq; Vandalicã gentẽ ereptam, & Chartaginem, imò magis omnem Lybiam Romano imperio iterum sociatam: & leges antiquas iam senio prægrauatas, per nostram uigilantiam præbuit in nouam pulchritudinem, & moderatum peruenire compendium: quod nemo ante nostrum imperium unquam sperauit, necq; humano ingenio possibile esse penitus existimauit. erat enim mirabile Romanam sanctionem ab urbe condita usq; ad nostri imperij tempora, quæ penè in mille & quadringentos annos concurrunt, intestinis prælijs uacillantem, hocq; & in Imperiales constitutiones extendentem, in unam reducere concordiam: ut nihil necq; contrarium, necq; idem, necq; simile in ea inueniatur, & ne geminæ leges pro rebus singulis positæ usquam appareant. nanq; hoc cælestis quidem prouidentiæ peculiare fuit: humanæ uero imbecillitati nullo modo possibile. Nos itaq; more solito ad immortalitatis præsidium respeximus, & summo numine inuocato deum authorem & totius operis præsulem fieri optauimus: & omne studium Triboniano uiro excelso, magistro officiorum, exquæstore sacri nostri palatij & exconsule credidimus, eiq; omne ministerium huiusmodi ordinationis imposuimus, ut ipse unà cum alijs illustribus & prudentissimis uiris nostrum desiderium adimpleret. nostra quoq; maiestas semper inuestigando & perscrutando ea, quæ ab his componebantur, quidquid dubium & incertum inueniebatur, cum cælesti numine rectè emendabat, & in competentem formam redigebat. Omnia igitur confecta sunt, domino & deo nostro Iesu Christo possibilitatem, tam nobis, quàm nostris in hoc satellitibus præstante. Et principales quidem constitutiones duodecim libris digestas, iam ante in Codicem nostro nomine præfulgentem cõtulimus. postea uero maximum opus aggredientes, ipsa ueutstaris studiosissima opera iam penè confusa & dissoluta, eidem uiro excelso permisimus tam colligere, quàm certo moderamini tradere. Sed cum omnia per cõtabamur, à præfato uiro excelso suggestum est, duo penè millia librorum esse conscripta, & plusquàm tricies centena uersuũ à ueteribus effusa, quæ necesse esset omnia & legere, & perscrutari, & ex his quod optimum fuisset, eligere. Quod cælesti fulgore & summæ trinitatis fauore confectum est secundum nostra mandata, quæ ab initio ad memoratum uirũ excelsum fecimus: & in quinquaginta libros omne, quod utilissimũ erat, collectum est: & omnes ambiguitates decisæ, nullo seditioso relicto, nomenq; libris imposuimus Digestorum seu Pandectarum: quia omnes disputationes ac decisiones in se habent legitimas, & quod undiq; fuit collectum, hoc in sinus suos receperunt, in centum quinquaginta penè millia uersuum totum opus consumantes. & in septem partes eos digessimus, non perperam, necq; sine ratione: sed in numerorum naturam & artem respicientes, & consentaneam eis diuisionem partiũ conficientes. Igitur PRIMA quidem pars totius contextus, quæ græco uocabulo τὰ πρῶτα nuncupatur, in quatuor libros seposita est. SECVNDVS autẽ articulus septem libros habet, qui de iudicijs appellatur. In TERTIA uero cõgregatione omnia, quæ de rebus nominantur, contulimus, octo libris ei deputatis. QVARTVS autem locus, qui & totius compositionis quasi quidam inuenitur umbilicus, octo libros suscepit: in quorum primo omnia, quæ ad hypothecam pertinent, reposita sunt, ut non à pignoraticia actione in libris de rebus posita, multum distarent. Alio libro eidem inserto uolumini, qui

β   ædilitium

al. † Persic.

ædilitium edictū,& redhibitoriā actionē,& duplæ stipulationē,quæ euictionibus adposita
est,cōtinet:quia hæc omnia titulis emptionū & uēditionū consentanea sunt.& prædictæ ac/
tiones quasi pedisequæ illarū ab initio processerunt:in uetustioris quidem edicti ordinatio
ne in loca deuia & multum distantia deuagantes,per nostram autem prouidentiam his cō/
gregatæ:cum oportuerat ea,quæ de eodem penè loquuntur, in confinio ponere. Alius de/
niqꝫ liber post duos primū nobis excogitatus est de usuris, & traiectitijs pecunijs, & de in/
strumentis,& testibus,seu probationibus,necnon præsumptionibus.& memorati tres sin/
gulares libri iuxta compositionem de rebus positi sunt. Post hos quæ de sponsalibus,& nu/
ptijs,de dotibus,& legibus earum dicta sunt,reposuimus,tribus librorum uoluminibus ea
concludentes. De tutelis autem & curationibus geminos libros conscripsimus. Et memora/
tam ordinationem octo librorū mediam totius operis reposuimus,omnia undiqꝫ tam uti/
lissima,quam pulcherrima iura continentem. QVINTVS autem uobis exoritur Dige
storum articulus,in quem de testamentis,& codicillis,tam priuatorum,quàm militum,om/
ne,quidquid antiquitus dictum est,inueniat quis depositum,qui de testamētis appellatur.
De legatis autem & fideicōmissis quinqꝫ librorum numerus aggregatus est. Cumqꝫ nihil
tam peculiare fuerat, quàm legatis quidem legis Falcidiæ narratio, fideicommissis autem,
quàm senatusconsulti Trebelliani:singulis libris utriqꝫ eorū adplicatis, tota pars quinta in
nouem libros coadunata est. Solum autem senatusconsultum Trebellianum ponendū esse
existimauimus.captiosas etenim & ipsis ueteribus odiosas Pegasiani senatusconsulti amba/
ges,& utriusqꝫ senatuscōsulti inter se tā superuacuas,quàm scrupulosas diuersitates respuen
tes totū ius super his positū Trebelliano senatuscōsulto adiudicauimus. Sed & in his nihil
de caducis à nobis memoratū est:ne caussa,quæ in rebus nō prospere gestis & tristibus tem
poribus Romanis increbruit calamitatibus,bello coalescens ciuili,in nostris remaneat tem
poribus,quæ fauor cælestis & pacis uigor firmauit,& super omnes gentes in bellicis uicto/
rijs posuit:ne luctuosum monumentum læta sæcula inumbrare concedatur. SEXTA de/
inde Digestorum pars exoritur,in qua omnes bonorum possessiones positæ sunt,quæ tam
ad ingenuos,quàm ad libertinos respiciunt:& ius omne,quod de gradibus & adfinitatibus
descendit,legitimæqꝫ hæreditatis,& omnis abintestato successio, et Tertyllianū, et Orphi
tianum senatusconsultum,ex quibus matres et filij innicem sibi hæredes existunt, in gemi/
nos libros contulimus,bonorum possessionis multitudinem in cōpendiosum et manifestis/
simum ordinē concludentes. Post hæc ea,quæ de operis noui nunciationibus,damniqꝫ in/
fecti,& de ædificijs dirutis,& eorū insidijs,& de aqua pluuia arcenda ueteribus authoribus
placita sunt:nec nō quæ de publicanis,& donationibus,tam inter uiuos,quàm mortis cau/
sa conficiendis,cauta legibus inuenimus,in librū singularem deduximus. De manumissio/
nibus autem & de liberali caussa,alius liber respondet: quemadmodum & de adquisitione
tam dominij,quàm possessionis,& titulis,qui eam inducunt, multæ & uariæ lectiones uni
sunt insertæ uolumini:alio libro deputato his,qui iudicati,uel in iure confessi sunt,& de bo/
norum detentionibus & uenditionibus,& ut ne quid in fraudem creditorum fiat. Post hæc
omnia interdicta conglomerata sunt:& deinceps exceptiones,de temporum prolixitatibus:
& de obligationibus & actionibus liber item singularis extenditur:ut perfecta sexta pars to
tius Digestorum uoluminis octo libris definiatur. SEPTIMVS autem ēt nouissimus arti/
culus Digestorum sex libris formatus est:in quo de stipulationibus, et de fideiussoribus et
mandatoribus,necnon nouationibus, et solutionibus, et acceptilationibus,et de prætorijs
stipulationibus,omneqꝫ ius inuenitur gemino uolumine inscriptum esse,quod in libris an/
tiquis nec numerari possibile fuit. Et post hæc duo terribiles libri sunt de delictis priuatis,
et extraordinarijs,necnon publicis criminibus,qui omnem continent seueritatē pœnarūqꝫ
atrocitatem. Quibus permista sunt et ea,quæ de audacibus hominibus cauta sunt,et qui se
celare conantur,et contumaces existunt:et de pœnis,quæ condemnatis infliguntur uel con
ceduntur,necnon de eorum substantijs. Liber autem singularis de appellationibus nobis

excogitatus

excogitatus est contra sententias, tam ciuiles, quàm criminales caussas finientes. Cætera autem omnia, quæ de municipalibus, uel decurionibus, & muneribus, uel publicis operibus, uel nũdinis, & pollicitationibus, ac diuersis cognitionibus, & censibus, aut significationibus uerborum ueteribus inuenta sunt, quæq; regulariter definita, in se recipit quinquagesimus, tocius consummationis perfectio. Quæ omnia per uirum excelsum, nec non prudentissimum magistrum exquæstore & exconsule Tribonianum, qui similiter eloquentiæ, & legitimæ scientiæ artibus decoratus, & in ipsis rerum experimentis emicuit, nihilq; maius, nec carius nostris unquam iussionibus duxit: nec non per alios uiros magnificos & studiosissimos perfecta sunt. id est, Constantinum uirum illustrem, comitem sacrarum largitionum, & magistrum scrinij libellorum, sacrarumq; cognitionum, qui semper nobis ex bona opinione & gloria sese commendauit. nec non Theophilum uirum illustrem magistrum iurisq; peritũ in hac splendidissima ciuitate laudabiliter optimã legum gubernationem extendentem. & Dorotheum uirum illustrem & facundissimum quæstorem, quem in Berytiensium splendidissima ciuitate leges discipulis tradentem propter eius optimam opinionem & gloriam ad nos deduximus, participemq; huius operis fecimus. sed & Anatolium uirum illustrem magistrum, qui & ipse apud Berytienses iuris interpres constitutus ad hoc opus electus est, nit ab antiqua stirpe legitima procedẽs, cum & pater eius Leontius post Patricium inclytæ recordationis quæstorium & antecessorem. & auus eius Eudoxius post Leontium uirum gloriosissimum præfectorium consularem atq; Patricium filios eius optimam sui memoriam in legibus reliquerint. necnon & Cratinum uirũ illustrem, & comitem sacrarum largitionũ, & optimum antecessorem huius almæ urbis constitutum. qui omnes ad prædictũ opus electi sunt unà cum Stephano, Mœnà, Prosdocio, Eutolmio, Timotheo, Leonide, Leontio, Platone, Iacobo, Constantino, Ioanne, iuris prudentissimis, qui patroni quidem sunt caussarum apud maximam sedem præfecturæ, quæ orientalibus prætorijs præsidet. Omnes autem suæ uirtutis testimonium undiq; accipientes, & à nobis ad tanti operis consummationem electi sunt: & cum omnes in unum conuenerunt gubernatione Triboniani uiri excelsi, ut tantum opus nobis authoribus possent conficere, deo propicio in quinquaginta libris opus consummatum est. Tanta autem à nobis antiquitatis habita est reuerentia, ut nomina prudentium taciturnitati tradere nullo modo patiamur: sed unusquisq; eorum, qui author legis fuit, nostris Digestis inscriptus est: hoc tantummodo à nobis effecto, ut si quid in legibus eorum superuacuum, uel imperfectum aut minus idoneum uisum esset: uel adiectionem, uel deminutionem necessariam accipiat, & rectissimis regulis tradatur, sed & ex multis similibus uel contrarijs quod rectius habere apparebat, hoc pro alijs omnibus positum est, una omnibus authoritate indulta: ut quidquid ibi scriptum est, hoc nostrum appareat, & ex nostra uoluntate compositum: nemine audente comparare ea, quæ antiquitas habebat, cũ ijs, quæ nostra authoritas introduxit: quia multo maxima sunt, quæ propter utilitatem rerũ transformata sunt: adeo, ut et si principalis constitutio fuerat in ueteribus libris relata, neq; ei pepercerimus, sed et hanc corrigendam esse putauerimus, et in melius restaurandam. nominibus etenim ueteribus relictis, quidquid legum ueritati decorũ et necessarium fuit, hoc nostris emendationibus seruauimus: et propter hanc caussam et si quid inter eos dubitabatur, hoc iam in tutissimam peruenit quietem, nullo titubante relicto. Sed cum prospeximus, quod ad portandam tantæ sapientiæ molem non sint ideonei homines rudes, et qui in primis legum uestibulis stantes intrare ad arcana eorum properant: et aliam mediocrẽ eruditionem præparandam esse censuimus, ut sub ea colorati, et quasi primitus omnium imbuti, possint ad penetralia eorum intrare, et formã legum pulcherrimam non conniuentibus oculis accipere. Et ideo Triboniano uiro excelso, qui ad totius operis gubernationem electus est, necnon Theophilo et Dorotheo uiris illustribus et facundissimis antecessoribus accessitis: mandauimus, quatẽnus libris, quos ueteres composuerunt, qui prima legum argumenta continebãt, et Institutiones uocabantur, undiq; separatim collectis: quidquid ex his

utile,& aptissimum,& undique elimatum,& rebus,quæ in præsenti æuo uertuntur, consentaneum inueniatur:hoc & capere studeāt,& quatuor libris imponere, & totius eruditionis prima fundamenta atque elementa ponere,quibus iuuenes suffulti, possint grauiora & perfectiora scita legum sustentare. Admonuimus autem eos, ut memores etiam nostrarum sint constitutionum, quas pro emendatione iuris promulgauimus: & in confectione institutionum etiam eandem emendationem ponere nō morentur:ut sit manifestum,& quid antè nacillabat, & quid postea in stabilitatem redactum est. Quod opus ab his perfectum, ut nobis oblatum & relectum est:& prono suscepimus animo,& nostris sensibus non indignum esse iudicauimus,& prædictos libros cōstitutionum uicem habere iussimus: quod in oratione nostra,quam in eisdem libris præposuimus,apertius declaratur. Omni igitur Romani iuris dispositione composita,& in tribus uoluminibus,id est Institutionū,& Digestorum seu Pandectarum,nec non Cōstitutionum,perfecta,& tribus annis consummata,quæ ut primum cœpit,neque in toto decennio compleri sperabatur:omnipotenti deo & hanc operam ad hominum sustentationem pijs obtulimus animis,uberesque gratias maximæ deitati reddidimus,quæ nobis præstitit,& bella feliciter peragere, & honesta pace potiri, & non tantum nostro,sed etiam omni æuo,tam instanti,quàm posteriori leges optimas ponere. Omnibus itaque hominibus eandem sanctionem manifestam facere,necessariū esse perspeximus:ut sit eis cognitum,quanta confusione & iniquitate absoluti,in quantam moderationem & ueritatem legitimam peruenerint:legesque in posterum habeant, tā directas, quàm compendiosas,omnibusque in promptu positas,& ad possidendi libros earum facilitatē idoneas:ut non mole diuitiarum expensa possint homines superuacuæ legum multitudinis adipisci uolumina,sed uilissima pecunia facilis eorum comparatio pateat tam ditioribus,quàm tenuioribus,minimo precio magna prudentia reparanda. Si quid autem in tanta legum compositione,quæ ab immēso librorum numero collecta est,simile forsitan rarum inueniatur:nemo uituperandum existimet,sed primum quidem imbecilitati humanæ, quæ naturaliter inest,hoc adscribat:quia omnium habere memoriam,& penitus in nullo peccare,diuinitatis magis,quàm mortalitatis est:quod & à maioribus dictū est.deinde sciat,quod similitudo in quibusdam & his breuissimè adsumpta non inutilis est, & citra propositum nostrū hoc subsecutum.aut enim ita lex necessaria erat,ut diuersis titulis propter rerum cognationē adplicari eam oportuerit:aut cū fuerat alijs diuersis permista, impossibile erat eam per partes detrahi,ne totum confunderetur.& in his partibus,in quibus perfectissimè iussiones ueterum exPositæ fuerāt,quod particulatim in ea fuerat sparsum,hoc diuidere ac separare penitus erat inciuile: ne tam sensus,quam aures legentium ex hoc perturbarentur. Similique modo si quid in principalibus cōstitutionibus cautum est:hoc in Digestorum uolumine poni nullo modo concessimus,quasi constitutionum recitatione sufficiente:nisi & hoc rarò ex ijsdem caussis,ex quibus similitudo adsumpta est. Contrarium autem aliquod in hoc codice positum nullum sibi locum nindicabit,nec inuenietur,si quis subtili animo diuersitatis rationes excutiat:sed est aliquod nouum inuentum,uel occultè positum, quod dissonantiæ querelam dissoluit,& aliam naturam inducit discordiæ fines effugientem. Sed & si quid forsitan prætermissum est,quod in tantis millibus quasi in profundo positum latitabat, & cum idoneum fuerat poni,ob scuritate inuolusum necessariò derelictum est: quis hoc reprehendere recto animo possit?primo quidem propter ingenij mortalis exiguitatem. deinde propter ipsius rei uicium,quod multis inutilibus permistum, nullam sui ad ernendum præbuit copiam.denuo quod multo utilius est pauca idoneè effingere,quàm multis inutilibus homines prægrauari. Mirabile autem aliquid ex his libris emersit,quod multitudo antiqua præsente breuitate paucior inuenitur.homines etenim,qui ante lites agebant,licet multæ leges fuerant positæ:tamen ex paucis lites perferebātur,uel propter inopiam librorum, quos comparare eis impossibile erat,uel propter ipsam inscientiam:& uoluntate iudicum magis,quàm legitima authoritate lites dirimebantur. In præsenti autem consummatione

nostrorum

noſtrorum Digeſtorum ex tantis leges collectæ ſunt uoluminibus:quorum etiam nomina antiquiores homines,nō dicimus neſciebant,ſed nec unquam audiebant.quæ omnia colle/cta ſunt ſubſtantia ampliſſima cōgregata:ut egena quidem antiqua multitudo inueniatur, opulentiſſima autem breuitas noſtra efficiatur. Antiquæ autem ſapientiæ librorum copiam maximè Tribonianus uir excellentiſſimus præbuit,in quibus multi fuerant & ipſis eru/ditiſſimis hominum incogniti,quibus omnibus perlectis, quidquid ex his pulcherrimum erat,hoc ſemotum in optimam compoſitionem noſtram peruenit.Sed huius operis condi/tores non ſolum ea uolumina perlegerūt,ex quibus leges poſitæ ſunt:ſed etiam alia multa, quæ iſti nihil uel utile uel nouum in eis inuenientes, quod excerptū noſtris Digeſtis adpli/carent,optimo animo reſpuerunt. Sed quia diuinæ res quidem perfectiſſimæ ſunt,humani uero iuris conditio ſemper in infinitum decurrit,& nihil eſt in eo,quod ſtare poſſit perpetuò(multas etenim formas edere natura nouas deproperat nō deſperamus, quædam poſt/ea emergi negocia,quæ adhuc legum laqueis non ſunt innodata.Si quid igitur tale contige/rit:Auguſtum imploretur remedium:quia ideo imperialem fortunam rebus humanis deus præpoſuit,ut poſſit omnia,quæ nouiter contingunt,& emēdare,& componere,& modis ac regulis competentibus tradere.& hoc non primum à nobis dictum eſt,ſed ab antiqua deſcēdit proſapia:cū & ipſe Iulianus legū & edicti perpetui ſubtiliſſimus conditor. ſuis libris hoc retulerit: ut ſi quid imperfectū inueniatur,ab imperiali ſanctione hoc repleatur.& hoc non ipſe ſolus,ſed & diuus Hadrianus in compoſitione edicti & ſenatuſconſulto, quod eam ſecutum eſt,hoc apertiſſimè definiuit:ut ſi quid in edicto poſitum non inueniatur,hoc ad eius regulas,eiusq; coniecturas,& imitationes poſſit noua inſtruere authoritas. Hæc igitur om/nia ſcientes patres conſcripti,& omnes orbis terrarum homines,gratias quidē ampliſſimas agite ſummæ diuinitati,quæ noſtris temporibus iam ſaluberrimū opus ſeruauit.quo enim antiquitas digna diuino non eſt uiſa iudicio:hoc noſtris temporibus indultum eſt. Has itaq; leges & adorate,& obſeruate omnibus antiquioribus quieſcentibus:nemoq; ueſtrum audeat uel comparare eas prioribus,uel ſi quid diſſonans in utroq; eſt,quærere: quia omne quod hic poſitum eſt,hoc unicum & ſolum obſeruari cenſemus. Nec in iudicio,nec in alio certamine,ubi leges neceſſariæ ſunt,ex alijs libris,niſi ab eiſdem, Inſtitutionibus,noſtriſq; Digeſtis,& conſtitutionibus à nobis cōpoſitis,uel promulgatis,aliquid uel recitare,uel oſtēdere conetur:niſi temerator uelit falſitatis crimini ſubiectus,unà cū iudice,qui ei audientiam accommodauerit,pœnis grauiſſimis laborare. Ne autem in cognitum ſit uobis,ex quibus ueterum libris hæc conſummatio ordinata ſit:iuſſimus & hoc in primordijs Digeſtorū no/ſtrorum inſcribi:ut manifeſtiſſimum ſit,ex quibus legiſlatoribus,quibuſq; libris eorum,& quot milibus hoc iuſticiæ Romanæ templum ædificatum eſt. Legiſlatores autem uel cō/mentatores eos elegimus,qui digni tanto opere fuerant,& quos anteriores pijſſimi princi/pes admittere nō ſunt dedignati:omnibus uno dignitatis apice impertito,nec ſibi quoquā aliquam prærogatiuam uindicante,cum enim conſtitutionum uices & has leges obtinere cenſuimus quaſi ex nobis promulgatas:quid amplius,aut minus in quibuſdam eſſe intelli/gatur,cum una dignitas,una poteſtas omnibus eſt indulta? Hoc autem , quod ab initio nobis uiſum eſt,cum hoc opus fieri deo annuēte mandabamus:tempeſtiuū nobis eſſe uidetur & in præſenti ſancire:ut nemo nec eorum,qui in præſenti iuris peritiam habent.nec qui poſtea fuerint,audeant commentarios ijſdem legibus adnectere:niſi tantum ſi uelint eas in græcam uocem transformare ſub eodem ordine,eademq; conſequentia,ſub qua uoces Ro/manæ poſitæ ſunt,hoc quod græci κατὰ πόδας dicunt.& ſi qui forſitan per titulorū ſubtili/tatem adnotare maluerint,& ea,quæ παράτιτλα nuncupantur,componere.alias autem legū interpretationes,imò magis peruerſiones,eos iactare non concedimus:ne uerboſitas eorū aliquod legibus noſtris adferat ex cōfuſione dedecus:quod & in antiquis edicti perpetui cōmentatoribus factū eſt,qui opus moderatè confectum huc atq; illuc in diuerſas ſententias

β 3 producen

producentes,in infinitum detraxerunt,ut penè omnem Romanam sanctionem esse confusam cerneres. Quod si nō passi sumus:quemadmodum posteritatis admittetur uana discordia? Si quid autem tale facere ausi fuerint:ipsi quidem falsitatis rei constituantur,uolumina autem eorum omnino corrumpantur. Si quid uero(ut supr à dictum est)ambiguū fuerit uisum:hoc ad Imperiale culmen per iudices referatur,& ex authoritate Augusta manifestetur,cui soli leges condere,& interpretari concessum est. Eandem autem pœnam falsitatis constituimus & aduersus eos,qui in posterum leges nostras per signorum obscuritates ausi fuerint conscribere.omnia enim & nomina prudentium,& titulos,& librorum numeros,per consequentiam literarum uolumus,non per signa manifestari:ita,ut qui talem librū sibi parauerit,in quo signa posita sunt in qualicunq; loco libri uel uoluminis,sciat inutilis se esse codicis dominum neq; enim licentiam aperimus ex tali codice in iudicium aliquid recitandi,qui in quacunq; sua parte signorum habet maliciam.Ipse autem librarius,qui eas inscribere ausus fuerit:nō solum criminali pœna(secundum quod dictum est) plectetur, sed etiam libri æstimationem in duplum domino reddet,si & ipse dominus ignorans talem librum uel comparauerit,uel confici curauerit.quod & antè à nobis dispositum est constitutione,quam ad legum professores demisimus. Leges autē nostras,quas in his codicibus uel Institutionum seu elementorum,uel Digestorum seu Pandectarū posuimus:suum obtinere robur ex nostro tertio felicissimo sancimus consulatu præsentis duodecimæ indictionis,tertio calendas Ianuarias,in omni æuo ualituras,unà cum nostris constitutionibus pollentes,& suum uigorem iudicijs ostendētes in omnibus caussis,siue quæ postea emerserint, siue in iudicijs adhuc pendent,nec eas iudicialis uel amicalis forma cōpescuit.quæ etenim iā uel iudiciali sentētia finita sunt,uel amicali sopita pacto:hæc resuscitare nullo uoluimus modo. Bene autē properauimus in tertio nostro cōsulatu & has leges edere: quia maximi dei & domini nostri Iesu Christi auxilium felicissimum æuum nostræ reipublicæ donauit:cum in hunc & bella Parthica abolita sunt,& quieti perpetuæ tradita,& tertia pars mundi nobis adcreuit.post Europam enim & Asiam,tota Libya nostro imperio adiuncta est, & tanto operi legum caput impositū,& omnia cœlestia dona nostro tertio consulatui indulta. Omnes itaq; iudices nostri pro sua iurisdictione easdem leges suscipiant: & tam in suis iudicijs, quàm in hac regia urbe habeant, & proponant,& præcipuè uir excelsus huius almæ urbis præfectus.curæ autem erit tribus excelsis præfectis prætorijs,tam orientalibus,quàm Illyricis,necnon & Libycis per suas authoritates omnibus,qui suæ iurisdictioni suppositi sunt, eas manifestare.

D. XVII. CAL. IAN. CP. D. IVSTINIANO. PP. CONS.

NOMINA PRVDENTIVM, EORVMQVE LIBRI.EX QVIBVS DIGESTORVM OPVS compositum est,& concinnatum.

Saluius

SALVIVS IVLIANVS.

Digestorum lib.nonagintanouem.
†Ad Minutium Natalem lib.sex.
Ad Vrseium Ferocem lib.quatuor.
De ambiguitatibus.lib.unum

In hunc notas scripserunt Marcellus, & Paulus.
†In quæstiones Vlpianus. in responsa simul & quæstiones Paulus notas scripsit.

AEMYLIVS PAPINIANVS.

Quæstionum.lib.triginta septem
Responsorum.lib.decem & nouem
Definitionum.lib.duos
Lib.singulares
De adulterijs
ἀσυνομικόν.

Q.MVTIVS SCAEVOLA.

ὅρων.librum unum

SABINVS.

Iuris ciuilis.lib.tres

huius libros Paulus in epitomā redegit. In libros πιθανῶν Paulus notas scripsit Posteriorum Iabolenus epitomen fecit.

ALFENVS VARVS.

Digestorum lib.quadraginta

PROCVLVS.

ἐπιστολῶν.lib.octo

ANTISTIVS LABEO.

πιθανῶν lib.octo
Posteriorum lib.decem.

NERATIVS PRISCVS.

Regularum lib.quindecim
Membranarum.lib.septem
Responsorum.lib.tres.

IABOLENVS.

Ex Cassio.lib.quindecim
ἐπιστολῶν.lib.quatuordecim
Ad Plautium.lib.quinq;.

P.IVBENTIVS CELSVS.

Digestorum.lib.triginta nouem.

SEXTVS POMPONIVS.

Ad Q.Mutium lectionum.lib.quindecim
Ad Sabinum.lib.trigintaquinq;
ἐπιστολῶν.lib.uiginti
†Variarum lectionum.lib.quindecim
Ad Plautium lib.septem
Fideicommissorum.lib.quinq;
Senatusconsultorum.lib.quinq;
ἐγχειριδίου.lib.duos.
Regularum lib.unum.

Ibi libri alicubi adducūtur. ad edictum ex uarijs lectionibus. item uariarum quæstionum.
†adduc. etiam. quæstionum de fideicommissis

ABVRNIVS VALENS.

Fideicommissorum.lib.septem.

VOLVSIVS MAETIANVS.

†Fideicommissorum lib.sedecim

Publicorum.lib.quatuordecim
Ad L.Rhodiam lib.unum.

IVLIVS MAVRITIANVS.

Ad leges lib.ſex.

TERENTIVS CLEMENS

Ad leges.lib.uiginti.

AFRICANVS.

In hunc notas ſcripſit Martianus.quēadmodum in Sceuolā Claudius Triphoninus et Paulus.

Quæſtionum.lib.nouem.

VLPIVS MARCELLVS.

Digeſtorum lib.trigintaunum
Ad leges.lib.ſex
Reſponſorum lib.unum

SERBIDIVS SCAEVOLA.

†adde. et uariarum queſtionum.

Digeſtorum.lib.quadraginta
†Quæſtionum.lib.uiginti
Reſponſorum.lib.ſex
Regularum.lib.quatuor
Lib.ſingulares:
De quæſtione familiæ
Quæſtionum publicè tractatarum.

FLORENTINVS.

Inſtitutionum.lib.duodecim

T.CAIVS.

Ad edictum prouinciale.lib.trigintaduos
Ad leges.lib.quindecim
**alias urbi cū.* Ad edictum * publicum,qui haberi potuerunt,lib. decē
Aureorum,ſiue rerum cotidianarum.lib.ſeptem.
δωδεκαδέλτου.lib.ſex
Inſtitutionum.lib.tres
De manumiſſionibus.lib.tres
Fideicommiſſorum.lib.duos
De uerborum obligationibus,lib.tres
Ad edictum ædilium curulium.lib.duo
Lib.ſingulares
De caſibus
Regularum
Dotalium
Ad hypothecariam formulam.

VENVLEIVS SATVRNINVS.

Stipulationum,lib.decem & nouem
Actionum,lib.decem
De officio proconſulis.lib.quatuor
Publicorum,lib.tres
De interdictis,lib.ſex
De pœnis paganorum,lib.unum

TERTYLIANVS.

Quæſtionum.lib.tres

Decaſtrenſi

De castrensi peculio,lib.unum

PAPYRIVS IVSTVS.

Constitutionum,lib.uiginti.

DOMITIVS VLPIANVS.

Ad edictum,lib.octogintatres
Ad Sabinum,lib.quinquagintaunum
Ad leges,lib.uiginti
†Disputationum,lib.decem
Omnium tribunalium,lib.decem
De officio proconsulis,lib.decem
Regularum,lib.septem
Fideicommissorum,lib.sex
Opinionum,lib.sex
De adulterijs,lib.quinq;
De appellationibus,lib.quatuor
De officio consulis,lib.tres
Institutionum,lib.duos
De censibus,lib.sex
Responsorum,lib.duos
Ad edictum ædilium curulium,lib.duos
Lib singulares
De sponsalibus.
De officio præfecti urbi
De officio præfecti uigilum
De officio curatoris rei publicæ
De officio prætoris tutelaris
De officio quæstoris
De officio consularium
πανδεκτῶν
De excusationibus tutelarum
Regularum rursus.

Ibi libri aliàs quoq; adducũtur questionũ. item publicarum disceptationum.

IVLIVS PAVLVS.

Ad ædictum,lib.octoginta
Quæstionum,lib.uiginti sex
Responsorum,lib.uiginti tres
Breuis edicti,lib.uiginti tres
†Ad Plautium,lib.decem & octo
Ad Sabinum,lib.sedecim
Ad leges,lib.decem
Regularum,lib.septem
Sententiarum siue factorum,lib.sex
Sententiarum receptarum,lib.quinq;
Ad Vitellium Sabinum,lib.quatuor
Ad Neratium,lib.quatuor
Fideicommissorum,lib.tres
†Decretorum,lib.tres
De adulterijs,lib.tres
Manualium,lib.tres
Institutionum,lib.duos

taliàs adducuntur. quæstionum ad Plautiũ.

talicubi sic adduc. Imperialium sententiarum in cognitionibus prolatarũ ex libris sex primo, Decretorum lib. secundo.

De officio

De officio proconsulis, lib. duos
Ad legem Iuliam, lib. duos
Ad legem Aeliam Sentiam, lib. tres
De iure fisci, lib. duos
Ad edictum ædilium curulium, lib. duos
Lib. singulares
Regularum iterum
Regularum tertio
De pœnis paganorum
De pœnis militum
De pœnis omnium legum De usuris
De gradibus et adfinibus
De iure codicillorum
De excusationibus tutelarum
Ad senatusconsultum Tertyllianum
Ad senatusconsultum Orphitianum
Ad regulam Catonianam
Ad senatusconsultũ Silanianum et Clandianũ
Ad senatusconsultum Velleianum
Ad senatusconsultum Libonianum
De officio præfecti uigilum
De officio præfecti urbi
De officio prætoris tutelaris
De officio adsessorum
De extraotdinarijs criminibus
Ad hypothecariam formulam
Ad municipalem
De publicis iudicijs
De inofficioso testamento.
De centumuiralibus iudicijs
De iure singulari
De secundis tabulis
Ad otationem diui Seueri
Ad otationem diui Marci et Commodi
Ad legem Velleam
Ad legem Cinciam
Ad legem Falcidiam
De tacito fideicommisso
De portiōibus, quæ liberis dānatorū cōcedūtur
De inris et facti ignorantia
De adulterijs
De instructo et instrumento
De appellationibus
De adsignatione libertorum
De iure libellorum
De testamentis
De iure patronatus
De iure patronatus, quod ex lege Iulia & Papia uenit

De actionibus

De actionibus
De intercessionibus fœminarum
De operis libertorum
De uarijs lectionibus
De donationibus inter uirum & uxorem
De legibus
De legitimis hæreditatibus
De libertatibus dandis
De senatusconsultis

CLAVDIVS TRIPHONINVS.

Disputationum lib. uiginti unum.

CALISTRATVS.

De cognitionibus lib. sex
Edicti monitorij lib. sex
De iure fisci lib. quatuor
Institutionum lib. tres
Quæstionum lib. tres

ARRIVS MENANDER.

De re militari lib. quatuor

AELIVS MARTIANVS.

Institutionum lib. sedecim
Regularum lib. quinque
De appellationibus lib. duos
De publicis iudicijs, lib. duos
Lib. singulares
De delatoribus
Ad senatusconsultum Turpillianum
Ad hypothecariam formulam

IVLIVS AQVILA.

Responsorum lib. unum

HERENNIVS MODESTINVS.

Responsorum lib. undeuiginti
πανδεκτῶν. lib. duodecem
Regularum lib. decem
Differentiarum lib. nouem
Excusationum lib. sex
De pœnis lib. quatuor.
Lib. singulares
De præscriptionibus
De inofficioso testamento
De manumissionibus
De legatis & fideicommissis
De testamentis
περὶ εὑρηματικῶν.
De enucleatis casibus
De differentia dotis
De ritu nuptiarum

TARANTINVS PATERNVS

De re militari, lib. quatuor

Aemilius

AEMYLIVS MACER.

De re militari, lib. duos

De publicis iudicijs, lib. duos

De officio præsidijs, lib. duos

De appellationibus, lib. duos

ἑικοστῶν, siue ad legem uicesimam hæreditatum, lib. duos

AVRELIVS ARCADIVS CHARISIVS.

lib. singulares.

De testibus

De officio præfecti prætorio

De muneribus ciuilibus

LICINIVS RVFINVS.

Regularum, lib. duodecim

P. FVRIVS ANTHINVS.

Partis edicti, lib. quinque

MAXIMVS.

Ad legem falcidiam, lib. unum

ERMOGENIANVS.

ἐπιτομῶν iuris, lib. sex

AELIVS GALLVS.

De uerborum, quæ ad ius pertinent, significatione

FINIS.

TITVLI CVIVSQVE LIBRI DIGESTORVM SEV PANDECTARVM

PARS PRIMA τῶν πρώτων.

LIBER. I.

De inoffi-

De condi-

PARS QVARTA.

y 2 Liber

De admi-

PARS SEXTA

LIBER. XXXVII.

De bonis

De exce-

PARS SEPTIMA

LIBER. XLIX.

LIBER. L.

De muneribus

FINIS.

LECTORIBVS.

QVONIAM uidebam futurum, ut præ his, quæ subinde Pandectarum libris græca adspersa sunt, nauseam contraherent, qui non utranque linguam perdidicissent: magnum me operæ pretium facere arbitratus sum, si in gratiam eorum hæc ipsa utcunque ex tempore latinis uerbis expressa, sub operis finem adijcerem: magis hoc secutus, ut bona fide latina intelligentibus sententiam repræsentarem, quàm ut superstitiosius uerba adnumerando, uel durius, uel obscurius loquerer. qua in re tamen non ita delicatus fui, ut si quis alius uel uersu, uel soluta oratione quæpiam tolerabili modo expressisset, debita cum laude fraudauerim. quapropter omnes etiam atque etiam oratos uolo, ut qualecunque factum studiumque nostrum pro se in optimam quisque partem accipiat. VALETE.

EPIGRAMMA IGITVR, QVOD OPERIS TITVLO SVBIECTVM EST, ITA SANE seruatis numeris reddi posse ostendit Alciatus, non solum de iure ciuili, sed etiam bonis literis egregiè meritus.

Iustinianus opus hoc princeps edidit, omnis
Quod Tribonianus rectori condidit orbis,
Tanquam aliquis narium componens aspida magno
Alcidæ. nanque hic fulgent mira omnia legum.
Ast Europæ, Asiæque homines, Libyciique subacti
Cuncta gubernantis domini præcepta sequantur.

Rursus in epistola nuncupatoria. ἀρχίτυπον, id est, primarium exemplar. ἐπιγραφῆ. inscriptione. προέδροις. antecessoribus, & qui principem locum in conuentibus publicis tenebant. παρέδροις. adsessoribus. προηγεῖσθαι. præcedere. quod uerbum propriè eorum est, qui cæterorum duces sunt. προηγουμένως. antecessoriè, siue ex professo. ὀρθογραφίαν. rectè scribendi rationem. ἐν ταῖς νεαραῖς. in nouellis. τὰ κακῶς ἐπινοούμενα οὐδὲ ἡ μακρὰ συνήθεια βεβαιοῦσθαι βουλόμεθα. Quæ perperam excogitata sunt, ea ne longa quidem consuetudine confirmari uolumus. θεμάτιον. thematium, forma diminutiua. propositionem, factum, casum, speciem. nam his omnibus utuntur ueteres consulti huius uerbi loco. Inde Vlpianus dixit speciem proponere ad L. Aquiliam, id quod Caius referre casum, de condictione indebiti. βιβ. δ. τιτ. β. κεφ. ϛ. θεματ. ια. lib. 4. titulo, 1. cap. 6. themate 11. νεαράς. nouellas. In prima constitutione Iustiniani. αὐτονομία. legum

legum pugnantia. παράτιτλα. quasi titularia dicas, quod per ea titulus cum titulo, locus cum loco conferatur idē, quod uulgo concordantias uocamus, nisi fallor. In secunda. τῶν πρώτων. primariorum. τὰ πρῶτα. primaria, & ueluti principia. in margine ibidem. τοῦ ἀπὸ ὑπάτων. qui amplius inter consules non sit. sic in epigrammatis ὁ ἀπὸ ὑπάρχων. i. ex præfecto. & eius, qui præfectura functus erat. & passim in nouellis Iustiniani. λύτας. solutores, ut qui iam legum ænigmata per se possent soluere. προλύται. qui λύταις, id est, solutoribus eruditione præstarent. χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

Ære laboratis auro radiantia, nouem
Æstimata bubus pro fortè ualentibus centum.

In tertia. τὰ πρῶτα. primaria. κατὰ πόδας. pedetenim, & ueluti ijsdem uestigijs insistendo. παράτιτλα. titulariæ adnotationes.

In catalogo authorum. ἀστυνομικὸν. de officio ædilium. ὅρων. finitionum. τῶν ἐπιστολῶν. epistolarum. πιθανῶν. probabilium. ἐγχειρίδιον. enchiridij, quasi dicas manuale, ut Paulus pro breui libello. δωδεκαδέλτου. legis duodecim tabularū. πανδεκτῶν. omnimoda continentiū. περὶ εὑρηματικῶν. de inuentorijs. εἰκοστῶν. de uicesimis hæreditatum. τῶν ἐπιτομῶν. abreuiationum.

EX DIGESTIS IPSIS.

Columna 1. lit. F. τῶν νόμων. &c. legum ipsarum partim scripto cōstat, partim sine scripto. Col. 5. E. σόφρον sapientem. Col. 8. F. νόμος ἐστὶ &c. Lex est cui omnes obtemperare conuenit, cum ob alia multa, tum uero maximè eo, quod omnis lex inuentum ac munus deorum est, consultum prudentium hominum, coërcitio eorum, quæ uel sponte, uel ignorantia delinquuntur, communis sponsio ciuitatis: ad cuius pręscriptum omnes, qui in ea republica sunt, uitam instituere par est. Col. 8. G. περὶ νόμων. de legibus. ὁ νόμος πάντων &c. Lex tam diuinarum, quàm humanarū rerum omnium regina est. quo magis conuenit, ut non solum rebus honestis turpibusq; pręsideat: sed etiam principatū ac ducatū teneat, & per hoc regulā pręscribat iustis simul & iniustis: utpote quę animātibus natura ad colendā ciuitatē idoneis facienda iubeat, prohibeatq; non facienda. Col. 8. G. ἐκ παραλόγου &c. ex inopinato, ut plurimū. Col. 8. H. τὸ γὰρ ἅπαξ. &c. Quod enim semel tantū, aut iterū exstitit, id legū latores prætereūt. Col. 9. D. ῥητὸν ἀπὸ διανοίας. uerbis expressum ab agitatione mētis & sentētia. Col. 10. K. Αἱ μεταγενέστεραι. &c. Constitutiones tempore posteriores, potiores sunt his, quæ ipsas pręcesserūt. Col. 12. H. παρὰ τὴν σποράν. à satione. Col. 19. A. κηρυκεῖα. caducei. Co. 24. F. τῶν ἐπιδημίας. accessus ad urbē: quod omnibus in urbē proficiscētibus pateāt. κατάπλουν. ad nauigationē. καὶ τὴν μητροπ. &c. & inter matrices urbes, siue prouinciarū capita Ephesum. Col. 31. I. οὔτε πάντα, οὔτε &c. necq; omnia, necq; quouis tēpore, necq; ab omnibus. Col. 46. K. δεύτερον. secundū. πάλιν. rursus. Col. 48. K. καὶ συνάλλ. & contractū esse. συνάλλαγμα. contractū. Col. 64. H. βραβευτὰς. arbitratores sacrorum certaminum. Col. 123. B. τῇ δυνάμει. per quandam possibilitatem. Col. 127. A. ναυφύλακες. nauium custodes. χειρέμβολον. immissionem manus. nam iniectio manus apud Paulum de seruis exportandis & cæteros, aliud est. Col. 128. I. μεσοναύτας. quasi ex parte, nec omnino nautas. ναυτεπιβάτας. remum pro naulo & uecturæ pretio ducentes. Col. 131. D. παρέπλει. præternauigabat. Col. 133. C. τῷ κοινῷ Συρακουσίων. uniuersitati, siue reipublicæ Syracusanorum. Col. 134. G. τοὺς ἄρχοντας &c. Prætores, quo anno cum imperio sunt, necq; propriam, necq; eorum, quorum tutelam uel curam gerunt, caussam in iudicio uel agendo uel defendendo sustinento. simulac uero magistratus dies exierit: nō ipsis tantū aduersus reos suos, sed etiam alijs aduersus ipsos litem intentare, ius fasq; esto. Col. 151. B. ἀντίδωρα remunerationes. Col. 157. C. τὸ γὰρ ἅπαξ. &c. quod enim semel tantum aut iterū extitit, id prætereūt legum latores. Col. 193. A. χρῆσις. usus. Col. 201. A κατ' ἀνάκλασιν per repercussionem. Col. 206. F. οὐκ ἔστιν εὔλογον. &c. non est consentaneum rationi, ut per aliena prædia inuitis dominis aucupium faciatis. Col. 208. H. Λούκιος Τίτιος. &c. L. Titius C. Seio fratri S. P. De aqua fluente in fontem, quem pater meus in Isthmo instruxit, do concedoq; tibi gratuitò digitum, siue ad domū, quam in Isthmo tenes, siue quocunq; tandem uolueris. Col. 241. B. Ἐάν τις αἱμασιὰν &c. Si quis sepem ad alienum prædiū

fixerit,

fixerit, infoderitq;: terminum ne excedito. ſi maceriam: pedem relinquito. ſi uero domum; pedes duos. ſi ſepulchrum aut ſcrobem foderit, quantum profunditatis habuerint, tantum ſpacij relinquito. at uero oleam aut ficum ab alieno ad nouem pedes plantato: cæteras arbores ad pedes quinq;. Col. 244. K. ἀγωνοθεσίαν. conſtituendi deſignãdiq; certaminis munus. Col. 263. B. πρὸς ἔπος. ad dictum, aut potius (ut oſtendunt uerba iuris conſulti) ad interrogatum. unde & prouerbium οὐδὲν πρὸς ἔπος de inepte reſpondentibus. neq; enim ſonat, nihil ad uerſum, ut quidam reddunt. Col. 265. C. τῶν μέσων ἐστί. ex medijs, ſcilicet uerbis, eſt. Col. 276. H. κενοτάφιον. cenotaphium, quaſi diceres inane ſepulchrũ, quod ſine corpore ſit. Col. 286. I. μονομερής. uniformis, aut potius unimembris: puta quæ, ut ſemel intẽtata eſt, exceptione repelli non poſſit. nam ubi locum habet exceptio, eam διμερῆ ἀγωγὴν, hoc eſt bimembrem actionem, quod uiciſſim & reus actoris partibus in exceptione comprobanda fungeretur, ueteres Græcorum rhetores appellabant. cõſimiliter ſi ex parte actoris interueniebat replicatio: τριμερῆ uocabant, quaſi trimembrem, & ſic deinceps. Col. 287. A. προπετῶς μὴ ὄμνυε. petulanter ne iurato. Col. 323. K. ἀντίχρησιν. mutuũ pro credito pignoris uſum. Col. 326. H. ἐπιβάτας. conſcenſoriæ naues, & ad tranſportandos homines comparatæ. Col. 330. G. ἀξίωσις &c. Libellus Eudæmonis Nicomedenſis ſupplicatorius ad Antoninum imperatorem. Domine imperator Antonine, facto in Italia naufragio, ſpoliati direptiq; ſumus à † ſeruis publicis, qui Cycladas inſulas inhabitãt. Reſpõdit Antoninus. Ego quidem mundi dominus, lex uero maris. lege id Rhodia, quæ de rebus nauticis perſcripta eſt, diſceptetur: quatenus nulla ei noſtrarum legum aduerſatur. hoc idem D. quoq; Auguſtus iudicauit. Col. 331. C. κηδεμόνα. curatorem funerũ. Col. 343. D. παχυμερέστερον. per maiores groſſioresq; partes. Col. 360. H. ταῖς ἀπατώσαις &c. Decipientibus mulieribus ſenatuſconſultum auxilio non eſt. Col. 373. E. ἔλαβον καὶ ἔχω. &c. ſuſcepi habeoq; apud me titulo depoſiti ſupraſcripta denariũm argenti decem milia: meq; ad præſcriptum omnia præſtaturum, & promitto, & profiteor: conuentione ſcilicet inita, ut quoad omne argentum reddatur, in ſingulos menſes, ſingulasq; libras uſurarum nomine quaternos tibi obolos ſubminiſtrem. ibid. κεραμεῖον. (nam ita legendum eſt) de alimentis puero (uel pueris) præſtitis. Col. 389. C. Σεΐῳ τέκνῳ &c. Seio filio S. Tametſi naturæ conſentaneũ eſſe arbitror, ut patris fratrũq; paternorum negotia quis, uel nullo de ea re mandato requiſito, adminiſtret: ſi quid tamen eius generis opus habes: ecce tibi rerum mearum omnium liberam adminiſtrationem permitto: ſiue uendere, ſiue pignori obligare, ſiue comparare, ſiue quid aliud agere uelis: me nõ aliter omnia, quæ per te geſta erunt, rata habente, neq; in ullius geſtione tibi reclamante, quàm ſi rerum mearum penes te dominium eſſet. Col. 401. B. Ἔνθεν ἄρ᾽ οἰνίζοντο &c. id ego hunc in modum.

† alij publicanis.

Hinc ſibi certatim gentis de more comati
Vina parant Graij, ære claro, fulgenteq; ferro,
Tergoribusq;, bubus ſed & ipſis, mancipijsq;.

Col. 401. F. Ἔνθ᾽ αὖ Κρονίδης &c.

Iuxta animum Glauco Saturnius eximit, ut uel
Cum Diomede uecors auro radiantia mutet
Arma, idq; ære laboratis, capiatq; nouenis
Aeſtimata bubus pro forte ualentibus centum.

Ibidem. τήν ποτε Λαέρτης &c.

Olim Laërtes hanc appetente redemit
Pubertate, boues pendens de parte peculi
Viginti. Col. 438. F. καταδραμὼν γεράνης. decurſum Gruis. machinæ id genus in theãtro fuit, unde quis è ſublimi repente delapſus, de medio aliquem tolleret, ſecumq; in altum eueheret: puta cum uel aurora repræſentanda erat Memnonem rapiens, uel Iuppiter Ganymedem, uel Diana Endimioni oſculum figens. referente id Polluce lib. 4. cap. 19. Id quoniam non ſine magno interdum periculo erat eius, qui ſe demittebat: idcirco iuriſcõ-

fultus hoc exempli caussa adsumpsit. nimirū ita dictum, quod in longū supra theatrum prominens, collum gruis referret. Col. 444. F. θεῷ βίαν. uim diuinam. Col. 447. B. οἱ ἐπίτροποι &c. Tutores curatorésue constituti, prius quàm officij sui rationes reddant, prohibētur, ne quid de patrimonio Cæsaris conductum habeant. ac si quis id dissimulās, nihilominus ad conducenda Cæsaris prædia accesserit: perinde, ut falsarius pœna adficitur. hocq́ sanxit Imperator Seuerus. Secundum quæ satiē prohibiti erunt & à fisco conducere, qui tutelam curámue gerunt. Col. 458. I. ἀντίχρησις. mutuus pignoris usus pro credito: aut (si malueris) ἀνθυποχή. pro credito mutua pignoris detētio & possessio. Col. 462. I. Δανεισάμενος &c. Mutuatus abs te quingentos denarios, rogaui, ne sponsorem, sed pignus à me acciperes. exactè enim & pro certo nosti, nemini alij tabernam seruosq́ meos, quàm tibi esse, obligatos: & quod honesto & graui homini fidem habueris. Col. 474. K. φθίσιν tabem. ibid. κατὰ τὸ αὐτὸ. de eadem re. Col. 475. A. φρενιτικῷ. furioso. ibid. κακοήθειαν. uitiositatem. πάθος. perturbationem. νόσον, morbum. ἀρρωστείαν. ægrotationem. nam hunc in modum omnia ista latinè dixit M. Cic. Tuscula. quæst. Col. 476. F. ἀσαφῶς. obscura uoce & obtusa ἀσήμως. sine ulla significatione uocis. ibid. νυκτάλωπας. lusciosos. Col. 477. A. ἀντιάδας. tonsillas. ibid. ἀντιάδες tonsillæ. ut Cels. lib. 7. c. 11. Col. 528. I. παράφερνα. paraferna, quæ fœminis sponsis præter dotem adduntur, cum in mariti domum deducuntur. Col. 559. D. ἀνεκλογίστους. & paulò post. ἀνεκλογίστοι. rationibus reddēdis solutos. Co. 607. E. οἱ μεληταὶ. curatores. Co. 608. H. βούλομαι καὶ παρακαλῶ &c. Volo efflagitoq́, ut omnia ex sententia ac consilio Mæuij fratris mei gerantur: quodq́ sine ipso gestum erit, irritum esto. Col. 618. Ἐρέννιος Μοδεστῖνος Ἰγνατίῳ Δέξτρῳ. &c. Herennius Modestinus Ignatio Dextro. Conscribens librum (ut mihi uidetur) utilissimum, quem excusationum tutelæ & curatoriæ uocaui: hunc tibi misi. faciam autem, quoad possibile erit, de his doctrinam manifestam, enarrans legitima Græcorum uoce. & si cognouero inepta ea ad transferendum esse: apponam dicendorū narrationi etiam ipsa legum uerba, si necesse erit: ut dicendorum simul & legendorum usum habentes, integritatem indigentibus, & utilitatem præbeamus. Dicendum igitur primum est, quos creari non oporteat Libertinis pupillis ingenuos tutores uel curatores præsides non dabunt: nisi omnimodo libertinorum penuria secundum locum illum sit. libertinis enim libertinos solos oportere dari, qui ex eodem loco sint, oratio diui Marci iubet. Si autem dabitur: diuus Seuerus impuberum curam habens, obligatum eum esse tutelæ, nisi iustè rationes reddiderit, rescripsit. Non potest curator esse sponsæ sponsus, ut Senatus dicit. creatus autem talis absoluitur. Col. eadem, Ἀφίενται ἐπιτροπῆς ἢ κουρατορείας &c. Excusantur à tutela & curatoria, & qui septuaginta annos compleuerunt. excessisse autem oportet septuaginta annos tempore illo, quo creantur, aut quo hæreditatem adijt quis, aut quo conditio, quæ testamento inscripta est, completa est: non infra tempora excusationis. Ætas autem probatur, aut ex natiuitatis scriptura, aut alijs legitimis demonstrationibus. Remittit à tutela uel curatoria & liberorum multitudo. legitimos autem liberos esse oportet omnes, et si non sint in potestate oportet autem liberos uiuos esse, quando tutores patres dantur. qui enim antea decesserunt, his non connumerantur: neque rursus nocent, qui postea moriuntur. & hæc ita inquit constitutio diui Seueri. hoc autem uidetur quidem dictum esse de tutore dato secundum testamentum: conuenit autem & in omni alio. Qui autem in uentre est, & si in multis partibus legum comparatur iam natis: tamen necq́ in præsenti quæstione, neque in reliquis ciuilibus muneribus prodest patri. & hoc dictum est in constitutione diui Seueri. Non solum autem filij remissionem tutelæ tribuunt, & filiæ: sed etiam nepotes ex filijs masculis nati masculi & fœminæ. auxiliantur autem tunc, quando patre eorum mortuo, illius locum supplent auo. quotcunq́ autem nepotes fuerint ex uno filio, numerantur pro uno filio. hæc autem ex constitutionibus, quæ de liberis loquuntur, possunt colligi. nusquam enim facilè est inuenire, ubi de filijs loquatur constitutio, sed de liberis appellatio autem hæc & ad nepotes extenditur. Numerum autem liberorum determinatum constitutionibus esse oportet unicuiq́ tunc, cum creantur: non etsi post creationem ge-

nerentur,

nerentur, antequàm iura remissionis præbeantur. qui enim post hoc geniti fuerint: non auxiliantur, ut constitutio Seueri & Antonini inquit. Amplius autem & qui habet tres tutelas, aut tres curatorias, aut commistim tres curatorias & tres tutelas, & adhuc manentes, hoc est nondum excedentibus ætatem minoribus: hi remittuntur ad tutelam uel ad curatoriam uocati. sed tamen & si curator quis fuerit, non impuberis, sed furiosi, in numerum curarum & hæc computabitur curatoria. quod sic se habere, docet constitutio Seueri & Antonini. dicit autem hæc & optimus Vlpianus de tribus tutelis. Col. 619. Ἐφαμεν τρεῖς ἔχοντας ἐπιτροπὰς &c. Diximus tres tutelas habentes ad quartam non uocari. quæsitum est igitur si quis duas habens tutelas, dinde ad tutelam tertiã uocatus, appellauerit, & adhuc pendente iudicio appellationis ad quartam tutelam promoueatur: utrum à quarta se excusans, mentionem faciet & tertiæ: an omnino dimittet illam? & inuenio à diuo Seuero & Antonino constitutum, non oportere ad quartam promoueri à tertia appellantem, pendente tertiæ creationis excusatione: sed illius finem expectari, terminum futurum quartæ creationis. recta ratione. si enim eo ordine, quartam suscipiet quis: eueniet, ut post tertiam existentem, iniusta tertiæ appellatione apparente, quatuor oneribus grauetur extra leges. Si pater in tribus fuerit muneribus aut tutelarum aut curatoriarum: filius ipse non uexabitur. & ita constitutum est à diuo Seuero & Antonino. hoc autem & è contrario est, quod oportet filios tutelarum remissionem patri dare, & rursus utriusque communes: id est, unam filij, et duas patris, aut è conuerso. tunc autem hæc ita se habent cum onus uni domui, non separatis obtingit. scribit autem eadem hæc et nobilissimus Vlpianus. Eadem columna. Ἐὰν δύο ἔχοντι ἐπιτροπὰς etc. Si duas habenti tutelas, aliæ duæ simul superinductæ fuerint: uel ordine tertia auxiliabitur ei ad remissionem quartæ, et si imperator fuerit, qui quartam iniunxerit, aut tertiam, et antè quàm cognoscat imperatoris mandata, promotus erit ad aliam. si autem ordo non apparuerit, sed una die duæ creationes proponentur in diuersis chartis: non qui creatus est, sed qui creauit, eliget, quam oporteat eum suscipere. Grammatici, sophistæ, rhetores, medici, qui et περιοδευταὶ uocantur: quemadmodum à reliquis muneribus, ita et à tutela, et à cura requiem habẽt. est autem et numerus rhetorum in unaquaq; ciuitate, qui uacationem munerum habeant, et hæreses quædam propositæ lege. quod manifestum est ex epistola Antonini Pij, quæ scripta quidem est communitati Asiæ, uniuerso autem orbi conueniens est. cuius capitulum hic subiectum est. Minores quidem ciuitates possunt quinque medicos immunes habere, et tres sophistas, et grammaticos totidem. maiores autem ciuitates septem, qui curent: quaternos, qui doceant utranq; doctrinam. maximæ autem ciuitates decem medicos, et rhetores quinq;, et grammaticos totidem. supra hũc autem numerum ne maxima quidem ciuitas immunitatem præstat. Decet autem maximo quidem numero uti metropoles gentium. secundo autem, quæ habent fora causarum. tertio autem, reliquas excedere hunc numerum quidem non licet, neque sententia senatus, neq; alia qua adinuentione: minuere autem licet, quoniam pro ciuilibus muneribus hoc introductum esse apparet. et utique non aliter hac immunitate perfruentur: nisi dogmate senatus inscripti fuerint numero concesso, et circa operationem se negligenter non habeant. et quidem philosophos liberari à tutelis, et Paulus scribit ita. ibid. nam et Vlpianus libro quarto de officio proconsulis ita scribit. Columna 620. περὶ δὲ τῶν φιλοσόφων καὶ αὐτη etc. De philosophis autem eadem constitutio diui Pij ita dicit. philosophorum autem non constitutus est numerus: quia rari sunt, qui philosophantur. existimo autem, eos, qui diuitijs abundant, uoluntariè pecuniam in utilitates patriæ contribuere debere. si autem propriè loqueretur de substantia: iam inde manifestum esset eos non philosophari. est autem imperatoris Commodi constitutionibus inscriptum capitulum ex epistola Antonini Pij, in qua manifestatur, & philosophos habere immunitatem tutelarum. Sunt autem hæc uerba. consimiliter autem his omnibus diuus pater meus mox ingrediens principatum, constitutione existentes honores et immunitates firmauit: scribens philosophos, rhetores, grammaticos, medicos immunes esse nõ solum à præfecturis gymnasiorum, et sa-

† hæc aliâs desunt.
* aliâs ista quoque desunt.

cerdotij solere:sed et frumenti,uini,et olei emptionis,†(et ius præpositionis) et neque iudicare,*(neque legatos esse)neque in militia numerari inuitos, neque ad aliquod munus gentile siue familiarum eos cogi. Amplius & illud scire oportet,& eum,qui in patria propria docet,aut medicatur,immunitatem hanc habere.si enim existens Cumanus, in Cæsaria doceat,aut medicetur:apud Cumanos immunitatem non habet.& hoc ita promulgatum est à diuo Seuero & Antonino.ualde tamen disciplinis instructos:& si supra numerum, & in aliena patria moram faciant:esse immunes,Paulus scribit,dicens ita diuum Pium Antoninum iussisse.Romę philosophantem cum salario,uel sine salario,remissionem habere:promulgatum est,à diuo Seuero & Antonino, ita ac si in propria patria doceret. quibus promulgationibus potest quis illam rationem adducere,quoniam in regia urbe, quæ & habetur & est communis patria,decenter utique utilem seipsum præbens, non minus, quàm in propria patria,immunitate fruetur. Legum uero doctores in aliquo præsidatu docentes,remissionem non habebunt.Romæ autem docentes,& à tutela & cura remittuntur.

Vlpianus quoque libro singulari de officio prætoris tutelaris ita scribit. ibid. ἔθνους ἐπαρχία.&c. Gentium præsidatus,(putá Asiæ, Bithyniæ, Cappadociæ) tribuit immunitatem à tutela,hoc est,quoad in præsidatu sunt. Tutela enim non est reipublicæ munus,nec quo ad impensam:sed ciuile,nec prouinciale uidetur in tutela administrari. Remittuntur à tutela & curatoria duces ciuitatum. Dat remissionem tutelæ & capitalis inimicitiæ contentio facta aduersus patrem pupillorum:nisi secundum testamentum apparuerit datus tutor,nisi postquam scriptum est testamentum,capitale certamen eis inuicem constitit: uel nisi antiquior quidem est testamento inimicitia,propter hoc autem uideatur esse datus tutor,ut supponatur debito & negotijs & hoc ex epistola imperatoris Seueri ostenditur. Amplius autem absoluitur à tutela,cum quæstionem quis pupillo de statu mouet:cum uidetur hoc non calumnia facere,sed bona fide.& hoc diuus Marcus & Verus promulgauerunt. De rusticis autem,& humilibus,& illiteratis scribit Paulus ita. Columna 621. Ἀλλὰ καὶ στρατιῶται οἱ ἐντίμως. Sed & milites,qui honestè compleuerunt militiæ tempus, remissionem habent tutelarum aduersus omnes priuatos:aduersus autem filios eorum, qui eidem ordini communicauerunt,& omnium,qui olim milites fuerunt:infra annum quidem dimissionis remissionem habent,post annum autem non habent.coæqualitas enim honoris militiæ fortior uidetur priuilegio, quod olim inter milites habuerunt: nisi fortassis aliâs habuerit iustas tutelæ excusationes:utputá numerum annotum,uel aliquid tale,quale & priuatos aduersus omnes excusare consueuit.hæc autem de filijs,non de nepotibus eorum,qui olim milites fuerunt.nepotes enim eorum,qui olim milites fuerunt,in eodem loco cum reliquis priuatis esse creduntur. Qui uero ignominiosè dimissi sunt, similes his habentur, qui nunquam militauerunt:& propter hoc neque ipsi habent priuilegium, neque filij eorum. Qui olim fuerunt milites,tutores dati obligabuntur. Quandoque autem nō complent quidam militiæ tempus,& tamen habent remissionem tutelarum,perinde ut hi,qui compleuerunt. qui enim uicesimum annum militiæ excessit,similis esse creditur ei, qui complenit tempus militiæ.qui autem infra hos annos dimissus est:non habet continuam tutelarum immunitatem,sed ad tempus:quemadmodum et reliquorum ciuilium munerum remissionem habet.Qui enim infra quinque annos à militia solutus est, nullam sibi uindicabit immunitatem.qui autem post quinque annos,unius anni habet immunitatem. qui autem post octo, biennij.qui autem post duodecim,triennij.qui autem post quindecim,quadriennij.qui autem post uiginti,sicut suprà diximus,continuè absoluetur. Qui autem inter nocturnos custodes,qui sunt Romæ,militauerit:anni solius habet remissionem.ita autem, si honestè scilicet absolutus fuerit(sicut dictum est)uel propter ægritudinem caussariam (ut uocant) remissionem acceperit.(est enim & hæc honesta)qui enim ignominiosa potitur remissione, non habet uacationem. Si autem ueteranus esse creditur non solum legionarius, sed & omnis,qui qualitetcunque militauit,licet honestè est & ipse absolutus:filiorum tamen tutor creabitur.etenim legionarius eius,qui inter nocturnos custodes militauit, filiorū tutor fit.

Iam

Iam uero & militi impuberi curator dabitur, qui olim miles fuerit: scilicet si pater huius mortuus fuerit, siue etiam hic emancipatus fuerit. similiter & de uniuersis his cōstitutiones testātur. Scribit autem & Vlpianus ita. Columna eadem. Εξητήθη ἡ πιστὸν μίαν. &c. Quę situm est autem, utrum unam & semel tutelam accipiant, qui olim fuerunt milites: uel uno tempore non amplius, quàm semel: quiescente autem prima tutela, rursus priuilegium reci piant? sed sicuti in priuatis, qui quieuerunt, non auxiliantur his, qui habuerūt, nec inter tres adnumerantur: ita & in his, qui olim fuerunt milites, non prodest creatum esse. hoc autem & in curijs est promulgatum, ut ostendit diui Seueri & Antonini cōstitutio. & nihil differt, qualiter indigeant filij commilitonis tutore uel curatore: utrum emancipati, uel patre mortuo. Primipilarij ex constitutionibus Imperialibus excusationem habent reliquarum tutelarum: primipilarij autem filiorū tutores erūt. primipilarij autem hi existimantur, qui exercent primipilū. si quis autē non exercens mortuus fuerit: huius filiorū primipilarius tutor nō erit. Eadē columna, Οὐ μόνον ἡ οἱ τὰς ἀπὸ καλίγας. &c. Non solum autē, qui ad caligatas militias, & reliquas primipilarij militauerunt: sed & qui qualitercunq; necessitatis publicæ populi Romani gratia absentes fuerunt: anni habent uacationem post reuersionem. Annus denicp hic non solum his, qui compleuerunt consuetum militiæ tempus, in reliquis publicis necessitatibus datur: sed & his, qui qualitercunq; quieuerunt à publica necessitate, & reuersi sunt: & si minus eo tempore, quod constitutum est, consummauerunt. quas denicp prius habebant tutelas, propter hoc autem deposuerunt, quoniā publici negotij gratia abibant: has cum reuersi fuerint confestim recipient, nihil eis auxiliante anno. annus enim ad futuras nouas datur, non ad eas, quæ resumi debent. annus autem continuorū dierum seruabitur, ex quo quis reuersus est, rectam uiam dirigens uel dirigere debens, non eam, quæ est ex circuitibus. Et qui in testamento dati sunt tutores, renuent secundum leges administrationem earum possessionum, quę in alia sunt prouincia, quod ostendit subiecta diui Seueri constitutio. Columna εαι. ὁ πριμιπίλαρ διανύσας ἐὰν ὑπὸ τροπῆν. &c. Qui primipilum expleuit, si cum tutelam suscepisset, & unius filiū, rursus in militares necessitates assumptus erit: deponet sollicitudinem tutelæ. Similiter in locum illius tutoris, quem postea sibi collegam adduxerit, dabitur curator: ut ait constitutio diui Seueri, quam adoptando rectè omnibus similibus capitulis curatorem dare licet in locum eorum, qui temporis uacationem recipiunt. Si libertus impubes dabitur à patrono curator filijs suis, uel alius quicunq; minor uiginti quinq; annis: donec quidem impubes fuerit, nec molestabitur: interim autem alter in locum eius creabitur curator. similis est huic & legitimus tutor, si puberem esse contigerit. nam & in eius locum curator interim dabitur. Si quis etiam ita ægrotus fuerit, ut oporteat eum non omnino dimitti à tutela: in locum eius curator interim dabitur. sanatus autem hic rursus recipiet tutelam. Sed & si quis in insaniam inciderit, similis est huic. & ita Vlpianus scribit. Columna eadem, Εἰσὶν καὶ ἄλλοι οἱ καὶ ἤδη &c. Sunt & alij, qui si iam sint tutores uel curatores: tamen continuè de reliquo absoluuntur à sollicitudine: putā quia domicilium aliò transtulerunt ex rescripto Imperatoris, sciētis quidem tutorē esse eum, transmigrare autem expressim ei concedētis, & horum alterutrum literis significantis. Columna eadē. Εἰδέναι χρὴ ὅτι ὅτι οἱ. &c. Scire etiā oportet, necp datos tutores, necp testamentarios prouocare necesse habere: ut ostendit constitutio diui Seueri & Antonini. hoc autem obseruari oportet & in datis curatoribus. in paucis enim ualde distant curatores à tutoribus. aduersus denicp sententias auferentes eis excusationes, licētiam habebūt appellandi. Multa uero obseruare oportet, ut permittātur tutores uel curatores caussas remissionis exponere. oportet enim eos etiam constituto legibus tempore ad iudicem accedere. Sunt autē constituta tempora hæc. qui enim in ipsa ciuitate est, ubi creatur, uel intra centesimū miliarium à ciuitate: infra quinquaginta dies excusabitur postea autem non admittetur, sed tenebitur ad sollicitudinem. & si horum quid nō fecerit: erit in eadem caussa, in qua esset, si uideretur proprio ipsam periculo negligere: necp ulla ei uia relicta erit ad excusationem. Qui autē supra centum miliaria à ciuitate abest: uiginti miliaria habebit numerata in unamquancp

 diem,

diem, à qua cognouerit. oportet autem ei manifestari à præsidibus, uel in faciem, uel ad domum. & extra hos, alios triginta dies habebit ad excusationem. hoc autem conuenit & his, qui in testamento dati sunt. siue tutores fuerint, siue curatores: quos confirmari à magistratibus consuetum est.   Aliud etiam inuenimus in diui Marci promulgatione inquisitione dignum. Si enim ei, qui in ipsa ciuitate est, in qua creatus est, uel intra centum miliaria, quinquaginta dierum spatium legislator dedit: ei uero, qui ultra centum miliaria habitat, in unamquanq; diem numerari uiginti miliaria iussit, & extra hos alios triginta dies adiecit ad excusationem: unde contingit, ut si cuius habitatio centum sexaginta miliaribus absit, is octo & triginta dierum spatium duntaxat habeat: octo quidem, centum sexaginta miliariorum nomine, in unamquãq; diem uiginti miliarijs numeratis: triginta uero, eo quòd ad excusationem faciunt. erit igitur deteriore ordine, qui longius habitat eo, qui intra centum miliaria est, uel in ipsa ciuitate: si utiq; his quidem super quinquaginta dies spatij sunt, illis uero pauciores. Sed & si maximè uerba legis hunc habeant intellectum, tamen mens legislatoris aliud uult. Ita enim Serbidius Scæuola, & Paulus, & Domitius Vlpianus uertices legum prudentum scribunt, dicentes ita oportere hoc obseruari, ut nunquam alicui minus detur quinquaginta dierũ spatio. tunc autem longius: cum annumeratio dierum, qui in uiam computantur, adiectis triginta diebus, quos ad excusationem lex dat, excedit quinquaginta dies. utputã si dixerimus aliquem à quadringentis quadraginta miliarijs habitare. hic enim uiæ quidem habebit dies uiginti duos, ad excusationem autem alios triginta. Obseruabunt hoc temporis spatiũ omnes, qui qualitercunq; excusantur à tutela uel cura uel parte eius.   Consequens autem est credere, quod si aliqua specie excusationis fuerit quis usus: nõ aliter audietur, quàm si obseruauerit cõstitutum tempus: nisi fortè alterius alicuius ciuitatis est ciuis. ita uero necesse est custodire constitutum tempus: ut & si excusatus fuerit dimissus, non liberari eum, diuus Seuerus & Antoninus ostendant in constitutione, iubentes non detineri eum, qui in locum eius creatus sit, quasi non liceat alium dari in locum existentis tutoris.   Sufficit autem intra constitutũ tempus excusare se solum. & si enim postea uelle desinat, non ei nocebit. Ideoq; si repræsentauerit quis se solum, nõ permanserit autem postea, ut se excuset: post constitutum tempus exceptione repelletur. & dicit hæc constitutio imperatorum Seueri & Antonini. Si enim quis propter ægritudinem, uel propter aliam necessitatem (putã maris, uel hyemis, uel incursus latronum, aut aliam quam similem) constituto tempore non poterit uenire: ignoscendum ei est. cuius fidem tametsi sufficit firmare ex ipsa naturali iustitia: est tamen & constitutio imperatorum Seueri & Antonini, hæc dicẽs.   Scire autem oportet, non sufficere si, accedat ad iudicem, sed oportere etiam de specie remissionis testari & si multa habeat iura, quæ ad remissionem faciunt, omnia nominare. sin minus: similem esse ei, qui nequaquam accessit, aut accessit quidem, iustam autem remissionis caussam non nominauit.   Quinquaginta uero dies continui numerantur, incipiendo à tempore cognitionis, quo quis cognouit seipsum datum esse.   Oportet autem unam testari ante tribunal, (uel aliter in submemorationibus) potest autem & libellos dare, ut ijdem ipsi aiũt Imperatores.   Hæc de his, qui obseruare constitutum tempus debent. de his autem, qui non subiecti sunt constitutis temporibus agere, scrutemur. qui non iustè dari sunt tutores, hoc est, à quibus non oportet, aut quos non oportet, aut quibus non oportet, aut quo non oportet modo: si neq; confirmentur, neq; administrauerint, sunt immunes. neq; opponet quis eis, quod constituta tempora excusationum non obseruauerint. neq; enim habent excusationis necessitatem, ut ostenditur in subiectis constitutionibus, quas exempli gratia subieci, adaptantur autẽ utiq; omnibus. Columna 624. Ὁμοίως δὲ κἂν τὸν μὴ ὑποκείμενον. &c. Similiter autem, & si eum, qui non suppositus est iurisdictioni, creabunt magistratus tutorem uel curatorem: neq; hic necessitatem habet, obseruare constituta tempora, utputã quia neq; ciuis, neq; incola est. Colum. ead. Ἀπελεύθερον ἐν τῷ λόγῳ τῷ περὶ ἀφέσεως. &c. Libertum, cum de excusatione tutorum & curatorum tractatur, scire oportet, nõ solum patris pupilli, sed & matris intelligi debere. sed & cum de libertis patroni quæsierimus, scire oportet, ap-

tet, appellationem hanc non in primo gradu consistere, hoc est, in filium & filiam, sed & in nepotes ex utroq; latere, & eos, qui deinceps sunt. sed & si ius anulorum aureorum impetrauerit: adhuc custodit libertorum ordinem secundum hæc, quæ rescipsit Marcus Antoninus.

Qui propria pecunia emptus, & manumissus est: nequaquam connumeratur reliquis libertis. Si plures liberti fuerint: unus omnium, libetis tutor dabitur, & à tribus tutelis non absoluetur. Colum. ead. Σπάδοντα χειροτονήσαιν ἐπίτροπον. &c. Spadonem quoq; creabunt tutorem. nullam enim habet excusationem, ut constitutio ostendit imperatorum Seueri & Antonini. Qui patri promisit se fore tutorem liberorum: excusari ab hac tutela non potest, & si aliter habet ius excusationis. Scire oportet, nulli dignitatem tribuere excusationem. unde si quis senatorius fuerit: hic tutor erit & eorũ, qui inferioris ordinis sunt, quàm senatorũ, quemadmodum rescripsit diuus Marcus & Cõmodus. Si autem quis tutor uel curator fuerit non senatoris, uel aliter in dignitate positi: deinde postea fiet senator: continuò absoluetur à sollicitudine. si autem liberi, quorum tutelam aut curam administrabat, erant senatoris: non absoluetur à tutela aut cura. Similiter autem & qui inferioris ordinis est, non excusabitur à tutela uel cura maiorum. Neq; librarios, neq; calculatores, quos uulgo rationarios dicimus, habere immunitatem dicunt diuorum constitutiones. Iam autem & Iudæi non Iudæorum tutores erunt, sicut & reliqua administrabunt. constitutiones enim in ijs solis sine molestia eos esse iubent, per quę cultus inquinari uidetur. Ratiocinatio ciuitatis neq; in numerum unius tutelæ procedit. Liberti uxorum senatorũ unius & si res eorũ disponunt, non absoluuntur tamen à tutelis. hoc enim masculorum senatorum libertis solum concessum est. Si ciuitatis magistratus, incidẽte ei creatione, obnoxius fuerit periculo tutelæ: hanc non connumerabit alijs tutelis, quemadmodũ nec fideiussores tutelæ, sed neq; qui ob honorem tutores conscripti sunt. Qui uectigalia cõduxit à ciuitatibus, non excusatur à cura. Qui iura multa poterit dicere, quorum unumquodq; per seipsum satis ualidum non est: an possit excusari, quæsitum est. putà septuaginta quis annorum non est, neq; tres habet tutelas, sed neq; quinq; filios, aut aliquod aliud ius remissionis habet: nimirum duas tutelas, & duos filios, & sexaginta annorũ est: aut alia quædam talia dicit, per se ipsa quidem perfectum auxilium non præbentia, quæ tamen si inuicem cõiuncta sint, iusta appareant. sed uisum est hunc non excusari. Qui accepit uel habet immunitatem ciuilium uel publicorũ munerũ: hic à tutela uel cura nõ excusabitur. Qui absolutus est à tutela uel cura, omnino non depositionibus * apud acta ad remissionẽ alterius tutelæ uel curationis utetur, si ea iura remissionis uõ exstiterint. Qui dixerit seipsum ignotũ esse patri uel matri pupilli: non propter hoc excusabitur. Quandoq; autem & qui tres habet tutelas uel curas, nõ habet ius remissionis: putà si quis affectauerit suscipere. iam autem & tutor, qui modici patrimonij factus est, affectasse uidetur. Item Vlpianus scribit. Col. 625. Ἐὰν ἢ τις χειροτονηθῇ ἐπίτροπος ὢν. &c. Si quis creabitur tutor existẽs in patris potestate, deinde pater noluerit pro eo cauere: iusserũt leges & ipsum patrem creari tutorem, ut nullo modo impediatur tutelæ cautio, ut ostendit diui Hadriani constitutio. Col. 642. κ. ἐμφυτευτικόν. ius perpetuarium. ita enim latinè ius emphyteuticarium appellarũt Arcad. & Honorius A A. constit. 1. C. de offi. com. sac. pal. nimirũ quod hoc titulo sterilia prædia perpetuo colẽda dabãt ueteres: cũ fertiliores agri publici nõ nisi ad tempus cõcederentur: id quod ex secũdo οἰκονομικῶν Aristotelis haud obscurè colligimus, quo in loco hęc uerba sunt. Βυζάντιοι δεηθέντες χρημάτων, τὰ τεμένη τὰ δημόσια ἀπέδοντο, τὰ μὲν κάρπιμα χρόνον τινὰ, τὰ δ' ἄκαρπα ἀγυνάως. hoc est, Byzãtij cũ pecunijs indigerẽt, publica prædia certis hominibus indicta pẽsione tradiderunt: fertiliora quidẽ ad tẽpus, sterilia uero in perpetuũ. Vnde et ipse cõtractus ἐμφύτευσις, quasi implãtatio: et qui exercẽdos colẽdosq; eiusmodi fundos recipiebãt, ἐμφυτευταὶ quasi implãtatores græco uocabulo dicebãtur, παρὰ τὸ ἐμφυτεύειν ab insitione plãtationeq;: quanquã imperitia superiorũ temporũ inualuerit, ut uulgus hodie nõ solũ cõtra rationẽ, sed et cõtra antiquorũ exẽplariũ fidẽ, nõ emphyteuta et emphyteusis, sed emphiteota et emphiteosis pronũtiet. Quod aũt sequitur ἐμβατευτικόν, in q; solis pãdectis Florẽtinis additur: accipe-

* aliàs in sub memorationibus

re poterimus pro iure detentionis, quod misso in possessionem ex primo decreto contingit, usque dum secũdo impetrato, authoritate iudicis dominium rei sortiatur: dictum ἀπὸ τοῦ ἐμβατεύειν, quod missus in possessioně eò ueluti pedem intulerit. nam ut de iure eundi agendi per uicini fundum intelligamus: obstare uidentur ea, quæ sequuntur, cum seruitutis mentio in genere fiat quare cum ista admonendi tantũ lectoris caussa scribamus: non erit, quod quisquam succenseat, cum integrum sit doctioribus de ea re suo arbitratu statuere. Col. 651. D. χαρακτῆρα. formam, insculptamque signi imaginem. Col. 652. G. ταύτην τὴν διαθήκην, &c. hocque testamentum ratum esse uolo, quacunque ratione esse uel licebit, uel poterit. Col. 685. A. ἀδυνάτος, impossibilis. Col. 694. F. χίλιοι. mille. ibid. χιλιασὺς. decem centuriæ militum. ibid. τάγμα. agmen. ibid. χιλίαρχον. tribunum militum. Col. 748. G. ἀδυνάτος. impossibilis. Col. 758. F. Ὀκταβιανῇ στρατονίκῃ &c. Octauianæ Stratonicæ dulcissimę filiæ meę s. Volo, ut ipsa à semetipsa prædium Gazam cum omnibus eius dotibus accipiat. Octauiano Alexandro dulcissimo filio meo. Volo, ut ipse à seipso possessionem Comianam agniferam cum uniuersis dotibus, quę in ea sunt, præcipiat, inque eximium habeat. Col. 774. H. βούλομαι. &c. Non uolo autem, ut à meis hæredibus ædes meæ ueneant, illarúm ue nomine pecunia mutua accipiatur: sed ut apud eos (siue filij, siue nepotes sint) in omne æuum inuiolabiliter permaneant. Si quis uero eorum partem suam uel uendere, uel in caussam mutui obligare uoluerit: saltem cohæredi suo eius uendendi uel obligandi potestatem habeto. Quod si aduersus ea quis fecerit: quidquid eius rei gestum esse dicetur, id infirmum atque irritum esto. Col. 776. H. ἀπόλιδες. extorres ciuitate. Col. 785. C. βούλομαι πάντα τὰ ὑποτετ. &c. Volo, ut omnia, quæ subiecta sunt, firmitatem obtineant. Maximo domino meo denariûm quindecim milia, quæ depositi nomine à Iulio Maximo patruo eius accepi, ut illi, cum in uirum prouectus esset, restituerem: ut maximè cum usuris in triginta milia excurrant, ei restitui uolo. sic enim patruo eius iuraui. ibid. διαθήκην. &c. Constitui, darique uolo Callimacho mercedis loco decem milia denariûm. Col. 792. I. ξύλα. ligna. ξυληγὰς. uectrices lignorum. ibidem. ἀπὸ τῶν ἑλῶν. à paludibus. Col. 794. G. Δήεις τόνγε &c.

Sectantem uideas, qui errant per pascua, porcos
Ad Coracis saxum, iuxta fontemque Arethusam.

Col. 794. I. σὺν τοῖς ἐνθήκαις. cum dotibus. Col. 795. A. ἐριόξυλον. ligneam lanam, putà quæ gossipinis aut eius generis arboribus depectitur. Col. 800. K. τῇ γλυκυτάτῃ μου πατρ. &c. Quo magis dulcissima patria mea fines ac territoria sua tueatur: decerno adsignoque illi uniuersa prędia, quæ in Syria possideo, cũ omnibus, quę illic sunt, pecoribus, seruis, fructibus, reconditis, omni apparatu. Col. 817. D. τὴν θυγατέρα μου &c. Filia mea Crispina, quam cupiebam collocare nuptum, cuicunque amici cognatique mei adprobassent: ut rectè collocetur, prouidebit Pollianus, cum is mentem meam cognitam habeat de æqualibus portionibus in dotem dãdis, quibus & sororem eius collocaui. Col. 822. I. in nota adiecta. ἄμφνον. melius πράμνειον. Pramnium uini genus Homero cognitum: Galeno, Athenæo, cęteris laudatum. Col. 834. F. ὅσοις κατέλιπον. &c. quibuscunque libertatem reliqui, & legata, hosce uolo excutiẽdis rationibus solutos esse. Col. 835. B. λογάριον. idem, quod ratiuncula. Col. 837. B. ἐν τῇ ἀνάρθρῳ φωνῇ. & inarticulata uoce ac confusa. Col. 838. I. τοῖς τε ἀπελευθέροις. Libertis, libertabusque meis, quos uiua, siue in testamento, siue in codicillo, aut manumisi, aut etiam manumisero: prædia, quæ in Chio insula habeo, dari uolo: ut ad ea, quæ à uiuente me acceperunt adijciantur illis cibarij & uestiarij nomine. Col. 840. C. ἀπὸ Ῥουφίνης &c. Rufina prognato, liberto nostro. Col. 867. I. σύγκτησιν. latifundiũ. ibid. κληρονόμοις μου &c. Hæredibus meis s. Volo, ut subiecta omnia rata sint, quæcunque antè in Pamphili nomen cõtulisse uisa sum. Si Seia collactanea mea hæres ex parte, qua eam scripsi, non erit: uolo ei dari latifundium circa Colonam. ibid. σύγκτησιν. latifundium. Col. 863. A. τὰ λοιπὰ &c. Reliqua autem omnia de mea substantia, quemadmodũ & hæreditatis onera, pertinebunt solummodo ad Primam et Secundam filias meas, aut quæ ex his superstes erit. Col. 907. C. τῶν ἄκρων.

ex api-

ex apicibus. ibidem. τῶ ψευδομένου. fruſtratorij cauillatorijq́;, ſcilicet ſyllogiſmi. col. 917. A. ὑποκοριστικῶς. forma diminutiua. Col. 914. G. ἐντέλλομαι &c. demando tibi, ne prius teſtamentũ facias, quàm liberos habeas. Col. 1010. H. πλατυτικῶς. largè & cum extenſione. Col. 1014. ἑκυρὸς. ſocer per uirum. ibid. ἑκυρὰ. ſocrus per uirum πενθερὸς ſocer per uxorem. πενθερὰ. ſocrus per uxorem. Col. 1015. A. δαήρ. leuir. ibid. δαὴρ &c. Leuir mei canis, omnis mali cauſatricis, horridæ. ibid. γάλως. glos. ibidem. ἐνάτερες. inateres, fratrum uxores. ibid. δαέρων, ἢ &c. Leuirorum, aut glorium, aut inaterũ ſpecioſis peplis. D. συγγενὴς. cognatus. συγγενεῖς. cognatos. Col. 1016. F. ἀναφορικῶς. per relationem. Col. 1049. ὑδραύλακες. aquarij ſulci. Col. 1066. C. δῶρον καὶ δωρεῖσθαι. donũ & donare. Col. 1081. C. Εὐδώνι βούλ. &c. Volo, ut Eudoni dentur mille ſolidi, eo quòd primo ſit genitus poſtea, quàm mater eius ad libertatem peruenit. Col. 1085. K. κἂν τὸν ἕτερον πόδα &c. Etſi alterum pedem in tumulo haberem, non pigeret aliquid addiſcere. Col. 1092. H. πίστευσόν μοι Ζωΐλε &c. Crede mihi Zoile, gratiam tibi referet filius meus Martialis. imò non tibi ſolum, ſed etiam filijs tuis. Col. 1093. B. βούλομαι καὶ. etc. Volo atq; obſecro dulciſſima mea ſoror, ut Stichum & Damam actores meos tibi commendatos habeas: quos, ego tantiſper manumiſſos eſſe nolo, donec rationes reddiderint. ſanè ſi tibi quoq; placuerint: ſignificaui tibi mentem meam. Col. 1095. C. τοῦ δεῖνι. etc. Illi, ſi probaueris, libertatem dari uolo. Col. 1134. I. κατοχὴν. detentionem, poſſeſſionẽ. Col. 1148. H. ἡνωμένον. unitum. I. συνημμένον. connexum. col. 1168. G. πλατυτικῶς. fuſius & cum extenſione. col. 1171. D. ἀναγραφὴν. deſcriptionem, ut Cicero: uel ut uulgus, inuentarium. Col. 1192. G. βασιλικὰς. regias. Col. 1194. H. ἐκ τοῦ Ἀστυνομικοῦ etc. Ex libro ſingulari Papiniani de officio ædilium. Aediles curam gerant per urbem publicorum itinerum, ut complanentur: neue flumina damnũ dent ædibus: & ut ponticuli ſint, quocunq; loco opus fuerit. Curæ item habeant, ut ſi priuati parietes, cum alij, tum domeſtici, qui in publicam uiam feruntur, ruinam minentur: ædium domini eos, ut oportet, demoliantur ac reparent. quod ſi uel non demoliantur, uel non reparent: multam in eos dicant, quouſq; uitium emendauerint. Procurent etiam, ne quis publica itinera perfodiat, aut aggeribus congeſtis obruat, neúe quid in publico itinere exædificet. ſin minus factum erit: ſeruus quidem flagellis à quocunq;, qui eum deprehenderit, cædatur: liber uero ædilibus indicetur. ædiles autem lege in eum animaduertant, & quod factum eſt opus, deſtruãt. præterea ut ante ſuas quiſq; ædes publicas uias reparet, repurgetq́; aquagia, quæ ſub dio ſunt (ſcilicet curent) ita quidem, ut ne quid impedimento ſit, quò minus eatur agatur. Quod ſi qui in conductis ędibus habitant, quod ædium dominus eas nõ reparet, ipſi reparauerint: eum ſumptum in penſionem reputabunt. Procurent inſuper, ne quid ante officinas propoſitum ſit: præterquàm ſi fullo ueſtimẽta ab excoctione ad auram recreet, uel faber rotas exponat: ut tamen ita collocent, ne impedimento ſint ducendo uehiculo. Sed neq; rixari in itineribus, neq; ſtercora proijcere, neq; morticina, aut pelles iactare permittant. col. 1195. A. ἀέναος. perennis. ibid. χειμάῤῥους. torrens, quaſi dicas hyeme fluens. col. 1203. E. κρύπτας. refugia. quemadmodum Vlpianus de uſufructu latinè appellat. col. 1211. A. ἀπὸ τοῦ ῥεῖν. à fluendo. col. 1243. C. ἀπαιωρούμενον. imminens. col. 1251. E. Λούκιος Καλάνδ. &c. Lucius Calandius recognoui. quemadmodũ ſuprà ſcriptum eſt, reliqua à nobis debentur. col. 1281. A. τὸ ἰσάζον. æquiualens. col. 1285. A. τῇ ἐμῇ πίστει κελεύω ἐγὼ. mea fide iubeo ego. ibid. θέλω. uolo, cupio. ibid. βούλομαι. cum deſtinatione quadam animi uolo. φημὶ. adfirmo. ibid. λέγω. dico. col. 1302. G. ἐν πλάτει. cum laxamento & amplitudine. col. 1316. F. πιθανῶν. uerisimilium. H. εἰ χιλίας ἔλαβον etc. tot denarios habes ne acceptos? acceptos habeo. col. 1328. K. φῶρας. fures. col. 1329. A. ἐπ᾽ αὐτοφώρῳ. in ipſo furto admiſſo. ſcilicet deprehẽſum. col. 1336. F. εὕρετρα. inuẽtionis præmia. col. 1338. K. τῆς γονῆς χάριν. genituræ, ſuſcipiẽdiq́; fœtus gratia. col. 1351. C. τύρβη. turba. col. 1353. D. ἐξοκελλαμένης. in uadũ eiecta illiſaq́;. co. 1356. F. ἐπίθεσιν. nouã nominis ad alicuius iniuriã impoſitionẽ. col. 1358. G. ἐκγόνην. euerriculũ. co. 1365. B. σκοπελισμὸν. lapidũ poſitionẽ. σκοπέλους. lapides. co. 1365. A. λωποδύται. qui ueſtibus homines exuũt. Col. 1371. B. ἑταιρίαν. ſocietatẽ. ibid. ἐὰν ἢ ὁ δῆμος &c. Quod ſi populus, uel eiuſdẽ religionis cultores, uel Orgiorũ ſacrificuli, uel nautæ, uel ſodales, uel cõmune

ſcepul-

*ita enim apud Aristot. appellantur τελῶναι lib. 2 œconomicon.

sepulchrum habentes, uel * publicani, uel in societatem coëmendorum pecorum, aut negotiationis, aut cuiuscunque alterius rei coëuntes, pacifcantur inter se: ratum esto, quatenus publica id monumenta non prohibeant. Col.1376.K.ἀνάκρισιν.adhibita quæstione professionem. Col.1380.H.καταχρηστικώτερον.abusinè aliquantum. ibid.H.φθορὰν.corruptionē. Col. 1382.F.ἦ μοῦνοι φιλέουσ' &c.

Soli ne Atridæ uxorum tanguntur amore
Inter disparili sermone homines.?

Col.1389.C.τῷ κοινῷ τῶν θετταλῶν.communitati ac uniuersitati Thessalorum. Col.1413.B.οὐ γὰρ ἡ πληγὴ &c. Non enim plaga iram concitauit, sed ipsa facti indignitas: neque tam ingenuis graue est cædi (quanquam graue sit) quàm per contumeliam cædi. siquidem multa is, qui alium cędit, admittere potest, quorum magnam partem is, qui uerberibus adfectus est, habitu corporis, uultu, uociferatione, nunc ut contumeliam inferens, nunc ut inimicum se gerens, nunc pugnum ducens, nunc in malam cædens, alteri renuntiare ac repræsentare nequit. hæc ipsa mouent. hæc de statu mentis deturbant homines propudij ac suggillationis non assuetos. Col.1414.F.εὖτ' ἐμὲ τυτθὸν ἐόντα Μενοίτ. &c.

Quo puerum me tempore uestras duxit ad ædes
Ex Opoënte pater, dira pro cæde patrata:
Ob talos nempe ira percitus, Amphidamantis
Cum gnatum imprudens simul inuitusque peremi.

G.ἀπόλιδας.extorres ciuitate. Col.1422. K. Ἐὰν μὲν ἐπιστείλῃ τις &c. Si quis per epistolam nos consuluerit, simulque nos illi quidpiam rescripserimus: omnibus, qui uolent, aduersus rescriptum prouocandi copia erit. nam si quæ epistola cōprehensa sunt, uel falsa, uel aliter se habere docuerint: nihil per nos præiudicij factum esse putetur, qui ita rescripserimus. quasi scriptis ad nos relata aliter se habuerint. Col.1426.G.Αὐτοκράτωρ Ἀλέξανδρος.&c. Imperator Alexander uniuersitati Græcorum in Bithynia. Quanquā non uideo, quo pacto iudices prohibere possint, quò minus quis prouocet, cum aliam uiam capessenti idem efficere, celeriusque ad me peruenire liceat: ne tamen iniuria aut ui aduersus prouocantes utantur, custodiaque militari eos circumsistant, & (ut simpliciter dicam) aditum illis ad nos obstruant, curatoribus principibusque gentium prohibemus: obedientque huic meæ promulgationi, scientes non magis mihi illorum beneuolentiā obedientiamque curæ esse, quàm subditorū libertatē. Col.1458.Εἰδέναι χρὴ &c. Sciendum est eum, qui in agro moratur, incolam non existimari. qui enim eius ciuitatis præcipuis non utitur, is ne incola quidē existimatur. Col.1462. F.καμηλασία.camelorū agitatio exhibitioque. Col.1465.A.σιτώνας καὶ ἐλαιώνας. coëmendo frumento atque oleo curatores præpositos. C.συνδίκους.syndicos, & cōmunem reip. caussam parrocinio defendentes. E.δεκαπρωτίαι, εἰκοσαπρωτίαι.decemprimatus, uigintiprimatus. Col.1465.K.εἰ καὶ μὴ πασῶν &c. Et si non ab omnibus muneribus liberorū numerus patri uacationē præstat: tamen cum sedecim te liberos habere libello significaueris: nō contrarium rationi fuerit, si te liberorū educationi incumbere potius sinamus, soluamusque munerum functione. Col.1469.A.ἤσαν δὲ καὶ. Conati sunt & alij prætextu nauiculariorū, eorumque, qui in forū populi Rom. frumentū & oleum cōuehunt, qui immunitate perfruuntur, publicis se muneribus subtrahere: tametsi neque nauigent, neque maximā substantiæ partem in nauiculariam, aut mercaturā exercendam cōtulerint. adimatur itaque talibus immunitatis ius. Col.1473. E. Ἐάν τις ἔξω &c. Si quis extra decurionum ordinem iudicauerit: & ipso ordine moueatur, & insuper mille drachmas persolnat. Col.1475.A.δεῖ δὲ πλειόνων ἄρα &c. Pluribus sanè, non agricolis tantum, sed etiam opificibus opus est: adeoque alijs quoque ministris, tum qui importent singula, tum qui exportent. hi uero mercatores sunt. At uero agricola si quid eorum, quæ effingit, aut quis alius opificum in forum deferat: nisi eodem tempore adueniat, quo alij eius rei indigentia adducti, cum eo contrahant: neglectó ne domi artificio, iners in foro desidebit? minimè. sed sunt, qui cum hoc uideant, huic se ministerio submittant. Col.1476.I.φιλοτιμοῦμαι.&c. Ex liberalitate ac munificentia dedico quadriennale

nale certamen de triginta millibus sortis: ita quidem, ut pecunia apud me retenta, apud Decemprimos de præstandis in editionem consuetis triginta millium usuris idoneè caueam: designatore ac præfecto marito meo, & deinceps qui ex me nascentur, liberis. cedent autem hæ usuræ in præmia Thymelicorum, prout uno quoque in certamine senatus definierit. Col. 1477. C. ἐλευθέρια μαθήματα. liberales disciplinas. Col. 1479. A. ἑρμηνευτικόν. honorarium interpretis. Col. 1480. H. τρωὰς, βήρυτος, δυῤῥάχιον, Troas, Berytus, Epidamnus. Col. 1481. B. ἀποτέλεσμα. effectum. ibid. ἔργον. opus. Col. 1482. G. συνάλλαγμα. contractus. Col. 1483. A. νέακιν. noualem agrum. ibid. φάσματα. prodigia. παρὰ τὸ φαίνεσθαι, quod prodigij caussa ostendantur. Col. 1434. F. ὑπέστρωμα. instratum. 185. B. καταχρηστικῶς. abusiuè. Col. 1488. H. τῶν τέκνων &c. Natorum appellatio & ad nepotes extenditur. Col. 1491. E. παλλακὴν. pellicem, in nota. ἑταίραν. amica. Col. 1492. K. παῖδες. pueri. Col. 1493. E. σόφισμα, commentum, cauillatorium. quædam exemplaria habent hoc in loco γοητείαν. quasi dicas fascinationē. Col. 1497. A. τρωξίμους comestibiles. Col. 1495. A. ἀπὸ τοῦ τηλοῦ. ab eo, quod est lōgè. ibid. βέλος telum. ibid. ἀπὸ τοῦ βάλλεσθαι. ab emittendo. ibid. τόξευμα. sagitta. φάρμακον. uenenum. φάρμακα &c. Noxia permistim, neque non bona multa uenena.

eadem col. ἀκρόδρυα. fructus arborei, quod è summis arboribus demantur. ibid. πάροικον. accolam. ibid. ἔποικον. ut qui nouas sedes in deducenda colonia quærat. aliâs tamen legitur ἄποικον. ut qui priores sedes deseruerit. Col. 1500. B. ὑπαίθριον. subdiale. & ὑπαιθρίου, subdialis. i. πιθανῶν. uerisimilium. Col. 1504. G. σόφισμα. commentum cauillatorium. in nonnullis exemplaribus deprehendi σωρείαν legi, quasi dicas in argumentando congeriem. sed nihil ad dictum iurisconsulti, mea quidem seatentia.

FINIS.

DIGESTORVM SEV
PANDECTARVM LIBER XX.

DE PIGNORIBVS ET HYPOTHECIS, qualiter ea contrahantur, & de pactis eorum.

TIT. I.

B PAPINIANVS lib. II. *Responsorum.*



ONVENTIO generalis in pignore dando bonorum, uel postea quęsitorum, recepta est. in speciē autem alienæ rei collata conuentione, si nō fuerit ei, qui pignus dabat, debita: postea debitori dominio quæsito, difficilius creditori, qui non ignorauit alienū, utilis actio dābitur: sed facilior erit creditori possidenti retētio. Seruo pignori dāto, peculiū eius creditor, citra conuentionē specialiter su per eo conceptā, frustra distrahit. nec interest, quādo seruus domino peculiū adquisierit. Cū prædiū pignori dāretur: nominatim, C ut fructus quoq; pignori essent, cōuenit. eos consumptos bona fide emptor utili Seruiana restituere nō cogetur. pignoris etenim caussam nec usucapione perimi placuit: quoniā quæstio pignoris ab intentione dominij separatur. quod in fructibus dissimilē est, qui nunquā debitoris fuerunt. Pacto placuit, ut ad diem usuris non solutis, fructus hypothecarū usuris cōpensaret, fini legitimæ usuræ. quamuis exordio minores in stipulatum uenerint, non esse tamen irritā conuentionem placuit: cum ad diem minore fœnore non soluto, legitimæ maiores usuræ stipulanti rectè promitti potuerunt. Cum prædium uxor uiro donasset, idq; prædiū uir pignori dēdisset: post diuortium mulier possessionē sui prædij recuperauit, & idem prædium ob debitum uiri pignori dēdit. in ea duntaxat pecunia rectē pignus à muliere contractum apparuit, quam offerre uiro debuit, meliore prædio facto: scilicet si maiores sumptus, quàm fructus, fuissent, quos uir ex prædio percepit. etenim in ea quantitate D proprium mulier negocium gessisse, non alienum suscepisse uidetur.

II. IDEM lib. III. *Responsorum.*

FIDEiussor, qui pignora uel hypothecas suscepit, atq; ita pecunias soluit: si mandati agat, uel cum eo agatur: exemplo creditoris etiam culpam æstimari oportet. cæterum iudicio, quod de pignore dāto proponitur, conueniri non potest.

III. IDEM lib. XX. *Quæstionum.*

SI SVPERatus sit debitor, qui rem suā uindicabat, quod suam non probaret: æquè seruanda erit creditori actio Seruiana, probanti rem eo tempore, quo pignus contrahebatur, in bonis illius fuisse. sed & si uictus est debitor uindicans hæreditatē: iudex actionis Seruianæ, neglecta de hæreditate dicta sentētia, pignoris caussam inspicere debebit: atquin aliud E in legatis & libertatibus dictum est: cum secundum eum, qui legitimam hæreditatem uindicabat, sententia dicta est. sed creditor non benē legatarijs cōparatur: cum legata quidem aliter ualere non possint, q; si testamentum ratum esse constet. enimuero fieri post, ut & pignus rectē sit acceptum, nec tamen ab eo lis benē instituta. Per iniuriam uictus apud iudicium: rem, quam petierat, postea pignori obligauit. non plus habere creditor potest, quàm habebat, qui pignus dēdit. ergo submouebitur rei iudicatæ exceptione: tametsi maximè nullam propriam, qui uicit, actionem exercere possit. non enim quod ille non habuit, sed quod in ea re, quæ pignori dāta est, debitor habuit, considerandum est.

IIII. CAIVS lib. *singulari ad formulam hypothecariam.*

CONTRAhitur hypotheca per pactū conuentum, cum quis paciscatur, ut res eius propter aliquam obligationē sint hypothecę nomine obligatę. nec ad rem pertinet, quibus fiat uerbis: sicuti est in his obligationibus, quæ consensu contrahuntur. & ideo & sine scriptura

si conuenit, ut hypothecæ sit, & probari poterit res obligata erit, de qua conuenit. fiunt enim de his scripturæ, ut quod actum est, postea facilius probari possit. & sine his autem ualet, quod actum est, si habeat probationē: sicuti & nuptiæ sunt, licet testationes in scriptis habitæ non sint. V. MARTIANVS lib. *singulari ad formulam hypothecariam.* F

RES hypothecæ dāri posse, sciendum est pro quacunque obligatione: siue mutua pecunia dātur, siue dos, siue emptio uel uenditio contrahitur, uel etiam locatio & conductio, uel mandatum: & siue pura est obligatio, uel in diem, uel sub conditione: & siue in præsenti contractus est, siue etiam præcedat. sed & futuræ obligationis nomine dāri possunt: & non solum soluendæ omnis pecuniæ caussa, uerum etiam de parte eius: & uel pro ciuili obligatione, uel honoraria, uel tantum naturali. sed in conditionali obligatione nō aliâs obligamur, nisi conditio exstiterit. Inter pignus autē & hypothecam tantum nominis sonus differt. dāre autem quis hypothecam potest, siue pro sua obligatione, siue pro aliena. G

VI. VLPIANVS lib. LXXIII. *ad edictum.*

OBLIGATIONE generali rerum, quas quis habuit, habiturusue est: ea non continebuntur, quæ uerisimile est quenquam specialiter obligaturum nō fuisse. utputā suppellex, item uestis relinquenda est debitori: & ex mancipijs, quæ in eo usu habebat, ut certum sit, eum pignori dāturum non fuisse. proinde de ministerijs eius perquàm ei necessarijs, uel quæ ad affectionem eius pertinent.

VII. PAVLVS lib. LXXIIII. *ad edictum.* H

VEL quæ in usum quotidianum habentur: Seruiana non competit.

VIII. VLPIANVS lib. LXXIII. *ad edictum.*

DENIQVE concubinam, filios naturales, alumnos, constitit generali obligatione non contineri: & si qua alia sunt huiusmodi ministeria.

IX. CAIVS lib. X. *ad edictum prouinciale.*

SED & quo ad eas res, quas eo tempore, quo paciscebatur, in bonis habuit, idem obseruari debet. Quod emptionē uenditionemque recipit, etiā pignorationem potest recipere.

X. VLPIANVS lib. LXXIII. *ad edictum.*

SI DEBITOR res suas duobus simul pignori obligauit, ita ut utrique in solidum obligatæ essent: singuli in solidum aduersus extraneos Seruiana utentur: inter ipsos autem si quæstio moueatur, possidentis melior est conditio. dābitur enim possidenti hæc exceptio, SI NON CONVENIT, VT EADEM RES MIHI QVOQVE PIGNORI ESSET. si autem id actum fuerit, ut pro partibus res obligarentur: utilem actionem competere, & inter ipsos & aduersus extraneos, per quam dimidiam partē possessionis adprehendant singuli, inconfesso est. XI. MARTIANVS lib. *singulari ad formulam hypothecariam.* I

SI IS, qui bona reipublicæ iure administrat, mutuam pecuniam pro ea accipiat: potest rem eius obligare. Si ἀντίχρησις facta sit, & in fundum, aut in ædes aliquis inducatur: eo usque retinet possessionē pignoris loco, donec illi pecunia soluatur: cum in usuras fructus percipiat, aut locando, aut ipse percipiendo, habitandoque. itaque si amiserit possessionem, solet in factum actione uti. Vsusfructus an possit pignori hypothecæ ue dāri, quæsitū est. & scribit Papinianus libro undecimo Responsorum: siue dominus proprietatis conuenit, siue ille, qui solum usumfructum habet: tuendum creditorem. & si uelit cum creditore proprietarius agere, NON ESSE EI IVS VTI FRVI INVITO SE: tali exceptione eum prætor tuebitur, SI NON INTER CREDITOREM ET EVM, AD QVEM VSVSFRVCTVS PERTINET, CONVENERIT, VT VSVSFRVCTVS PIGNORI SIT. nam cum & emptorē usus fructus tuetur prætor: cur nō & creditorē tuebitur? eadē ratione & debitori objicietur exceptio. Iura prædiorū urbanorū pignori dāri nō possunt: igitur nec conueniri potest, ut hypothecæ sint. XII. PAVLVS lib. LXXIIII. *ad edictum.* K

SED an uiæ itineris, actus aquæductus pignoris conuentio locū habeat, uidendum esse, Pomponius ait: ut si talis pactio fiat: QVAMDIV PECVNIA SOLVTA NON SIT: his seruitutibus creditor utatur, scilicet si uicinū fundū habet: & si intra diem certū pecunia soluta non sit,

A non sit, uẽdere eas uicino liceat. quę sententia propter utilitatẽ contrahentiũ admittenda est.

XIII. MARTIANVS *lib. singulari ad formulam hypothecariam.*

GREGE pignori obligato, quæ postea nascuntur, tenentur. sed & si prioribus capitibus decedẽtibus, totus grex fuerit renouatus: pignori tenebitur. Statuliber quoq; dãri hypothecæ poterit, licet cõditione existente euanescat pignus. Cum pignori rem pignoratam accipi posse placuerit: quatenus utraq; pecunia debetur, pignus secundo creditori tenetur: & tam exceptio, quàm actio utilis ei danda est. quod si dominus soluerit pecuniam: pignus quoque perimitur. sed potest dubitari, nunquid creditori numorum solutorum nomine

B utilis actio danda sit, an non. quid enim si res soluta fuerit? & uerum est, quod Pomponius libro septimo ad edictum scribit: siquidem pecuniam debet is, cuius nomen pignori dãtum est: exactam à creditore, se cõpensaturum. si uero corpus is debuerit, & soluerit: pignoris loco futurum apud secundum creditorem. Et in superficiarijs legitimè consistere creditor potest aduersus quemlibet possessorem: siue tantum pactum conuentum de hypotheca interuenerit, siue etiam possessio tradita, deinde amissa fuerit. Etiam si creditor iudicatum debitorem fecerit, hypotheca manet obligata: quia suas conditiones habet hypothecaria actio, id est, si soluta est pecunia, aut satisfactum: quibus cessantibus, tenet. nam si cum in personam egero cum defensore, licet is mihi satisdẽderit, & damnatus sit, æquè hypotheca

C manet obligata: multo magis ergo si in personam actũ sit, siue cum reo, siue cũ fideiussore, siue cum utrisq; pro parte: licet damnati sint, hypotheca manet obligata. nec enim per hoc uidetur satisfactum creditori, quod habet iudicati actionem. Si sub conditione debiti nomine obligata sit hypotheca: dicendum est, ante conditionem non rectè agi, cum nihil interim debeatur. sed si sub conditione debiti conditio euenerit: rursus agere poterit. sed si præsens sit debitum, hypotheca uero sub conditione, & agatur ante conditionem hypothecaria: uerum quidem est, pecuniã solutam nõ esse: sed auferri hypothecã iniquum est. ideoq; arbitrio iudicis cautiones interponendæ sunt, si conditio extiterit, nec pecunia soluatur: restitui hypothecam, si in rerum natura sit. Propter usuras quoq;, si obligata sit hypotheca, usuræ solui debent. idem & in pœna dicemus.

XIIII. VLPIANVS *lib.* LXXIII. *ad edictum.*

D QVAESITUM est, si nondum dies pensionis uenit, an & medio tempore persequi pignora permittendum sit? & puto dandam pignoris persecutionem: quia interest mea. & ita Celsus scribit. Ex quibus casibus naturalis obligatio consistit, pignus perseuerare constat.

XV. CAIVS *lib. singulari ad formulam hypothecariam.*

ET quæ nondum sunt, futura tamen sunt, hypothecæ dari possunt: putã ut fructus pendentes, partus ancillæ, fœtus pecorum, & ea quæ nascuntur, sint hypothecæ obligata, idq; seruandum est, siue dominus conuenerit, aut de usufructu, aut de his, quę nascuntur: siue is, qui usumfructum habet, sicut Iulianus scribit. Quod dicitur, creditorem probare debere, cum conueniebat, rem in bonis debitoris fuisse: ad eam cõuentionem pertinet, quæ specialiter facta est: non ad illam, quę quotidie solet cautionibus inseri: ut specialiter rebus hypo-

E thecæ nomine dãtis, cætera etiam bona teneantur debitoris, quæ nunc habet, & postea adquisierit, perinde atq; specialiter hę res fuissent obligatæ. Qui res suas iam obligauerunt, & alij secundo obligant creditori: ut effugiant periculum, quod solent pati, qui sæpius candem rem obligant: prædicere solent, alij nulli rem obligatã esse, quàm fortè Lucio Titio: ut in id, quod excedit priorem obligationem, res sit obligata: aut in solidũ, cum primo debito liberata res fuerit. de quo uidendum est, utrum hoc ita se habeat, si & cõueniat: an & si simpliciter conuenerit de eo, quod excedit, ut sit hypothecæ: & solida res inesse conuentioni uideatur, cum à primo creditore fuerit liberata, an adhuc pars. sed illud magis est, quod prius diximus.

XVI MARTIANVS *lib. singulari ad formulam hypothecariam.*

SI FVNDVS hypothecæ dãtus sit, deinde alluuione maior factus: totus obligabitur. Si nesciente dominõ res eius hypothecæ dãta sit, deinde postea dominus ratum habuerit: dicendum est, hoc ipsum, quod ratum habet, uoluisse eum retro recurrere ad illud tem-

 pus,

pus, quo conuenit. uoluntas autem ferè eorum demũ seruabitur, qui & pignora dare pos/ F
sunt. Si res hypothecę dãta postea mutata fuerit: æquè hypothecaria actio competit: ue/
luti de domo data hypothecę, & horreo facto. Idem si de loco conuenit, & domus facta sit. Item de loco dato, uineis in eo positis. In uindicatione pignoris quæritur, an rem, de qua actum est, possideat is, cũ quo actũ est. nam si nõ possidet, nec dolo fecit, quò minus possi/deat, absolui debet. si uero possideat, & aut pecuniam soluat, aut rem restituat: æquè absol/uendus est. si uero neutrũ horum faciat: cõdemnatio sequetur. sed si uelit rem restituere, nec possit: fortè quia res abest, & longè est, uelut in prouincijs: solet cautionibus res explicari. nam si cauerit se restituturum: absoluitur. si uero dolo quidẽ desijt possidere, summa autem G
ope nisus, non possit rem ipsam restituere: tanti condemnabitur, quanti actor in litem iura/uerit sicut in cæteris in rem actionibus. nam si tanti condemnatus esset, quãtum deberetur: quid prodesset in rem actio, cum in personam agendo, idem consequeretur? Interdũ etiam de fructibus arbitrari debet iudex: ut ex quo lis inchoata fuit, ex eo tempore etiam de fru/ctibus condemnet. quid enim si minoris sit prædium, quàm quod debetur? nam de ante/cedentibus fructibus nihil potest pronunciare, nisi res extent. Creditor hypothecam si/bi per sententiam adiudicatam quemadmodum habiturus sit, quęritur. nam dominium e/ius uindicare non potest. sed hypothecaria agere potest: ut si exceptio obijciatur à possesso/re, iudicati replicet, SI SECVNDVM ME IVDICATVM NON EST. Si pluris condemnatus H
sit debitor non restituendo pignus, quàm computatio sortis & usurarum faciebat: an si tan tum soluat, quãtum debebat: exoneretur hypotheca? quod ego quidem, quantum ad sub/tilitatem legis, & authoritatem sententiæ non probo. semel enim caussa transire uidetur ad cõdemnationem, & mihi pecunia deberi. sed humanius est, eum non amplius, quàm quod reuera debebat, dando, hypothecam liberare. Aliena res utiliter potest obligari sub con ditione, si debitoris facta fuerit. Si duo pariter de hypotheca paciscãtur: in quantũ quisq; obligatam hypothecam habeat, utrũ pro quantitate debiti, an pro partibus dimidijs, quæ/ritur. & magis est, ut pro quantitate debiti pignus habeant obligatũ. sed uterq;, si cum pos/sessore agat, quemadmodum? utrum de parte quisq;, an de toto, quasi utriq; in solidum res obligata fuerit? quod erit dicendum, si eodem die pignus utrique dãtum est separatim. sed si simul illi & illi: si hoc actũ est, uterq; rectè in solidũ aget: si minus, aget unusquisq; pro par I
te. Potest ita fieri pignoris dãtio hypothecæue, ut si intra certum tempus non sit soluta pe/cunia: iure emptionis possideat rẽ iusto precio tunc æstimandã. hoc enim casu uidetur quo/dammodo conditionalis esse uenditio. & ita diuus Seuerus & Antoninus rescripserunt.

XVII. VLPIANVS lib. XV. ad edictum.

PIGNORIS persecutio in rem parit actionem creditori.

XVIII. PAVLVS lib. XIX. ad edictum.

SI AB eo, qui Publiciana uti potuit (quia dominium non habuit) pignori accepi: sic tue/tur me per Seruianam prætor, quemadmodum debitorem per Publicianam.

XIX. VLPIANVS lib. XXI. ad edictum.

QVI pignori plures res accepit, non cogitur unam liberare, nisi accepto uniuerso, quan/ K
tum debetur. XX. IDEM lib. LXIII. ad edictum.

CVM conuenit, ut is, qui ad refectionem ædificij credidit, de pensionibus iure pignoris ipse creditum recipiat: etiam actiones utiles aduersus inquilinos accipiet cautionis exem/plo, quam debitor creditori pignori dẽdit.

XXI. IDEM lib. LXXIII. ad edictum.

SI INTER colonum & procuratorẽ meum cõuenerit de pignore, uel ratum habente me conuentionẽ, uel mandante: quasi inter me & colonũ meũ conuenisse uidetur. Si debitor seruũ, quem à non domino bona fide emerat, & pignorauerat, teneat: Seruianæ locus est. & si aduersus eum agat creditor: doli replicatione exceptionem elidet. ita Iulianus ait, & ha/bet rationem. Quidquid commodi, siue incommodi fortuitũ pignori accessit: id ad debi/torẽ pertinet. Si res pignorata non restituatur: lis aduersus possessorem erit æstimanda.

sed utiq;

A ſed utiq; aliter aduerſus debitorē, aliter aduerſus quemuis poſſeſſorem. nam aduerſus debitorem non pluris,quàm debet:quia non pluris intereſt.aduerſus cęteros poſſeſſores etiã pluris:quia quod amplius debito cõſecutus creditor fuerit, debitori reſtituere debet pigno raticia actione. XXII. MODESTINVS *lib.* VII. *Differentiarum.*

SI Titio,qui rem meã ignorante me,creditori ſuo pignori obligauerat,hæres exſtitero: ex poſt facto pignus directo quidem non conualeſcit,ſed utilis pignoraticia dabitur creditori. XXIII. IDEM *lib.* III. *Regularum.*

CREDitor prædia ſibi obligata ex cauſſa pignoris,locare rectè potuit. Pignoris obligatio etiam inter abſentes rectè ex contractu obligatur.

B XXIIII. IDEM *lib.* V. *Regularum.*

IN quorum finibus emere quis prohibetur,pignus accipere non prohibetur.

XXV. IDEM *lib.* VIII. *Regularum.*

CVM nicioſè uel inutiliter contractus pignoris intercedat:retentioni lócus non eſt, neç ſi bona creditoris ad fiſcum pertineant.

XXVI. IDEM *lib.* IIII. *Reſponſorum.*

FIDEiuſſor impetrauit à poteſtate, ut anteq; ſolueret, pignora ipſe poſſideat, quaſi ſatiſfacturus creditoribus. nec ſatisfecit. modo hæres debitoris paratus eſt ſoluere creditoribus.quæro, an pignora fideiuſſor reſtituere cogendus ſit? Modeſtinus reſpondit. cogendum eſſe. Pater Seij emancipato filio facilè perſuaſit.ut quia mutuam quantitatem acci-
C peret à Septicio creditore, chirographum perſcriberet ſua manu filius (quod ipſe impeditus eſſet ſcribere)ſub commemoratione domus ad filium pertinentis pignori dandæ.quærebatur,an Seius inter cætera bona, & hanc domum iure optimo poſſidere poſſit,cum pãtris ſe hæreditate abſtinuerit:nec metuere debeat ex hoc ſolo,quod mandante pãtre manu ſua perſcripſit inſtrumentum chirographi: cum neq; conſenſum ſuum accommodauerit pãtri, aut ſigno ſuo, aut alia ſcriptura? Modeſtinus reſpondit. cum ſua manu pignori domum ſuam futuram Seius ſcripſerit: conſenſum ei obligationi dediſſe, manifeſtum eſt.

Lucius Titius prædia & mancipia,quæ in prædijs erant,obligauit. hæredes eius prædijs inter ſe diuiſis,illis mancipijs defunctis,alia ſubſtituerunt.creditor poſtea prędia cum mancipijs diſtraxit.quæritur,an ipſa mancipia,quæ ſunt modo in prædijs conſtituta,hęc in hy-
D pothecis emptor uindicare rectè poſſit? Modeſtinus reſpõdit. ſi neq; pignorata ſunt ipſa mancipia,neq; ex pignoratis ancillis nata:minimè creditoribus obligata eſſe.

XXVII. PAPINIANVS *lib.* V. *Quæſtionum.*

SERVVM, quem quis pignori dẽderat, ex leuiſſima offenſa uinxit, mox ſoluit: & quia debito non ſatisfiebat,creditor minoris ſeruum uendidit.an aliqua actio creditori in debitorem conſtituenda ſit,quia crediti ipſius actio nõ ſufficit ad id, quod deeſt, perſequendũ. quid ſi eum interfeciſſet, aut eluſcaſſet? ubi quidem interfeciſſet,ad exhibendum tenetur: ubi autem eluſcaſſet, quaſi damni iniuriæ dãbimus actionem ad id, quanti intereſt: quod debilitando aut uinciendo perſecutionem pignoris exinanierit. fingamus nullam nomine crediti actionem eſſe (quia fortè cauſſa ceciderat) non exiſtimo indignam rem animaduer-
E ſione & auxilio prætoris. VLPIANVS NOTAT. ſi ut creditori noceret,uinxit: tenebitur. ſi merentem: non tenebitur.

XXVIII. PAVLVS *lib.* III. *Quæſtionum.*

SI LEGati conditionalis nomine, relicti filiofamiliàs, pater ab hærede rem propriam eius pignori acceperit:& mortuo pãtre,uel emancipato filio, conditio legati exſtiterit: incipit filio legatum deberi:& neq; pater poteſt pignus uindicare, neq; filius,qui nunc habere cœpit actionẽ.ſed nec ex pręcedenti tẽpore poteſt quidq; iuris habere in pignore:ſicut in fideiuſſore dicitur. XXIX. IDEM *lib.* V. *Reſponſorum.*

PAVLVS reſpondit,generalem quidem conuentionẽ ſufficere ad obligationem pignorum.ſed ea,quę ex bonis defuncti nõ fuerunt, ſed poſtea ab hærede eius ex alia cauſſa adquiſita ſunt: uindicare non poſſe à creditore teſtatoris. Si mancipia in cauſſam pignoris

ceciderunt: ea quoque, quæ ex his nata sunt, eodem iure habenda sunt. quod tamen dixi/ F
mus etiam nata teneri, siue specialiter de his conuenerit, siue non: ita procedit, si dominium
eorum ad eum peruenit, qui obligauit, uel hæredem eius: cæterum apud alium dominum
non erunt obligata. Domus pignori dāta exusta est: eamq; aream emit Lucius Titius,
& exstruxit. quæsitum est de iure pignoris. Paulus respondit. pignoris persecutionem per/
seuerare. & ideo ius soli superficiem secutam uideri. (id est, cum iure pignoris) sed bonæ fi/
dei possessores non aliter cogendos creditoribus ædificium restituere: quàm sumptus in
exstructionem erogatos, quatenus preciosior res facta esset, reciperent. Si sciente & con/
sentiente domino seruus, ut omnia bona domini pignori obligata essent, conuenit: ipsum
quoq;, qui cauit, obligatum esse pignoris iure. G

XXX. IDEM lib. VI. *Responsorum.*

PERiculum pignorũ nominis uēditi ad emptorē pertinere: si tamē probetur eas res ob/
ligatas fuisse. XXXI. SCAEVOLA lib. I. *Responsorum.*

LEX uectigali fundo dicta erat, ut si post certum temporis uectigal solutum non esset,
is fundus ad dominum rediret. postea is fundus à possessore pignori dātus est. quæsitũ est,
an rectè pignori dātus esset. respōdi, si pecunia intercessisset, pignus esse. Item quęsitũ est,
si cũ in exsolutione uectigalis tam debitor, quàm creditor cessassent: & propterea pronun/
ciatum esset, fundum secundum legem domini esse: cuius potior caussa esset. respondi, si (ut
proponeretur) uectigali nō soluto, iure suo dominus usus esset: etiã pignoris ius euanuisse.

XXXII. IDEM lib. V. *Responsorum.* H

DEBITOR pactus est, ut quæcunq; in prædia pignori dāta, inducta, inuecta, impor/
tata, ibi nata, ortaue essent, pignori essent. eorum prædiorum pars sine colonis fuit: eaq; a/
ctori suo colenda debitor tradidit, adsignatis ei etiam seruis culturæ necessarijs. quæritur,
an & Stichus uillicus, & cæteri serui ad culturam missi, & Stichi uicarij obligati essent. re/
spondi. eos duntaxat, qui hoc animo à domino inducti essent, ut ibi perpetuò essent, non
temporis caussa accommodarentur, obligatos.

XXXIII. TRIPHONINVS lib. VIII. *Disputationum.*

IS QVI promisit tibi aut Titio: solutum quidem Titio repetere non potest, sed pignus
ei dātum & ante solutionem recipit.

XXXIIII. SCAEVOLA lib. XXXII. *Digestorum.* I

TABERNAM debitor creditori pignori dēderat. quæsitũ est, utrũ eo facto nihil egerit: an
tabernæ appellatione merces, quæ in ea erant, obligasse uideatur. & si eas merces per tēpo/
ra distraxerit, & alias cōparauerit, easq; in eam tabernam intulerit, & decesserit: an omnia,
quæ ibi deprehenduntur, creditor hypothecaria actione petere possit: cum & mercium spe
cies mutatæ sint, & res aliæ illatæ. respondi. ea, quæ mortis debitoris tempore in taberna
inuenta sunt, pignori obligata esse uidentur.

XXXV. IDEM lib. I. *Quæstionum.*

Δανεισάμενος παρά σου δηνάρια πεντακόσια, παρεκάλεσά σε, μὴ βεβαιωτὴν, ἀλλὰ ὑπο/
θήκην παρ' ἐμοῦ λαβεῖν. οἶδας γὰρ ἀκριβῶς, ὅτι ἡ ταβέρνα ἡ ἐμὴ οἱ δοῦλοί μου οὐδενὶ κατέχονται,
ἢ σοί: καὶ ὡς εὐσχήμονι ἀνθρώπῳ ἐπίστευσας. quęritur, an pignus contractũ sit: an uero epistola K
nullius momēti sit, cum sine die & cōsule sit. respondi. cum cōuenisse de pignoribus uidea/
tur: non idcirco obligationem pignorum cessare, quod dies & consules additi, uel tabulæ
signatæ non sint. Creditor pignori accepit à debitore, quidquid in bonis haberet, habitu/
rusúe esset. quæsitum est, an corpora pecuniæ, quam idem debitor ab alio mutuauit, cum
in bonis eius facta sint, obligata creditori: pignori esse cœperint. respondi, cœpisse.

XXXVI. LABEO lib. I. *πιθανῶν. à Paulo epitomatorum.*

SI insula, quam tibi ex pacto conuento licuit uendere, combusta est: deinde à debitore
tuo restituta: idem in noua insula iuris habes.

Ex quibus

A EX QVIBVS CAVSSIS PIGNVS VEL HYpotheca tacitè contrahitur. TIT. II.

PAPINIANVS lib. X. *Responsorum.*


SENATVS consulto, quod sub Marco Imperatore factū est, pignus insulæ creditori dātū, qui pecuniā ob restitutionē ædificij exstruendi mutuā dēdit: ad eum quoq; pertinebit, qui redemptori domino mandante numos administrauit.

II. MARTIANVS *lib. singulari ad formulam hypothecariam.*

POMPONIUS libro decimotertio uariarum lectionum scribit. non solum pro pensioni-B bus, sed & si deteriorem habitationem fecerit culpa sua inquilinus: quo nomine ex locato cum eo erit actio: inuecta & illata pignori erunt obligatā.

III. VLPIANVS lib. LXXIII. *ad edictum.*

SI HORREUM fuerit cōductum, uel diuersorium, uel area: tacitam conuentionem de inuectis & illatis, etiam in his locum habere, putat Neratius. quod uerius est.

IIII. NERATIVS lib. I. *Membranarum.*

EO IVRE utimur, ut quæ in prædia urbana inducta, illata sunt: pignori esse credantur, quasi id tacitè conuenerit. in rusticis prædijs contrà obseruatur. Stabula, quæ non sunt in continentibus ædificijs, quorum ea prædiorum numero habenda sunt, dubitari potest. & quidem urbanorum sine dubio nō sunt: cum à cæteris ædificijs separata sint. quod ad caus-C sam tamen taciti pignoris pertinet, non multum ab urbanis prædijs differunt.

V. MARTIANVS *lib. singulari ad formulam hypothecariam.*

POMPONIUS libro decimo tertio uariarum lectionum scribit. si gratuitam habitationem conductor mihi præstiterit: inuecta à me domino insulæ pignori non esse. Item illud (inquit) uidendū est, an uoluntate domini induci pignus ita possit, ut in partem debiti sit obligatum. Si quis fideiubeat, cum res illius à debitore, pro quo fideiussit, pignori dāta sit: bellissimè intelligitur, hoc ipso quod fideiubet, quodammodo mandare, res suas obligatas esse. sanè si postea sint eius res hypothecæ dātæ: non eruntobligatæ.

VI. VLPIANVS lib. LXXIII. *ad edictum.*

LICET in prædijs urbanis tacitè solet cōuentum accipi, ut perinde teneantur inuecta & D illata, ac si specialiter conuenisset: tamē certè libertati huiusmodi pignus non officit. idemq; & Pomponius probat. ait enim, manumissioni non officere ob habitationem obligatum.

VII. POMPONIVS lib. XIII. *ad edictum ex uarijs lectionibus.*

IN PRAEDIIS rusticis fructus, qui ibi nascuntur, tacitè intelliguntur pignori esse domino fundi locati, etiam si nominatim id non conuenerit. Videndum est, ne non omnia illata, uel inducta: sed ea sola, quæ ut ibi sint, illata fuerunt: pignori sint. quod magis est.

VIII. PAVLVS lib. II. *Sententiarum.*

CVM debitor gratuita pecunia utatur: potest creditor de fructibus rei sibi pignoratæ ad modum legitimum usuras retinere.

IX. IDEM *lib. singulari de officio præfecti uigilum.*

E EST differentia obligatorum propter pensionem, & eorum, quæ ex conuentione manifestaria pignoris nomine tenentur: quod manumittere mācipia obligata pignori nō possumus, inhabitantes autem manumittimus: scilicet antè, quàm pensionis nomine præcludamur. tunc enim pignoris nomine retenta mancipia nō liberabimus: & derisus est Nerua iurisconsultus, qui per fenestras monstrauerat, seruos detentos ob pensionē liberari posse.

X. SCAEVOLA lib. VI. *Digestorum.*

TVTORIS hæres, cum hærede pupilli transactione facta, ex ea maiorem partem soluisset, in residuam quantitatem pignus obligauit. quæsitum est, an in ueterem contractum iure res obligata esset. Respondi. secundum ea, quæ proponerentur, obligatam esse.

QVAE RES PIGNORI VEL HYPOTHECAE dātæ obligari non possunt. TIT. III.

I. MARTIANVS *lib. singulari ad formulam hypothecariam.* F

PVPILLVS sine tutoris authoritate hypothecam dăre non potest. Si filiusfamiliâs pro alio rem peculiarem obligauerit, uel seruus: dicendum est, eam non teneri, licet liberam peculij sui administrationem habeant: sicut nec donare eis conceditur. non enim usque quaq; liberam habent administrationem. facti tamen est quæstio, si quæratur, quousque eis permissum uideatur peculium administrare.

Eam rem, quam quis emere non potest, quia cōmercium eius non est: iure pignoris accipere non potest, ut diuus Pius Claudio Saturnino rescripsit. quid ergo si prædium quis litigiosum pignori acceperit, an exceptione sit submouendus? & Octauenus putat, etiam in his pignoribus locum habere exceptionem. quod ita ait Scæuola libro tertio uariarū Quæ- G
stionum procedere, ut & in rebus mobilibus exceptio locum habeat.

II. CAIVS *lib. singulari ad formulam hypothecariam.*

SI ALiquis pro muliere, quæ intercessit, dĕderit hypothecā, aut pro filiofamiliâs, cui contra senatusconsultū creditum est: an eis succurratur, quæritur? & in eo quidem, qui pro muliere obligauit rem suam: facilius dicitur succurri ei, sicut & fideiussori mulieris eadem dătur exceptio. sed in eo, qui pro filiofamiliâs rem suam obligauit: eadem dicenda erunt quæ tractantur & in fideiussore eius.

III. PAVLVS *lib. III. Quæstionum.*

ARISTO Neratio Prisco scripsit. etiam si ita contractum sit, ut antecedens dimitteretur: non aliter in ius pignoris succedit, nisi conuenerit, ut sibi eadem res obligata esset. neque e- H
nim in ius pignoris succedere debet, qui ipse nihil conuenit de pignore. quo casu emptoris caussa melior efficitur. deniq; si antiquior creditor de pignore uendendo cum debitore pactum interposuit: posterior autem creditor de distrahendo omisit, nō per obliuionem, sed cum hoc ageretur, ne posset uendere: uideamus, an dici possit, huc usq; transire ad eum ius prioris, ut distrahere pignus ei liceat. quod admittĕdum existimo. sæpe enim, quod quis ex sua persona non habet, hoc per extraneum habere potest.

IIII. IDEM *lib. V. Responsorum.*

TITIVS cum mutuam pecuniam accipere uellet à Mæuio, cauit ei, & quasdam res hypothecæ nomine dăre destinauit. deinde postquam ex his rebus quasdam uendidisset, accepit pecuniam. quæsitum est, an & prius res uenditæ creditori tenerentur? Respondit. cum I
in potestate fuerit debitoris, post cautionem interpositam pecuniam non accipere: eo tempore pignoris obligationē contractam uideri, quo pecunia numerata est. & ideo inspiciendum, quas res in bonis debitor numeratæ pecuniæ tempore habuerit.

V. IDEM *lib. V. Sententiarum.*

CREDITOR, qui sciens filiumfamiliâs à parente pignori accepit, relegatur.

QVI POTIORES IN PIGNORE VEL HYPOtheca habeantur: & de his, qui in priorum creditorum locum succedunt. TIT. IIII.

PAPINIANVS *lib. VIII. Quæstionum.* K

QVI DOTEM pro muliere promisit, pignus siue hypothecam de restituenda sibi dōte accepit. subsecuta deinde pro parte numeratione, maritus eandem rem pignori alij dĕdit. mox residuæ quantitatis numeratio impleta est. quærebatur de pignore? cum ex caussa promissionis ad uniuersæ quantitatis exsolutionem, qui dōtem promisit, compellitur: non utiq; solutionum obseruanda sunt tempora, sed dies contractæ obligationis. nec dici potest, in potestate eius esse, ne pecuniam residuam redderet: ut minus dotata mulier esse uideatur. alia caussa est eius, qui pignus accepit ad eam summam, quam intra diem certum numerasset: ac forte prius quàm numeraret, alij res pignori dăta est.

II. IDEM *lib. III. Responsorum.*

QVI generaliter bona debitoris pignori accepit: eo potior est, cui postea prædiū ex his bonis pignori

A bonis pignori dătur: quamuis ex cæteris pecuniam suam redigere possit. quod si ea cōuentio prioris fuit, ut ita demum cætera bona pignori haberentur, si pecunia de his, quę specialiter accepit, seruari non potuisset: deficiente secunda conuentione, secundus creditor in pignore postea dăto, non tam potior, quam solus inuenietur.

III. IDEM *lib.* XI. *Responsorum.*

CREDITOR acceptis pignoribus, quæ in secunda cōuentione secundus creditor pignora acceperat, ea nouatione facta postea prioribus addidit. superioris temporis ordinem manere primo creditori placuit, tanquam in suum locum succedenti. Cum ex caussa mandati B prædium Titio, cuius negociū fuerat gestum, deberetur: prius quàm ei possessio traderetur, id pignori dĕdit. post traditam possessionem idem prædium alij denuo pignori dĕdit. prioris caussam potiorem esse apparuit: si non creditor secundus precium ei, qui negocium gesserat, soluisset. uerum in ea quantitate, quam soluisset, eiusq; usuris potiorem fore constitit: nisi fortè prior ei pecuniam offerat. quod si debitor pecuniam aliunde soluisset: priorē præferendum. Post diuisionem regionibus factam inter fratres conuenit, ut si frater agri portionem pro indiuiso pignori datam, à creditore suo non liberasset: ex diuisione quæsitæ partis partem dimidiam alter distraheret: pignus intelligi contractum existimaui, sed priorem secundo non esse potiorem: quoniam secundum pignus ad eam partem directum uidebatur, quam ultra partem suam frăter non consentiente socio non potuit obligare.
C

IIII. POMPONIVS *lib.* XXXV. *ad Sabinum.*

DEBITOR, antequàm à priore creditore pignus liberaret, idem illud ob pecuniam creditam alij pignori dĕderat: & antequàm utriq; creditori solueret debitum, rem aliam priori creditori uendiderat, creditumq; pensauerat cum precio rei uenditæ. dicendum est, perinde haberi debere, ac si priori creditori pecunia soluta esset. nec enim interest, exsoluerit, an pensauerit. & ideo posterioris creditoris caussa est potior.

V. VLPIANVS *lib.* III. *Disputationum.*

INTERDVM posterior potior est priore. utputà si in rem istam conseruandam impensum est, quod sequens credidit: ueluti si nauis fuit obligata, & ad armandam eam, uel reficiendam ego credidero.

D VI. IDEM *lib.* XXIII. *ad edictum.*

HVIVS enim pecunia saluam fecit totius pignoris caussam. quod poterit quis admittere & si in cibaria nautarum fuerit creditū, sine quibus nauis salua peruenire non poterat. Item si quis in merces obligatas crediderit, uel ut saluæ fiant, uel ut naulum exsoluatur: potentior erit, licet posterior sit. nam & ipsum naulum potentius est. tantundē dicetur, & si merces horreorum, uel areæ, uel uecturæ iumentorum debetur. nam & hic potentior erit.

VII. IDEM *lib.* III. *Disputationum.*

IDEM QVE est, si ex numis pupilli fuerit res comparata. quarè si duorum pupillorum numis res fuerit cōparata: ambo in pignus concurrent pro his portionibus, quę in rei precium fuerint expensæ. quod si res non in totum ex numis cuiusdam comparata est: erit concursus E utriusq; creditoris; id est, & antiquioris, & eius, cuius numis comparata est. Si tibi, quę habiturus sum, obligauerim: & Titio specialiter fundum, si in dominium meum peruenerit: mox dominium eius adquisiero: putat Marcellus, concurrere utrunq; creditorem in pignore. non enim multum facit, quod de suo numos debitor dĕderit: quippè cum res ex numis pignoratis empta, nunc sit pignorata ob hoc solum, quod pecunia pignorata erat.

VIII. IDEM *lib.* VII. *Disputationum.*

SI PIGNVS specialiter respublica accepit: dicendū est, præferri eam fisco debere, si postea fisco debitor obligatus est: quia & priuati præferuntur.

IX AFRICANVS *lib.* VIII. *Quæstionum.*

QVI BALineum ex calendis proximis conduxerat: pactus erat, ut homo Eros pignori locatori esset, donec mercedes soluerentur. idem ante calendas Iulias eundem Erotem alij ob pecuniam creditam pignori dĕdit. consultus, an aduersus creditorem petentem Erotem, locatorem

A crediderit: in priore pecunia potior est secundo, in posteriore tertius est. Si tecum de hypotheca paciscatur debitor, deinde cum alio tua uoluntate: secundus potior erit. pecunia autem soluta secundo, an rursus teneatur tibi, rectè quæritur. erit autem facti quæstio agitanda, quid inter eos actum sit: utrum ut discedatur ab hypotheca in totum; cum prior concessit alij obligari hypothecam: an ut ordo seruetur, & prior creditor secundo loco constituatur. Papinianus libro undecimo Responsorum scribit: si prior creditor, postea nouatione facta, eadem pignora cum alijs accepit: in suum locum eum succedere. sed si secundus non offerat pecuniã: posse priorem uendere, ut primam tantum pecuniam expensam ferat, non B etiam, quam postea credidit: & quod superfluum ex anteriore credito accepit, hoc secundo restituat. Sciendum est, secundo creditori rem teneri etiam inuito debitore, tam in suum debitum, quàm in primi creditoris: & in usuras suas, & quas primo creditori soluit. sed tamen usurarum, quas creditori priori soluit, usuras non consequetur. non enim negocium alterius gessit, sed magis suum. & ita Papinianus libro tertio Responsorum scripsit, & uerum est. Si simpliciter conuenisset secundus creditor de hypotheca: ab omni possessore eam auferre poterit, præter priorem creditorem, & qui ab eo emit. A Titio mutuatus, pactus est cum illo, ut ei prædium suum pignori hypothecæue esset. deinde mutuatus est pecuniam à Mæuio, & cum eo pactus, ut si Titio desierit prædium teneri, ei teneatur. tertius deinde a C liquis dat mutuam pecuniam, ut Titio solueret: & paciscitur, ut idem prædium sibi pignori hypothecæue sit, & locum eius subeat. num hic Mæuius tertio prior sit, qui pactus est, ut Titio soluta pecunia, impleatur conditio: & tertius de sua negligentia queri debeat? sed tamen & hic tertius creditor secundo præferendus est. Si tertius creditor pignora sua distrahi permittat ad hoc, ut priori pecunia soluta, in aliud pignus priori succedat: successurum eum Papinianus libro undecimo Responsorum scripsit. & omnino secundus creditor nihil aliud iuris habet, nisi ut soluat priori, & loco eius succedat. Si priori hypotheca obligata sit, nihil uero de uenditione conuenerit, posterior etiam de hypotheca uendenda conuenerit: uerius est, priorem potiorem esse. nam in pignore placet, si prior conuenerit de pignore: licet posteriori res tradatur, adhuc potiorem esse priorem.

XIII. PAVLVS lib. V. ad Plautium.

D INSVLAM tibi uendidi. & dixi prioris anni pensionem mihi, sequentium tibi accessuram, pignorumq́ ab inquilino datorum ius utrunq́ cõsecuturum. NERVA, PROCVLVS. nisi ad utranq́ pensionem pignora sufficerent, ius omnium pignorum primum ad me pertinere: quia nihil apertè dictum esset, an communiter ex omnibus pignoribus summa pro rata seruetur. si quid superesset: ad te. PAVLVS. facti quæstio est. sed uerisimile est id actum, ut primam quoq́ pensionem pignorum caussa sequatur.

XIIII. IDEM lib. XIIII. ad Plautium.

SI NON dominus duobus eandem rem diuersis temporibus pignorauerit: prior potior est: quamuis si à diuersis non dominis pignus accipimus, possessor melior sit.

XV. IDEM lib. LXIX. ad edictum.

E ETIAM superficies in alieno solo posita pignori dari potest: ita tamen, ut potior caussa domini sit soli, si non soluatur ei solarium.

XVI. IDEM lib. III. Quæstionum.

CLAVDIVS Felix eundem fundũ tribus obligauerat: Eutychianæ primũ, deinde Turboni, tertio loco alij creditori. cum Eutychiana de iure suo doceret, superata apud iudicem à tertio creditore, non prouocauerat. Turbo apud alium uictus, appellauerat: quærebatur, utrum tertius creditor etiam Turbonem superare deberet, qui primam conditione expulerat: an ea remota, Turbo tertium excluderet? planè cum tertius creditor, qui primum de sua pecunia dimisit, in locũ eius substituatur in ea quantitate, quam superiori exsoluit: fuerunt igitur, qui dicerent, hic quoq́ tertium creditorem potiorem esse debere. mihi nequaquam hoc iustum esse uidebatur. pone primam creditricem in iudicio conuenisse tertium creditorem, & exceptione, aliòue quo modo à tertio superatã. nunquid aduersus Turbonem, qui secundo loco

secundo loco crediderat, tertius creditor, qui primam uicit, exceptione rei iudicatæ uti poterit? aut contrà: si post primum iudicium, in quo prima creditrix superata est à tertio creditore, secundus creditor tertium obtinuerit: poterit uti exceptione rei iudicatæ aduersus creditricem? nullo modo, ut opinor. igitur nec tertius creditor successit in eius locum, quem exclusit. nec inter alios res iudicata alij prodesse aut nocere solet: sed sine præiudicio prioris sententiæ totum ius alij creditori integrum relinquitur. F

XVII. IDEM *lib.VI. Responsorum.*

QVI à debitore prædium obligatum comparauit: catenus tuendum, quatenus ad priorem creditorem ex precio pecunia peruenit. G

XVIII. SCAEVOLA *lib.I. Responsorum.*

LVCIVS Titius pecuniã mutuã dẽdit sub usuris, acceptis pignoribus eidemq́ue debitori Mæuius sub iisdem pignoribus pecuniã dẽdit. quæro, an Titius non tantũ sortis, & earũ usurarũ nomine, quæ accesserunt antè, quàm Mæuius crederet: sed etiam earũ, quę postea accesserunt, potior esset? Respondit. Luciũ Titiũ in omne, quod ei deberetur, potiorem esse.

XIX. IDEM *lib.V. Responsorum.*

MVLIER in dõtem dẽdit marito prædiũ pignori obligatũ: & testamento maritũ, & liberos ex eo natos, item ex alio, hæredes instituit. creditor, cum posset hæredes conuenire idoneos, ad fundum uenit. quæro, an si ei iustus possessor offerat, compellendus sit ius nominis cẽdere? Respondit, posse uideri non iniustum postulare. H

XX. TRIPHONINVS *lib.IX. Disputationum.*

QVAEREbatur. si post primum contractum tuum, antè quàm aliam tu pecuniam crederes, eidem debitori Seius credidisset quinquaginta: & hypothecã huius rei, quæ tibi pignori dãta esset, debitor obligasset: dehinc tu eidem debitori crederes fortè quadraginta, quod plus est in precio rei, quàm primo reddidisti: utrum Seio ob quinquaginta, an tibi in quadraginta cẽderet, pignoris hypotheca? finge Seium paratum esse, offerre tibi summam primo ordine creditam? dixi, cõsequens esse, ut Seius potior sit in eo, quod amplius esset in pignore: & oblata ab eo summa primo ordine credita, usurarumq́ue eius, postponatur primus creditor in summa, quam postea eidem debitori credidit.

XXI. SCAEVOLA *lib.XXVII. Digestorum.*

TITIVS Seiæ ob summam, qua ex tutela ei condemnatus erat, obligauit pignori omnia bona sua, quæ habebat, quæq́ue habiturus esset. postea mutuatus à fisco pecuniam, pignori ei res suas omnes obligauit: & intulit Seiæ partem debiti, & reliquam summam nouatione facta eidem promisit. in qua obligatione similiter, ut suprà, de pignore conuenit. quæsitum est, an Seia præferenda sit fisco & in illis rebus, quas Titius tempore prioris obligationis habuit: item in his rebus, quas post priorem obligationem adquisiuit, donec uniuersum debitũ suum consequatur? respondi, nil proponi, cur non sit præferenda. Negociatori marmorum creditor sub pignore lapidum, quorum precia uenditores ex pecunia creditoris acceperant, numerauit. idem debitor conductor horreorum Cæsaris fuit. ob quorum pensiones aliquot annis non solutas, procurator exactioni præpositus, ad lapidum uenditionem officium suum extendit. quæsitum est, an iure pignoris eos creditor retinere possit? Respondi, secundum ea, quæ proponerentur, posse. I K

DE DISTRACTIONE PIGNORVM ET hypothecarum. TIT. V.

PAPINIANVS *lib.XXVII. Quæstionum.*


CREDITOR, qui prædia pignori accepit, & post alium creditorem, qui pignorum conuentionem ad bona debitoris contulit, ipse quoq́ue simile pactum bonorum ob alium aut eundem contractum interposuit. ante secũdum creditorem dimissum, nullo iure cætera bona titulo pignoris uendidit. sed ob eam rem in personam actio cõtra eum creditori, qui pignora sua requirit, non cõpetit. sed nec utilis dãda est,

A nec furti rerum mobilium gratia rectè conuenietur: quia propriam caussam ordinis errore ductus persecutus uidetur: præsertim cum alter creditor furto possessionem, quæ non fuit apud eum, non amiserit. ad exhibendum quoq; frustra litem excipiet: quia neq; possidet, neq; dolo fecit, ut desineret possidere. sequitur, ut secūdus creditor possessores interpellare debeat. II. IDEM lib. II. *Responsorum.*

FIDEIUSSOR conuentus, officio iudicis adsecutus est, ut emptionis titulo prædium creditori pignori dātum susciperet. nihilominus alteri creditori, qui postea sub eodem pignore cōtraxit, offerendæ pecuniæ, quam fideiussor dependit, cum usuris medij temporis facultas erit. nam huiusmodi uēditio, transferendi pignoris caussa, necessitate iuris fieri solet.

B III. IDEM lib. III. *Responsorum.*

CUM prior creditor pignus iure conuentionis uendidit: secundo creditori non superessę ius offerendæ pecuniæ conuenit. si tamen debitor, non interueniente creditore, pignus uēdiderit, eiusq; precium priori creditori soluerit: emptori poterit offerri, & quod ad alium creditorem de numis eius peruenit, & usuræ medij temporis. nihil enim interest, debitor pignus dātum uendiderit, an denuo pignori obliget.

IIII. IDEM lib. X. *Responsorum.*

CUM soluendæ pecuniæ dies pacto confertur: conuenisse uidetur, ne prius uendendi pignoris potestas exerceatur.

V. MARTIANUS lib. *singulari ad formulam hypothecariam.*

C CUM secundus creditor, oblata priori pecunia, in locum eius successerit: uēditionem ob pecuniam solutam & creditam rectè facit. Si secundus creditor uel fideiussor, soluta pecunia, pignora susceperunt: rectè eis offertur, quamuis emptionis titulo ea tenuerunt.

VI. MODESTINUS lib. VIII. *Regularum.*

CUM posterior creditor à priore pignus emit, non tam adquirendi dominij, quàm seruandi pignoris sui caussa intelligitur pecuniā dedisse. & ideo offerri ei & à debitore potest.

VII. MARTIANUS lib. *singulari ad formulam hypothecariam.*

SI CREDITOR pignus uel hypothecam uendiderit hoc pacto, ut liceat sibi reddere pecuniam, & pignus recuperare: an si paratus sit debitor reddere pecuniam, consequi id possit? & Iulianus libro undecimo Digestorum scribit. rectè quidem distractum esse pignus: D cæterum agi posse cum creditore, ut si quas actiones habet, eas cēdat debitori. quod autem Iulianus scribit in pignore, idem & circa hypothecam est. Illud inspiciendum est, an liceat debitori, si hypotheca uēnierit, pecunia soluta eam recuperare. & siquidem ita uēnijt, ut si intra certum tempus à debitore pecunia soluta fuerit, emptio rescindatur: intra illud tempus pecunia soluta recipiet hypothecam. si uero tempus præterierit, aut si non eo pacto res uēnierit: non poterit rescindi uenditio. nisi minor annis uiginti quinq; debitor sit, aut pupillus, aut reipublicæ caussa absens, uel in aliqua earum caussarum, ex quibus edicto succurritur. Quæritur: si pactum sit à creditore, ne liceat debitori hypothecam uendere, uel pignus, quid iuris sit: & an pactio nulla sit talis, quasi cōtra ius sit posita, ideoq; uēnire possit? & certum est, nullam esse uenditionem, ut pactioni stetur.

E VIII. MODESTINUS lib. VI. *Regularum.*

CREDITORIS arbitrio permittitur: ex pignoribus sibi obligatis, quibus uelit, distractis ad suum commodum peruenire.

IX. PAULUS lib. III. *Quæstionum.*

QUAESITUM est: si creditor ab emptore pignoris precium seruare non potuisset: an debitor liberatus esset? putaui, si nulla culpa imputari creditori possit, manere debitorem obligatum: quia ex necessitate facta uenditio non liberat debitorem, nisi pecunia percepta.

Pomponius autem lectionum libro secundo scripsit ita. quod in pignoribus dandis adijci solet, ut quò minus pignus uēnisset, reliquum debitor redderet: superuacuum est: quia ipso iure ita se res habet, etiam non adiecto eo.

X. IDEM lib. VI. *Responsorum.*

Et si is qui lege pignoris emit, ob euictionem rei redire ad uenditorem non potest: tamen nõ esse audiendum creditorem, qui fundum uendidit, si uelit eiusdem rei ex alia causa quæstionem mouere. F

XI. SCAEVOLA *lib. I. Responsorum.*

Arbiter diuidundæ hæreditatis cum corpora hæreditaria diuisisset: nomina quoq; communium debitorum separatim singulis in solidum adsignauit. quæsitum est, an debitoribus cessantibus pro solido pignus uendere quisq; possit? respondit, posse.

XII. TRIPHONINVS *lib. VIII. Disputationum.*

Rescriptum est ab Imperatore, libellos agente Papiniano, creditorem à debitore pignus emere posse: quia in dominio manet debitoris. Si aliena res pignori dãta fuerit, & creditor eam uendiderit: uideamus, an precium, quod percepit creditor, liberet debitorem personalia actione pecuniæ creditæ. quod uerè respondetur. si ea lege uendidit, ne euictionis nomine obligaretur: quia ex contractu, quali quali obligatione à debitore interposita, certè quod occasione eius redactum est, id precium æquius proficeret debitori, quàm creditoris lucro cêderet. sed quantum quidem ad creditorem, debitor liberatur. quantum uero uel ad dominum rei, si necdum pignus euictum est, uel ad emptorem post euictionem: ipse debitor utili actione tenetur, ne ex aliena iactura sibi lucrum adquirat. Nam & si maiores fructus (fortè petens à fideiussore) creditor abstulit: uniuersos in quantitatem debitam accepto ferre debebit. Sed & cũ per iniuriam iudicis domino rem, quæ debitoris non fuisset, abstulisset creditor, quasi obligatã sibi: & quæreretur, an soluto debito, restitui eam oporteret debitori? Scæuola noster restituendã putauit. quod si non ita uendidit, ut certũ sit omnimodo apud eum precium remansurum, uerum obligatus est ad id restituendum: arbitror interim quidem nihil à debitore peti posse, sed in suspenso haberi liberationem. uerum si actione ex empto conuentus, præstitisset precium creditor emptori: debitum persequi eum à debitore posse, quia apparuit non esse liberatum. G H

XIII. PAVLVS *lib. I. Decretorum.*

Creditor, qui iure suo pignus distrahit, ius suum cêdere debet: & si pignus possidet, tradere utiq; possessionem.

QVIBVS MODIS PIGNVS VEL HYPOtheca soluitur. TIT. VI. I

PAPINIANVS *lib. XI. Responsorum.*

Debitoris absentis amicus negocia gessit, & pignora citra emptionem pecunia sua liberauit. ius pristinum domino restitutum uidetur. igitur qui negociũ gessit, utilem Seruianam dãri sibi non rectè desiderabit. si tamen possideat, exceptione doli defenditur. Cum uenditor, numerata sibi parte precij, prædiũ quod uenierat, pignori accepisset: ac post ea residuum preciũ emptori, literis ad eum missis, donasset: eoq; defuncto, donationem quibusdam modis in utilem esse constaret: frustra fiscum, qui in locum uenditoris successerat, petere prædium iure pignoris apparuit, cuius solutum esse pactum prima uoluntate donatoris constabat: quoniam inutilem pecuniæ donationem lex facit, cui non est locus in pignore liberando. Defensor absentis cautionem iudicatum solui præstitit. in dominum iudicio postea translato, fideiussores ob rem iudicatam, quos defensor dêdit, non tenebuntur. sed nec pignora, quæ dêderunt. K

II. CAIVS *lib. X. ad edictum prouinciale.*

Si creditor Seruiana actione pignus à possessore petierit, & possessor litis æstimationẽ obtulerit, & ab eo debitor rem uindicet. non aliter hoc facere cõceditur, nisi prius debitũ ei offerat.

III. VLPIANVS *lib. VIII. Disputationum.*

Si res distracta fuerit sic, NISI INTRA CERTVM DIEM MELIOREM CONDITIONEM INVENISSET, fueritq; tradita: & fortè emptor, antequã melior cõditio offerretur, hãc rem pignori dêderit: Marcellus lib. quinto Digestorum ait, finiri pignus, si melior conditio fuerit

A fuerit allata:quanquam ubi sic res distracta est, NISI EMPTORI DISPLICVISSET, pignus finiri non puter. IIII. IDEM lib. LXXIII. ad edictum.

SI DEBITOR, cuius res pignori obligatæ erant, seruum, quem emerat, redhibuerit: an desinat Seruianæ locus esse? & magis est, ne desinat: nisi ex uolũtate creditoris hoc factum est.

Si in uenditione pignoris consenserit creditor, uel ut debitor hanc rem permutet, uel donet, uel in dotem det: dicendum erit pignus liberari, nisi salua caussa pignoris sui consenserit. nam multi solẽt salua caussa pignoris sui consentire. Sed si ipse uendiderit creditor: sic tamen uenditionem fecerit, ne discederet à pignore, nisi ei satisfiat: dicendum erit, exceptionẽ ei non nocere. sed & si non concesserit pignus uenundãri, sed ratam habuerit uenditionem:

B idem erit probandum, eum uelle. Quæritur. si fortè uenditio rei specialiter obligatæ non ualeat: an nocere hæc res creditori debeat, quod consensit: utputã si qua ratio iuris uenditionem impediat? dicendum est pignus ualere.

V. MARCIANVS lib. Singulari ad formulam hypothecariam.

SOLVITVR hypotheca, & si ab ea discedatur, aut paciscatur creditor, ne pecuniam petat. nisi quis dicat, pactum interpositum esse, ut à persona non petatur. & quid si hoc actum sit, cum fortè alius hypothecam possideat? sed cum pactum conuentum exceptionem perpetuam pariat: eadem in hoc casu possunt dici, ut & ab hypotheca discedatur. Si paciscatur creditor, ne intra annum pecuniã petat: intelligitur de hypotheca quoq; idem pactus esse.

Si cõuenerit, ut pro hypotheca fideiussor dãretur, & dãtus sit: satisfactum esse uidebitur,

C ut hypotheca liberetur. aliud est, si ius obligationis uendiderit creditor, & pecuniam acceperit. tunc enim manent omnes obligationes integræ: quia precij loco id accipitur, non solutionis nomine. Satisfactum creditori intelligitur, & si iusiurandum delatum dãtum est, hypothecæ non esse rem obligatam.

VI. VLPIANVS lib. LXXIII. ad edictum.

ITEM liberatur pignus, siue solutum sit debitum, siue eo nominè satisfactũ. sed & si tempore finitum pignus est, idem dicere debemus: uel si qua ratione obligatio eius finita est.

Qui paratus est soluere, meritò pignus uidetur liberasse. qui uero non soluere, sed satisfacere paratus est: in diuersa caussa est. ergo satisfecisse proderit: quia sibi imputare debet creditor, qui satisfactionem admiserit uice solutionis. at qui non admisit satisfactionẽ sed so-

D lutionẽ desiderat: culpandus non est. In satisdãtione autem non utimur Atilicini sententia: quia putabat, si sãtis dẽtur alicui certæ pæcuniæ, recedere eum à pignoribus debere.

VII. CAIVS lib. Singulari ad formulam hypothecariam.

SI CONSENSIT uenditioni creditor, liberatur hypotheca. sed in his pupilli consensus non debet aliter ratus haberi, quàm si præsente tutore consenserit, aut etiam ipse tutor: scilicet, si commodum aliquod, uel sãtis ei fieri ex eo iudex existimauerit. Videbimus, si procurator omnium bonorum consenserit, uel seruus actor, cui & solui potest, & in id præpositus est: an teneat consensus eorum. & dicendum est, non posse: nisi specia liter hoc eis mandatũ sit. sed si cum debitoris procuratore conuenerit, ne res sit obligata: dicendum est, id debitori per doli exceptionem prodesse. cum autem cum seruo eius conuenit: per ipsam pacti con-

E uenti exceptionem prodesse debet. Si conueniet de parte pro indiuiso alienenda: si certa res est, quę uenit: potest dici de reliqua parte ab initio agi oportere, nec obstare exceptionẽ.

Illud tenendum est. si quis communis rei partem pro indiuiso dẽderit hypothecæ: diuisione facta cum socio, non utiq; eam partem creditori obligatam esse, quæ ei obtingit, qui pignori dẽdit: sed utriusq; partem pro indiuiso pro parte dimidia manere obligatam.

VIII. MARTIANVS lib. singulari ad formulam hypothecariam.

SICVT re corporali extincta, ita & usufructu extincto, pignus hypothecaúe perit. Creditor ne res pignori hypothecæúe sit, pacisci potest. & ideo si hæredi pactus fuerit: ei quoq; proderit pactũ, cui is restituit hæreditatem ex senatusconsulto Trebelliano. Si procurator debitoris in rem suã sit: nõ puto dubitari debere, quin pactum noceat creditori. Itemq; & si à parte creditoris procurator in rem suam exstiterit, paciscendo inutilem sibi faciet hypothecariam.

pothecariam actionem: in tantum, ut putem rectè dici, & dominis litis hoc casu nocere hãc F
exceptionem. Si conuenerit, ne pars dimidia pro indiuiso pignori sit: quæcunque eius fun
di pars à quolibet possessore petatur, dimidia nõ rectè petitur. Si plures dederint pro in-
diuiso, & cũ uno creditor paciscatur, ne hypotheca sit, deinde ab eo petat: etiã si hic, cũ quo
pactus est, solidũ fundũ possideat pro indiuiso: quia de parte cõuenisset, non repellit eum à
toto. An pacisci possint filiusfamiliás & seruus, ne res pignori sit: quũ peculiariter pignori
hypothecam acceperunt, & habent liberam peculij administrationem: uideamus. an quem
admodũ donare non possunt, ita nec pacisci, ne pignori sit, possint? sed dicendum est, ut con
cedere possint: scilicet si precium pro pactione accipiant, quasi uendant. Si uoluntate cre-
ditoris fundus alienatus est: inuerecundè adplicari sibi eum creditor desiderat: si tamen ef- G
fectus sit secutus uenditionis. nam si nõ uenierit: non est satis ad repellendũ creditorẽ, quod
uoluerit uenire. Superuacuũ est quærere, agrũ specialiter hypothecæ dãtum, permissu cre
ditoris uenisse, si ipse debitor rem possideat: nisi quod potest fieri, ut debitor permissu cre-
ditoris uendiderit, deinde postea bona fide redemerit ab eodem, uel ab alio, ad quẽ per suc
cessionẽ ea res pertinere cœpisset: aut si ipse debitor emptori hæres exstiterit. ueruntamen
cum pecunia soluta non sit: doli mali suspicio inerit, translata ad præsens tempus, ut possit
creditor replicationẽ doli mali obijcere. Illud uideamus. si Titius debitor uoluntate credi
toris sui uẽdiderit Mæuio, uel ei, à quo Mæuius emerat: & postea Mæuius Titio hæres ex
stiterit, & creditor ab eo petat: quid iuris sit. sed iniquũ est, auferri ei rẽ à creditore qui nõ suæ
cessionis iure sed alio modo rẽ nactus est. potest tamen dici cũ Titij dolus in re uersef, ne cre H
ditor à possessore pecuniã recipiat: iniquissimũ esse ludificari eũ. Quod si is fundus alicui
à Mæuio obligatus possideatur, cui nondum satisfactum fuerit: tunc rursus æquum erit ex-
cipi, SI NON VOLVNTATE CREDITORIS VENIIT. licet enim dolus malus debitoris in-
teruenîat, qui non soluit: tamen secundus creditor, qui pignori accepit, potior est. Tutius ta-
men est, si debitor à creditore petat, ut ei permittat pignus uendere: quò magis satisfaciat,
antea cautionẽ accipere ab eo, qui rem empturus erit, ut precium rei uenditæ usque ad sum-
mam debiti creditori soluat. Venditionis autem appellationem, generaliter accipere de-
bemus: ut & si legare permisit, ualeat quod cõcessit. quod ita intelligemus, ut & si legatũ re-
pudiatũ fuerit, cõualescat pignus. Si debitor uendiderit rẽ, nec tradiderit: an nõ repellatur
creditor, quasi adhuc res in bonis sit debitoris: an uero, cũ teneatur ex empto, pignus extin I
guatur? quod & magis est. sed quid si preciũ uẽditor cõsecutus nõ sit, nec paratus sit emptor
dare? tantundẽ potest dici. Sed si permiserit creditor uendere, debitor uero donauerit: an
exceptione illum submoueat? an facti sit magis quæstio? & nunquid ideo uenire uoluerit, ut
precio accepto, ipse quoque res expediat? quo casu non nocebit consensus. quod si in dõtem
dederit: uendidisse in hoc casu rectè uidetur, propter onera matrimonij. In contrarium, si
concesserit donare, & uendiderit debitor: repelletur creditor. nisi quis dicat ideo concessisse
donari, quod amicus erat creditori is, cui donabatur. Quod si cõcesserit decem uendere, ille
quinque uendiderit: dicendum est, non esse repellendum creditorem. in contrarium, non erit
quærendum, qui rectè uendat: si pluris uendiderit, quàm concessit creditor. Non uidetur
autem concessisse creditor, & si sciente eo debitor rem uendiderit: cum ideo passus est ueni- K
re, quod sciebat ubique pignus durare. sed si subscripserit, fortè in talibus emptionis: cõcessis-
se uidef, nisi manifestè appareat eum deceptũ esse. quod obseruari oportet, & si sine scriptis
consenserit. Si debitori concessum sit, & hæres eius uendiderit: potest facti quæstio esse,
quid intellexerit creditor. sed rectè uenisse dicendum est. hæc enim subtilitates à iudicibus
non admittuntur. Si debitor fortè concessa uenditione rem desierit possidere, & nouus
possessor uẽdiderit, an duret pignus, quasi personæ permiserit creditor? quod & magis est.
nam si nouo possessori, non debitori, à quo hypothecam accepit, concessit creditor uende-
re: dicendum est, nocere ei exceptionem. sed si intra annum aut biennium concesserit credi-
tor uendere: post hoc tempus uẽdendo, non aufert pignus creditori. Si creditor hypothe-
caria usus, à possessore litis æstimationem consecutus fuerit, & à debitore petatur debitum:
puto doli mali exceptionem obstaturã. Titius

A IX. MODESTINVS lib.IIII. *Responsorum.*

TITIVS Sempronio fundum pignori dedit, & eundem postea Caio Seio: atque ita idem Titius & Sempronio & Caio Seio eundem fundum in assem uendidit, quibus pignori an te dederat in solidum singulis. quæro, an uenditione interposita, ius pignoris extinctum sit: ac per hoc ius solum emptionis apud ambos permanserit? Modestinus respondit, domi niū ad eos, de quibus quæritur, iure emptionis pertinere: & cū consensum mutuo uenditio ni dedisse proponantur, inuicem pignoraticiam actionem eos non habere. Titius Seio pecuniam sub pignore fundi dederat. is fundus, cum esset reipublicæ ante obligatus, secun dus creditor pecuniam reipublicæ exsoluit. sed Mæuius exstitit, qui dicebat, ante rēpubli B cam sibi fundum obligatum fuisse. inueniebatur autem Mæuius instrumento cautionis cū republica antea facto à Seio, interfuisse & subscripsisse: quo cauerat Seius, fundum nulli alij fuisse obligatum. quæro, an actio aliqua in rem Mæuio competere potest? Modestinus respondit, pignus, cui is, de quo quæritur, consensit: minimè eum retinere posse.

X. PAVLVS lib.III. *Quæstionum.*

VOLVNTATE creditoris pignus debitor uendidit: & postea placuit inter eum & emptorem, ut à uenditione discederetur. ius pignorum saluum erit creditori. nam sicuti de bitori, ita & creditori pristinum ius restituitur. neque enim omnimodo creditor pignus remi sit: sed ita demum, si emptor rem teneat, nec reddat uenditori. & ideo si iudicio quoque ac cepto uenditor absolutus, uel quia non tradebat, in id quod interest condemnatus sit: saluū C fore pignus creditori, dicendum est. hæc enim accidere potuissent, etiam si non uoluntate creditoris uendidisset. Creditor quoque si pignus distraxerit, & ex uenditione recessum fuerit, uel homo redhibitus: dominiū ad debitorē reuertitur. idemque est in omnibus alijs, quibus concessum est rem alienam uendere. nō enim quia dominium transferunt, ideo ab emptore ius recipiunt: sed in pristinam caussam res redit, resoluta uenditione.

XI. IDEM lib.IIII. *Responsorum.*

LVCIVS Titius, cum esset uxoris suæ Caiæ Seiæ debitor sub pignore, siue hypotheca prædiorum, eadem prædia cum uxore sua Septiciæ communis filiæ nomine Sempronio marito eius futuro in dotem dedit. postea defuncto Lucio Titio, Septicia filia abstinuit hæ reditate paterna. quæro, an mater eius hypothecam persequi possit? Paulus respondit, pi D gnoris quidem obligationem prædiorum Caiam Seiam, quæ uiro pro filia communi in dotem eadem danti consensit, cum communis filiæ nomine darentur, remisisse uideri: ob ligationem autem personalem perseuerasse. sed aduersus eam, quæ pātris hæreditate absti nuisset, actionem non esse dandam.

XII. IDEM lib.V. *Responsorum.*

PAVLVS respondit, Sempronium antiquiorem creditorem consentientem, cum debi tor eandem rem Titio creditori obligaret, ius sui pignoris remisisse uideri: non etiam tertiū in locum eius successisse. & ideo medij creditoris meliorem caussam effectam. idem obser uandum, & si respublica tertio loco crediderit. Qui pignoris iure rem persequuntur, à uin dicatione rei eos remoueri solere: si qualiscunque possessor offerre debitum uelit. neque debere E quæri de iure possessoris, cum ius petitoris remoueatur soluto pignore.

XIII. TRIPHONINVS lib.VIII. *Disputationum.*

SI DEFERENTE creditore iurauit debitor se dāre non oportere, pignus liberatur: quia pe rinde habetur, atque si iudicio absolutus esset. nā & si à iudice (quamuis per iniuriam) absolu tus sit debitor: tamen pignus liberatur.

XIIII. LABEO lib.V. *Posteriorum à Iaboleno epitomatorum.*

CVM colono tibi conuenit, ut inuecta, importata pignori essent, donec merces tibi so luta aut satis factum esset. deinde mercedis nomine fideiussorem à colono accepisti. satis fa ctum tibi uideri existimo: & ideo illata pignori esse desijsse.

XV. SCAEVOLA lib.V. *Responsorum.*

PRIMI creditoris, qui pignori prædia acceperat: & posterioris, cui quidam ex ijsdem

fundis dati erant:ad eandē personā hæreditas deuenerat. debitor ostendebat,quantū à posteriore creditore mutuatus fuerat. respondit. cogendū accipere,saluo iure pignoris prioris contractus. F

DIGESTORVM SEV

PANDECTARVM LIBER VICESIMVS PRIMVS.

DE AEDILITIO EDICTO, ET REDHIBITIOne,& quanto minoris. TIT. I.

VLPIANVS *lib. I. ad edictum ædilium curulium.* G



ABEO scribit, edictum ædilium curulium de uenditionibus rerū esse,tam earum,quę soli sunt,quàm quæ mobiles,aut se mouentes sunt. Aiunt ædiles. QVI MANCIPIA VENDVNT, CERTIORES FACIVNTO EMPTORES, QVID MORBI VITII VE CVIQVE SIT, QVIS FVGITIVVS ERRO VE SIT, NOXA VE SOLVTVS NON SIT: EA QVE OMNIA, CVM EA MANCIPIA VENEVNT, PALAM AC RECTE PRONVNCIANTO. QVOD SI MANCIPIVM ADVERSVS EA VENIERIT: SIVE ADVERSVS, QVAM DICTVM PROMISSVM VE FVIT, CVM VENIRET, FVERIT: QVOD EIVS PRESTARI OPORTERE DICETVR: EMPTORI, OMNIBVS QVE, AD QVOS EA RES PERTINET, IVDICIVM DABIMVS, VT ID MANCIPIVM REDHIBEATVR. SI QVID AVTEM POST VENDITIONEM TRADITIONEM QVE DETERIVS OPERA EMPTORIS, FAMILIAE, PROCVRATORIS VE EIVS FACTVM ERIT: SIVE QVID EX EO POST VENDITIONEM NATVM, ADQVISITVM FVERIT: ET SI QVID EI IN VENDITIONE ACCESSERIT, SIVE QVIS EX EA RE FRVCTVS AD EMPTOREM PERVENERIT: VT EA OMNIA VENDITORI RESTITVAT. TVM SI QVAS ACCESSIONES IPSE PRAESTITERIT, VT RECIPIAT. ITEM SI QVOD MANCIPIVM CAPITALEM FRAVDEM ADMISERIT, MORTIS VE CONSCIENDAE CAVSSA QVID FECERIT, SIVE IN ARENAM DEPVGNANDI CAVSSA AD BESTIAS INTROMISSVM FVERIT: EA OMNIA IN VENDITIONE PRONVNCIANTO. EX HIS ENIM CAVSSIS IVDICIVM DABIMVS. HOC AMPLIVS, SI QVIS ADVERSVS EA SCIENS DOLO MALO VENDIDISSE DICETVR, IVDICIVM DABIMVS. Caussa huius edicti proponendi est,ut occurratur fallacijs uendentiū:& emptoribus succurratur,quicunque decepti à uenditoribus fuerint:dummodo sciamus uenditorem,etiam si ignorauit ea, quæ ædiles præstari iubent,tamen teneri debere.nec est hoc iniquum potuit enim ea notata habere uēditor. neque enim interest emptoris,cur fallatur:ignorantia uēditoris, an calliditate. Illud sciendū est, edictū hoc non pertinere ad uenditiones fiscales.si tamen respublica aliqua faciat uenditionē:edictū hoc locū habebit. In pupillaribus quoque uēditionibus erit edicto locus. Si intelligatur uitiū morbusúe mancipij (ut plerunque signis quibusdā demonstrari solent uitia) potest dici edictū cessare.hoc enim tantū intuendum est,ne emptor decipiatur. Sed sciendum est,morbū apud Sabinū sic definitū esse,habitum cuiusque corporis contra naturā,qui usum eius ad id faciat deteriorē,cuius caussa natura nobis eius corporis sanitatem dedit. id autem aliâs in toto corpore, aliâs in parte accidere.nanque totius corporis morbū esse(putā) φθίσιν,febrem:partis,ueluti cœcitatem, licet homo ita quoque natus sit. uitiumque à morbo multū differre.utputa si quis balbus sit. nam hunc uitiosum esse magis, quàm morbosum. Ego puto ædiles tollendæ dubitationis gratia bis τὸ αὐτὸ id dixisse, ne qua dubitatio superesset.Proinde si quid tale fuerit(siue uitij,siue morbi) quod usum ministeriūque hominis impediat:id dabit redhibitioni locum.dummodo meminerimus: non utique quodlibet quàm leuissimū efficere,ut morbosum uitiosumúe quid habeatur. proinde leuis febricula, H I K

aut uetus

A aut uetus quartana(quæ tamen iam sperni potest,uel uulnusculū modicum,nullum habent in se delictum,quamuis pronunciatum non sit. cōtemni enim potuerunt. Exempli itaq; gratia referam,qui morbosi uiciosiq; sunt. Apud Viuianum quæritur. si seruus inter fanaticos nō semper caput iactaret, & aliqua profatus esset:an nihilominus sanus uideretur? & ait Viuianus nihilominus hunc sanum. neq; enim nos minus animi uicijs,quàm corporis,aliquos sanos esse intelligere debere.alioquin(inquit)futurum,ut in infinitum hac ratione multos sanos esse negaremus:utputà leuem,superstitiosum,iracundum,contumacē,& si qua similia sunt animi uicia.magis enim de corporis sanitate,quàm de animi uicijs promitti.interdum tamen(inquit)uicium corporale usq; ad animum peruenire,& cum uiciare:ue-
B luti cōtingeret φρενιτικῷ: quia id ex febribus accideret. quid ergo est?si quidem tale sit animi uiciū,ut id uenditorē excipi oporteret: neq; id uenditor,cū sciret, pronunciasset: ex empto eum teneri. Itē Viuianus ait,quamuis aliquando circa fana bacchatus, responsa reddiderit:tamē si nunc hoc nō faciat,nullū uitium esse. neq; eo nomine, quod aliquando id fecit,actionē esse:sicuti nec si aliquando fēbrē habuit.cæterū si nihilominus maneret in eo uicio, ut circa fana baccharetur,& quasi demens responsa dàret: & si per luxuriam id factum esset:uicium id quidē esse,sed uiciū animi,non corporis.ideoq; redhiberi nō posse: quoniā ædiles de corporalibus uicijs loquuntur.attamen ex empto actionē admittit. idem dicit & in his,qui præter modum timidi,cupidi,auariq; sunt,aut iracundi.

II. CAIVS *lib.I. ad edictum ædilium curulium.*

C VEL melancholici.

III. PAVLVS *lib.II. ad edictum ædilium curulium.*

VEL proterui,uel gibbosi,uel curui,uel pruriginosi,uel scabiosi.item mutij & surdi.

IIII. VLPIANVS *lib.I. ad edictum ædilium curulium.*

OBQVAE uicia negat redhibitionē esse: ex empto tamen dat actionem. sed si uiciū corporis usq; ad animum penetret:fortè si propter fēbrem loquatur aliena, uel per uicos more insanorum deridenda. in quo sic animi uicium ex corporis uicio accidit: eum redhiberi posse. Item aleatorē & uinarios nō contineri edicto,quosdā respondisse Pomponius ait: quemadmodū nec gulosos,nec impostores, aut mendaces, aut litigiosos. Idem Pomponius ait. quamuis non ualde sapientē seruū uenditor præstare debeat: tamen si ita fatuum,
D uel morionem uendiderit.ut in eo usus nullus sit: uideri uiciosum. & uidemur hoc iure uti: ut uicij morbiq; appellatio non uideatur pertinere, nisi ad corpora. Animi autem uicium ita demum præstabit uenditor,si promisit.si minus:non.& ideo nominatim de errore & fugitiuo excipitur.hoc enim animi uicium est,non corporis.unde quidā iumenta pauida & calcitrosa morbosis non esse adnumeranda dixerunt.animi enim, nō corporis hoc uiciū esse. In summa si quidē animi tantū uiciū est,redhiberi non posse:nisi dictū sit hoc abesse, & non abest.ex empto tamen dat actionē, si sciens id uicium animi reticuit.si autē corporis solū,aut & corporis & animi mistum uicium est: redhibitio locū habebit. Illud erit adnotandum: quod de morbo generaliter scriptū est, nō de sontico morbo.nec mirū hoc uideri, Pomponius ait.nihil enim tibi agitur de ea re, cui hic ipse morbus obstet. Idem ait,nō o-
E mnem morbum dàre locū redhibitioni:utputà leuis lippitudo, aut leuis dentis auriculæue dolor,aut mediocre ulcus. non deniq; fēbriculam quantulamlibet ad caussam huius edicti pertinere.

V. PAVLVS *lib.XI. ad Sabinum.*

ET QVANTUM interest inter hæc uicia,quæ Græci *κακοηθείαν* dicunt & *πάθος*, interq; *νόσον* & *ἀῤῥωστίαν*: tantū inter talia uicia,& eum morbum,ex quo quis minus aptus usui fit, differt.

VI. VLPIANVS *lib.I. ad edictum ædilium curulium.*

POMPONIVS rectè ait:non tantum ad perpetuos morbos,uerū ad temporarios quoq; edictum hoc pertinere. Trebatius ait, impetiginosum morbosum non esse: si eò membro,ubi impetigo est,æquè rectè utatur.& mihi uidetur Trebatij sententia uera. Spadonem morbosum non esse, neq; uiciosum,uerius mihi uidetur: sed sanum esse, sicuti illum, qui unum testiculum habet,qui etiam generare non possit.

VII. PAVLVS lib. XI. ad Sabinum. F

SI AVTē quis ita spado est, ut tam necessaria pars corporis ei penitus absit: morbosus est.

VIII. VLPIANVS lib. I. ad edictum ædilium curulium.

SICVI lingua abscisa sit, an sanus esse uideatur, quæritur. & exstat hæc quæstio apud O-
filium relata in equo. ait enim hunc uideri non esse sanum.

IX. IDEM lib. II. ad edictum ædilium curulium.

MVTVM morbosum esse, Sabinus ait. morbosum enim esse, qui sine uoce esse appa-
reat. sed qui grauiter loquitur, morbosus non est, ut neq; qui ἀσαφῶς. planè qui ἀσήμως
loquitur, hic utiq; morbosus est.

X. IDEM lib. XL. ad Sabinum. G

ITEM Ofilius ait. si homini digitus abscisus sit, membriúe quid laceratum: quamuis
consolidauerit: si tamen ob eam rem eo minus uti possit, non uideri sanum. Catonem
quoq; scribere lego: cui digitus de manu aut de pede præcisus sit, eũ morbosum esse. quod
uerũ est secundum suprà scriptam distinctionem. Sed si quis plures digitos habeat, siue
in manibus, siue in pedibus: si nihil impeditur numero eorum, non est in caussa redhibitio-
nis. propter quod non illud spectandum est, quis numerus sit digitorum: sed an sine impe-
dimento uel pluribus, uel paucioribus uti possit. Item de hydropico quæsitum est, an sa-
nus esset? & puto redhiberi posse. sed quid de myope? morbosum esse constat. idem ubi ho-
mo neq; matutino tempore uidet, neq; uespertino: quod genus Græci νυκτάλωπας nocāt.
Nuscitionẽ quidam putant, ubi homo lumine adhibito nihil uidet. Quæsitũ est, an bal- H
bus, & blæsus, & atypus, isq; qui tardius loquitur, & uarus, & uatius sanus sit? & opinor eos
sanos esse. XI. PAVLVS lib. XI. ad Sabinum.

CVI dens abest, non est morbosus. magna enim pars hominum aliquo dente caret
præsertim cum sine dentibus nascimur, nec ideo minus sani sumus, donec dentes habea-
mus. alioquin nullus senex sanus esset.

XII. VLPIANVS lib. I. ad edictum ædilium curulium.

QVI clauum habet, morbosus est, uti polyposus. sed eum, qui alterum oculum, aut alte-
ram maxillam maiorem habet: si rectè utatur, sanum uideri Pedius scribit. ait enim inæqua
litatem maxillarum, oculorum, brachiorum (si nihil ex ministerio præstando subtrahat) ex-
tra redhibitionem esse. sed latus uel crus breuius potest adferre impedimentum. ergo hic I
erit redhibendum. Si quis natura gutturosus sit, aut oculos præminentes habeat, sanus
uidetur. Item sciendum est, scæuam non esse morbosum uel uitiosum, præter quàm si im-
becillitate dextræ ualidius sinistra utatur. sed hunc non scæuam, sed mancum esse dicimus.
Is, cui os olet, an sanus sit, quæsitum est. Trebatius ait non esse morbosum os alicui ole-
re. ueluti hircosum, strabonem. hoc enim ex illuuie oris accidere solere. si tamen ex corporis
uitio id accidit: ueluti quod iecur, uel pulmo, aut aliud quid similiter dolet: morbosus est.

XIII. CAIVS lib. I. ad edictum ædilium curulium.

ITEM claudus morbosus est.

XIIII. VLPIANVS lib. I. ad edictum ædilium curulium.

QVAERITur de ea muliere, quæ semper mortuos parit, an morbosa sit? & ait Sabinus, K
si uuluæ uitio hoc contingat, morbosam esse. Si mulier prægnans uẽnierit: inter omnes
conuenit, sanam esse eam. maximum enim ac præcipuum munus fœminarum est, concipe-
re ac tueri conceptum. Puerperam quoque sanam esse: si modo nihil extrinsecus accidis-
set, quod corpus eius in aliquam ualetudinem immitteret. De sterili Cælius distingue-
re Trebatium dixit: ut si natura sterilis sit, sana sit. si uitio corporis: contrà. Item de eo, qui
urinā facit, quæritur. & Pedius ait, non ob eā rem sanũ nō esse, quod in lecto, somno uinóq;
pressus, aut etiā pigritia surgendi, urinā faciat. sin aũt uitio uesicæ collectũ humorē cōtinere
nō potest: nō quia urinā in lecto facit, sed quia uitiosam uesicæ habet, redhiberi posse. & ue-
rius est, quod Pedius. Idē ait. si uua alicuius præcisa sit: tollere magis, quàm præstare redhi
bitionē: quod morbus ei minuatur. ego puto. si morbus desinit: nō esse redhibitioni locum.

si autem

A si autem uicium perseueret: redhibitionem locum habere. Si quis digitis cōiunctis nascatur, nō uidetur sanus esse: sed ita demum, si incommodatur ad usum manus. Mulierē ita arctam, ut mulier fieri non possit, sanam nō uideri constat. Si quis ἀντιάδας habet, an redhiberi possit quasi uiciosus, quæritur. & si ἀντιάδες sunt, quas existimo: id est inueteratos, & qui iam discuti non possunt, faucium tumores: qui ἀντιάδας habet, uiciosus est. Si uenditor nominatim exceperit de aliquo morbo, & de cætero sanum esse dixerit, aut promiserit: standum est eo, quod conuenit. remittentibus enim actiones suas non est regressus dandus: nisi sciens uenditor morbum, consulto reticuit. tunc enim dandam esse de dolo malo replicationem. Si nominatim morbus exceptus non sit, talis tamen morbus sit, qui omnibus
B bus potuerit apparere (utputā si cæcus homo ueniebat, aut qui cicatricem euidentem & periculosam habebat, uel in capite, uel in alia parte corporis) perinde eius nomine non teneri, Cælius ait, ac si nominatim morbus exceptus fuisset. ad eos enim morbos uiciaq́ pertinere edictum ædilium probandum est, quæ quis ignorauit, uel ignorare potuit.

XV. PAVLVS lib. XI. ad Sabinum.

QVAE bis in mense purgatur, sana non est. Item quæ non purgatur nisi per ætatem accidit.

XVI. POMPONIVS lib. XXXIII. ad Sabinum.

QVOD ita sanatum est, ut in pristinum statū restitueretur: perinde habendum est, quasi nunquam morbosum fuisset.

XVII. VLPIANVS lib. I. ad edictum ædilium curulium.

C QVIS sit fugitiuus definit Ofilius. fugitiuus est, qui extra domini domum fugæ caussa, quò se à domino celaret, mansit. Cælius autem fugitiuum esse ait eum, qui ea mente discedat, ne ad dominū redeat, tametsi mutato consilio ad eum reuertatur. nemo enim tali peccato (inquit) pœnitentia sua nocens esse desinit. Cassius quoq́ scribit, fugitiuum esse, qui certo proposito dominum relinquat. Item apud Viuianum relatum est, fugitiuum ferè ab affectu animi intelligendum esse, non utiq́ à fuga. nam eum, qui hostem, aut latronem, incendium, ruinamúe fugeret: quamuis fugisse uerum est, non tamen fugitiuum esse. Item ne eum quidem, qui à præceptore, cui in disciplinam traditus erat, fugisset, fugitiuum esse: si fortè ideo fugit, quia immoderatè eo utebatur. idemq́ probat, si ab eo fugerit, cui erat commodatus: si propter eam caussam fugerit. Idem probat Viuianus, & si seuius cū eo agebatur
D tur. hoc ita, si eos fugisset, & ad dominum uenisset. cæterum si non ad dominum uenisset: sine ulla dubitatione fugitiuum uideri ait. Idem ait interrogatus Proculus ab eo, qui domi latuisset in hoc scilicet, ut fugæ nactus occasionem, se subtraheret. ait enim, tametsi fugere nō posset uideri, qui domi mansisset: tamen eum fugitiuum fuisse. sin autem in hoc tantum latuisset, quoad iracundia domino efferuesceret: fugitiuum non esse. sicuti ne eum quidem, qui cum dominum animaduerteret uerberibus se afficere uelle, præripuit se ad amicum, quem ad precandum deduceret. sed ne eum quidem fugitiuum esse, qui in hoc progressus esset, ut se præcipitaret. cæterum etiam eum quis fugitiuum diceret, qui domi in altum locum ad se præcipitandum ascendisset: magisq́ hunc mortē sibi conscire uoluisse. illud enim, quod plerunq́ ab imprudentibus (inquit) dici solet: eum esse fugitiuum, qui noctē aliqua
E sine uoluntate domini mansisset, nō est uerum: sed ab affectu animi cuiusq́ æstimandum. Idem Viuianus ait. si à magistro puer recessit, & rursus ad matrem peruenit: cum quæreretur, num fugitiuus esset: si cælandi caussa, ne ad dominum reuerteretur, fugisset: fugitiuum esse. sin uero sic, ut per matrem faciliorem deprecationem haberet delicti alicuius: non esse fugitiuum. Cælius quoq́ scribit. si seruum emeris, qui se in Tyberim deiecit: si moriendi duntaxat consilio suscepto à domino discessisset, non esse fugitiuum: sed si fugæ prius cōsilium habuit, deinde mutata uoluntate in Tyberim se deiecit, manere fugitiuum. eadem probat & de eo, qui de ponte se præcipitauit. hęc omnia uera sunt, quæ Cęlius scribit. Idē ait. si seruus tuus fugiens uicarium suum secum abduxit: si uicarius inuitus aut imprudens secutus est, neque occasionem ad te redeundi nactus, prætermisit: non uideri fugitiuum fuisse. sed si aut olim cū fugeret, intellexit quid ageretur: aut postea cognouit, quid acti esset & redi-

& redire ad te, cum posset, noluit: contrà esse. idem putat dicendum de eo, quem plagiarius abduxit. Item Cælius ait, si seruus, cum in fundo esset, exisset de uilla ea mente, ut profugeret: & quis eum prius, quàm ex fundo tuo exisset, comprehendisset: fugitiuum uideri. animum enim fugitiuum facere. Idem ait. nec eum, qui ad fugam gradum unum alterumúe promouit, uel etiam currere cœpit: si dominum sequentem non potest euadere, non esse fugitiuum. Idem rectè ait. libertatis cuiusdam speciem esse fugisse: hoc est à potestate dominica interim liberatum esse. Pignori dätus seruus debitorem quidem dominum habet: sed si postea, quàm ius suum exercuit creditor, ei se subtraxit: potest fugitiuus uideri. Apud Labeonem & Cælium quæritur. si quis in asylum confugerit, aut eò se conferat, quò solent uenire, qui sese uenales postulant: an fugitiuus sit? ego puto, non esse eum fugitiuum: quia id facit, quod publicè facere licere arbitratur. ne eum quidem, qui ad statuam Cæsaris confugit, fugitiuum arbitror. non enim fugiendi animo hoc facit. si tamen ante fugit, & post eò se contulit: non ideo magis fugitiuus esse desijt. Item Cælius scribit, placere quoque fugitiuũ esse, qui eò se conferat, unde cum dominus recuperare non possit. multóque magis illum fugitiuum esse, qui eò se conferat, unde abduci non possit. Erronem definit Labeo, pusillũ fugitiuum: & ex diuerso, fugitiuũ magnũ erronẽ. sed propriè erronẽ sic definimus: qui nunquam fugit, sed frequenter sine caussa uagatur, & temporibus in res nugatorias cõsumptis, serius ad dominum redit. Apud Cælium scriptum est. liberti apud patronum habitantis sic, ut sub una claue tota eius habitatio esset, seruus ea mente, ne rediret ad eũ, extra habitationem fugit, & intra ædes patroni tota nocte delituit. uideri esse fugitiuum, Cęlius ait. planè si talem custodiam ea habitatio non habuit, & in ea cella libertus habitauit, cui commune & promiscuum pluriũ cellarum iter esset: contrà placere debere, Cęlius ait, & Labeo probat. Idem Cælius ait, seruum in prouincia missum à domino, cum eum mortuum esse, & testamẽto se liberum relictum audisset, & in eodem officio mansisset, tantumque pro libero se gerere cœpisset: hunc non esse fugitiuum. nec enim mentiendo se liberum (inquit) fugitiuus esse cœpit: quia sine fugæ consilio id fecit. Quod aiunt ædiles, NOXAVE SOLVTVS NON SIT, sic intelligendum est: ut non hoc debeat pronunciari, nullam eum noxam cõmisisse, sed illud NOXA SOLVTVM ESSE, hoc est noxali iudicio subiectum nõ esse. ergo si noxam commisit, nec permanet: noxa solutus uidetur. Noxas accipere debemus priuatas: hoc est ea, quæcunque cõmittuntur ex delictis, nõ publicis criminibus, ex quibus agitur iudicijs noxalibus. Denique specialiter cauetur infrà de capitalibus fraudibus. ex priuatis autem noxijs oritur damnum pecuniarium, si quis fortè noxæ dedere noluerit, sed litis æstimationem sufferre. Si quis talis sit seruus, qui omnino manumitti non possit ex constitutionibus: uel si sub pœna uinculorum distractus sit à domino, uel ab aliqua potestate damnatus, uel sit exportandus: æquissimũ erit, etiam hoc prædici. Si quis adfirmauerit aliquid adesse seruo, nec adsit, uel abesse, & adsit: utputà si dixerit furem non esse, & fur sit: aut si dixerit artificem esse, & non sit: hi enim, quia quod adseuerauerunt, non præstant: aduersus dictum promissumúe facere uidentur. F G H I

XVIII. CAIVS lib. I. *ad edictum ædilium curulium.*

SI QVID uenditor de mancipio adfirmauerit, idque non ita esse emptor queratur: aut redhibitorio, aut æstimatorio, id est, quanto minoris iudicio agere potest. uerbi gratia. si constantem, aut laboriosum, aut, curacẽ, aut uigilacem esse, aut ex frugalitate sua peculium adquirentem adfirmauerit: & is ex diuerso leuis, proteruus, desidiosus, somniculosus, piger, tardus, comessor inueniatur. hæc omnia uidentur eo pertinere: ut id, quod adfirmauit uenditor, amarè ab eo exigatur, sed cum quodam temperamento. ut si fortè cõstantem esse adfirmauerit: non exacta grauitas & cõstantia, quasi à philosopho, desideretur. si laboriosum & uigilacẽ esse adfirmauit: non cõtinuus labor per dies noctésque ab eo exigatur: sed hæc omnia ex bono & æquo modicè desiderentur. idẽ & in cæteris quæ uenditor adfirmauit, intelligemus. Venditor, qui optimũ cocũ esse dixerit, optimũ in eo artificio præstare debet. qui uero simpliciter cocum esse dixerit: satis facere uidetur, etiam si mediocrẽ cocum præstet K

idem &

A idem & in cæteris generibus artificiorum. Æquè si quis simpliciter dixerit, peculiatum esse seruum: sufficit, si is uel minimum habeat peculium.

XIX. VLPIANVS *lib. 1. ad edictum ædilium curulium.*

SCIENDVM tamen est, quædam & si dixit, præstare eum non debere: scilicet ea, quæ ad nudam laudem serui pertinent: ueluti si dixerit, frugi probum, dicto audientem. ut enim Pedius scribit: multum interest, commēdandi serui caussa quid dixit: an uero præstaturum se promisit, quod dixit. planè si dixerit aleatorem nō esse, furem non esse, ad statuam nunquam confugisse: oportet eum id præstare. Dictum à promisso sic discernitur. dictum accipimus, quod uerbotènus pronūciatum est, nudoque sermone finitur. promissum autem B potest referri, & ad nudam promissionem, siue pollicitationem, uel ad sponsionem secundum quod incipiet is, qui de huiusmodi caussa stipulanti spopondit: & ex stipulatu posse conueniri, & redhibitorijs actionibus. nec nouum. nam qui ex empto potest conueniri, idē etiam redhibitorijs actionibus conueniri potest. ea autem sola dicta siue promissa admittenda sunt, quæcunque sic dicuntur, ut præstentur, non ut iactentur. Illud sciendum est, si quis artificem promiserit, uel dixerit: non utique perfectum eum præstare debet, sed ad aliquem modum peritum: ut neque eum summæ scientiæ accipias, neque rursus indoctum in artificio. sufficiet ergo talem esse, quales uulgo artifices dicuntur. Deinde aiunt ædiles, EMPTORI, OMNIBVSQVE, AD QVOS EA RES PERTINET, IVDICIVM DABIMVS. pollicentur emptori actionem & successoribus eius, qui in uniuersum ius succedunt. Emptorem C eum accipere debemus, qui precio emit. sed si permutatum erit: dicendum est, utrūque emptoris & uenditoris loco haberi: & utrunque posse ex hoc edicto experiri. Tempus autem redhibitionis sex menses utiles habet si autem mancipium non redhibeatur, sed quanto minoris agatur: annus utilis est. sed tempus redhibitionis ex die uenditionis currit. at si dictum promissumue quid est: ex eo, ex quo dictum promissumue est.

XX. CAIVS *lib. 1. ad edictum ædilium curulium.*

SI VERO ante uenditionis tempus dictum intercesserit, deinde post aliquot dies interposita fuerit stipulatio: Celius Sabinus scribit, ex priore caussa, quæ statim (inquit) ut uenit id mancipium, cœpit: eo nomine posse agere.

XXI. VLPIANVS *lib. 1. ad edictum ædilium curulium.*

D REDHIBERE est facere, ut rursus habeat uenditor, quod habuerat: & quia id reddendo fiebat. idcirco redhibitio est appellata, quasi redditio. Cum redditur ab emptore mancipium uēditori: de dolo malo promitti oportere ei, Pomponius ait. & ideo cautiones necessarias esse: ne forte aut pignori dătus sit seruus ab emptore, aut iussu eius damnum alicui dătum, furtumue factum sit. Idem Pomponius ait, interdum etiam dupliciter cautiones interponi debere: aliàs in præteritum, aliàs in futurum. utpută si eius serui nomine, qui redhibetur, emptor procuratorue eius accepit iudicium: uel quod cum eo ageretur, uel quod ipse eius nomine ageret. cauendum autem esse ait, si quid sine dolo malo emptor condemnatus dederit, his rebus rectè præstari: uel si quid ex eo, quod egerit, ad eum peruenerit: doloue eius malo, uel culpa factum sit, quò minus perueniret: ijsdem de rebus reddi. Idem ait, futu E ri temporis nomine cautionē ei, qui sciens uendidit, fieri solere. Si in fuga homo est sine culpa emptoris, & nihilominus cōdemnatur uenditor: tum eum cauere oportet, ut emptor persequatur, & in sua potestate redactum uenditori reddat.

XXII. CAIVS *lib. 1. ad edictum ædilium curulium.*

ET neque per se, neque per hæredem suum futurum, quò minus eum hominem uenditor habeat.

XXIII. VLPIANVS *lib. 1. ad edictum ædilium curulium.*

CVM autem redhibitio fit: si deterius mancipium (siue animo, siue corpore) ab emptore factum est: præstabit emptor uenditori. utpută si stupratum sit, aut sæuitia emptoris fugitiuū esse cœperit. & ideo (ut inquit Pomponius) ex quacunque caussa deterius factum sit, id arbitrio iudicis æstimetur, & uenditori præstetur. quod si sine iudice homo redhibitus sit: reliqua autem, quæ diximus, nolit emptor reddere: sufficiat uenditori ex uendito actio.

Iubent

Iubent ædiles restitui,& quod uenditioni accessit, & si quid ipse præstitit:ut utrinque reso/ F
luta emptione,nihilo plus consequatur, quàm haberet, si uenditio facta non esset. Exci/
pitur & ille,qui capitalem fraudem admisit. capitalem fraudem admittere, est tale aliquid
delinquere,propter quod capite puniendus sit. ueteres enim fraudem pro pœna ponere so
lebãt.capitalem fraudem admisisse accipimus,dolo malo,& per nequitiam.cęterum si quid
errore,si quid casu fecerit:cessabit edictum.unde Pomponius ait:neque impuberem,neque fu
riosum,capitalem fraudem uideri admisisse. Excipitur & ille,qui mortis consciendæ cau/
sa quid fecerit. malus enim seruus creditus est, qui aliquid faciat,quò magis se rebus huma/
nis extrahat:utputã si laqueum torsit,si medicamentum pro ueneno bibit,præcipitemúe se
ex alto misit,aliudúe quid fecit,quo facto sperauit mortem peruẽturam: tanquam nihil nõ G
in alium ausurus,qui hæc aduersus se ausus esset. Si seruus sit,qui uendidit,uel filiusfami/
liãs:in dominum uel patrem de peculio ædilicia actio cõpetit.quamuis enim pœnales acti/
ones uideantur: tamen quoniam ex contractu ueniunt, dicendum est eorum quoque nomi/
ne, qui in aliena potestate sunt, competere. proinde & si filiafamiliãs, uel ancilla distraxit:
æquè dicendum est actiones ædilicias locum habere. Hæ actiones, quæ ex hoc edicto
oriuntur, etiam aduersus hæredes omnes competunt. & si bona fide nobis seruient liberi
fortè homines,uel serui alieni,qui uendiderunt:potest dici,etiam hos hoc edicto contineri.

Iulianus ait, iudicium redhibitoriæ actionis utrunque & emptorem & uenditorem, quo/
dammodo in integrum restituere debere.quarè siue emptori seruus furtum fecerit, siue alij
cuilibet,ob quod furtum emptor aliquid præstiterit:non aliter cogetur hominem uendito/ H
ri restituere,quàm si eum indemnem præstiterit.Quid ergo(inquit Iulianus) si noluerit uẽ
ditor hominem recipere?non esse cogendum ait quidquam præstare, nec amplius, quàm
in precio condemnandum: & hoc detrimentum sua culpa passurum emptorem, qui cum
posset hominem noxę dedere, maluerit litis æstimationem sufferre. & uidetur Iuliani sen/
tentia humanior esse. Cum redhibetur mancipiũ:si quid ad emptorem peruenit, uel cul/
pa eius nõ peruenit,restitui oportet.nec solum si ipse fructus percepit, mercedesúe à seruo,
uel à conductore serui:sed etiam si à uenditore fuerit idcirco consecutus,quod tardius ei ho
minem præstitit.sed & si à quouis alio possessore fructus accepit emptor, restituere eos de/
bebit. sed & si quid fructuũ nomine consecutus est,id præstabit. Item si legatum uel hære/
ditas seruo obuenerit.neque refert,potuerit hæc consequi uenditor,an non potuerit, si seruũ I
non uendidisset. ponamus enim talem esse, qui capere aliquid ex testamento nõ potuerit.
nihil nocebit hæc res.Pedius quidem etiam illud non putat esse spectandum,cuius cõtem/
platione testator seruum hæredem scripserit, uel ei legauerit: quia & si uenditio remãsisset,
nihil hæc res emptori proderat.& per contrarium(inquit) si contemplatione uenditoris in/
stitutus proponeretur:tamen diceremus restituere emptorẽ non debere uenditori, si nollet
eum redhibere. XXIIII. CAIVS *lib.1. ad edictum ædilium curulium.*

ET GENERALITER dicendum est: quidquid extra rem emptoris per eum seruum ad/
quisitum est,id iustum uideri reddi oportere.

XXV. VLPIANVS *lib.1. ad edictum ædilium curulium.*

AEDILES etiam hoc præstare emptorem uolunt, si in aliquo deterior factus sit seruus: K
sed ita demum,si post uenditionem traditionemque factus sit. cæterum non pertinet ad hoc
iudicium,quod ante factum est.Siue ergo ipse deteriorem eum fecit, siue familia eius, siue
procurator:tenebit actio. Familiæ appellatione omnes, qui in seruitio sunt, continentur:
etiam liberi homines, qui bona fide ei seruiunt,uel alieni serui.accipe eos quoque,qui in po/
testate eius sunt. Procuratoris quoque sit mentio in hac actione. sed Neratius procuratorẽ
hic accipiendum ait,non quemlibet,sed cui uniuersa negocia,aut idipsum,propter quod de
terius factum sit,mandatum est. Pedius ait. æquum fuisse,id duntaxat imputari empto
ri ex facto procuratoris & familię,quod nõ fuisset passurus seruus, nisi ei uẽnisset.quod au/
tem passurus erat, etiam si non uẽnisset: in eo concedi emptori serui sui noxæ deditionem:
& ex eo(inquit) quod procurator commisit, solum actionum præstandarum necessitatem
ei iniungi.

A ei iniungi. quid ergo, si culpa, nō etiam dolo emptoris deterior factus sit? æquè condemnabitur. hoc autem, quod deterior seruus factus sit: non solùm ad corpus, sed etiam ad animi uicia referendum est: utputà si imitatione cõseruorum apud emptorē talis factus est: aleator fortè, uel uinarius, uel erroneus. Sed notandum est, quod non permittitur emptori ex huiusmodi caussis noxæ dedere seruum suum. nec enim factum seruorū suorum, itemq; procuratoris præstat. Item sciendum est: hæc omnia, quæ exprimuntur edicto ædilium, præstare eum debere, si ante iudiciū acceptum facta sint. idcirco enim necesse fuisse ea enumerari, ut si quid eorum ante litem contestatam contigisset, præstaretur. cæterum post iudi-

B cium acceptum, tota ea ad hominem restituēdum in iudicio uersatur: & tam fructus, quàm id, quod deterior factus est, cæteraq; ueniunt. iudici enim statim, atq; iudex factus est, omnium rerum officium incumbit, quæcunq; in iudicio uersantur. ea autem, quæ ante iudicium contingunt, non ualde ad eum pertinent: nisi fuerint ei nominatim iniuncta. Præterea in edicto dicitur sic. ET QVANTA PECVNIA PRO EO HOMINE SOLVTA, ACCESSIONIS'VE NOMINE DATA ERIT, NON REDDETVR: CVIVS'VE PECVNIAE QVIS EO NOMINE OBLIGATVS ERIT, NON LIBERABITVR. Ordine fecerunt ædiles, ut antè uenditori emptor omnia, quę suprà scripta sunt, prę̈stet. sic deinde preciū consequatur.

XXVI. CAIVS *lib. I. ad edictum ædilium curulium.*

C VIDEAMVS tamen, ne iniquum sit emptorem compelli dimittere corpus, & ad actionē iudicati mitti, si interdum nihil præstatur propter inopiam uenditoris: potiusq; res ita ordinanda sit, ut emptor caueat, si intra certū tempus pecunia sibi soluta sit, se mancipium restituturum.

XXVII. VLPIANVS *lib. I. ad edictum ædilium curulium.*

DEBET autem recipere pecuniā, quam dědit pro eo homine, uel si quid accessionis nomine. dări autem non id solum accipimus, quod numeratur uenditori (utputā precium, & usuras eius) sed & si quid emptionis caussa erogatum est. hoc autem ita demum deducitur, si ex uoluntate uenditoris dătur. cæterum si quid sua sponte dătum esse proponatur: non imputabitur. neq; enim debet, quod quis suo arbitrio dědit, à uenditore exigere. quid ergo, si fortè uectigalis nomine dătum est, quod emptorem fortè sequeretur? dicemus hoc quoq; restituendum. indemnis enim emptor discedere debet.

D XXVIII. CAIVS *lib. I. ad edictum ædilium curulium.*

SI VENditor de his, quæ edicto ædiliū continentur, non caueat: pollicentur aduersus eum iudiciū redhibitoriū intra duos menses, uel quanti emptoris intersit intra sex menses.

XXIX. VLPIANVS *lib. I. ad edictum ædilium curulium.*

ILLVD sciendum est. si emptor uenditori hæc non præstat, quæ desiderantur in hac actione: non posse ei uenditorem condemnari. si autem emptori uenditor ista non præstet: condemnatur ei. Item emptori præstandum est, ut cuius pecuniæ nomine obligatus erit, liberetur: siue ipsi uenditori obligatus sit, siue etiam alij. Condemnatio autem fit, quanti ea res erit. ergo excedat precium, an non, uideamus. & quidem continet condemnatio precium, accessionesq;. an & usuras precij consequatur, quasi quod sua intersit, de-

E beat accipere: maximè cum fructus ipse restituat? & placet consecuturum. si quid tamen damni sensit, uel si quid pro seruo impendit: consequetur arbitrio iudicis. sic tamen, non ut ei horum nomine uenditor cōdemnetur: (ut ait Iulianus) sed ne aliàs compellatur hominem uenditori restituere, quàm si eum indemnem præstet.

XXX. PAVLVS *lib. I. ad edictum ædilium curulium.*

ITEM si serui redhibendi nomine emptor iudicium accepit, uel ipse eius nomine dictauit: cauendum ex utraq; parte erit, ut si quid sine dolo malo condemnatus sit: uel si quid ex eo, quod agitur, ad eum peruenerit, dolo'ue malo eius factum sit, quò minus perueniret, id reddat. Quas impensas necessario in curandum seruum post litem contestatam emptor fecerit, officio iudicis imputari: præcedentes autem impensas nominatim comprehendendas, Pedius: sed cibaria seruo dăta non esse imputanda, Aristo ait. nam nec ab ipso exigi, quod in ministerio eius fuerit.

XXXI. VLPIANVS lib. I. ad edictum ædilium curulium. F

QVOD si nolit uenditor hominem recipere: non in maiorem summam (inquit) quàm
in precium ei condemnandum. ob hæc ergo, quæ propter seruum damna sensit, solam
dabimus ei corporis retentionem. cæterum poterit euitare præstationem uenditor, si nolit
hominem recipere. quo facto precij præstationem, eorumq́; quæ præciũ sequuntur, solam
non euitabit. Si uenditor pronunciauerit, uel promiserit furem non esse: tenetur ex sua
promissione, si furtum seruus facit. esse enim hoc in casu furem, non tantum eum, qui ex/
traneo, sed & qui domino suo res subtraxit, intelligendum est. Si ancilla redhibeatur:
quod ex ea post uẽditionem natum erit, reddet: siue unus partus sit, siue plures. sed & si for/ G
tè usufructus proprietati adcreuit, indubitatè hoc quoq; restituetur ei. Si peculiũ quæ/
sitũ apud emptorem, quid de hoc dicemus? & siquidẽ ex re emptoris accessit: dicendum est,
apud ipsum relinquendũ. si aliunde creuit: uenditori restituẽdum. Si plures hæredes sint
emptoris: an omnes ad redhibendum consentire debeant, uideamus. & ait Pomponius,
omnes consentire debere ad redhibendum. dareq́; unum procuratorem: ne fortè uenditor
iniuriam patiatur, dum ab alio partẽ recipit hominis, alij in partẽ precij cõdemnatur, quan
to minoris is homo sit. Idẽ ait. homine mortuo, uel etiã redhibito, singulos pro suis por/
tionibus rectè agere: preciũ autem, & accessiones pro parte recipient. sed & fructus, acces/
siones, & si quo deterior homo factus est, pro parte ab ipsis præstabitur: nisi fortè tale sit, H
quod diuisionem non recipiat: utputã ancillæ partus. in hoc enim idem obseruandum est,
quod in ipsa mãtre uẽdita, quam pro parte redhiberi posse negauimus. Marcellus quo/
que scribit. si seruus cõmunis seruũ emerit, & sit in caussa redhibitionis: unum ex dominis
pro parte sua redhibere seruum non posse: non magis (inquit) quàm cum emptori plures
hæredes exstiterunt, nec omnes ad redhibendum consentiunt. Idem Marcellus ait. non
posse alterum ex dominis consequi actionem ex empto, ut sibi pro parte uẽditor tradat, &
si pro portione precium dabit. & hoc in emptoribus seruari oportere ait. nam uenditor pi/
gnoris loco, quod uendidit, retinet, quoad emptor satisfaciat. Pomponius ait. si unus ex
hęredibus emptoris, uel familia eius, uel procurator, culpa uel dolo fecerit rem deteriorem:
æquum esse, in solidum eum teneri arbitrio iudicis. hoc autem expeditius esse, si omnes hæ
redes unum procuratorem ad agendum dẽderunt. tunc etenim, si quo deterior seruus cul/ I
pa unius hæredũ factus est, & hoc solutũ est: cæteri familiæ erciscundæ iudicium aduersus
eum habebũt: quia propter ipsum damnum sentiũt, impediunturq́; redhibere. Si uendi
tori plures exstiterint hæredes: singulis pro portione hæreditaria poterit seruus redhiberi.
& si seruus plurium uẽnierit: idem erit dicendum. nam si unus à pluribus, uel plura manci
pia ab uno emantur: uerius est dicere, si quasi plures rei fuerint uenditores, singulis in soli/
dum redhibẽdum. si tamen partes emptæ sint à singulis: rectè dicetur, alteri quidem posse
redhiberi, cum altero autẽ agi quanto minoris. Item si plures singuli partes ab uno emant:
tunc pro parte quisq; eorum experietur. sed & si in solidũ emant: quisq; in solidum redhibe
bit. Si mancipiũ, quod redhiberi oporteret, mortuũ erit: hoc quæretur, nũquid culpa em/
ptoris, uel familię eius, uel procuratoris homo demortuus sit. nam si culpa eius decessit: pro K
uiuo habendus est, & præstantur omnia, quæ præstarentur, si uiueret. Culpam autem o/
mnem accipiemus, non utiq; latam. propter quod dicendum est: quancunq; occasionem
mortis emptor præstitit, debere eum teneri: etiam si non adhibuit medicum, ut sanari pos/
sit, uel malum adhibuit, sed culpa sua. sed hoc dicemus, si ante iudicium acceptum decessit.
cæterum si post iudicium acceptum decessisse proponatur: tunc in arbitrium iudicis ueniet,
qualiter mortuus sit. ut enim & Pedio uidetur: quæcunq; post litem contestatam contin/
gunt, ea arbitrium iudicis desiderant. Quod in procuratore dicimus, idem in tutore & cu
ratore dicendum erit, cæterisq́; qui ex officio pro alijs interueniunt. & ita Pedius ait. & ad/
ijcit. quibus administratio rerum permissa est, eos culpa abesse, præstare non iniquè omni/
num cogi. Idem Pedius ait, familiæ appellatione & filiosfamiliarum demonstrari. facta
enim domesticorum redhibitoria agentem præstare uoluit. Si quis egerit quanto minoris
propter

A propter ſerui fugam, deinde agat propter morbum: quanti fieri condemnatio debeat. &
quidem ſæpius agi poſſe quanto minoris, dubium non eſt. ſed ait Iulianus, id agendum
eſſe, ne lucrum emptor faciat, & bis eiuſdem rei æſtimationem conſequatur. In factum
actio competit ad precium recuperandum, ſi mancipium redhibitum fuerit. in qua nō hoc
quæritur, an mancipium in cauſſa redhibitionis fuerit: ſed hoc tantū, an ſit redhibitum. nec
immeritò. iniquum eſt enim, poſtea, quàm uenditor agnouit, recipiendo mancipium, eſſe
id in cauſſa redhibitionis: quæri, utrum debuerit redhiberi, an non debuerit. nec de tem/
pore quæritur, an intra tempora redhibitus eſſe uideatur. Illud planè hæc actio exigit, ut
B ſit redhibitus. cæterum niſi fuerit redhibitus, deficit iſta actio, etiam ſi nudo conſenſu pla/
cuerit, ut redhibeatur. conuentio ergo de redhibendo nō facit locum huic actioni, ſed ipſa
redhibitio. Reſtitui autem debet per hanc actionem etiam, quod ei ſeruo in uenditione
acceſſit. Quia aſſidua eſt duplæ ſtipulatio: idcirco placuit etiam ex empto agi poſſe, ſi du/
plæ uenditor mancipij non caueat. ea enim, quæ ſunt moris & conſuetudinis, in bonæ fi/
dei iudicijs debent uenire. Qui mancipia uendunt, nationem cuiuſque in uenditione
pronunciare debent. plerunq; enim natio ſerui aut prouocat, aut deterret emptorem. id/
circo intereſt noſtra ſcire nationem. præſumptum etenim eſt, quoſdam ſeruos bonos eſſe,
quia nationis ſunt non infamatæ: quoſdam malos uideri, quia ea natione ſunt, quæ magis
C infamis eſt. quod ſi de natione ita pronunciatum non erit: iudicium emptori, omnibusq;,
ad quos ea res pertinebit, dabitur, per quod emptor redhibet mancipium. Si quid ita ue/
nierit, ut niſi placuerit, intra præfinitum tempus redhibeatur: ea conuentio rata habetur. ſi
autem de tempore nihil conuenerit: in factum actio intra ſexaginta dies utiles accōmoda/
tur emptori ad redhibēdum: ultra non. ſi uero cōuenerit, ut in perpetuū redhibitio fiat: pu/
to & hanc conuentionem ualere. Item ſi tempus ſexaginta dierum præfinitum redhibitio/
ni præterierit: cauſſa cognita iudicium dabitur. In cauſſæ autem cognitione hoc uerſa/
bitur: ſi aut mora fuit per uenditorem, aut non fuit præſens, cui redderetur: aut alia iuſta
cauſſa interceſſit, cur intra diem redhibitum mancipium non ſit, quod magis diſplicuerat.
In his autem actionibus eadem erunt obſeruanda, quæ de partu, fructibus, acceſſio/
nibusq;, & quæ de mortuo redhibendo dicta ſunt. Quod emptioni accedit, partem eſſe
D uenditionis, prudentibus uiſum eſt.

XXXII. CAIVS *lib. II. ad edictum ædilium curulium.*

ITAQVE ſicut ſuperius uenditor de morbo uicioue, & cæteris, quæ ibi cōprehenſa ſunt,
prædicere iubetur: & præterea in his cauſſis nō eſſe mancipium, ut promittat, præcipitur: ita
& cum accedat alij rei homo, eadē & prædicere & promittere compellitur. quod nō ſolum
hoc caſu intelligendum eſt, quo nominatim adijcitur, acceſſurum fundo hominem Stichū:
ſed etiam ſi generaliter omnia mancipia, quæ in fundo ſint, accedant uenditioni.

XXXIII. VLPIANVS *lib. I. ad edictum ædilium curulium.*

PROINDE Pomponius ait, iuſtam cauſſam eſſe, ut quod in uenditione acceſſurum eſſe
dictum eſt: tam integrum præſtetur, quàm illud præſtari debuit, quod principaliter uenit.
E nam iure ciuili, ut integra ſint, quæ acceſſura eſſe dicta fuerunt, ex empto actio eſt: ueluti ſi
dolia acceſſura fundo dictum fuerit. ſed hoc ita, ſi certum corpus acceſſurum fuerit dictum.
nam ſi ſeruus cum peculio uēnierit: ea mancipia, quæ in peculio fuerint, ſana eſſe præſtare
uenditor non debet: quia non dixit, certum corpus acceſſurum, ſed peculium tale. & quem/
admodum certam quantitatem peculij præſtare non debet, ita nec hoc. Eadem ratione
fieri Pomponius ait, ut etiam ſi hereditas, aut peculium ſerui uēnierit: locus edicto ædilium
non ſit circa ea corpora, quæ ſunt in hæreditate, aut in peculio. Idem probat, & ſi fundus
cum inſtrumento uēnierit, & in inſtrumento mancipia ſint. puto hanc ſententiam ueram:
niſi ſi aliud ſpecialiter actum eſſe proponatur. Si uendita res redhibeatur, ſeruus quoq;,
qui ei rei acceſſit, licet nullum in eo uicium ſit, redhibetur.

XXXIIII. AFRICANVS *lib. III. Quæſtionum.*

CVM eiuſdem generis plures res ſimul uēneunt (ueluti comœdi, uel chorus) referre ait

in uniuersos, an in singulos precium constituatur: ut scilicet interdum (una, interdum) plures uenditiones contractæ intelligantur. quod quæri uel eo pertinere ait: ut si quis eorum fortè morbosus, uel uitiosus sit, omnes simul redhibeantur. interdum & si in singula capita precium constitutum sit, tamen una emptio est, ut propter unius uicium omnes redhiberi debeant: scilicet cum manifestum erit, non nisi omnes quem empturum, uel uenditurum fuisse: ut plerunque circa comœdos, uel quadrigas, uel mulas pares accidere solet: ut neutri, nisi omnes, habere expediat. F

XXXVI. VLPIANVS lib. I. *ad edictum ædilium curulium.*

PLERVNque propter morbosa mancipia etiam non morbosa redhibentur, si separari non possint sine magno incommodo, uel ob pietatis rationem offensa. quid enim si filio retento, parentes redhibere maluerit, uel contrà? quod & in fratribus, & in personas contubernio sibi coniunctas obseruare oportet. G

XXXVI. POMPONIVS lib. XXIII. *ad Sabinum.*

SI PLVRA mancipia uno precio uenierint, & de uno eorũ ædilicia actione utamur: ita demum pro bonitate eius æstimatio fiet, si confuse uniuersis mancipijs constitutum precium fuerit. Quod si singulorum mancipiorum constituto precio, uniuersa tanti uenierũt, quantum ex consumatione singulorum fiebat: tunc cuiuscunque mancipij precium (seu pluris, seu minoris id est) consequi debebit. H

XXXVII. VLPIANVS lib. I. *ad edictum ædilium curulium.*

PRAE cipiunt ædiles, NE VETERATOR PRO NOVICIO VENEAT. & hoc edictũ fallacijs uenditorũ occurrit. ubique enim curant ædiles, ne emptores à uenditoribus circumueniantur. ut ecce plerique solent mancipia, quæ nouicia non sunt, quasi nouicia distrahere: ad hoc scilicet, ut pluris uendant. præsumptum est enim ea mancipia, quæ rudia sunt, simpliciora esse, & ad ministeria aptiora, & dociliora. trita uero mancipia & ueterana difficilè esse reformare. quia igitur uenaliciarij sciunt, facilè decurri ad nouiciorum emptionem: idcirco interpolant ueteratores, & pro nouicijs uendunt. quod ne fiat, hoc edicto ædiles denunciant. & ideo si quid ignorante emptore ita uenierit: redhibebitur.

XXXVIII. IDEM lib. II. *ad edictum ædilium curulium.*

AEdiles aiunt. QVI IVMENTA VENDVNT, PALAM RECTÈ DICVNTO, QVID IN VNOQVOQVE EORVM MORBI VICII'VE SIT: VTIQVE OPTIME ORNATA VENDENDI CAVSSA FVERINT, ITA EMPTORIBVS TRADVNTOR, SI QVID ITA PACTVM NON ERIT: DE ORNAMENTIS RESTITVENDIS, IVMENTIS'VE ORNAMENTORVM NOMINE REDHIBENDIS, IN DIEBVS SEXAGINTA: MORBI AVTEM, VICII'VE CAVSSA INEMPTIS FACIENDIS, IN SEX MENSIBVS: VEL QVANTO MINORIS, CVM VENIERINT, FVERINT, IN ANNO IVDICIVM DABIMVS. SI IVMENTA SIMVL PARIA VENIERINT, ET ALTERVM IN EA CAVSSA FVERIT, VT REDHIBERI DEBEAT: IVDICIVM DABIMVS, QVO VTRVNQVE REDHIBEATVR. Loquuntur ædiles in hoc edicto de iumentis redhibendis. caussa autem huius edicti eadem est, quę & mancipiorum redhibendorũ: & ferè eadem sunt in his, quę in mancipijs, quod ad morbum uiciumúe attinet. quidquid igitur illic diximus, huc erit transferẽdum. & si mortuum fuerit iumentum: pari modo redhiberi poterit, quemadmodum mancipium. Iumentorũ autem appellatione an omne pecus contineatur, uideamus. & difficilè est, ut contineatur. nam aliud significat iumentum, aliud significatur pecoris appellatione. idcirco elogiũ huic edicto subiectũ est, cuius uerba hęc sunt. QVAE DE IVMENTORVM SANITATE DIXIMVS, DE CAETERO QVOQVE PECORE OMNI VENDITORES FACIVNTO. unde dubitari desijt, an hoc edicto boues quoque continerentur. etenim iumentorum appellatione non cõtineri eos, uerius est. sed pecoris appellatione cõtinebuntur. Sed enim sunt quędam, quæ in hominibus quidem morbum faciunt, in iumentis non adeo, utputà si mulus castratus est, neque morbi, neque uicij quid habere uidetur: quia neque de fortitudine quid eius detrahitur, neque de utilitate, cum ad generandum nunquam sit habilis. Cælius quoque scribit, I K

non omnia

A non omnia animalia castrata ob idipsum uitiosa esse: nisi propter ipsam castrationem facta sint imbecilliora. & ideo mulū non esse uitiosum. Idem refert Ofilium existimasse, equum castratum sanum esse, sicuti spado quoq; sanus esset. sed si emptor ignorauit, uenditor sciit ex empto esse actionē. & uerum est quod Ofilius. Quæsitum est. si mula talis sit, ut transiungi non possit: an sana sit? & ait Pomponius, sanam esse. plerasq; denique carucharias taleis esse, ut non possint transiungi. Idem ait. si nata sit eo ingenio aut corpore, ut alterum iugum nō patiatur: sanam non esse. Non tantum autem ob morbum uitiumúe redhibitio locum habebit in iumentis: uerum etiam si contra dictum promissumúe sit, erit locus redhibitioni, exemplo mancipiorum. Vendendi autem caussa ornatum iumentum ui-
B deri, Cælius ait: non si sub tempus uenditionis, hoc est biduo ante uenditionem: sed si in ipsa uenditione ornatum sit, aut ideo (inquit) ut uenale cum esset, sic ornatum inspiceretur. semperq; cum de ornamentis agitur in actione & in edicto, adijciendum est, VENDENDI CAVSSA ORNATA DVCTA ESSE. poterit enim ornatum iumentum itineris caussa duci, deinde uenire. Si plura iumenta uenierint: non omnia erunt redhibenda propter unius ornamentū. nam si uitiosum sit unum iugum: non tamen propter hæc cætera iuga redhibebuntur. Si fortè iugum mularum sit, quarum altera uitiosa sit: non ex precio tantum uitiosæ, sed ex utriusq; erit componendum, quanto minoris sit. Cum enim uno precio utraque uenierint, non est separandum precium: sed quāto minoris, cum ueniret, utrunq; fuit, nō alterum, quod erat uitiosum. Cum autem iumenta paria ueneunt: edicto expressum
C est, ut cum alterum in ea caussa sit, ut redhiberi debeat, utrunq; redhibeatur. in qua re tam emptori, q̄ uenditori consulitur, dum iumenta non separantur. simili modo & si triga uenierit: redhibēda erit tota. sed & si quadriga: redhibeatur. sed si duo paria mularum sint, & una mula uitiosa sit, uel par: solum par redhibebitur, alterū non. si tamen nondū sint paria constituta, sed simpliciter quatuor mulæ uno precio uenierint: unius erit mulæ redhibitio, non omnium. nam & si polia uenierit: dicemus unum equum, qui uitiosus est, nō omnem poliam redhiberi oportere. hoc & in hominibus dicemus, pluribus uno precio distractis: nisi si separari non possint, utputà uel tragœdi, uel mimi.

XXXIX. PAVLVS *lib. 1. ad edictum ædilium curulium.*

VEL fratres.

D XL. VLPIANVS *lib. II. ad edictum ædilium curulium.*

HI enim non erunt separandi. Deinde aiunt ædiles. NE QVIS CANEM, VERREM, VEL MINOREM APRVM, LVPVM, VRSVM, PANTHERAM, LEONEM.

XLI. PAVLVS *lib. II. ad edictum ædilium curulium.*

ET GENERALITER, aliudúe quod noceret animal (siue soluta sint, siue alligata: siue contineri uinculis, quò minus damnum inferant, non possint.)

XLII. VLPIANVS *lib. II. ad edictum ædilium curulium.*

QVA VOLGO ITER FIET, ITA HABVISSE VELIT, VT CVIQVAM NOCERE, DAMNVMVE DARE POSSIT. SI ADVERSVS EA FACTVM ERIT, ET HOMO LIBER EX EA RE PERIERIT: SOLIDIS DVCENTIS. SI NOCITVM HOMINI LIBERO ESSE DICE-
E TVR: QVANTI BONVM ET AEQVVM IVDICI VIDEBITVR, CONDEMNETVR. CAETERARVM RERVM, QVANTVM DAMNVM DATVM FACTVMVE SIT, DVPLI.

XLIII. PAVLVS *lib. II. ad edictum ædilium curulium.*

BOVEM, qui cornu petit, uitiosum esse pleriq; dicunt. Item mulas, quæ cessim eunt: eà quoq; iumenta, quæ sine caussa turbantur, & semetipsa eripiunt, uitiosa esse dicuntur.

Qui ad amicum domini deprecaturus confugit, non est fugitiuus. imo etiam si ea mente sit, ut non impetrato auxilio, domum non reuertatur, nondum fugitiuus est: quia non solum consilij, sed & facti fugæ nomen est. Qui persuasu alterius à domino recessit, fugitiuus est, licet id non fuerit facturus citra consilium eius, qui persuasit. Si seruus meus bona fide tibi seruiens fugerit, uel sciens se meum esse, uel ignorans: fugitiuus est, nisi animo ad me reuertendi id fecit. Mortis cōsciendæ caussa quid facit, qui propter nequitiā malosq;

mores, flagitiumúe aliquod admissum, mortem sibi consciscere uoluit: nisi dolorem corporis non sustinendo id fecerit. Si quis seruum emerit, & rapto eo ui bonorũ raptorum actione quadruplum cõsecutus sit, deinde seruũ redhibeat: reddere debebit, quod accepit. sed si per eum seruũ iniuriam passus, iniuriæ nomine egerit: nõ reddet uenditori. aliter forsitan, atq; si loris ab aliquo cæsus, aut quæstione de eo habita, emptor egerit. Aliquando redhiberi mancipium debebit, licet æstimatoria, id est quanto minoris, agamus: nam si adeo nullius sit precij, ut ne expediat quidem tale mancipium habere domino (ueluti si furiosum, aut lunaticum sit) licet æstimatoria actum fuerit: officio tamen iudicis continebitur, ut reddito mancipio, precium recipiatur. Si quis, cum consilium iniisset fraudandorum creditorum, redhibuerit, non redhibiturus aliâs, nisi uellet eos fraudare: tenetur creditoribus propter mancipium uenditor. Pignus certè manebit obligatum, etiam si redhibitus fuerit seruus: quemadmodum & si eum alienasset, aut usumfructũ eius: nec rectè redhibebit, nisi redemptum, & pignore liberatum redhibeat. Si sub conditione homo emptus sit, redhibitoria actione ante conditionem existentem inutiliter agitur: quia nondum perfecta emptio, arbitrio iudicis perfecta fieri non potest. & ideo etsi ex empto, uel uendito, uel redhibitoria ante actum fuerit: expleta conditione iterum agi poterit. Interdum etiam si pura sit uenditio, propter iuris conditionem in suspenso est: ueluti si seruus, in quo alterius usus fructus, alterius proprietas est, aliquid emerit. nam dum incertũ est, ex cuius re precium soluat: pendet, cui sit adquisitum. & ideo neutri eorum redhibitoria competit. G

XLIIII. IDEM *lib. II. ad edictum ædilium curulium.* H

IVST issimè ædiles noluerunt hominem ei rei, quę minoris esset, accedere: ne qua fraus aut edicto, aut iuri ciuili fieret (ut ait Pedius) propter dignitatem hominum. alioquin eandem rationem fuisse & in cæteris rebus. ridiculum nanq; esset fundum tunicę accedere. cæterum hominis uenditioni quiduis licet adijcere. nam & plerunq; plus in peculio est, q̃ in seruo: & nonnunquam uicarius, qui accedit, pluris est, quàm is seruus, qui uenit. Proponitur actio ex hoc edicto in eum, cuius maxima pars in uẽditione fuit: quia plerunq; uenaliciarij ita societatem coëunt, ut quidquid agunt, in cõmune uideantur agere. æquum enim ædilibus uisum est, uel in unum ex his, cuius maior pars, aut nulla parte minor esset, ædilitias actiones cõpetere: ne cogeretur emptor cũ multis litigare: quamuis actio ex empto cũ singulis sit pro portione, qua socij fuerunt. nam id genus hominũ ad lucrũ, uel potius turpiter faciendum pronius est. In redhibitoria (uel æstimatoria) potest dubitari, an quia alienum seruum uendidit, & ob euictionem, & propter morbum fortè, uel fugam simul teneri possit. nam potest dici, nihil interesse emptoris, sanum esse, fugitiuum non esse eum, qui euictus est. sed interfuit emptoris, sanũ possedisse propter operas. neq; ex post facto decrescit obligatio. statim enim, ut seruus traditus est, cõmittitur stipulatio, quãti interest emptoris. I

XLV. CAIVS *lib. II. ad edictum ædilium curulium.*

REDHI bitoria actio duplicem habet condemnationem. modo enim in duplum, modo in simplum condemnatur uenditor. nam si neq; precium, neq; accessionem soluat: neq; eum, qui eo nomine obligatus erit, liberet: dupli precij & accessionis condemnari iubetur. si uero reddat precium & accessiones, uel eum, qui eo nomine obligatus est, liberet: simpli. K

XLVI. POMPONIVS *lib. XXIII. ad Sabinum.*

CVM mihi redhibes: furtis noxisq; solutum esse, promittere non debes: præter quàm quod iussu tuo fecerat, aut eius, cui tu eum alienaueras.

XLVII. PAVLVS *lib. XI. ad Sabinum.*

SI HO minem emptum manumisisti: & redhibitoriam, & quanto minoris denegandã tibi, Labeo ait: sicut & duplæ actio periret. ergo & quod aduersus dictum promissumúe sit actio peribit. post mortem autem hominis ædilitiæ actiones manent.

XLVIII. POMPONIVS *lib. XXIII. ad Sabinum.*

SI tamen sine culpa actoris, familiæúe eius, uel procuratoris mortuus sit. Audiendus est is, qui de uicio uel morbo serui quærens, retinere eum uelit. Non nocebit emptori, si sex

A si sex mensium exceptione redhibitoria exclusus, uelit intra annum æstimatoria agere. Ei, qui seruum uinctum uendidit, ædilium edictum remitti æquum est. multo enim amplius est id facere, quàm pronunciare in uinculis fuisse. In ædilitijs actionibus exceptionem opponi æquum est: si emptor sciерit de fuga, aut uinculis, aut cæteris rebus similibus, ut uenditor absoluatur. Ædilitiæ actiones & hæredi & in hæredem competunt: ut tantum facta hæredum, quæ postea accesserunt, & quod expedire potuerunt, quærantur. Non solum de mancipijs, sed de omni animali hæ competunt: ita ut etiam si usumfructum in homine emerim, cõpetere debeant. Cum redhibitoria actione de sanitate agitur: permittendum est de uno uicio agere, & prædicere, ut si quid aliud postea apparuisset, de eo iterum agere-

B tur. Singularium uenditionum caussa ne sit redhibitio, in usu est.

XLIX. VLPIANVS lib. VIII. *Disputationum.*

ETIAM in fundo uendito redhibitionem procedere, nequaquam incertum est: ueluti si pestilens fundus distractus sit. nam redhibendus erit. & benignius est dicere, uectigalis exactionem futuri temporis post redhibitionem aduersus emptorem cessare.

L. IVLIANVS lib. III. *ex Minutio.*

VARICOSVS sanus non est.

LI. AFRICANVS lib. III. *Quæstionum.*

CVM mancipium morbosum uel uiciosum seruus emerit, & redhibitoria, uel ex empto dominus experiatur: omnimodo scientiam serui, non domini spectandam esse ait, ut nihil

C intersit, peculiari, an domini nomine emerit: & certum incertùmue mandante eo emerit: quia & illud ex bona fide sit, seruum, cum quo negocium fuerat gestum, deceptum non esse: & rursus delictum eiusdem, quod in contrahendo admiserit, domino nocere debeat. sed si seruus mandatu domini hominem emerit, quem dominus uiciosum esse sciret: non tenetur uenditor. Circa procuratoris personam, cum quidem ipse scierit morbosum uel uiciosum esse: non dubitandum, quin quamuis ipse domino mandati uel negociorum gestorum actione sit obstrictus, nihilomagis eo nomine agere possit. at cum ipse ignorans esse uiciosum, mandatu domini, qui id sciret, emerit, & redhibitoria agat: ex persona domini utilem exceptionem ei non putat opponendam.

LII. MARTIANVS lib. IIII. *Regularum.*

D SI FVRTVM domino seruus fecerit: non est necesse hoc in uenditione serui prædicere, nec ex hac caussa redhibitio est. sed si dixerit hunc furem non esse: ex illa parte tenebitur, quod dixit, promisitúe.

LIII. IABOLENVS lib. II. ἐπιστολῶν.

QVI tertiana febre aut quartana, aut podagra uexantur, quiúe comitialem morbum habent: ne ijs quidem diebus, quibus morbis uacant, rectè sani dicentur.

LIIII. PAPINIANVS lib. IIII. *Responsorum.*

ACTIONI redhibitoriæ non est locus, si mancipium bonis conditionibus emptum fugerit, quod antè non fugerat.

LV. IDEM lib. XII. *Responsorum.*

E CVM sex menses utiles, quibus experiundi potestas fuit, redhibitoriæ actioni præstantur: licet non uidebitur potestatem experiundi habuisse, qui uicium fugitiui latens ignorauit: non tamen idcirco dissolutam ignorationem emptoris excusari oportebit.

LVI. PAVLVS lib. III. *Quæstionum.*

LATINVS Largus, quæro, an fideiussori redhiberi mancipium possit? Respondit, si in uniuersam caussam fideiussor sit acceptus: putat Marcellus posse & fideiussori redhiberi.

LVII. IDEM lib. V. *Quæstionum.*

SI seruus mancipium emit, & dominus redhibitoria agat: non aliter ei uenditor daturus est, quàm si omnia præstiterit, quæ hac actione continentur: & quidem solida, non peculio tenus. nam & si ex empto dominus agat: nisi precium totũ soluerit, nihil consequitur. quod si seruus uel filius uendiderit: redhibitoria in peculiũ cõpetit. in peculio autẽ & caussa

redhibitionis continebitur. nec nos moueat, quod antè, quàm reddatur seruus, non est in F
peculio. non enim potest esse in peculio seruus, qui adhuc emptoris est. sed caussa ipsius redhibitionis in peculio computatur. igitur si seruus emptus, quinque milibus sit: hæc quidem in peculio esse dicemus: sed ita, si nihil domino debeat, aut ademptum peculiũ non sit. quod si plus domino debeat: eueniet, ut hominem præstet, & nihil consequatur.

LVIII. IDEM lib. V. *Responsorum.*

QVAERO, an si seruus apud emptorem fugit, & in caussa redhibitionis esse pronunciatus fuit: non prius uenditori restitui debeat, quàm rerum ablatarum à seruo æstimationem præstiterit? PAVLVS RESPONDIT. uenditorẽ cogendũ non tantũ preciũ serui restituere, sed etiam rerũ ablatarũ æstimationẽ: nisi si pro his paratus sit seruum noxæ nomine relinquere. G Item quæro, si nolit æstimationẽ & precia, rerum restituere an seruus restituendus (aut retinendus) sit, & danda actio de peculio, uel de precio redhibiti serui ex duplæ stipulatione? PAVLVS RESPONDIT. de precio serui repetendo competere actionem etiam ex duplæ stipulatione: de rebus per furtum ablatis iam responsum esse. Seruum emi dupla, qui rebus ablatis fugit. mox inuentus præsentibus honestis uiris interrogatus, an & in domo uenditoris fugisset: Respondit, fugisse. quæro, an standum sit responso serui? PAVLVS RESPONDIT. si alia indicia prioris fugæ non deficiũt: tunc etiã serui responso credendũ est.

LIX. VLPIANVS lib. XXII. *ad edictum.*

CVM in ea caussa est uenditum mancipium, ut redhiberi debeat: iniquum est, uenditorem precium redhibendæ rei consequi. Si quis duos homines uno precio emerit, & alter H
in ea caussa sit, ut redhibeatur: deinde petatur precium totum: exceptio erit obijcienda. si tamen pars precij petatur, magis dicetur, non nocere exceptionem: nisi fortè ea sit caussa, in qua propter alterius uicium utrunque mancipium redhibendum sit.

LX. PAVLVS lib. XLVIII. *ad edictum.*

FACTA REDHIBITIONE omnia in integrum restituuntur: perinde ac si neque emptio, neque uenditio intercessisset.

LXI. VLPIANVS lib. XXVIII. *ad edictum.*

QVOTIES de seruitute agitur: uictus tantum debet præstare, quanto minoris emisset emptor, si scisset hanc seruitutem impositam.

LXII. MODESTINVS lib. VIII. *Differentiarum.* I

AD RES donatas edictum ædilium curulium non pertinere dicendum est. Quid enim se restituturum donator repromittat, quando nullum precium interuenit? quid ergo, si res ab eo, cui donata est, melior facta sit? nunquid quanti eius, qui meliorem fecit, interest, donator conueniatur? quod minimè dicendum est: ne eo casu liberalitatis suæ donator pœnam patiatur. itaque si qua res donetur: necesse non erit, in ea re promittere, quæ in rebus uenalibus ædiles repromitti iubẽt. fanè de dolo donator obligare se & debet & solet: ne quod benignè contulerit, fraudis consilio reuocet.

LXIII. IDEM lib. II. *ad edictum ædilium curulium.*

SCIENDVM est, ad uenditiones solas hoc edictum pertinere: non tantum mãcipiorum, K
uerum cæterarum quoque rerum. Cur autem de locationibus nil edicatur, mirum uidebatur: hæc tamen ratio redditur: uel quia nunquam istorum de hac re fuerat iurisdictio: uel quia non similiter locationes, ut uenditiones fiunt.

LXIIII. POMPONIVS lib. VII. ἐπιστολῶν.

LABEO scribit. si uno precio plures seruos emisti, & de uno agere uelis: æstimationẽ seruorum perinde fieri debere, atque fieret in æstimatione bonitatis agri, cum ob euictam partem fundi ageretur. Idem ait. si uno precio plures seruos uendidisti, sanosque esse promisisti, & pars dũtaxat eorũ minus sana sit: de omnibus aduersus dictũ promissum rectè agi. Ibidem ait. errare & fugere iumentũ posse: nec tamen erronem aut fugitiuũ esse, agi posse.

LXV. VENVLEIVS lib. V. *Actionum.*

ANIMI potius, quàm corporis uiciũ est, si ludos assiduè spectare uelit, aut tabulas pictas studiosè

A studiosè intueatur, siue etiam mendax sit, aut similibus uicijs teneatur. Quoties morbus sonticus nominatur, cum significari Cassius ait, qui noceat. nocere autem intelligi, qui perpetuus sit, non qui tempore finiatur. sed & morbum sonticum eum uideri: qui inciderit in hominem, postquam is natus sit. sontes etenim nocentes dicuntur. Seruus tam ueterator, quàm nouicius dici potest. sed ueteratorem non spacio seruiendi, sed genere & caussa æstimandum, Cælius ait. nam quicunque ex uenalicio nouiciorum emptus, alicui ministerio præpositus sit: statim cum ueteratorum numero esse. nouicium autem non tyrocinio animi, sed conditione seruitutis intelligi. nec ad rem pertinere, latinè sciat, nec'ne, loqui, nec ob id

B ueteratorem eum esse, si liberalibus studijs eruditus sit.

DE EVICTIONE, ET DVPLAE STIpulatione. TIT. II.

VLPIANVS lib. XXIII. *ad Sabinum.*

SIVE tota res euincatur, siue pars: habet regressum emptor ad uenditorem. sed cum pars euincitur, siquidem pro indiuiso: regressum habet pro quantitate euictæ partis. quod si certus locus sit euictus, non pro indiuiso portio fundi: pro bonitate loci erit regressus. quid enim, si quod fuit in agro preciosissimum, hoc

C euictum est, aut quod fuit in agro uilissimum? æstimabitur loci qualitas, & sic erit regressus.

II. PAVLVS lib. V. *ad Sabinum.*

SI DVPLA non repromittetur, & eo nomine agetur: dupli condemnandus erit reus.

III. IDEM lib. XV. *ad Sabinum.*

CVM in uenditione serui peculium semper exceptum esse intelligitur: is homo ex peculio summam quandam secum abstulerat. si propter hãc caussam furti cum emptore actum sit: non reuertetur emptor ad uenditorem ex stipulatione duplæ: quia furtis noxisque solutum esse, præstari debet uenditionis tempore: hic autem actio postea esse cœpit.

IIII. VLPIANVS lib. XXXII. *ad edictum.*

ILLVD quæritur, an is, qui mancipium uendidit, debeat fideiussorem ob euictionem dare, quem uulgo auctorem secundum uocant? & est relatum, non debere: nisi hoc nomina-

D tim est actum. Si impuberis nomine tutor uendiderit: euictione secuta, ait Papinianus libro tertio Responsorũ, dãri in eum, cuius tutela gesta sit, utilem actionem. Sed addit, in id demum, quod rationibus eius acceptò latum sit. Sed an in torum, si tutor soluendo non sit, uideamus. quod magis puto. Neque enim malè contrahitur cum tutoribus.

V. POMPONIVS lib. XXIII. *ad edictum.*

SERVI uenditor peculium accessurum dixit. si uicarius euictus sit, nihil uenditorem præstaturum, Labeo ait: quia siue non fuerat in peculio, non accessit: siue fuerat, iniuriam à iudice emptor passus est. aliter atque si nominatim seruum accedere dixisset. tunc enim præstare debere in peculio eum esse. VI. CAIVS lib. X. *ad edictum prouinciale.*

SI fundus uenierit, ex cõsuetudine eius regionis, in qua negociũ gestũ est, pro euictione

E caueri oportet. VII. IVLIANVS lib. XIIII. *Digestorum.*

QVI à pupillo substitutum ei seruum emerit: agere cum substituto ex empto, & ex stipulatu de euictione potest: cum neutram earum actionũ aduersus pupillum habere potuerit.

VIII. IDEM lib. XV. *Digestorum.*

VENDITOR hominis emptori præstare debet, quanti eius interest, hominem uenditoris fuisse. quarè siue partus ancillæ, siue hæreditas, quam seruus iussu emptoris adierat, euicta fuerit: agi ex empto potest. & sicut obligatus est uenditor, ut præstet habere licere hominem, quẽ uendidit: ita ea quoque, quæ per eum adquiri potuerũt, præstare debet emptori, ut habeat. IX. PAVLVS lib. XXXIII. *ad edictum.*

SI uẽdideris mihi seruũ Titij, deinde Titius hæredẽ me reliquerit: Sabinus ait, amissã actionẽ pro euictione: quoniã seruus non potest euinci. sed ad ex empto actionẽ decurrendum est. X. CELSVS lib. XXVIII. *Digestorum.*

Si quis per

X. CELSVS lib. XXVIII. Digestorum. F

SI QVIS per fundum, quem cum alio communem habebet, quasi solus eius dominus esset, ius eundi agendi mihi uendiderit, & cesserit: tenebitur mihi euictionis nomine, cæteris non cedentibus.

XI. PAVLVS lib. VI. Responsorum.

LVCIVS Titius in Germania trans Rhenum prædia emit, & partem precij intulit. cum in residuam quãtitatem hæres emptoris conueniretur: quæstionem retulit dicens, has possessiones ex præcepto principali partim distractas, partim ueteranis in præmia adsignatas. quæro, an huius rei periculum ad uenditorem pertinere possit? Paulus respondit, futuros casus euictionis post contractam euictionem ad uenditorem non pertinere. & ideo secundum ea, quæ proponerentur, precium prædiorum peti posse. Ex his uerbis stipulationis duplæ uel simplæ, EVM HOMINEM, QVO DE AGITVR, NOXA ESSE SOLVTVM: uenditorem conueniri non posse propter eas noxas, quæ publicè coërceri solent. G

XII. SCAEVOLA lib. II. Responsorum.

QVIDAM ex parte dimidia hæres institutus, uniuersa prædia uendidit, & cohæredes precium acceperunt. euictis his, quæro, an cohęredes ex empto actione teneantur? Respondit. si cohæredes præsentes adfuerunt, nec dissenserunt: uideri unumquenque partem suam uendidisse.

XIII. PAVLVS lib. V. ad Sabinum.

BONITATIS æstimationẽ faciendam, cum pars euincitur, Proculus rectè putabat, quæ fuisset uenditionis tempore, non cum euinceretur res. H

XIIII. VLPIANVS lib. XXXII. ad edictum.

NON IN dimidiam quantitatem precij.

XV. PAVLVS lib. V. ad Sabinum.

SED ET si quid postea alluuione accesserit: tempus, quo accedit, inspiciendum. Si usus fructus euincatur: pro bonitate fructuum æstimatio facienda est. sed & si seruus euincatur: quanto minoris ob id prædium est, lis æstimanda est.

XVI. POMPONIVS lib. XIX. ad Sabinum.

EVICTA re uendita, ex empto erit agendũ de eo, quod accessit: quemadmodum & quæ empto fundo nominatim accesserunt, si euicta sint, in simplum præstantur. Duplæ stipulatio committi dicitur tunc, cum res restituta est petitori, uel damnatus est in litis æstimationem, uel possessor ab emptore conuentus absolutus est. Si seruus, cuius nomine duplam stipulati sumus, euictus fuerit à nobis: an ob id, quod fugitiuus, uel non sanus fuit, agere nihilominus possimus, quæritur. Proculus uidendum ait, ne hic quoque intersit, utrum tunc euictus sit, cum meus factus non esset: an tum cum meus factus esset. in eo enim casu, quo meus factus esset, statim mea interesse, quanto ob id deterior sit: & quam actionem semel ex stipulatu habere cœperim, eã nec euictione, nec morte, nec manumissione, nec fuga seruí, nec ulla simili caussa amitti. at si in bonis meis factus nõ sit: nihil ob hoc, quod fugitiuus sit, pauperiorem esse: utputã cum in bonis meis non sit. Quod si sanum esse, erronem non esse, stipulatus essem: tantum mea interesse, quantum ad præsentem usum pertineret, tametsi id in obscuro esset: utpote ignorantibus nobis, quandiu eum habiturus essem: & an futurum esset, ut eum quisquam aut à me, aut ab eo, cui uendidissem cuiue similiter promisissem, euinceret. summã autem opinionis suæ hanc esse, ut tantũ ex ea stipulatione cõsequar, quanti mea interfuit: aut post stipulationem interfuerit, eum seruum fugitiuum non esse. I K

XVII. VLPIANVS lib. XXIX. ad Sabinum.

VINDICantem uenditorem, quod ipse uendidit: exceptione doli submoueri posse, nemini dubium est: quamuis alio iure dominiũ quæsierit. improbè enim rem à se distractam euincere conatur. eligere autem emptor potest, utrum rem uelit retinere, intentione per exceptionem elisa: an potius re ablata, ex caussa stipulationis duplum consequi.

XVIII. PAVLVS lib. V. ad Sabinum.

SED & si exceptio omissa sit, aut opposita ea, nihilominus euictus sit: ex duplæ quoque stipulatione

A ſtipulatione (uel ex empto) poteſt conueniri.

XIX. PAVLVS lib. XXIX. ad Sabinum.

SED & ſi nulla ſtipulatio fuit interpoſita, de ex empto actione idem dicemus. Si homo liber, qui bona fide ſeruierat, uenierit mihi à Titio: Titiusq́ eum heredem ſcripſerit quaſi liberum, & ipſe mihi ſui faciat controuerſiam: ipſum de ſe obligatum habebo.

XX. POMPONIVS lib. XIX. ad Sabinum.

FVNDVM meum obligaui. deinde alienaui tibi, ut eo nomine non obligareris. ſi eum à te poſtea emam, & ſatis pro euictione mihi des: excipiendum eſt à cautione, quod pro me
B obligatus ſit: quia etiam non excepto eo, agendo eo nomine contrà te, doli mali exceptione poſſim ſubmoueri.

XXI. VLPIANVS lib. XXIX. ad Sabinum.

SI SERVVS uenditus deceſſerit, antequam euincatur: ſtipulatio non committitur: quià nemo eum euincit, ſed fatum humanæ ſortis. de dolo tamen poterit agi, ſi dolus interceſſerit. Inde Iulianus libro quadrageſimotertio eleganter definit: duplæ ſtipulationem tunc committi, quoties res ita amittitur, ut eam emptori habere non liceat propter ipſam euictionem. & ideo ait. ſi emptor hominis, mota ſibi controuerſia, uenditorem dederit procuratorem, isq́ uictus litis æſtimationem ſuſtulerit: ſtipulationem duplæ non committi: quia
C nec mandati actionem procurator hic idemq́ uenditor habeat, ut ab emptore litis æſtimationem conſequatur. cum igitur neq́ corpus, neq́ pecunia emptori abſit: non oportet committi ſtipulationem. quamuis ſi ipſe accepto iudicio uictus eſſet, & litis æſtimationem, ſuſtuliſſet: placeat committi ſtipulationem, ut ipſe Iulianus eodem libro ſcripſit. neque enim habere licet eum, cuius precium (ſi quis non dediſſet) ab aduerſario auferretur. propriè enim hunc ex ſecunda emptione, id eſt ex litis æſtimatione habere licet, non ex priſtina. Idem Iulianus eodem libro ſcribit. ſi lite conteſtata fugerit homo culpa poſſeſſoris: damnandum quidem poſſeſſorem, ſed non ſtatim ad uenditorem eum regreſſurum, & ex duplæ ſtipulatione acturum: quia interim non propter euictionem, ſed propter fugam ei hominem habere non licet. Planè (inquit) cum adprehenderit poſſeſſionem fugitiui: tunc committi ſtipulationem. nam & ſi ſine culpa poſſeſſoris fugiſſet, deinde cautionibus interpoſitis abſolu-
D tus eſſet: non aliâs committetur ſtipulatio, quàm ſi adprehenſum hominem reſtituiſſet. ubi igitur litis æſtimationem obtulit: ſufficit adprehendere. ubi cauit: non prius, niſi reſtituerit.

XXII. POMPONIVS lib. I. ἐπιστολῶν.

SI PRO re pupilli, quam emit, litis æſtimationem tutor non ex pecunia pupilli, ſed ex ſuo præſtiterit: ſtipulatio de euictione pupillo aduerſus uenditorem committitur. Si pro euictione fundi, quem emit mulier, ſatis accepiſſet, & eundem fundum in dotem dediſſet: deinde aliquis eum à marito per iudicium abſtuliſſet: poteſt mulier ſtatim agere aduerſus fideiuſſorem euictionis nomine, quaſi minorem dotem habere cœpiſſet, uel nullam: ſi tantum maritus obtuliſſet, quanti fundus eſſet.

XXIII. VLPIANVS lib. XXIX. ad Sabinum.

E SED & ſi poſt mortē mulieris euincatur, regreſſus erit ad duplæ ſtipulationē: quia ex promiſſione maritus aduerſus heredes mulieris agere poteſt, & ipſi ex ſtipulatu agere poſſunt.

XXIIII. AFRICANVS lib. VI. Quæſtionum.

NON tamen ei conſequens eſſe ut ſi ipſi domino nuptura in dotem eum dederit, committi ſtipulationem dicamus: quamuis æquè indotata futura ſit mulier. quandoquidem et ſi uerum ſit, habere ei non licere ſeruum: illud tamen uerum non ſit, iudicio eum euictum eſſe. ex empto tamen contrà uenditorem mulier habet actionem.

XXV. VLPIANVS lib. X. ad Sabinum.

SI ſeruū, cuius nomine duplā ſtipulatus ſis, manumiſeris: nihil ex ſtipulatione conſequi poteris: quia non euincitur, quò minus habere tibi liceat, quem ipſe antè uoluntate tua perdideris.

XXVI. PAVLVS lib. X. ad Sabinum.

SED hoc nomine, quod libertū quis nō habeat: ex uēdito actionē habet, ſi ſcierit uēditor alienum ſe

alienum se uendere. Sed & si ex caussa fideicommissi emptor coactus fuerit eum manumittere, ex empto actionem habebit. F

XXVII. POMPONIVS lib. XI. ad Sabinum.

Hoc iure utimur, ut si exceptiones ex persona emptoris obiectæ obstãt: uenditor ei nõ teneatur. Si uero ad personã uẽditoris respiciant: contrà. certè nec ex empto, nec ex stipulatione duplę, nec simplę actio cõpetit emptori: si exceptio ex facto ipsius opposita obstiterit.

XXVIII. VLPIANVS lib. XXXII. ad edictum.

Sed si ex utriusque persona, & auctoris, & emptoris exceptiones obijciantur: interérit, propter quam exceptionem iudex contrà iudicauerit: & sic aut committetur, aut non committetur stipulatio. G

XXIX. POMPONIVS lib. XV. ad Sabinum.

Si rem, quam mihi alienam uendideras, à domino redemerim: falsum esse, quod Nerua respondisset, posse te à me precium consequi ex uendito agentem, quasi habere mihi rem liceret, Celsus filius aiebat: quia nec bonæ fidei cõueniret, & ego ex alia caussa rem haberem.

Si duplæ stipulator ex possessore petitor factus & uictus sit: quam rem, si possideret, retinere potuerit, petere autem utiliter non potuerit: uel ipso iure promissor duplæ tutus erit, uel certè doli mali exceptione se tueri poterit. sed ita, si culpa, uel sponte duplæ stipulatoris possessio amissa fuerit. Quolibet tempore uenditori denunciari potest, ut de ea re agenda adsit: quia non præfinitur certum tempus in ea stipulatione: dum tamẽ ne propè ipsam condemnationem id fiat. H

XXX. IDEM lib. X. ad Sabinum.

Si emptori, qui stipulatus sit FVRTIS NOXISQVE SOLVTVM ESSE, hæres exstiterit is, cui seruus furtum fecerat: incipit ex stipulatu is actionem habere, quemadmodum si ipse alij præstitisset.

XXXI. VLPIANVS lib. XLII. ad Sabinum.

Si ita quis stipulanti spondeat, sanum esse, furem non esse, uespillonem non esse, & cætera: inutilis stipulatio quibusdã uidetur: quia si quid est in hac caussa, impossibilè est, quod promittitur: si non est, frustra est. sed ego puto uerius hanc stipulationem, SANVM ESSE, FVREM NON ESSE, VESPILLONEM NON ESSE: utilem esse. hoc enim continet, quod intersit horum quid esse, uel horum quid non esse. sed si cui horum fuerit adiectum, PRAESTARI: multo magis ualere stipulationem. alioquin stipulatio, quæ ab ædilibus proponitur, inutilis erit. quod utiq; nemo sanus probabit. I

XXXII. IDEM lib. XLVI. ad Sabinum.

Qvia dicitur, quoties plures res in stipulationem deducuntur, plures esse stipulationes: an & in duplę stipulatione hoc idem sit, uideamus. putà cum quis stipulatur, FVGITIVVM NON ESSE, FVREM NON ESSE, ERRONEM NON ESSE, & cætera quoq;, quæ ex edicto ædilium curulium promittuntur: utrum una stipulatio sit, an plures. & ratio facit, ut plures sint. ergo & illud procedit, quod Iulianus libro uicesimo Digestorum scribit. egit (inquit) quãto minoris propter fugam serui. deinde agit propter morbum. id agendum est (inquit) ne lucrum faciat emptor, & bis eiusdem uicẽ æstimationem cõsequatur. fingamus emptum decem: minoris autem empturum fuisse duobus, si tantum fugitiuum esse sciisset emptor. hæc consecutum propter fugam, mox cõperisse, quod non esset sanus. similiter duobus minoris empturum fuisse, si de morbo non ignorasset. rursus consequi debebit duo. nam etsi de utroq; simul egisset, quatuor esset consecuturus: quia cum forte, qui neq; sanus, & fugitiuus esset, sex tantum esset empturus. secundum hoc sæpius ex stipulatu agi poterit. neque enim ex una stipulatione, sed ex pluribus agitur. K

XXXIII. IDEM lib. L. ad Sabinum.

Si servvm emero, & eundem uendidero, deinde emptori ob hoc fuero condemnatus: quia tradere non potui euictum, committitur duplæ stipulatio.

XXXIIII. POMPONIVS lib. XIX. ad Sabinum.

Si mancipium ita emeris, ne prostituatur, & cum prostitutum fuisset, ut libertum esset: si cõtra legem uenditionis faciente te ad libertatem peruenerit: tu uideris quasi manumisisse. & ideò nullum aduersus uenditorem habebis regressum. Si communi diuidundo mecum actum,

A cum actum,& aduersario seruus adiudicatus sit,quia probauit eum communem esse:habebo ex duplæ stipulatione actionem: quia non interest,quo genere iudicij euincatur, ut mihi habere non liceat. Duplæ stipulatio euictionem non unam cõtinet, si quis dominium rei petierit, & euicerit. sed & si Seruiana actione experiatur.

XXXV. PAVLVS lib.II. *ad edictum ædilium curulium.*

EVICTVS autem à creditore tũc uidetur,cum ferè spes habendi abscissa est. itaq; si Seruiana actione euictus sit,committitur quidem stipulatio:sed quoniam soluta à debitore pecunia,potest seruũ habere:si soluto pignore uẽditor cõueniatur,poterit uti doli exceptione.

XXXVI. IDEM lib.XXXIIII. *ad edictum.*

B NAVE aut domo empta, singula cæmenta uel tabulæ emptæ non intelliguntur: ideoq; nec euictionis nomine obligatur uenditor,quasi euicta parte.

XXXVII. VLPIANVS lib.XXXIII. *ad edictum.*

EMPTORI duplam promitti à uenditore oportet,nisi aliud conuenit:non tamen ut satisdetur (nisi si specialiter id actũ proponatur) sed ut repromittatur. Quod autem diximus, duplam promitti oportere,sic erit accipiendum:ut non ex omni re id accipiamus,sed de his rebus,quę preciosiores sunt:si forte margarita,aut ornamenta preciosa,uel uestis serica,uel quid aliud non cõtemptibile uenierit. Per edictũ autem curuliũ etiam de seruo cauere uenditor iubetur. Si simplam pro dupla per errorem emptor stipulatus sit:re euicta, cõsecuturum eum ex empto, Neratius ait, quanto minus stipulatus sit: si modo omnia fecit em-

C ptor,quę in stipulatione continentur.quod si non fecerit: ex empto id tamen cõsecuturum, ut ei promittatur,quod minus in superiorem stipulationem deductum est.

XXXVIII. IDEM lib.II. *Disputationum.*

IN CREDITORE, qui pignus uendidit, tractari potest, an re euicta uel ad hoc teneatur ex empto, ut quam habet aduersus debitorem actionem, eam præstet. (habet autem contrariam pignoraticiam actionem) & magis est,ut præstet.cui enim non æquum uidebitur,uel hoc saltem consequi emptorem,quod sine dispendio creditoris futurum est.

XXXIX. IVLIANVS lib.XIIII. *Digestorum.*

MINOR uiginti quinq; annis fundum uendidit Titio, & eum Titius Seio. minor se in ea uenditione circumscriptum dicit:& impetrat cognitionem,non tãtum aduersus Titium,

D sed etiam aduersus Seium. Seius postulabat apud prætorem, utilem sibi de euictione stipulationem in Titium dãri.ego eum dandam putarem,respondi,iustam rem Seius postulat. nam si ei fundus prætoria cognitione ablatus fuerit:ęquum erit,per eundem prætorem & euictionem restitui. Si seruus tuus emerit hominem,& eũdem uendiderit Titio,eiusq; nomine duplam promiserit,& tu à uenditore serui stipulatus fueris:si Titius seruum petierit, & ideo uictus sit, quod seruus tuus in tradendo sine uoluntate tua proprietatem hominis transferre nõ potuit: supererit Publiciana actio,& propter hoc duplæ stipulatio ei non committetur. quarè uenditor quoque tuus,agentem te ex stipulatu, poterit doli mali exceptione submouere.Sed si seruus hominem emerit,& duplã stipuletur:deinde eum uendiderit,& ab emptore euictus fuerit:domino quidem aduersus uenditorem in solidum compe-

E tit actio,emptori uero aduersus dominũ duntaxat de peculio. Denũciare uero de euictione emptor seruo,non domino debet.ita enim de euicto homine utiliter de peculio agere poterit.sin autem seruus decesserit: tunc domino denunciandũ est. Si à me bessem fundi emeris, à Titio trientem, deinde partem dimidiam fundi à te quis petierit: siquidem ex besse, quem à me acceperas,semis petitus fuerit:Titius non tenebitur.si uero triens,quem Titius tibi tradiderat,& sextans ex besse, quem à me acceperas, petitus fuerit: Titius quidem pro triente,ego pro sextante euictionem tibi præstabimus. Pater sciens filiũ suũ,quem in potestate habebat,ignoranti emptori uendidit.quæsitum est,an euictionis nomine teneatur. Respondi, qui liberum hominem sciens uel ignorans tanquam seruum uendit: euictionis nomine tenetur.quarè etiam pãter,si filium suum tanquam seruum uendiderit, euictionis nomine obligatur. Qui statuliberum tradit: nisi dixerit eum statuliberum esse, euictionis nomine

ctionis nomine perpetuo obligatur. Qui seruum uenditum tradit, & dicit usumfructum Seij in eo esse, cum ad Sempronium pertineat: Sempronio usumfructum petente, perinde tenetur, ac si in tradendo dixisset, usufructus nomine aduersus Seium non teneri. At si rè uera Seij usufructus fuit, legatus autem ita, ut cum ad Seium pertinere desisset, Sempronij esset: Sempronio usumfructum petente, tenebitur: Seio agente, rectè defugiet. F

XL. IDEM lib. XV. Digestorum.

SI IS, QVI sátis à me de euictione accepit, fundum à me hærede legauerit: confestim fideiussores liberabuntur: quia etiam si euictus fuerit ab eo, cui legatus fuerat, nulla aduersus fideiussores actio est.

XLI. PAVLVS lib. II. ad edictum ædilium curulium. G

SI EI, cui uendidi, & duplam promisi (cum ipse eadem stipulatione mihi cauisset) hæres exstiterim: euicto homine, nulla ex parte stipulatio committitur. neque enim mihi euinci uidetur, cum uendiderim eum: neque ei, cui me promissorem præstiti, quoniam parum commodè dicar ipse mihi duplam præstare debere. Item si domino serui hæres exstiterit emptor: quoniam euinci ei non potest, nec ipse sibi uidetur euincere: non committitur duplæ stipulatio. his igitur casibus ex empto agendum erit. Si is, qui fundum emerit, & sátis de euictione acceperit, eundem fundum uendiderit, & emptori suo hæres exstiterit: uel ex contrario, emptor uenditori hæres exstiterit: an euicto fundo, cum fideiussoribus agere possit, quæritur? existimo autem utroque casu fideiussores teneri: quoniam & cum debitor creditori suo hæres exstitit, actio quædam inter hæredem & hæreditatem proponitur: & intelligitur maior hæreditas ad debitorem peruenire, quasi soluta pecunia, quam debebat hæreditati: & per hoc minus in bonis hęredis esse. & ex contrario, cum creditor debitori suo hæres exstitit: minus in hæreditate habere uidetur, tanquam ipsa hæreditas hæredi soluerit. Siue ergo is, qui de euictione sátis acceperat, emptori, cui ipse uendiderat: siue emptor uenditori suo hæres exstiterit: fideiussores tenebuntur. & si ad eundem uenditoris & emptoris hæreditas recciderit: agi cum fideiussoribus poterit. H

XLII. IDEM lib. XXXIIII. ad edictum.

SI PRægnans ancilla tradita & uendita sit: euicto partu, uenditor de euictione conueniri non potest: quia partus non est uenditus.

XLIII. IVLIANVS lib. II. Digestorum. I

VACCAE emptor si uitulus, qui post emptionem natus est, euincatur: agere ex duplæ stipulatione non potest: quia nec ipsa, nec usufructus euincitur. nam quod dicimus, uitulum fructum esse uaccæ: non ius, sed corpus demonstramus. sic & prædiorũ frumenta & uinum fructum rectè dicimus: cum constet, eadem hæc non rectè usumfructum appellari.

XLIIII. ALFENVS lib. II. Digestorum.

SCAPHAM non uideri nauis esse respondit, nec quidquam coniunctum habere. nam scapham ipsam per se paruam nauiculam esse: omnia autem, quæ cõiuncta naui essent, (ueluti gubernacula, malus, antennæ, uelum) quasi membra nauis esse.

XLV. IDEM lib. III. Digestorum.

QVI fundum tradiderat iugerum centum, fines multo ampliores emptori demonstrauerat. si quid ex ijs finibus euinceretur, pro bonitate eius emptori præstandum ait: quamuis id, quod relinqueretur, centum iugera haberet. K

XLVI. AFRICANVS lib. VII. Quæstionum.

FVNDVM cuius usufructus Attij erat, mihi uendidisti, nec dixisti usumfructum Attij esse. hunc ego Mæuio, detracto usufructu, tradidi. Attio capite minuto, non ad me, sed ad proprietatẽ usumfructũ redire ait. neque enim potuisse cõstitui usumfructũ eo tempore, quo alienus esset. sed me posse te uenditorem de euictione conuenire: quia æquum sit, eandem caussam meam esse, quæ futura esset, si tunc usufructus alienus non fuisset. Si per alienum fundum mihi uiam constitueris: euictionis nomine te obligari ait. etenim quo casu si per proprium constituentis fundum concessa esset uia, rectè constitueretur: eo casu si per alienum conce-

A alienum cõcederetur, euictionis obligationem contrahi. Cum tibi Stichum uenderem, dixi eum statuliberum esse, sub hac conditione manumissum, SI NAVIS EX ASIA VENERIT: is autem, SI TITIVS CONSVL FACTVS FVERIT, manumissus erat. quærebatur, si prius nauis ex Asia uenerit, ac post Titius cõsul fiat, atque ita in libertatem euictus sit: an euictionis nomine teneatur? Respondit, non teneri eum. etenim dolo malo emptorem facere: cum prius exstiterit ea conditio, quam euictionis nomine exsoluerit. Item si post annum liberum fore dixi, qui post biennium libertatem acceperat, & post biennium in libertatem euincatur, uel decem dare iussum, dixerim quinque, & is decem datis ad libertatem peruenerit, magis esse, ut his quoque casibus non teneatur.

B XLVII. IDEM lib. VI. *Quæstionum.*

SI DVOS seruos quinis à te emam, & eorum alter euincatur: nihil dubij fore, quin rectè eo nomine ex empto acturus sim: quamuis alter decem dignus sit. nec referre, separatim singulos, an simul utrunque emerim.

XLVIII. NERATIVS lib. II. *Membranarum.*

CVM fundus VTI OPTIMVS MAXIMVS'QVE emptus est, & alicui seruitutis euictæ nomine aliquid emptor à uenditore consecutus est, deinde totus fundus euincitur: ob eam euictionem id præstare debet, quod ex duplo reliquum est. Nam si aliud obseruauerimus: seruitutibus aliquibus, mox & proprietate euicta, duplo amplius emptor, quàm emit, consequetur.

XLIX. CAIVS lib. VII. *ad edictum prouinciale.*

C SI AB emptore ususfructus petatur: perinde is uenditori denunciare debet, atque is, à quo pars petitur.

L. VLPIANVS lib. XXV. *ad edictum.*

SI PIGNORA ueneant per apparitores prætoris extra ordinem sententiam exsequentes: nemo unquam dixit dandam in eos actionem re euicta. sed si dolo rem uiliore precio prodiecerint: tunc de dolo actio datur aduersus eos domino rei.

LI. IDEM lib. LXXX. *ad edictum.*

SI PER imprudentiam iudicis aut errorem emptor rei uictus est: negamus auctoris damnum esse debere. aut quid refert, sordibus iudicis, an stulticia res perierit? iniuria enim, quæ emptori fit auctorem non debet contingere. Si Titius Stichum post mortem suam liberum esse iussum, uendiderit: mortuo deinde eo Stichus ad libertatem peruenerit: an

D stipulatio de euictione interposita teneat? & ait Iulianus, committi stipulationem. quamuis enim Titio hoc casu denunciari pro euictione non potuisset: hæredi tamen eius denunciari potuisse. Si quis locum uendiderit, & idem uenditor ab hærede suo uoluntate emptoris in eo sepultus fuerit: actio de euictione intercidit. hoc enim casu emptor proprietatem amittit. Non mirũ autem est, ut euicto homine, de euictione teneatur hæres, quamuis defunctus non similiter fuerit obstrictus: cum & alijs quibusdam casibus plenior aduersus hæredem uel hæredi competat obligatio, quàm competierat defuncto. ut cum seruus post mortem emptoris hæres institutus est, iussuque hæredis emptoris adijt hæreditatem. nam actione ex empto præstare debet hæreditatem: quamuis defuncto in hoc tantum fuit utilis ex empto actio, ut seruus traderetur. Si plures mihi in solidum pro euictione tene-

E antur, deinde post euictionẽ cum uno fuero expertus: si agam cum cæteris, exceptione me esse repellendum. Labeo ait.

LII. IDEM lib. LXX. *ad edictum.*

SCIENDVM est, nihil interesse, ex qua caussa duplæ stipulatio fuerit interposita: utrum ex caussa emptionis, an ex alia, ut committi possit.

LIII. PAVLVS lib. XXV. *ad edictum.*

SI FVNDO TRADITO pars euincatur, si singula iugera uænierint certo precio: tunc non pro bonitate, sed quanti singula uænierint, quæ euicta fuerunt, præstandum: etiam si ea, quæ meliora fuerunt, euicta sint. Si cum possit emptor auctori denunciare, non denunciasset: ideóque uictus fuisset, quoniam parum instructus esset: hoc ipso uidetur dolo fecisse, & ex stipulatu agere non potest.

LIIII. CAIVS lib. XXIX. *ad edictum prouinciale.*

QVI ALienam rem uendidit: post longi temporis præscriptionem uel usucapionem, definit emptori de euictione teneri. Si hæres statuliberum, qui sub conditione pecuniæ dandæ liber esse iussus est, uendiderit: & maiorem pecuniam in conditione esse dixerit, quàm dare ei iussus est: ex empto tenetur: si modo talis est conditio, ut ad emptorem transiret, id est, si hæredi dare iussus est seruus. nam si alij dare iussus est: quamuis ueram pecuniæ quantitatem dixerit: tamen si non admonuerit alij dare iussum, euictionis nomine tenebitur.

LV. VLPIANVS lib. II. ad edictum ædilium curulium.

SI IDEO cōtra emptorem iudicatum est, quod defuerit: non committitur stipulatio. magis enim propter absentiam euictus uidetur, quàm quod malam caussam habuerit. Quid ergo si ille quidem, contra quem iudicatum est, ad iudicium non adfuit: alius autem adfuit, & caussam egit? quid dicemus? utputa acceptum quidem cum pupillo tutore authore fuit iudiciū: sed absente pupillo tutor caussam egit, & iudicatum est contra tutorem. quare non dicemus committi stipulationem? etenim actam esse caussam palàm est: & satis est ab eo, cui ius agendi fuit, caussam esse actam. Præsenti autem uenditori denunciandū est. siue autem absit, siue præsens sit, & per eum fiat, quò minus denuncietur: cōmittetur stipulatio. G

LVI. PAVLVS lib. II. ad edictum ædilium curulium.

SI DICTVM fuerit in uendendo, ut simpla promittatur, uel triplum, aut quadruplum: ex empto perpetua actione agi poterit. non tamen (ut uulgus opinatur) etiam satisdare debet, qui duplam promittit: sed sufficit nuda repromissio, nisi aliud conuenerit. Si compromissero, & cōtrà me data fuerit sententia: nulla mihi de euictione actio danda est aduersus uenditorem. nulla enim necessitate cogente id feci. In stipulatione duplæ, cum homo uenditur, partis adiectio necessaria est: quia non potest uideri homo euictus, cum pars eius euicta est. Si cum posset usucapere emptor, non ceperit: culpa sua hoc fecisse uidetur. unde si euictus est seruus, non tenetur uenditor. Si præsente promissore, qui de euictione promisit, & non ignorante, procuratori denunciatum sit: nihilominus promissor tenetur. Simili modo tenetur & qui curauit, ne sibi denūciari posset. sed & si nihil uenditore faciente, emptor cognoscere, ubi esset, non potuit: nihilominus committitur stipulatio. Pupillo etiam sine tutoris authoritate posse denunciari (si tutor non appareat) ex duplæ stipulatione, benignius receptum esse, Trebatius ait. H I

LVII. CAIVS lib. II. ad edictum ædilium curulium.

HABERE licere rem uidetur emptori, & si is, qui emptorē in euictione rei uicerit, ante ablatam uel abductam rem sine successore decesserit: ita ut neque ad fiscum bona peruenire possint, neq; priuatim à creditoribus distrahi. tunc enim nulla competit emptori ex stipulatu actio: quia rem ei habere licet. Quod cum ita est: uideamus, num & si ab eo, qui uicerit, donata legatáue res fuerit emptori, æquè dicendum sit, ex stipulatu actionem non nasci: scilicet si antè, quàm abduceret uel auferret, donauerit aut legauerit. Alioquin semel cōmissa stipulatio resolui non potest. LVIII. IABOLENVS lib. I. ἐπιστολῶν.

HAERES SERUUM non nominatim legatum tradidit, & de dolo repromisit. postea seruus euictus est. agere cum hærede legatarius ex testamento poterit, quamuis hæres alienum esse seruum ignorauerit. LIX. POMPONIVS lib. XV. ad Sabinum. K

SI RES, quam à Titio emi, legata sit à me: non potest legatarius, conuentus à domino rei, uenditori meo denūciare: nisi cessæ ei fuerint actiones, uel quodā casu hypothecas habeat.

LX. IABOLENVS lib. II. ex Plautio.

SI IN VENDItione dictū non sit, quantū uenditorē pro euictione præstare oporteat: nihil uēditor præstabit, præter simplam, euictionis nomine: & ex natura ex empto actionis, hoc quod interest. LXI. IVLIANVS lib. VII. Digestorum.

SI quod à te emi, & Titio uēdidi, uolūtate mea tradideris: de euictione te mihi teneri, sicuti si acceptā rē tradidissem, placet. LXII. CELSVS lib. XXVII. Digestorum.

SI REM, quæ apud te esset, uēdidissem tibi: quia pro tradita habetur, euictionis nomine me obligari placet. Si ei, qui uendidit, plures hæredes exstiterūt: una de euictione obligatio est,

A tio est, omnibúsque denunciari, & omnes defendere debent. si de industria non uenerint in iudicium, unus tamen ex his litem sustineat: propter denunciationis uigorem, & prædictam absentiam; omnibus uincit, aut uincitur: recteq; cum cæteris agam, quod euictionis nomine uicti sunt. Si fundum, in quo usufructus Titio relictus erat, quoad uiueret, detracto usufructu ignoráti mihi uendideris, DONEC TITIVS CAPITE DEMINVTVS FVERIT, & aget Titius ius sibi esse utendi fruendi: cópetit mihi aduersus te ex stipulatione de euictione actio. Quippè si uerum fuisset, quod mihi dixeras in uenditione: rectè negarem Titio, ius esse utendi fruendi. LXIII. MODESTINVS lib.V. *Responsorum.*

B HERENNIVS Modestinus respondit. non obesse ex empto agenti, quod denunciatio pro euictione interposita non esset: si pacto ei remissa esset denunciandi necessitas. Caia Seia fundum à Lucio Titio emerat, & quæstione mota fisci nomine auctorem laudauerat: & euictione secuta fundus ablatus, & fisco adiudicatus est uenditore præsente. quæritur, cum emptrix non prouocauerit, an uenditorem possit cóuenire? HERENNIVS MODESTINVS RESPONDIT. siue quod alienus fuerit, cum uéniret, siue quod tunc obligatus euictus est: nihil proponi, cur emptrici aduersus uenditorem actio non competat. HERENNIVS MODESTINVS RESPONDIT. si emptor appellauit, & bonam caussam uicio suo ex præscriptione perdidit: ad auctorem reuerti non potest.

C LXIIII. PAPINIANVS lib.VII. *Quæstionum.*

Ex mille iugeribus traditis, ducenta flumen abstulerat. si postea pro indiuiso ducenta euincátur: duplæ stipulatio pro parte quinta, non quarta præstabitur. nam quod perijt, damnum emptori, non uenditori attulit. Si totus fundus, quem flumen deminuerat, euictus sit: iure non deminuetur euictionis obligatio: nó magis, quàm si incuria fundus, aut seruus traditus deterior factus sit. nam et ex contrario non augetur quantitas euictionis, si res melior fuerit effecta. Quod si modo terræ intégro, qui fuerat traditus, ducenta iugera per alluuionem accesserint, ac postea pro indiuiso pars quinta totius euicta sit: perinde pars quinta præstabitur, ac si sola ducenta de illis mille iugeribus, quæ tradita sunt, fuissent euicta: quia alluuionis periculum non præstat uenditor. Quæsitum est. si mille iugeribus traditis, perissent ducenta: mox alluuio per aliam partem fundi ducenta attulisset, & postea pro indiuiso

D quinta pars euicta esset: pro qua parte auctor teneretur? dixi, cósequens esse superioribus, ut neque pars quinta mille iugerum, neq; quarta debeatur euictionis nomine: sed perinde teneatur auctor, ac si de octingétis illis residuis sola centum sexaginta fuissent euicta. nam reliqua quadraginta, quæ de uniuerso fundo decesserunt, pro rata nouæ regionis esse intelligi. Cæterum cum pro diuiso pars aliqua fundi euincitur: tametsi certus numerus iugerum traditus sit, tamen non pro modo, sed bonitate regionis præstatur euictio. Qui unum iugerú cómune pro indiuiso solú habuit, & tradidit: secundum omniú sententias, non totú dominiú tradidit, sed partem dimidiam iugeri: quemadmodú si certú locú, aut fundum similiter tradidisset. LXV. IDEM lib.VIII. *Quæstionum.*

REM hæreditariam pignori obligatam hæredes uédiderunt, & euictionis nomine pro

E partibus hæreditarijs spoponderunt: & cum alter pignus pro parte sua liberasset, rem creditor euicit. quærebatur, an uterq; hæredum conueniri possit? idq; placebat propter indiuisam pignoris caussam. nec remedio locus esse uidebatur, ut per doli exceptionem actiones ei, qui pecuniam creditori dedisset, præstarétur: quia non duo rei facti proponerentur. sed familiæ erciscundæ iudicium eo nomine utile est. nam quid interest, unus ex hæredibus in totum liberauit pignus, an uero pro sua duntaxat portione: cum cohæredis negligentia damnosa non debet esse alteri.

LXVI. IDEM lib.XXVIII. *Quæstionum.*

SI CVM uenditor admonuisset emptorem, ut Publiciana, uel potius ea actione, quæ de fundo uectigali proposita esset, experiretur, emptor id facere supersedit: omnimodo nocebit ei dolus suus; nec committetur stipulatio. Non idem in Seruiana quoq; actione probari potest. hæc enim, etsi in rem actio est, nudá tamen possessioné auocat, & soluta pecunia

dd , uenditori

uenditori dissoluitur. unde fit, ut emptori suo nomine non competat. Si is, qui reipublicæ caussa abfuit, fundū petat: utilis possessori pro euictione competit actio. Item si priuatus à milite petat: eadē æquitas est emptori restituendæ pro euictione actionis. Si secundus emptor uenditorem eundemq; emptorem ad litem hominis dēderit procuratorem, & non restituto eo, damnatio fuerit secuta: quodcunq; ex caussa iudicati præstiterit procurator, ut in rem suam dātus, ex stipulatu consequi non poterit: sed quia damnum euictionis ad personam pertinuit emptoris, qui mandati iudicio nihil percepturus est: non inutiliter ad percipiendam litis æstimationem agetur ex uendito. Diuisione inter cohæredes facta, si procurator absentis interfuit, & dominus ratam habuit: euictis prædijs, in dominum actio dābitur, quę dāretur in eum, qui negocium absentis gessit: ut quanti sua interest, actor consequatur: scilicet ut melioris aut deterioris agri facti caussa finem precij, quo fuerat tempore diuisionis æstimatus, deminuat uel excedat. F G

LXVII. IDEM lib. X. *Responsorum.*

EMPTORI post euictionem serui, quem dominus abduxit, uenditor eundem seruum post tempus offerendo, quò minus præstet, quod emptoris interest, non rectè defenditur.

LXVIII. IDEM lib. XI. *Responsorum.*

CVM EA cōditione pignus distrahitur, ne quid euictione secuta creditor pręstet: quamuis precium emptor non soluerit, sed uenditori cauerit: euictione secuta, nullam emptor exceptionem habebit, quò minus precium soluat. Creditor, qui pro pecunia nomen debitoris per delegationem sequi maluit: euictis pignoribus, quę prior creditor accepit, nullam actionem cum eo, qui liberatus est, habebit. H

LXIX. SCAEVOLA lib. II. *Quæstionum.*

QVI LIBERTATIS caussam excepit in uenditione: siue iam tunc, cum traderetur, liber homo fuerit: siue conditione, quæ in testamento proposita fuit, impleta ad libertatem peruenerit: non tenebitur euictionis nomine. Qui autem in tradendo statuliberum dicit: intelligitur hanc speciem duntaxat libertatis excipere, quæ ex testamento impleta conditione ex præterito possit obtingere. & ideo si præsens testamento libertas dāta fuerit, & uenditor statuliberum pronunciauerit: euictionis nomine tenetur. rursus qui statuliberum tradit, si certam conditionem pronunciauerit, sub qua dicit ei libertatem dātam: deteriorem conditionem suam fecisse existimabitur: quia non omnem caussam statulibertatis, sed eam duntaxat, quam pronunciauit, excepisse uidetur. ueluti si hominem dixerit decem dāre iussum, isq; post annum ad libertatem peruenerit, quia hoc modo libertas dāta fuerat, STICHVS POST ANNVM LIBER ESTO: euictionis obligatione tenebitur. Quid ergo si iussum decem dāre pronunciat uiginti dāre debere: non ne mentitur in conditione? uerum est, hunc quoque in conditione mentiri. & ideò quidam existimauerunt, hoc quoque casu euictionis stipulationem contrahi. sed authoritas Seruij præualuit, existimantis hoc casu ex empto actionem esse: uidelicet quia putabat eum, qui pronunciasset seruum uiginti dāre iussum, conditionem excepisse, quæ esset in dando. Seruus rationibus redditis liber esse iussus est. hunc hæres tradidit, & dixit, centum dāre iussum. si nulla reliqua sunt, quæ seruus dāre debeat, & per hoc adita hæreditate liber factus est: obligatio euictionis contrahitur, eo quod liber homo tanquam statuliber traditur. Si centum in reliquis habet, potest hæres uideri non esse mentitus: quoniam rationes reddere iussus, intellgitur summam pecuniæ, quæ ex reliquis colligitur, iussus dāre. cui consequens est, ut si minus, quàm centum in reliquis habuerit (ueluti sola quinquaginta) & cum eam pecuniam dēderit, ad libertatem peruenerit: de reliquis quinquaginta actio ex empto competat. Sed & si quis in uenditione statuliberum perfusoriè dixerit, conditionem autem libertatis cælauerit: empti iudicio tenebitur, si id nescierit emptor. hic enim exprimitur eum, qui dixit statuliberū, & nullā conditionem pronunciauerit: euictionis quidem nomine non teneri, si conditione impleta seruus ad libertatē peruenerit: sed empti iudicio teneri, si modo conditionē, quam sciebat propositam esse, cælauit. I K

A eſſe, cælauit. ſic & qui fundum tradiderit, & cum ſciat certam ſeruitutem deberi, perfuſo/
riè dixerit, ITINERA, ACTVS, QVIBVS SVNT, VT ITA SINT: rectè reci/
pit, & euictionis quidem nomine ſe liberat: ſed quia decepit emptorem, empti iudicio te/
netur. In fundo uendito cum modus pronunciatus deeſt: ſumitur portio ex precio, quod
totum colligendum eſt ex omnibus iugeribus dictis.

LXX. PAVLVS *lib. V. Quæſtionum.*

EVICTA re, ex empto actio non ad precium duntaxat recipiendum, ſed ad id, quod in/
tereſt competit. ergo & ſi minoris eſſe cœpit, damnum emptoris erit.

B LXXI. IDEM *lib. XVI. Quæſtionum.*

PATER filiæ nomine fundum in dōtem dĕdit. euicto eo, an ex empto actio, uel dupla
ſtipulatio committatur, quaſi pater damnum patiatur, non immeritò dubitatur. non enim
ſicut mulieris dos eſt, ita pătris eſſe dici poteſt: nec cōferre frătribus cogitur dōtem à ſe pro/
fectam, manente matrimonio. ſed uideamus, ne probabilius dicatur, committi hoc quoq;
caſu ſtipulationem. intereſt enim pătris filiam dotatam habere, & ſpem quădoq; recipien/
dæ dōtis: utiq; ſi in poteſtate ſit. quod ſi emancipata eſt: uix poterit defendi, ſtatim comitti
ſtipulationem: cum uno tantum caſu dos ad eum regredi poſſit. nunquid ergo tunc demū
agere poſſit, cum mortua in matrimonio filia potuit dōtem repetere, ſi euictus fundus non
C eſſet? an & hoc caſu intereſt pătris dōtatam filiam habere, ut ſtatim conuenire promiſſo/
rem poſſit? quod magis paterna affectio inducit.

LXXII. CALLISTRATVS *lib. II. Quæſtionum*

CVM plures fundi ſpecialiter & nominatim, uno inſtrumento emptionis interpoſito,
uĕnierint: nō utiq; alter alterius fundi pars eſſe uidetur, ſed multi fundi una emptione con/
tinentur. & quemadmodum ſi quis complura mancipia, uno inſtrumento emptionis inter/
poſito, uendiderit: euictionis actio in ſingula capita mancipiorum ſpectatur. & ſicuti ſi alia/
rum quoq; rerum cōplurium una emptio facta ſit: inſtrumĕtum quidem emptionis inter/
poſitum unum eſt, euictionum autem tot actiones, quot & ſpecies rerum emptione com/
prehenſæ ſunt. ita & in propoſito: non utiq; prohibebitur emptor, euicto ex his uno fun/
do, uenditorem conuenire: quod una cautione emptionis cōplures fundos mercatus com/
D prehenderit. LXXIII. PAVLVS *lib. VII. Reſponſorum.*

SEIA fundos Mæuianum & Seianum, & cęteros dōti dĕdit. eos fundos uir Titius uiua
Seia ſine controuerſia poſſedit. poſt mortem deinde Seiæ Sempronia hæres Seiæ quæ/
ſtionē pro prædij proprietate facere inſtituit. quæro, cum Sempronia ipſa ſit hæres Seiæ,
an iure controuerſiam facere poſſit? Paulus reſpondit. iure quidem proprio, non hæredi/
tario Semproniam, quæ Seiæ (de qua quæritur) hæres exſtitiſſet, controuerſiam fundo/
rum facere poſſe: ſed euictis prædijs, eandem Semproniam hæredem Seiæ conueniri
poſſe, uel exceptione doli mali ſubmoueri.

LXXIIII. HERMOGENIANVS *lib. II. iuris ἐπιτομῶν.*

SI plus uel minus, quàm precij nomine dătū eſt, euictione ſecuta dări cōuenerit: placi/
E tum cuſtodiendum eſt. Et ſi iuſſu iudicis rei iudicatæ pignus captum per officium diſtra/
hatur, poſt euincatur: ex empto contra eum, qui precio liberatus eſt, non quanti intereſt,
ſed de precio duntaxat, eiuſq; uſuris, habita ratione fructuum, dăbitur: ſcilicet ſi hos ei,
qui euicit, reſtituere non habebat neceſſe. Mota quæſtione, interim non ad precium re/
ſtituendum, ſed ad rem defendendam, uenditor conueniri poteſt. Qui nomen, quale
fuit, uendidit: duntaxat ut ſit, non ut exigi etiam aliquid poſſit, ſed & dolū pręſtare cogitur.

LXXV. VENVLEIVS *lib. XVI. Stipulationum.*

QVOD ad ſeruitutes prædiorum attinet: ſi tacitè ſecutæ ſunt, & uindicentur ab alio:
Q. Mutius & Sabinus exiſtimant, uenditorem ob euictionem teneri nō poſſe. Nec enim
euictionis nomine quenquā teneri in eo iure, quod tacitè ſoleat accedere: niſi VTI OPTI/
MVS MAXIMVSQVE ESSET, traditus fuerit fundus. tunc enim liberum ab omni
ſeruitute præſtandum. ſi uero emptor petat uiam, uel actum: uenditorē teneri non poſſe,

nisi nominatim dixerit, accessurum iter uel actum. tunc enim teneri eum, qui ita dixerit. & uera est Quinti Mutij sententia: ut qui OPTIMVM MAXIMVMQVE fundum tradidit, liberum præstet: non etiam deberi aliâs seruitutem, nisi hoc specialiter ab eo expressum sit.

LXXVI. IDEM lib. XVII. Stipulationum.

SI alienam rem mihi tradideris, & eandem pro derelicto habuero: amitti auctoritatem (id est, actionem pro euictione) placet.

DE EXCEPTIONE REI VENditæ. TIT. III.

VLPIANVS lib. LXXVII. ad edictum.



ARCELLVS scribit. si alienum fundum uendideris, & tuum postea factum petas: hac re exceptione rectè repellendum. sed & si dominus fundi hæres uenditori existat: idem erit dicendum. Si quis rem meam mandatu meo uendidit: uindicanti mihi rem uenditam, nocebit hæc exceptio: nisi probetur me mandasse, ne traderetur, ante quàm precium soluatur. Celsus ait. si quis rem meam uendiderit minoris, quàm ei mandaui, nō uidetur alienara: & si petam eam, non obstabit mihi hęc exceptio. quod uerum est. Si seruus merces peculiariter emerit, deinde dominus eum prius, quàm proprietatem rerū nancisceretur, testamento liberum esse iusserit, eiq; peculiū prelegauerit, & uenditor à seruo merces petere cœperit: exceptio in factum locum habebit: quia is tunc seruus fuisset, cum contraxisset. Si quis rem emerit, non autem fuerit ei tradita, sed possessionem sine uicio fuerit nactus: habet exceptionem contra uenditorem: nisi forte uenditor iustam caussam habeat, ut rem uindicet. nam & si tradiderit possessionem, fuerit autem ei iusta caussa uindicandi: replicatione aduersus exceptionem utetur. H

II. POMPONIVS lib. II. ἐπιστολῶν.

SI A Titio fundum emeris, qui Semproni*j* erat, isq; traditus tibi fuerit: precio autem soluto, Titius Sempronio hæres exstiterit, & eundem fundum Mæuio uendiderit, & tradiderit: Iulianus ait, æquius esse, priorem te tueri: quia & si ipse Titius fundum à te peteret, exceptione submoueretur: & si ipse Titius eum possideret, Publiciana peteres.

III. HERMOGENIANVS lib. VI. iuris ἐπιτομῶν. I

EXCEPTIO rei uenditæ & traditæ non tantum ei, cui res tradita est, sed & successoribus eius, & emptori secundo (& si res ei non fuerit tradita) proderit. interest enim emptoris primi, secundo rem nō euinci. pari ratione uenditoris etiam successoribus nocebit: siue in uniuersum ius, siue in eam duntaxat rem successerint.

DIGESTORVM SEV PANDECTARVM LIBER XXII.

DE VSVRIS ET FRVCTIBVS, ET CAVSSIS, & omnibus accessionibus, & mora. TIT. I. K

PAPINIANVS lib. III. Responsorum.



VM iudicio bonę fidei disceptatur, arbitrio iudicis usurarum modus ex more regionis, ubi contractū est, constituitur. ita tamē, ut lege nō offendat. Socius si ideo cōdemnandus erit, quod pecuniā cōmunem inuaserit, uel in suos usus cōuerterit: omnimodo, etiam mora non interueniente, præstabuntur usuræ. Nec tamen iudex iudici*j* bonę fidei rectè iubebit interponi cautiones: ut si tardius sententiæ condemnatus paruerit, futuri temporis pendantur usuræ: cum in potestate sit actoris iudicatum exigere. PAVLVS NOTAT. quid enim pertinet ad officium iudicis post condemnationem

A tionem futuri temporis tractatus. PAPINIANVS. circa tutelæ restitutionē pro fauore pupillorū latior interpretatio facta est. nemo enim ambigit hodie: siue iudex accipiatur, in diē sententiæ: siue sine iudice tutela restituatur, in eum diem, quo restituit: usuras præstari. planè si tutelæ iudicio nolentem experiri, tutor ultro conuenerit, & pecuniā obtulerit, eamq; obsignatam deposuerit: ex eo tempore non præstabit usuras.

II. IDEM lib. VI. Quæstionum.

VVLGO receptum est, ut quamuis in personam actum sit, post litē tamen contestatam caussa præstetur. cuius opinionis ratio redditur: quoniam quale quidq; est, cum petitur, ta/
B le dari debet: ac propterea post ea captos fructus, partumq; ēditum restitui oportet.

III. IDEM lib. XX. Quæstionum.

IN fideicōmissi persecutione, cum post iudicis sententiam morā fecisset hæres, iussit Imperator Marcus Antoninus (intermisso legitimo tempore, quod condemnatis præstatur) ut usq; ad sententiam cōmoda fideicommissarius accipiat. Quod decretum ita accipi oportet, si ante iudicis sententiam mora non interuenit. tam & si non facilè euenire possit, ut mora non præcedente, perueniatur ad iudicem. sed putā falcidiæ legis rationem interueniisse. cæterum si antequàm ad iudicem perueniretur, in mora hæres fuit: exinde fructuum præstandorum necessitate adstrictus est: quia qua tandem ratione, cum ex sententia uictus est.
C legitimi tēporis spacio fructibus liberabitur hic: cum ea temporis intercapedo iudicato dilationē dare, nō lucrū adferre debeat. In his quidē iudicijs, quæ non sunt arbitraria, nec bonæ fidei post litē contestatam actori caussa præstanda est in eum diem, quo sententia dicitur. Certè post rem iudicatam tempus à fructibus dependendis immune est. Nonnunquam euenit, ut quanquam fructus hæreditatis aut pecuniæ usura nominatim relicta non sit, nihilominus debeatur: utputā si quis rogetur post mortem suam, quidquid ex bonis superit, Titio restituere, ut enim ea, quæ bona fide deminuta sunt, in fideicommissi caussa non cōprehenduntur, si pro modo cæterorum quoq; bonorum deminuantur: ita quod ex fructibus superit, iure uolūtatis restitui oportebit. Cum Pollidius à propinqua sua hæres institutus, rogatus fuisset, filiæ mulieris, quidquid ex bonis eius ad se peruenisset, cùm certam ætatē puella complesset, restituere: idq; sibi ideo placuisse testamento cōprehendis-
D set, ne filiæ tutoribus, sed potius necessitudini res cōmitterentur: eundemq; Pollidium fundum retinere iussisset: præfectus prætorio suasi, fructus, qui bona fide à Pollidio ex bonis defunctæ percepti essent, restitui debere: siue quod fundū ei tantū prælegauerat, siue quod lubrico tutelæ fideicommissi remedium mater prætulerat. Si auro uel argento facto per fideicommissum relicto, mora interuenerit: an usurarū æstimatio facienda sit, tractari solet. Planè si materiam istā ideo reliquit, ut ea distracta pecunia fideicōmissa solueretur, aut alimenta præstarentur: nō oportere frustrationē impunitam esse respōdi. Quod si fortè ideo reliquit, ut his uasis uteretur: non sine rubore desiderabuntur usuræ. ideoq; non exigentur.

IIII. IDEM lib. XXVI. Quæstionum.

SI stipulatus sis, REM DARI, VACVAMQVE POSSESSIONEM TRADI: fructus posteà
E captos actione incerti ex stipulatu propter inferiora uerba cōsecuturum te, ratio suadet. an idem de partu ancillæ responderi possit, considerandum est. Nam quod ad uerba superiora pertinet: siue factum rei promittendi, siue effectum per traditionem dominij transferendi continent: partus non continetur. uerum si emptor à uenditore nouandi animo ita stipulatus est: factum tradendi stipulatus intelligitur: quia non est uerisimile, plus uenditorem promisisse, quàm iudicio empti præstare cōpelleretur. Sed tamen propter illa uerba, VACVAMQVE POSSESSIONEM TRADI: potest dici, partus quoq; ratione committi stipulationem. etenim ancilla tradita, partum (postea ēditum) in bonis suis reus stipulandi habere potuisset. Si post contractam emptionem, ante interpositam stipulationem partus ēditus, aut aliquid per seruum uenditori adquisitum est: quod ex stipulatu consequi non poterit, iudicio empti consequetur. id enim, quod non transfertur in caussam nouationis, iure pristino peti potest.

Generaliter

V. IDEM lib. XXVII. Quaestionum. F

GENERALITER obseruari conuenit: bonae fidei iudicium non recipere praestationes, quae contra bonos mores desiderantur.

VI. IDEM lib. XXVIII. Quaestionum.

CVM de in rem uerso cum haerede patris uel domini ageretur, & usurarum quaestio moueretur: Imperator ideo soluendas usuras iudicauit, quod eas ipse dominus, uel pater longo tẽpore praestitisset. Imperator quoq; noster Seuerus filiae Flauij Athenagorae, cuius bona fuerant publicata, ideo numerari decies centena dotis nomine iussit, quod ea patrem praestitisse dotis usuras allegasset.

VII. IDEM lib. II. Responsorum. G

DEBITOR usurarius creditori pecuniam obtulit, & cum eam accipere noluisset, obsignauit ac deposuit. ex eo die ratio non habebitur usurarum. quod si postea conuentus, ut solueret, moram fecerit: numi steriles ex eo tempore non erunt.

VIII. IDEM lib. IX. Responsorum.

EQVIS per fideicõmissum relictis, post moram foetus quoq; praestabitur, ut fructus: sed foetus secundus, ut caussa, sicut partus mulieris.

IX. IDEM lib. XI. Responsorum.

PECVNIAE foenebris, intra diem certum debito non soluto, dupli stipulatum in alterò tanto supra modum legitimarum usurarum respondi non tenere. Quare nõ pro modo cuiuscunq; temporis superfluo detracto, stipulatio uires habebit. Vsurarum stipulatio, quamuis debitor non conueniatur, committitur: nec inutilis legitimae usurae stipulatio uidetur sub ea conditione concepta, SI MINORES AD DIEM SOLVTAE NON FVERINT: non enim poena, sed foenus uberius ratione sortis promittitur. Si tamen post mortem creditoris nemo fuit, cui pecunia solueretur: eius temporis inculpatam esse moram constitit. Ideo si maiores usurę pro prioribus petantur: exceptio doli non inutiliter opponetur. H

X. PAVLVS lib. II. Quaestionum.

PARTVM post litem contestatam ẽditum restituere possessor debet: quem nõ deberet restituere, si cum mater peteretur, iam natus fuisset: nisi specialiter & pro hoc egisset.

XI. IDEM lib. XXV. Quaestionum.

CAIVS Seius, qui rempublicam gerebat, foenerauit pecuniam publicam sub usuris solitis. fuit autem consuetudo, ut intra certa tempora non illatis usuris, grauiores infligerentur. quidam debitores cessauerunt in soluendis usuris, quidam plus intulerunt: & sic effectum est, ut omne quod usurarum nomine competebat, etiam pro his, qui cessauerant in usuris, suppleatur. Quaesitum est, an illud, quod amplius ex consuetudine poenae nomine à quibusdam exactũ esset, ipsi Seio proficere deberet, an reipublicae lucro cedere? respondi. si Caius Seius à debitoribus usuras stipulatus sit: eas solas reipublicae praestari oportere, quae secundum formam ab his exigi soleant, etiam si omnia nomina idonea sint. quod si seruus publicus obligationem usurarum reipublicae adquisijt: aequum esse (quamuis ipso iure usurę reipublicae debeantur) tamen pro defectis nominibus cõpensationes maiorum usuratum fieri: si non sit parata respublica uniuersorum debitorum fortunam suscipere. eadem ferè in tutoribus Marcellus refert. I K

XII. IDEM lib. IIII. Responsorum.

SEIA mutuam pecuniã accepit à Septitio. de usuris ita conuenit. nisi sua quaeq; die usurae suprascriptae exsoluerentur, uel post tertium mensem: tunc in maiores usuras Seia teneretur: & deinceps per singulas pensiones (si conditione dita usurae non soluerentur) ea conditio obseruaretur, donec omnis summa debita hoc nomine ex solueretur. quaero, an haec uerba, ET DEINCEPS PER SINGVLAS PENSIONES (SI CONDITIONE DATA VSVRAE NON SOLVANTVR) EA CONDITIO OBSERVARETVR: eo pertineant, ut quamuis commissa sit forte prima stipulatio: non tamen in ampliorem quantitatem usurarũ cõuenire possit, q̃ eius pensionis nomine, quae egressa sit diem praestitutũ? Paulus respondit.

plures

A plures conditiones continere eam stipulationē, quæ de grauioribus usuris præstandis subiecta esset, ut per singulas pensiones conditio spectaretur non illatarum suis temporibus leuiorum usurarum. & ideo posse euitari pœnam sequentium pensionum.

XIII. SCAEVOLA lib. I. *Responsorum.*

QVI semisses usuras promiserat, per multos annos minores præstitit. hæres creditoris semisses petit, cum per debitorem non steterit, quò minus minores soluat: quæro: an pacti uel doli exceptio obstet? respondi. si in exsoluendis ex more usuris per tanta tempora mora per debitorem non fuit: posse secundum ea, quæ proponerentur, obstare exceptionem.

Quæsitum est, an iudicio negociorum gestorum uel mandati pro pecunia ociosa usuras

B ras præstare debeat, cum dominus nullam pecuniam fœnerauit? respondi. si eam pecuniam depositam habuisset, idq; ex consuetudine mandantis fecisset: nō debere quidquam usurarum nomine præstare.

XIIII. PAVLVS lib. XIIII. *Responsorum respondit.*

MORA in soluendo fideicommisso facta, partus quoq; ancillarum restituendos. Hæres rogatus erat, post mortem suam sine reditu hæreditatem restitue. quæsitum est, an partus ancillarū etiam uiuo hærede nati, restituendi essent propter uerba testamenti, quibus de reditu solo deducendo testator sensisset? PAVLVS respondi. ante diem fideicommissi cēdentē, partus ancillarum ēditos fideicōmisso non contineri. Neratium quoq; libro primo referre eum, qui similiter rogatus esset, ut mulierem restitueret, partum eius restitue-

C re cogendum non esse: nisi tunc ēditus esset, cum in fideicommisso restituendo moram fecisset. neq; interesse existimo, specialiter ancilla, an hæreditas in fideicommisso sit.

XV. IDEM lib. XVI. *Responsorum respondit.*

NEQVE eorum fructuū, qui post litem contestatā officio iudicis restituendi sunt, usuras præstari oportere: neq; eorū, qui prius percepti, quasi à malæ fidei possessore condicuntur.

XVI. IDEM lib. I. *Decretorum.*

LIBERalitatis in rempublicam factæ usuræ non exiguntur. Cum usuræ precij fundi ab eo, qui à fisco emerat, peterentur, & emptor negaret traditam sibi possessionem: Imperator decreuit, iniquum esse usuras ab eo exigi, qui fructus non percepisset.

XVII. SCAEVOLA lib. *singulari de usuris.*

D CVM quidam cauisset, se quotannis quincunces usuras præstaturum: & si quo anno nō soluisset, tunc totius pecuniæ ex die, qua mutuatus esset, semisses soluturum: & redditis per aliquot annos usuris. mox stipulatio commissa esset: diuus Marcus Fortunato ita rescripsit. præsidem prouinciæ adi: qui stipulationem, de cuius iniquitate questus es, ad modum iustæ exactionis rediget. hæc constitutio ad infinitum modum excedit. Quid ergo? sic temperanda res est, ut in futurum duntaxat ex die cessationis crescant usuræ. Diuus Pius ita rescripsit. parum iustè usuras præteritas petis, quas omisisse te, longi temporis interuallum indicat: qui eas à debitore tuo, ut gratiosior apud eum uidelicet esses, petendas nō putasti.

In tacito fideicommisso omne emolumentum hæredi auferendum, & fisco pręstandum, diuus Pius rescripsit. ergo & usurarum emolumentum auferetur hæredi. Si pupillo tuto-

E rem non habenti, fideicommissum solui non potuit: non uideri moram per hæredem factam, diuus Pius rescripsit. ergo nec ei debetur, qui quod reipublicæ caussa absfuerit, uel ex alia caussa iusta impeditus, ex qua restitutio indulgetur, petere non potuit. Quid enim potest imputari ei, qui soluere, etiam si uellet, non potuit? Nec simile uideri potest, quod placuit: minoribus etiam in his succurri, quæ non adquisierunt. usuræ enim non propter lucrum petentium, sed propter moram non soluentium infliguntur. Ex locato qui conuenitur, nisi cōuenerit, ut tardius pecuniæ illatæ usuras deberet: nō nisi ex mora usuras pręstare debet. Fiscus ex suis cōtractibus usuras non dat, sed ipse accipit: ut solet à foricarijs, qui tardius pecuniā inferunt: itē ex uectigalibus. Cum autē in locum priuati successit, etiam dare solet. Si debitores, qui minores semissibus usuras pręstabant, fisci esse cœperunt: postquam ad fiscū transierūt, semisses cogēdi sunt præstare. Eos, qui ex administratione rerū ciuitatum

ciuitatum conueniuntur, usuris obnoxios esse, satis notum est. Idem obseruatur in operum F curatoribus, si pecunia apud eos remansit. Sed in ea, quam redemptoribus commiserunt: etiam si negligenter dederint, usura eis remittitur. hæc autem ita sunt, si nulla fraus argui-tur. alioquin etiam usuræ adplicabuntur. Si dies non sit ab his, qui statuas uel imagines ponendas legauerunt, præfinitus: à præside tempus statuendum est: & nisi posuerint hæredes, usuras reipublicæ usque ad tertiam centesimæ pendent.

XVIII. IDEM lib. XXXIIII. ad edictum.

EVICTIS agris, si initio conuenit, ut uenditor precium restitueret: usuræ quoque post euictionem præstabuntur, quamuis emptor post dominij litem inchoatam fructus aduersario restituerit. Nam incómodum medij temporis emptoris damnum est. Post traditam G possessionem defuncto uenditore, cui successor incertus fuit: medij quoque temporis usuræ precij, quod in caussa depositi non fuit, præstabuntur.

XIX. CAIVS lib. VI. ad leges duodecim tabularum.

VIDEAMUS, an in omnibus rebus petitis, in fructus quoque códemnandus sit possessor. quid enim, si argentum, aut uestimentũ, aliamúe similem rem? quid præterea, si usumfructum, aut nudam proprietatem, cum alienus ususfructus sit, petierit? neque enim nudæ proprietatis (quod ad proprietatis nomen attinet) fructus ullus intelligi potest: neque ususfructus rursum fructus eleganter computabitur. Quid igitur, si nuda proprietas petita sit? ex quo perdidit fructuarius usumfructum, æstimabitur in petitione fructus. Item si ususfructus petitus sit: Proculus ait, in fructus perceptos condemnari. Præterea Gallus Ae- H lius putat, si uestimenta, aut scyphus petita sint: in fructu hoc numerãdum esse, quod locata ea re mercedis nomine capi potuerit. Iter quoque & actus si petitus sit: uix est, ut fructus ulli possint æstimari: nisi si quis commodum in fructibus numeraret, quod habiturus esset petitor, si statim eo tẽpore, quo petisset, ire agere nõ prohiberetur. quod admittendum est.

XX. PAVLVS lib. XXII. ad Sabinum.

VSVRAS illicitas sorti mistas, ipsas tantũ non deberi constat. cæterũ sortẽ non uiciare.

XXI VLPIANVS lib. XXXIII. ad edictum.

SCIENDUM est: non omne, quod differendi caussa optima ratione fit, moræ adnumerandum. Quid enim, si amicos adhibendos debitor requirat, uel expediendo debito, uel fideiussoribus rogandis, uel exceptio aliqua allegetur? mora certè facta non uidetur. I

XXII. PAVLVS lib. XXXIIII. ad edictum.

SI MODO idipsum non fraudandi caussa simuletur.

XXIII. VLPIANVS lib. XXXIII. ad edictum.

SED & si reipublicæ caussa abesse subito coactus sit, ut defensionẽ sui mandare nõ possit, moram facere non uidebitur: siue etiam in uinculis hostiumúe potestate esse cœperit. Aliquando & in re mora discerni solet: si fortè non exstat, qui conueniatur.

XXIIII. PAVLVS lib. XXXIIII. ad edictum.

SI QVIS solutioni quidem moram fecit, iudicium autem accipere paratus fuit: non fecisse uidetur moram, utique si iustè ad iudicium prouocauit. Cum reus moram facit, & fideiussor tenetur. Mora uidetur creditori fieri: siue ipsi, siue ei, cui mandauerat, siue ei, qui K negocia eius gerebat, mora facta sit. nec hoc casu per liberam personam adquiri uidetur, sed officium impleri. Sicuti cum quis furtum mihi facientem deprehendit, negociũ meum agens: manifesti furti actionem mihi parat. Item cum procurator interpellauerit promissorem hominis, perpetuam facit stipulationem.

XXV. IVLIANVS lib. VII. Digestorum.

QVI scit fundum cum alio sibi communem esse: fructus, quos ex eo percipit, inuito uel ignorãte socio: nõ maiore ex parte suos facit, quàm ex qua dominus prædij est. nec refert, ipse, an socius, an uterque eos seuerit: quia omnis fructus non iure seminis, sed iure soli percipitur. & quemadmodum si totum fundum alienum quis sciens possideat, nulla ex parte fructus suos facit, quoquo modo sati fuerint: ita qui communem fundum possidet, non faciet

fructus

A fructus suos pro ea parte, qua fundus ad socium eius pertinebit. In alieno fundo, quem Titius bona fide mercatus fuerat, frumentum seuit. an Titius bonę fidei emptor perceptos fructus suos faciat? respondi. quo ad fructus, qui ex fundo percipiuntur: intelligi debet pro pius eos iis accedere, quæ serui operis suis adquirunt: quoniam in percipiendis fructibus magis corporis ius, ex quo percipiuntur, quàm seminis, ex quo oriuntur, inspicitur. & ideo nemo unquam dubitauit, quin si in meo fundo frumentum tuum seueris: segetes, & quod ex messibus collectum fuerit, mecum fieret. Porro bonæ fidei possessor in percipiendis fructibus id iuris habet, quod dominis prædiorum tributum est. Præterea cum ad fructuariũ pertineant fructus à quolibet sati, quanto magis hoc in bonæ fidei possessore recipiendum
B est, qui plus iuris in percipiendis fructibus habet? cum fructuarij quidam non fiant, ante quàm ab eo percipiantur: ad bonæ fidei autem possessorem pertineant, si quoquo modo à solo separati fuerint. Sic & eius, qui uectigalem fundum habet, fructus fiunt, simul atque à solo separati sunt. Bonæ fidei emptor (seuit, &) ante quàm fructus perciperet, cognouit fundum alienũ esse. an perceptione fructus suos faciat, quæritur? respondi. bonæ fidei emptor, quo ad percipiendos fructus, intelligi debet, quandiu euictus fundus non fuerit. nam & seruus alienus, quem bona fide emero, tamdiu mihi ex re mea, uel ex operis suis adquirit, quandiu à me euictus non fuerit.

XXVI. IDEM *lib.* VI. *ex Minutio.*

VENATIONEM in fructu fundi negauit esse, nisi fructus fundi ex uenatione constaret.

C XXVII. AFRICANUS *lib.* VIII. *Quæstionum.*

CUM patrifamiliâs mora facta sit, iam in hærede eius non quæritur mora. nam tũc hæredi proximo iure hęreditario ea competit. ideoque ad cæteros quoque deinceps trasmittitur.

XXVIII. CAIUS *lib.* II. *Rerum quotidianarum.*

IN PECUDUM fructu etiam fœtus est, sicut lac, pili, & lana. Itaque agni, & hœdi, & uituli statim pleno iure sunt bonæ fidei possessoris & fructuarij. Partus uero ancillæ in fructu non est. Itaque ad dominum proprietatis pertinet. absurdum enim uidebatur hominẽ in fructu esse, cum omnes fructus rerum natura hominum gratia comparauit.

XXIX. MARTIANUS *lib.* XIIII. *Institutionum.*

PLACUIT (siue supra statutum modum quis usuras stipulatus fuerit, siue usurarũ usu
D ras) quod quidem illicitè adiectum est, pro non adiecto haberi, & licitas peti posse.

XXX. PAULUS *lib.* III. *Responsorum.*

ETIAM ex nudo pacto debentur ciuitatibus usuræ creditarum ab eis pecuniarum.

XXXI. ULPIANUS *lib.* I. *Responsorum.*

QUOD in stipulatione sic adiectum est, ET USURAS, SI QUAE COMPETIERINT: nullius esse momenti, si modus certus non adijciatur.

XXXII. PAPINIANUS *lib.* IIII. *Responsorum.*

MORA fieri intelligitur non ex re, sed ex persona: id est, si interpellatus opportuno loco, non soluerit. quod apud iudicem examinabitur. Nam (ut & Pomponius libro duodecimo Epistolarum scripsit) difficilis est huius rei definitio. Diuus quoque Pius Tullio Balbo rescri
E psit: an mora facta intelligatur, neque constitutione ulla, neque iuris authorum quæstione decidi posse, cum sit magis facti, quàm iuris. Et nõ sufficit ad probationem moræ, si seruo debitoris absentis denunciatum sit à creditore procuratoreúe eius: cum etiam si ipsi (inquam) domino denunciatum est, cæterum cum postea is sui potestatem faceret, omissa est repetendi debiti instantia: non protinus per debitorem mora facta intelligatur. In bonæ fidei cõtractibus ex mora usuræ debentur. Quid ergo si & filiusfamiliâs & pater ex persona eius teneatur (siue iussu eius contractũ est, siue in rem uersum est pâtris, uel in peculium) cuius persona circa moram spectabitur? & si quidem pâter duntaxat conuenitur ex mora sua: non tenetur. in filiũ tamen dabitur actio in hoc, ut quominus à pâtre actor consecutus est, filius præstet. Quod si filius moram fecerit: tunc actor uel cum ipso in solidum, uel cum pâtre duntaxat de peculio actionem habebit. Sed si duo rei promittendi sint: alterius mora

ee alteri

alteri non nocet. Item si fideiussor solus moram fecerit:non tenetur,sicuti si Stichum pro- F missum occiderit:sed utilis actio in hunc dabitur.

XXXIII. VLPIANVS *lib. sing. de officio curatoris reipublicæ.*

SI BENE collocatæ sunt pecuniæ publicæ in sortem,inquietari debitores non debent, & maximè si pariunt usuras.si nō pariunt:prospicere reipublicę securitati debet præses pro- uinciæ:dummodo non acerbū se exactorē,nec contumeliosum præbeat, sed moderatum, & cum efficacia benignum,& cum instantia humanum.nam inter insolentiam iniuriosam, & diligentiam non ambitiosam multum interest. Præterea prospicere debet, ne pecuniæ publicæ credantur sine pignoribus idoneis uel hypothecis.

XXXIIII. IDEM *lib. XI. ad edictum.*

VSVRAE uicem fructuum obtinent,& merito non debent à fructibus separari: & ita in G legatis,& fidei commissis,& in tutelæ actione,& in cæteris iudicijs bonæ fidei seruatur. hoc idem in cæteris obuentionibus dicemus.

XXXV. PAVLVS *lib. VII. ad edictum.*

LITE contestata usuræ currunt.

XXXVI. VLPIANVS *lib. I. ad edictum.*

PRAEDIORVM urbanorum pensiones pro fructibus accipiuntur.

XXXVII. IDEM *lib. XI. ad edictum.*

ET IN cōtraria negociorum gestorum actione usuræ ueniunt:si mutuatus sim pecuniā, ut creditorem tuum absoluam, qui aut in possessionem mittendus erat bonorum tuorum, H aut pignora uēditurus.quod si domi habens, propter eandem caussam solui: puto uerum, si liberaui te magno in commodo,debere dici usuras uenire.eas autem,quæ in regione fre- quentantur,ut est in bonæ fidei iudicijs constitutum.sed si mutuatus dēdi,hę usuræ ueniēt, quas ipse pendo:utiq; si plus tibi præstauerim commodi, quàm usuræ istæ colligunt.

XXXVIII. PAVLVS *lib. V. ad Plaucium.*

VIDEAMVS generatim,quando in actione, quæ est in personā,etiam fructus ueniant. & quidē si fundus ob rem dātus sit,ueluti dotis caussa:renunciata adfinitate,fructus quoq; restituendi sunt:utiq; si qui percepti sunt eo tempore,quo sperabatur adfinitas.sed & poste riores,si in re mora fiat ab illo,qui reddere debet,omnimodo restituendi sunt. Sed & si per mulierem stet,quò minus nuptiæ contrahantur:magis est,ut debeat fructus recipere. Ra- I tio aūt hæc est:quod si sponsus nō coueniebatur ad restituendos fructus,licuerat ei neglige re fundū. Item si indebitū solui,& repeto:fructus quoq; repetere debebo. Idemq; est, si mortis caussa fundus sit donatus,& reualuerit,qui donauerat,atq; ita condictio nascatur.

In Fauiana quoq; actione & Pauliana:per quā, quę in fraudē creditorum alienata sunt, reuocantur:fructus restituuntur. nam prætor id agit,ut perinde sint omnia,atq; si nihil alie natum esset.quod non est iniquum.Nam & uerbum RESTITVAS, quod in hac re prætor dicit:plenam habet significationem, ut fructus quoq; restituantur.& ideo cum restitui prę- tor uult(ueluti in interdicto VNDE VI)etiam fructus sunt restituendi. Item si ui metusue caussa rem tradam: non aliter mihi restituisse uidetur, quàm si fructus restituat: nec mora mea mihi aliquid aufert. Si actionem habeam ad id consequendum,quod meum nō fuit K (ueluti ex stipulatu:)fructus non consequor,etiam si mora facta sit.quod si acceptum est iu- dicium : tunc Sabinus & Cassius ex æquitate fructus quoq; restitui putant. sed & ut caussa post acceptum iudiciū restituatur, puto rectè dici. Ex caussa etiam emptionis fru- ctus restituendi sunt. sed etiam in societate fructus communicandi sunt. Si possessionem naturalem reuocem,proprietas mea manet.uideamus de fructibus. & quidem in deposito & commodato fructus quoq; præstandi sunt,sicut diximus. In interdicto quoq; QVOD VI AVT CLAM magis est, ut omnis caussa & fructus restituatur. Ante matrimonium quoq; fructus percepti dotis fiunt,& cum eo restituuntur.eadem ratio est in fructibus prę- diorum urbanorū. Item si diuidere tecū fundū uelim,tu nolis,& colam:an fructus diuidi debeāt post deductionē impensarū? & puto diuidēdos. In cæteris quoq; bonę fidei iudicijs fructus

A fructus omnimodo præstantur. Si dos prælegata fuerit:ante nuptias percepti fructus in caussa legati ueniunt.

XXXIX. MODESTINVS *lib. VIII. Differentiarum.*

EQVIS per fidei cõmissum legatis, post moram hæredis fœtus quoq; debentur. Equitio autem legato, etiam si mora non intercedat, incremento gregis fœtus accedunt.

XL. IDEM *lib. IIII. Regularum.*

IN EVM diem, quo creditor pignora distraxit, rectè usuræ fiet computatio.

XLI. IDEM *lib. II. Responsorum.*

TVTOR condemnatus per appellationem traxerat exsecutionem sententiæ. Herenni-
B us Modestinus respondit. eum, qui de appellatione cognouit, potuisse (si frustratoriam morandi caussa appellationem interpositam animaduertisset) etiam de usuris medij temporis eum cõdemnare. Lucius Titius cũ centũ & usuras aliquanti temporis deberet: minorẽ pecuniam, quam debebat, obsignauit. quæro, an Lucius Titius pecuniæ, quam obsignauit, usuras præstare non debeat? Modestinus respondit. si non hac lege mutua pecunia dãta esset, ut liceret & particulatim exsoluere: non retardari totius eius debiti usurarum præstationẽ, si (cum creditor paratus esset totũ suscipere) debitor, qui in exsolutione totius cessabat, solã partem deposuit. Ab Aulo Agerio Caius Seius mutuam quandam quantitatem accepit hoc chirographo ille scripsit se accepisse. & accepi ab illo mutuos & numeratos decem, quos ei reddam calendis Iulijs proximis, cum suis usuris placitis inter nos. quæro, an ex eo instru
C mento usuræ peti possint, & quæ? Modestinus respondit. si non appareat, de quibus usuris conuentio facta sit, peti eas non posse.

XLII. IDEM *lib. XVIII. Responsorum.*

HERENNIUS Modestinus respondit. fructus, qui post adquisitũ ex caussa fidei commissi dominium ex terra percipiuntur, ad fidei commissarium pertinere: licet maior pars anni ante diem fideicommissi cedentem præterisse dicatur.

XLIII. IDEM *lib. XI. Responsorum.*

HERENNIUS Modestinus respondit. eius temporis, quod cessit, post quàm fiscus debitum percepit, eum, qui mandatis à fisco actionibus experitur, usuras: quæ in stipulatum deductæ non sunt, petere posse.

D XLIIII. IDEM *lib. X. πανδεκτῶν.*

POENAM pro usuris stipulari nemo supra licitum modum usurarum potest.

XLV. POMPONIVS *lib. XII. ad Qu. Mutium.*

FRVCTVS percipiendo uxor uel uir ex re sibi donata, suos facit illos tantũ, quos suis operis adquisierit (ueluti serendo). Nam si pomum decerpserit, uel ex sylua ceciderit: non fit eius, sicuti nec cuiuslibet bonæ fidei possessoris: quia non ex facto eius is fructus nascitur.

XLVI. VLPIANVS *lib. XIIII. ad edictum.*

QVOD in fructus redigendos impensum est, non ambigitur ipsos fructus deminuere debere.

XLVII. SCAEVOLA *lib. V. Digestorum.*

PARATVM iudicium accipere, si ab aduersario cessatum est, moram facere non uideri.

E XLVIII. IDEM *lib. XXII. Digestorum.*

MARITUS uxori suæ usumfructum tertiæ partis, & cum liberos habuisset, proprietatẽ legauit. eam uxorem hæredes falsi testamenti & aliorum criminum accusauerunt. qua re impedita est legatorum petitio. Interea filius mulieris natus, coq; conditio legati exstitit. quæsitum est. cum testamentum falsum nõ esse apparuerit, an etiam fructus mulieri præstari debeant? respondit. præstandos.

XLIX. IABOLENVS *lib. IIII. Ex posterioribus Labeonis.*

FRVCTVS rei est, uel pignori dãre licere.

DE NAVTICO FOENORE. TIT. II.

MODESTINVS *lib. XI. πανδεκτῶν.*


RAIECTITIA pecunia est, quæ trans mare uehitur. cæterum si eodem loco consumatur: non erit traiectitia. Sed uidendum, an merces ex ea pecunia comparatæ, in ea caussa habentur. & interest, utrum etiam ipsæ periculo creditoris nauigent. tunc enim traiectitia pecunia fit. F

II. POMPONIVS *lib. IIII. ex Plautio.*

LABEO ait. si nemo sit, qui ex parte promissoris interpellari traiectitiæ pecuniæ possit: idipsum contestatione complecti debere, ut pro petitione id cederet.

III. MODESTINVS *lib. IIII. Regularum.*

IN NAVTICA pecunia ex eo die periculum spectat ad creditorem, ex quo nauem nauigare conuenit. IIII. PAPINIANVS *lib. IIII. Responsorum.* G

NIHIL interest, traiectitia pecunia sine periculo creditoris accepta sit, an post diem constitutum, & conditione impleta, periculum esse creditoris desierit. utrobiq; igitur maius legitima usura fœnus non debebitur. sed in priore quidem specie semper, in altera uero discusso periculo. nec pignora uel hypothecæ titulo maioris usuræ tenebuntur pro operis serui, traiectitiæ pecuniæ gratia secuti. Quod in singulos dies in stipulatum deductum est, ad finem non ultra duplum centesimæ debetur. In stipulatione fœnoris post diem periculi separatim interposita, quod legitimæ usuræ deerit, per alteram stipulationē usurarum supplebitur. V. SCAEVOLA *lib. III. Responsorum.*

PERICULI precium est, & si conditione quauis pœnali non existente, recepturus sis, quod dederis, & insuper aliquid præter pecuniam: si modo in aleæ speciem non cadat, ueluti ea, ex quibus conditiones nascuntur: ut si manumittas, si illud non facias, si non conualuero & cætera. Sed nec dubitabis, si piscatori erogaturo in apparatum, plurimum pecuniæ dederim, ut si cœpisset, redderet: & athletæ, unde se exhiberet, exerceretq;, ut si uicisset, redderet. In his enim omnibus, & pactum sine stipulatione ad augendam obligationem prodest. H

VI. PAVLVS *lib. XXV. Quæstionum.*

FOENERATOR pecuniam usuris maritimis mutuam dando, quasdam merces in naui pignori accepit. ex quibus si non potuisset totum debitum exsolui: aliarum etiam merciū alijs nauibus impositarum, proprijsq; fœneratoribus obligatarum, si quid superfuisset, pignori accepit. quæsitum est. naue propria perempta, ex qua totum solui potuit, an id damnū ad creditorem pertineat, intra præstitutos dies amissa naue: an ad cæterarum nauium superfluum admitti possit? respondit. aliás quidem pignoris deminutio ad damnum debitoris, non etiam ad creditorem pertinet. sed cum traiectitia pecunia ita dătur, ut non aliás petitio eius creditori cōpetat, quàm salua nauis intra statuta tempora peruenerit: ipsius crediti obligatio, non existente conditione, defecisse uidetur. ideoq; pignorum persecutio perempta est etiam eorum, quæ non sunt amissa. si nauis intra præstitutos dies perisset: & conditionē stipulationis deficere uideri. ideo sine caussa de pignorum persecutione, quæ in alijs nauibus fuerunt, quæri. quando ergo ad illorum pignorum persecutionem creditor admitti poterit? tunc scilicet, cum conditio obligationis exstiterit, aut alio casu pignus amissum fuerit, uel uilius distractum: uel si nauis postea perierit, quàm dies præfinitus periculo exactus fuerit. VII. IDEM *lib. III. ad edictum.* I K

IN QVIBVSDAM contractibus etiam usuræ debentur, quemadmodum per stipulationem. Nam si dĕdero decem traiectitia, ut salua naue sortem cum cæteris usuris recipiam: dicendum est, posse me sortem cum usuris recipere.

VIII. VLPIANVS *lib. XXVII. ad edictum.*

SERVIVS ait. pecuniæ traiectitiæ pœnam peti non posse: si per creditorem stetisset, quò minus eam intra tempus præstitutum accipiat.

IX. LABEO *lib. I. πιθανῶν à Paulo epitomatorum.*

SI TRAIECTITIÆ pecuniæ pœna (uti solet) promissa est: quamuis eo die, qui primus soluendæ pecuniæ fuerit, nemo uixerit, qui pecuniam eam deberet: tamē perinde committi pœna potest, ac si fuisset hæres debitoris.

DE

A DE PROBATIONIBVS ET PRAESVM-
ptionibus. TIT. III.

PAPINIAVS lib. IIII. Quæſtionum.

QVOTIES quæreretur, genus uel gentẽ quis haberet, nec ne eũ probare oportere.

II. PAVLVS lib. XLIX. ad edictum.

EI incumbit probatio, qui dicit, non qui negat.

III. PAPINIANVS lib. LX. Reſponſorum.

CVM tacitum fidei commiſſum ab eo dãtur, qui tam in primo, quàm in ſecundo teſta-
mento pro eadem parte, uel poſtea pro maiore hæres ſcribitur: probatio mutatæ uolunta-
B tis ei debet incumbere, qui conuenitur: cum ſecreti ſuſcepti ratio plerũq; dominis rerũ per-
ſuadet, eos ita hæredes ſcribere, quorum fidem elegerunt.

IIII. PAVLVS lib. VI. Reſponſorum.

EMPTOREM probare debere, eum ſeruum, de quo queritur, ante quàm emeret, fugiſſe.

V. IDEM lib. IX. Reſponſorum.

AB EA parte, quæ dicit aduerſarium ſuum aliquo iure prohibitum eſſe: ſpecialiter lege
uel conſtitutione id probari oportet. Ideoq; reſpondit, ſi quis neget emancipationem ritè
factam, ipſum præſtare debere probationem.

VI. SCAEVOLA lib. II. Reſponſorum.

PATRONVS manifeſtè docere debet, libertum in fraudem ſuam aliquid dẽdiſſe, ut partẽ
C eius, quod in fraudem dãtum eſſet, poſſet auocare.

VII. PAVLVS lib. II. Sententiarum.

CVM probatio prioris fugæ deficit, ſerui quæſtioni credendum eſt. in ſe enim interroga-
ri, non pro domino aut in dominum uidetur.

VIII. IDEM lib. XIIII. ad Plautium.

SI filius in poteſtate pãtris ſe eſſe neget, prætor cognoſcit, ut prior doceat filius: & quia
pro pietate, quam pãtri debet, hoc ſtatuẽdum eſt: & quia ſe liberum eſſe quodammodo cõ-
tendit. ideo enim & qui proclamat ad libertatem, prior edocere iubetur.

IX. CELSVS lib. I. Digeſtorum.

SI pactum factũ ſit, in quo hæredis mentio non fiat: quæritur, an id actum ſit, ut ipſius
D duntaxat debitoris perſona artaretur? Sed quamuis uerũ eſt, quod qui excipit, probare de-
beat, quod excipitur: attamen de ipſo duntaxat, ac non de hęrede eius quoq; conueniſſe: pe-
titor, nõ qui excipit, probare debet: quia plerunq; tam hæredibus noſtris, quàm nobiſmetipſis
cauemus.

X. MARCELLVS lib. III. Digeſtorum.

CENSVS, & monumenta publica potiora teſtibus eſſe, ſenatus cenſuit.

XI. CELSVS lib. XI. Digeſtorum.

NON eſt neceſſe pupillo probare, fideiuſſores pro tutore dãtos, cum accipiebantur, ido-
neos non fuiſſe. nam probatio exigenda eſt ab his, quorum officij fuit prouidere, ut pupil-
lo caueretur.

XII. IDEM lib. XII. Digeſtorum.

QVINQUAGINTA teſtamento tibi legata ſunt. idem ſcriptũ eſt poſtea in codicillis. refert
E duplicare legatum uoluerit, an repetere: & an oblitus ſe in teſtamento legaſſe, id fecerit. ab
utro ergo probatio eius rei exigenda eſt? prima fronte æquius uidetur, ut petitor probet,
quod intendit. ſed interdum probationes quædam & à reo exiguntur. nam ſi creditum pe-
ratur, ille reſpondeat, ſolutam eſſe pecuniam: ipſe hoc probare cogendus eſt. & hic igitur, cũ
petitor duas ſcripturas oſtendit, hæres poſteriorẽ inanem eſſe, ipſe hæres id adprobare iu-
dici debet.

XIII. IDEM lib. XIII. Digeſtorum.

CVM de ætate hominis quæreretur, Cæſar noſter in hæc uerba reſcripſit. & durum &
iniquum eſt, cum de ſtatu ætatis alicuius quæritur, & diuerſæ profeſſiones proferuntur: ei
potiſſimũ ſtare, quæ noceat. ſed cauſſa cognita ueritatem excuti oportet: & ex eo potiſſimũ
annos computari, ex quo præcipuè fidem in ea re conſtare, credibilius uidetur.

XIIII. VLPIANVS lib. II. de officio conſulis.

CIRCA eum, qui se ex libertinitate ingenuũ dicit, referendum est quis actoris partibus fungatur. Et siquidem in possessione libertinitatis fuit: sine dubio ipsum oportebit ingenuitatis caussam agere, docereq́ue se ingenuũ esse. Sin uero in possessione ingenuitatis sit, & libertinus esse dicatur scilicet eius, qui ei controuersiam mouet: hoc probare debet, qui eum dicit libertum suum. quid enim interest, seruum quis suum, an libertum contendat? Si quis autẽ fiducia ingenuitatis suæ ultro in se suscipiat probationes, ad hoc ut sententiã ferat pro ingenuitate facientem, hoc est, ut se ingenuum esse pronuncietur: an obtemperari ei debeat, tractari potest. & nõ ab re esse opinor, morem geri probanti se ingenuum, & sententiam secundum se dandam: cum nulla captio iuris intercedat. F

XV. MODESTINVS lib. XII. *Responsorum.* G

QVIDAM quasi ex Seia susceptus Caio Seio, cum Caius frãtres haberet, hæreditatem Caij inuasit: & frãtribus eiusdem, quasi ex mandato defuncti, fideicõmissa soluit, & cautionem accepit. qui postea cognito, quod filius frãtris eorum non fuisset: quærebant, an cum eo de hæreditate frãtris propter emissam ab eis manum, possint quasi cum filio agere. Modestinus respondit. cautione exsoluti fideicommissi statum eius, qui probari posset à frãtribus defuncti filius non esse, minime confirmatũ esse: sed hoc ipsum tamen à frãtribus probari debere. XVI. TERENTIVS CLEMENS lib. IIII. ad L. Iuliam & Papiam.

ETIAM mãtris professio de ætate filiorum recipitur. sed & aui recipienda est.

XVII. CELSVS lib. VI. *Digestorum.*

CVM de lege Falcidia quæritur: hæredis probatio est, locum habere legem Falcidiam. Quod cum probare non potest: merito condemnabitur. H

XVIII. VLPIANVS lib. VI. *Disputationum.*

QVOTIES operæ quasi à liberto petuntur: probationes ab eo, qui se patronum dicit, exigũtur. & ideo Iulianus scripsit: licet patronus in præiudicio possessor esse uideatur: uerũ partibus actoris non libertum fungi debere, sed eum, qui se patronum esse contendat. Qui dolo dicit factum aliquid (licet in exceptione) docere debet, dolum admissum esse. Interrogationes factæ probationem actori imponi debere, id est ei, qui in iure interrogatum dixit respondisse, se solum hæredem esse: sed & si tacuisse dicatur interrogatus, æquè tantundem erit dicendum: imposita probatione non ei, qui excepit, se non respondisse, sed actori.

XIX. IDEM lib. VII. *Disputationum.* I

IN exceptionibus dicendum est, reum partibus actoris fungi oportet: & ipsum q́ue exceptionem uelut intentionem implere. utputã si pacti conuenti exceptione utatur: docere debet pactum conuentum factum esse. Cum quis promisit iudicio se sisti, & reipublicæ caussa abfuisse dicatur, & ob id non stetisse: uel dolo malo aduersarij factum, quò minus sisteretur: uel ualetudinem sibi impedimento fuisse, uel tempestatem: probare id eum oportet.

Sed & si procuratoria quis exceptione utatur, eo quod non licuisset aduersario dãre, uel fieri procuratorem: probare id oportet obijcientem exceptionem. idem erit dicendum, & si ea pecunia petatur, quæ pensata dicitur. Hoc amplius. si iudicatæ rei, uel iurisiurandi cõditio delata dicatẽ de eo, quod tunc petitur: siue in alea gestũ esse cõtendatur: eũ implere probationes oportet. XX. IVLIANVS lib. LXIII. *Digestorum.* K

SI QVIS liberum hominem ui rapuerit, inúe uinculis habuerit: is indignissimè commodum possessoris consequetur: quia probari non poterit, hominem eo tempore quo primũ lis ordinaretur, in libertate fuisse.

XXI. MARCIANVS lib. VI. *institutionum.*

VERIVS esse existimo: ipsum qui agit, id est legatarium probare oportere, scisse defunctum alienam se rem uel obligatam legare: non hæredem probare oportere, ignorasse alienam rem uel obligatam: quia semper necessitas probandi incumbit illi, qui agit.

XXII. VLPIANVS lib. I. *Responsorum.*

EVM, qui uoluntatem mutatam dicit, probare hoc debete.

XXIII. MARTIANVS lib. *singulari ad formulam hypothecariam.*

Ante

A ANTE omnia probandum est, quod inter agentem & debitorem conuenit, ut pignori hypothecæue sit. sed & si hoc probet actor: illud quoque probare debet, rem pertinere ad debitorem eo tempore, quo conuenit de pignore: aut ad eum, cuius uoluntate hypotheca data est.

XXIIII. MODESTINVS *lib. III. Regularum.*

SI CHIROGRAPHUM cancellatum fuerit: licet præsumptione debitor liberatus esse uidetur: in eam tamen quantitatem, quam manifestis probationibus creditor sibi adhuc deberi ostendit, rectè debitor conuenitur.

XXV. PAVLVS *lib. III. Quæstionum.*

CVM de indebito quæritur, quis probare debet, non fuisse debitũ: res ita temperanda B est. ut si quidem is, qui accepisse dicitur rem uel pecuniã indebitã, hoc negauerit: & ipse, qui dedit, legitimis probationibus solutionẽ adprobauerit: sine ulla distinctione ipsum, qui negauit sese pecuniã accepisse (si uult audiri) compellendum esse ad probationes præstandas, quod pecuniã debitã acceperit. per enim absurdũ est, eum, qui ab initio negauit pecuniã suscepisse: postquam fuerit conuictus accepisse, probationẽ non debiti ab aduersario exigere. Sin uero ab initio quidẽ confiteatur suscepisse pecunias, dicat autem non indebitas ei fuisse solutas: præsumptionẽ uidelicet pro eo esse, qui accepit, nemo dubitat. Qui enim soluit, nunquã ita resupinus est, ut facilè suas pecunias iactet, & indebitas effundat: & maximè si ipse, qui indebitas dedisse dicit, homo diligẽs est & studiosus paterfamiliâs, cuius personã incredibilè est in eo aliquo facilè errasse. & ideo eum, qui dicit indebitas soluisse: cõpelli ad pro- C bationes, quod per dolum accipientis, uel aliquã iustã ignorantiæ caussam indebitũ ab eo solutũ sit: & nisi ostenderit, nullã eum repetitionẽ habere. Sin aũt is, qui indebitũ queritur, uel pupillus, uel minor sit, uel mulier, uel fortè uir quidẽ perfectæ ætatis, sed miles, uel agricultor, & forensium rerũ expers, uel aliâs simplicitate gaudens, & desidiæ deditus: tũc eum, qui accepit pecunias, ostendere benẽ eas accepisse, & debitas ei fuisse solutas: & si non ostenderit, eas redhibere. sed hoc ita, si totã summã indebitã fuisse solutã is, qui dedit, contendat. Si aũt pro parte queritur, quod pars pecuniæ solutę debita nõ est: uel quod ab initio quidẽ debitũ fuerit, sed uel dissoluto debito postea ignarus iterũ soluit, uel exceptione tutus errore eas pecunias dependit: ipsum hoc omni modo ostendere, quod uel plus debito persoluit, uel iam solutã pecuniã per errorẽ repetita solutione dependit, uel tutus exceptione ne- D sciens suam proiecit pecuniam: secundũ generalem regulam, quæ eos, qui opponendas esse exceptiones affirmant, uel soluisse indebita contendunt, hæc ostendere exigit. In omnibus autem decisionibus (quas proposuimus) licentia concedenda est ei, cui onus probationis incumbit, aduersario suo de rei ueritate iusiurandum inferre, prius ipso pro calumnia iurante: ut iudex iuramenti fidem secutus, ita sententiam suam possit formare, iure scilicet referendæ religionis eius seruando. Sed hæc, ubi de solutione indebiti quæstio est. Sin autem cautio indebiti exposita esse dicatur, & indistinctè loquatur: tunc eum, in quẽ cautio exposita est, compelli debitum ostendere, quod in cautionem deduxit: nisi ipse specialiter, qui cautionem exposuit, caussas explanauit, pro quibus eandem conscripsit. Tunc enim statre eum oportere suæ confessioni: nisi euidentissimis probationibus in scriptis habitis, osten- E dere paratus sit, sese hæc indebitè promisisse.

XXVI. PAPINIANVS *lib. XX. Quæstionum.*

PROCVLA cum magnæ quantitatis fideicommissum à fr̃ itre sibi debitum, post mortẽ eius in ratione cum hæredibus pensare uellet: ex diuerso autem allegaretur, nunquam id à fr̃ itre, quandiu uixisset, desideratũ, cum uarijs ex caussis sæpè in rationem fr̃ itris pecunias rario Proculæ soluisset: diuus Commodus, cum super eo negocio cognosceret, non admisit cõpensationem, quasi tacitè fideicommissum fr̃ itri fuisset remissum.

XXVII. SCAEVOLA *lib. XXXIII. Digestorum.*

QVI testamentum faciebat, ei, qui usque ad certum modũ capere poterat, legauit licitam quantitatem. deinde ita locutus est. Titio centum do lego, quæ mihi pertulit: quæ ideo ei non caui, quod omnes fortunas & substantiã, si quam à m̃ utre susceperat, in sinu meo habui

sine ulla cautione.item eidem Titio reddi & solui uolo de substantia mea centum quinquaginta,quæ ego ex reditibus prędiorum eius, quotum ipse fructum percepi,& distraxi:item de calendario,si qua à mâtre receperat Titius, in rem meam conuerti. quæro, an Titius ea exigere potest?respondi.si Titius suprà scripta ex ratione sua ad testatorem peruenisse probare potuerit:exigi.uideri enim eo,quod ille plus capere non poterat, in fraudem legis hoc in testamento adiecisse. F

XXVIII. LABEO lib.VIII. πιθανῶν à Paulo epitomatorum.

SI ARBITER animaduertere debeat, an operis facti memoria exstet: hoc ei quærendum est,an aliquis meminerit,id opus factum esse.PAVLVS.imò cum ab arbitro quæritur, memoria facti operis exstet,nec ne:non hoc quęritur,num aliquis meminerit,quo die aut quo consule factum sit:sed num hoc aliquo modo probari possit,quam pridem id opus factum sit:& ita hoc,quod Græci dicere solent. ὑπλάτει potest enim hoc memoria teneri, nõ intra annum(potuì)factum:cum interim nemo sit eorum,qui meminerit, quibus cõsulibus id uiderit:sed cum omnium hæc est opinio, nec audisse, nec uidisse,cum id opus fieret, neq; ex his audisse,qui uidisset,aut audissent: & hoc infinitè similiter sursum uersum accideret:tum memoria facti operis non exstaret. G

XXIX. SCAEVOLA lib.IX. Digestorum.

IMPERATORES Antoninus & Verus AA. Claudio Apollinati rescripserunt in hæc uerba.Probationes,quæ de filiis dantur, non in sola affirmatione testium consistunt:sed & epistolas,quæ uxoribus missæ allegantur(si de fide earum consistat) non nullam uicem instrumentorum obtinere decretum est. Mulier grauida repudiata, filium enixa absente marito,spurium in actis professa est.quęsitum est,an is in potestate pâtris sit:& mâtre mortua intestata,iussu eius hæreditatem mâtris adire possit, nec obsit professio à mâtre irata facta?respondit.ueritati locum superfore. H

XXX. IDEM lib.I. Responsorum Festo respondit.

SI ANCILLA fuit ad libertatem perductam non uideri,neq; per fideicommissi relicti sibi probationem, nec quod alimenta sunt,ut nutrici,præstita.

XXXI. IDEM lib.II. Respondit Materno Sabino.

COMMEMORATIONEM in chirographo pecuniarum,quæ ex alia caussa deberi dicuntur, factam:uim obligationis non habere. I

DE FIDE INSTRVMENTORVM, ET AMISsione eorum. TIT. IIII.

PAVLVS lib.II. Sententiarum.

INSTRVMENTORũ nomine ea omnia accipienda sunt,quibus caussa instrui potest. & ideo tam testimonia,quàm personæ instrumentorum loco habentur.

II. IDEM lib.V. Sententiarum.

QVICVNQVE à fisco conuenitur, nõ ex indice & exemplo alicuius scripturæ,sed ex authentico conueniendus est:ut ita contractus fides possit ostendi.cæterum calumniosam scripturam uim in iudicio obtinere non conuenit. K

III. IDEM lib.III. Responsorum respondit.

REPETITA quidem die cautionem interponi non debuisse:sed falsi crimen , quantum ad eos,qui in hoc consenserunt,contractum non uideri: cum inter præsentes & conuenientes res actitata sit,magisq; debitor, quàm creditor deliquerit.

IIII. CAIVS lib. Singulari ad formulam hypothecariam.

IN RE hypothecæ nomine obligata,ad rem nõ pertin et,quibus sit uerbis:sicuti est in his obligationibus,quæ consensu contrahuntur.& ideo sine scriptura si conuenit,ut hypothecę sit,& probari poterit: res obligata erit,in qua conuenerunt. fiunt enim de his scripturæ, ut quod actum est,per eas facilius probari possit.& sine his autem ualet,quod actum est,si habeat probationem:sicuti & nuptiæ sunt,licet testatio sine scriptis habita est.

Si res

A V CALLISTRATVS *lib. II. Quaestionum.*

SI RES gesta sine literarum quoque consignatione ueritate factum suum praebeat: non ideo minus ualebit, quod instrumentum nullum de ea intercessit.

VI. VLPIANVS *lib. L. ad edictum.*

SI DE tabulis testamenti deponendis agatur, & dubitetur, cui eas deponi oportet: semper seniorē iuniori, & amplioris honoris inferiori, & marem foeminae, & ingenuum libertino praeferemus.

DE TESTIBVS. TIT. V.

B ARCADIVS *qui & Charisius, lib. singulari de testibus.*



ESTIMONIORUM usus frequens ac necessarius est, & ab his praecipue exigēdus, quorum fides non uacillat. Adhibeti que testes possunt non solum in criminalibus caussis, sed etiam in pecuniarijs litibus, sicubi res postulat: & hi, quibus nō interdicitur testimonium, nec ulla lege à dicendo testimonio excusantur. Quanquam quibusdam legibus amplissimus numerus testium definitus est: tamē ex cōstitutionibus principum haec licentia ad sufficientem numerum testium coartatur: ut iudices moderentur, & eum solum testium numerum, quem necessarium esse putauerint, euocari patiantur: ne effrenata potestate ad uexandos homines, superflua multitudo testiū protrahatur.

II. MODESTINVS *lib. VIII. Regularum.*

C IN TESTIMONIJS autem fides, dignitas, mores, grauitas examinanda est. & ideo testes, qui aduersus fidem testationis suae uacillant, audiendi non sunt.

III. CALLISTRATVS *lib. IIII. de cognitionibus.*

TESTIVM fides diligenter examinanda est, ideoque in persona eorū exploranda erunt. in primis conditio cuiusque: utrum quis decurio, an plebeius sit: & an honestae & inculpatae uitae, an uero quis notatus & reprehensibilis: an locuples, uel egens sit, ut lucri caussa quid facilè admittat: uel an ei inimicus sit aduersus quem testimoniū fert: uel amicus ei, pro quo testimonium dat. Nam si careat suspitione testimonium uel propter personam, à qua fertur, quod honesta sit: uel propter caussā, quod neque lucri, neque gratię, neque inimicitię caussa fiat: admittendum est. Ideoque diuus Hadrianus Iunio Varo legato prouinciae Ciliciae rescripsit: eum, qui iudicat, magis scire posse, quanta fides habenda sit testibus. Verba epistolae haec sunt. Tu magis scire potes, quanta fides habenda sit testibus. quin & cuius dignitatis, & cuius existimationis sint: & qui simpliciter uisi sunt dicere, utrum unum eundemque & praemeditatū sermonē attulerint: an ad ea, quae interrogaueras, ex tempore uerisimilia responderint. Eiusdem quoque principis exstat rescriptū ad Valerianum uerū de excutienda fide testium in haec uerba. Quae argumenta, ad quem modum, probandae cuique rei sufficiant: nullo certo modo satis definiri potest. Sicut non semper, ita saepe sine publicis monumentis cuiusque rei ueritas deprehenditur: aliàs numerus testium, aliàs dignitas & authoritas, aliàs ueluti consentiens fama confirmat rei, de qua quaeritur, fidem. hoc ergo solum tibi scribere possum summatim: non utique ad unam probationis speciē cognitionem statim alligari debere, sed ex sententia animi tui te existimare oportere, quid aut credas, aut parum probatum tibi opineris. Idem diuus Hadrianus Iunio Rufino proconsuli Macedoniae rescripsit, testibus se, non testimonijs crediturum. Verba epistolae ad hanc partem pertinentia haec sunt. Quod crimina obijciebat apud me Alexander Apro, & non probabat, nec testes producebat, sed testimonijs uti uolebat, quibus apud me locus non est: (nam ipse eos interrogare soleo) ipsum remisi ad prouinciae praesidē, ut is de fide testium quaereret: & si non implesset, quod intendebat, relegaretur. Caninio quoque Maximo in haec uerba idem princeps rescripsit. Alia est authoritas praesentium testium, alia testimoniorū, quae recitari solent. tecum ergo delibera, ut si detinere eos uelis des eis impendia. Lege Iulia de ui cauetur, ne hac lege in reū testimoniū dicere liceat ei, qui se ab eo parenteue eius liberauerit: quiue impubes erit: quique iudicio publico dānatus erit, qui eorū in intēgrū restitutus

tutus nō erit:quiue in uinculis,custodiaúe publica erit:quiue ad bestias,ut depugnet,se loca uerit:quæúe palā quæstū faciat, feceritúe:quiue ob testimoniū dicendū,uel nō dicendū,pecuniam accepisse iudicatus uel conuictus erit. nam quidā propter reuerentiam personarū, quidam propter lubricum cōsilij sui, alij uero propter notam & infamiam uitæ suæ,admittendi non sunt ad testimonij fidem. Testes non temere euocandi sunt per longum iter:& multo minus milites auocandi sunt à signis,uel muneribus, perhibendi testimonij caussa. idq; diuus Hadrianus rescripsit.Sed & diui frātres rescripserunt. Quod ad testes euocādos pertinet:diligentiæ iudicantis est explorare, quæ consuetudo in ea prouincia, in qua iudicat,fuerit. nam si probabitur, sæpe in aliam ciuitatem testimonij gratia plerosq; euocatos: non est dubitandū,quin euocandi sint, quos necessarios in ipsa cognitione deprehenderit, qui iudicat. G

IIII. PAVLVS lib.II. ad L. Iuliam & Papiam.

LEGE Iulia iudiciorum publicorum cauetur,ne inuito denuncietur, ut testimonium litis dicat aduersus socerum,generū,uitricum,priuignum,sobrinum, sobrinam, sobrinoúe natū,eosúe,qui priore gradu sint.item ne liberto ipsius liberorumúe eius,parentum,uiri,uxorisúe. Et ut nec patroni, patronæúe aduersus libertos:neq; liberti aduersus patronum cogantur testimonium dicere.

V. CAIVS lib.IIII. ad L. Iuliam & Papiam.

IN LEGIBVS, quibus excipitur, ne gener aut socer inuitus testimonium dicere cogatur: generi appellatione sponsum filiæ quoq; contineri placet:item soceri, sponsæ pātrem.

VI. LICINIVS RVFINVS lib.II. Regularum.

IDONEI non uidentur esse testes,quibus imperari potest,ut testes fiant. H

VII. MODESTINVS lib.III. Regularum.

SERVI responso tunc credendum est, cum alia probatio ad eruendā ueritatem non est.

VIII. SCAEVOLA lib. III. Regularum.

INVITI testimonium dicere nō coguntur senes,ualetudinarij, uel milites,uel illi, qui cum magistratu reipublicæ caussa absunt,uel quibus uenire non licet.

IX. PAVLVS lib.I. ad Sabinum.

TESTIS idoneus pater filio, aut filius pātri non est.

X. POMPONIVS lib.I. ad Sabinum.

NVLLVS idoneus testis in re sua intelligitur. I

XI. IDEM lib.XXXIII. ad Sabinum.

AD fidem rei gestæ faciendam etiam non rogatus testis intelligitur.

XII. VLPIANVS lib.XXXVII. ad edictum.

VBI NVMERVS testium non adijcitur,etiam duo sufficient.pluralis enim locutio duorum numero contenta est.

XIII. PAPINIANVS lib.singulari de adulteris.

QVAESITUM scio,an in publicis iudicijs calumniæ damnati,testimonium iudicio publico perhibere possint?sed neq; lege Rhemmia prohibentur: & lex Iulia de ui,& repetūdarum, & peculatus, eos homines testimonium dicere non uetuerunt. ueruntamen quod legibus omissum est,nō omittetur religione iudicantium:ad quorum officium pertinet,eius quoq; testimonij fidem,quod intēgræ frontis homo dixerit,perpendere. K

XIIII. IVLIANVS lib. singulari de ambiguitatibus.

SCIO quidem tractatum esse, an ad testamentum faciendum adhiberi possit adulterij damnatus. Et sanè iustè testimonij officio interdictum ei existimo. Ergo neq; iure ciuili testamentum ualere, ad quod huiusmodi testis processit:neq; iure prætorio, quod ius ciuile subsequitur:& neq; hæreditas adiri,neq; bonorum possessio dāri possit.

XV. PAVLVS lib. III. Sententiarum.

REPETUNDARUM damnatus, nec ad testamentum, nec ad testimonium adhiberi potest. Hermaphroditus an ad testamentū adhiberi possit, qualitas incalescentis sexus ostēdit.

XVI. IDEM lib.V. Sententiarum.

Qui

A Qui falsa uel uaria testimonia dixerunt, uel utrique parti prodiderũt: à iudicibus cõpeten ter puniantur. XVII. VLPIANVS lib. singulari Regularum.

Pater & filius, qui in potestate eius est, item duo frãtres, qui in eiusdem pãtris potesta te sunt: testes utrique in eodem testamento, uel eodem negocio fieri possunt: quoniam nihil nocet ex una domo plures testes alieno negocio adhiberi.

XVIII. PAVLVS lib. II. de adulterijs.

Ex eo, quod prohibet lex Iulia de adulterijs testimonium dicere codemnatam mulie rem: colligitur etiam mulieres in iudicio testimonij dicendi ius habere.

XIX. VLPIANVS lib. VIII. de officio proconsulis.

B Inviti testimonium nõ dicunt publicani. item is, qui non detractandi testimonij caus sa aberit. item is, qui quid exercitui præbendũ conduxerit. Sed nec pupillis testimoniũ de nunciari potest. XX. VENVLEIVS lib. II. de iudicijs publicis.

In testimonium accusator citare non debet eum, qui in iudicio publico reus erit, aut qui minor uiginti annis erit.

XXI. ARCADIVS qui & Charisius lib. singulari de testibus.

Ob carmen famosum damnatus intestabilis fit. Illud quoque incunctabile est, ut si res exigat, non tantum priuati, sed etiam magistratus (si in præsenti sint) testimoniũ dicant. Item senatus censuit, prætorem quoque dare debere testimonium in iudicio adulterij caussa.

Si ea rei conditio sit, ut arenarium testem, uel similem personam admittere cogamur: si C ne tormentis testimonio eius credendum non est. Si testes omnes eiusdem honestatis & existimationis sint, & negocij qualitas ac iudicis motus cum his concurrat: sequenda sunt omnino testimonia. Si uero ex his quidam aliud dixerint, licet impari numero, credendum quidem est, sed quod naturæ negocij conuenit, & quod inimicitiæ aut gratiæ suspitione ca ret. confirmabitque iudex motum animi sui ex argumentis & testimonijs, quæ rei aptiora, & uero proximiora esse compererit. Non enim ad multitudinem respici oportet, sed ad syn ceram testimoniorum fidem, & testimonia, quibus potius lux ueritatis adsistit.

XXII. VENVLEIVS lib. II. de officio proconsulis.

Curent magistratus cuiusque loci testari uolentibus, & seipsos, & alios testes uel signa tores præbere: quò facilius negocia explicentur, & probatio rei salua sit.

D XXIII. IDEM lib. I. de iudicijs publicis.

Prodvci testis non potest, qui ante in eum reum testimonium dixit.

XXIIII. PAVLVS lib. V. Sententiarum.

Testes eos, quos accusator de domo produxit, interrogari non placuit.

XXV. ARCADIVS lib. singulari de testibus.

Mandatis cauetur, ut præsides attendant, ne patroni in caussa, cui patrocinium præsti terunt, testimonium dicant. quod & in exsecutoribus negociorum obseruandum est.

DE IVRIS ET FACTI IGNORAN- tia. TIT. VI.

E PAVLVS lib. XLIIII. ad edictum.



Ignorantia uel iuris uel facti est. nam si quis nesciat decessisse eum, cuius bo norũ possessio defertur: non cedit ei tempus. sed si sciat quidem defunctũ esse co gnatum, nesciat autem proximitatis nomine bonorũ possessionem sibi deferri: aut se sciat scriptũ hæredem, nesciat autem, quod scriptis hæredibus bonorum possessionẽ prætor promittat: cedit ei tẽpus, quia in iure errat. Idẽ & si frater cõsanguineus defuncti credat mãtrẽ potiorẽ esse. Si quis nesciat se cognatũ esse: interdũ in iure, interdũ in facto errat. nam si & liberũ se esse, & ex quibus natus sit, sciat, iura aũt cognationis habere nesciat: in iure errat. at si fortè expositus, quorũ parentum sit, ignoret: fortasse & seruiat ali cui, putans se seruũ esse: in facto magis, quàm in iure errat. Item si quis sciat, alij quidẽ bo norũ possessionem delatam esse, nesciat autem ei tempus præterijsse bonorũ possessionis: in

facto

facto erat. Idem est, & si putet eum bonorũ possessionem accepisse. sed si sciat eum non petijsse, tempusq; ei præterijsse, ignoret autem sibi ex successorio capite bonorum possessionem competere: cedet ei tempus, quia in iure errat. Idem dicemus, si ex asse hæres institutus, non putet se bonorum possessionem petere posse ante apertas tabulas. quod si nesciat esse tabulas: in facto errat. F

II. NERATIVS lib. V. Membranarum.

In omni parte error in iure non eodem loco, quo facti ignorantia, haberi debebit, cum ius finitum esse & possit & debeat, facti interpretatio plerunq; etiam prudẽtissimos fallat.

III. POMPONIVS lib. III. ad Sabinum.

Plurimum interest, utrũ quis de alterius caussa & facto nõ sciat, an de iure suo ignoret. sed Cassius ignorantiã Sabinũ ita accipiendã existimasse refert, nõ deperditi & nimium securi hominis. G

IIII. IDEM lib. XIII. ad Sabinum.

Ivris ignorantia in usucapione negatur prodesse, facti uero ignorantiã prodesse cõstat.

V. TERENTIVS CLEMENS lib. II. ad L. Iuliam & Papiam.

Iniqvissimvm uidetur, cuiquam scientiam alterius, quam suam, nocere: uel ignorantiam alterius prodesse.

VI. VLPIANVS lib. XVIII. ad L. Iuliam & Papiam.

Nec supina ignorantia ferenda est factum ignorantis, nec scrupulosa inquisitio exigenda. Scientia enim hoc modo æstimãda est: ut neq; negligentia crassa, aut nimia securitas satis expedita sit, neq; delatoria curiositas exigatur. H

VII. PAPINIANVS lib. XIX. Quæstionum.

Ivris ignorantia non prodest adquirere uolentibus, suum uero petentibus non nocet.

VIII. IDEM lib. I. Definitionum.

Error facti ne maribus quidẽ in damnis uel cõpendijs obest: iuris aũt error nec fœminis in cõpendijs prodest. cæterũ omnibus iuris error in damnis amittẽdæ rei suæ nõ nocet.

IX. PAVLVS lib. Singulari de iuris & facti ignorantia.

Regvla est: iuris quidem ignorantiam cuiq; nocere, facti uero ignorantiam non nocere. Videamus igitur, in quibus speciebus locum habere possit: ante præmisso, quod minoribus uigintiquinq; annis ignorare permissum est. quod & fœminis in quibusdã propter sexus infirmitatem dãtur. & ideo, sicubi non est delictum, sed iuris ignorantia: non læduntur. Hac ratione si minor uigintiquinq; annis filiofamiliâs crediderit: subuenitur ei, ut non uideatur filiofamiliâs credidisse. Si filiusfamiliâs miles à commilitone hæres institutus, nesciat sibi etiam sine pãtre licere adire: per constitutiones principales ius ignorare potest. & ideo dies ei aditionis non cẽdit. Sed facti ignorantia ita demum cuiq; non nocet, si non ei summa negligentia obijciatur. Quid enim si omnes in ciuitate sciant, quod ille solus ignorat? Et rectè Labeo definit, scientiam neq; curiosissimi (neq; negligentissimi) hominis accipiendam: uerum eius, qui eam rem diligenter inquirendo, notam habere possit. Sed iuris ignorantiam non prodesse, Labeo ita accipiendum existimat: si iurisconsulti copiam habeat, uel sua prudentia instructus sit: ut cui facilè sit scire, ei detrimento sit iuris ignorantia. quod raro accipiendum est. Qui ignorauit uenditorem rei dominum esse plus in re est, quàm in existimatione mentis. & ideo tametsi existimet se non à domino emere: tamen si à domino ei tradatur, dominus efficitur. Si quis ius ignorans, lege Falcidia usus nõ sit: nocere ei, dicit epistola diui Pij. Sed & imperatores Seuerus & Antoninus in hæc uerba rescripserunt. Quod ex caussa fideicommissi indebitum dãtum est, si non per errorem solutũ est, repeti non potest. Quamobrem Cargiliani hæredes, qui cum ex testamento eius pecuniam ad opus aquæductus reipublicæ Cyrenensium relictam soluerint: non solum cautiones non exegerunt, quæ interponi solent, ut quod amplius cepissent municipes, quàm per legem Falcidiam licuisset, redderent: uerumetiam stipulati sunt, ne ea summa in alios usus conuerteretur, & scientes prudentesq; passi sunt eam pecuniam in opus aquæductus impendi: frustra postulant reddi sibi à republica Cyrenensium, quasi plus debito dẽderint: cũ I K

sit utrunq;

A fit utrunque iniquum,& pecuniam,quæ ad opus aquæductus data est,repeti: & rempublicā ex corpore patrimonij sui impendere in id opus, quod totum alienæ liberalitatis gloriam repræsentet. Quod si ideo repetitionem se eius pecuniæ habere dicunt,quod Imperitia lapsi, legis Falcidiæ beneficio usi non sint:sciant ignorantiam facti,non iuris prodesse: nec stultis solere succurri,sed errantibus. Et licet municipum mentio in hac epistola fiat:tamen & in qualibet persona idem obseruabitur. sed nec quod in opere aquæductus relicta esse pecunia proponitur,in hunc solum casum cessare repetitionem,dicendum est.nam initium constitutionis generale est. demonstrat enim,si non per errorem solutum sit fideicommissum, quod indebitum fuit,non posse repeti. Item & illa pars æquè generalis est:ut qui iuris igno
B rantia legis Falcidiæ beneficio usi non sunt,nec possint repetere.ut secundum hoc possit dici:etiam si pecunia,quæ per fideicommissum relicta est,quæque soluta est,non ad aliquid faciendum relicta sit: & licet consumpta non sit,sed exstet apud eum, cui soluta est:cessare repetitionem. X. PAPINIANVS lib.VI. *Responsorum.*


IMPVBERES sine tutore agentes, nihil posse de facto uel de iure scite intelliguntur.

DIGESTORVM SEV PANDECTARVM LIBER VICESIMVS TERTIVS.

C

DE SPONSALIBVS. TIT. I.

FLORENTINVS lib. III. *Institutionum.*



SPONSALIA sunt,mentio & repromissio futurarū nuptiarum.

II. VLPIANVS lib. *singulari de sponsalibus.*

SPONSALIA dicta sunt à spondendo.nā moris fuit ueteribus stipulari, & spondere sibi uxores futuras.

III. FLORENTINVS lib.III. *Institutionum.*

VNDE & sponsi sponsæque appellatio nata est.

IIII. VLPIANVS lib.XXXV. *ad Sabinum.*

D SVFFICIT nudus consensus ad cōstituenda sponsalia. Denique constat & absenti absentem desponsari posse,& hoc quotidie fieri.

V. POMPONIVS lib.XVI. *ad Sabinum.*

HAEC ita,si scientibus his,qui absunt, sponsalia fiant:aut si postea ratum habuerint.

VI. VLPIANVS lib.XXV. *ad Sabinum.*

SI PVELLÆ tutores ad infringenda sponsalia nuncium miserint: non putarim suffecturū ad dissoluendam nuptiarum spem hunc nuncium:non magis,quàm sponsalia posse eos solos constituere.nisi fortè omnia ista ex uoluntate puellæ facta sint.

VII. PAVLVS lib.XXXV. *ad edictum.*

IN SPONSALIBUS nihil interest,utrum testatio interponatur,an aliquis sine scriptura spon
E deat. In sponsalibus etiam consensus eorum exigendus est, quorum in nuptijs desideratur.intelligi tamen semper filiæ pātrem consentire,nisi euidenter dissentiat,Iulianus scribit.

VIII. CAIVS lib.XI. *ad edictum prouinciale.*

FVROR, quin sponsalibus impendimento sit,plus quàm manifestum est: sed postea interueniens, sponsalia non infirmat.

IX. VLPIANVS lib.XXXV. *ad edictum.*

QVAESITVM est apud Iulianum,an sponsalia sint ante duodecimum annum,si fuerint nuptiæ collatæ? Et semper Labeonis sententiam probaui existimantis, siquidem præcesserint sponsalia:durare ea,quamuis in domo loco nuptæ esse cœperit. Si uero non præcesserint:hoc ipso, quod in domum deducta est, non uideri sponsalia facta. quam sententiam Papinianus quoque probat. ff In

X. IDEM lib. III. *Disputationum.*

IN potestate manente filia, pater sponso nuncium remittere potest, & sponsalia dissolue re. Enimuero si emancipata est: non potest, neque nuncium remittere, neque quæ dotis caussa dăta sunt, cōdicere. ipsa enim filia nubendo efficit dotem esse, condictionemque exstinguit, quæ caussa nō secuta nasci poterat. Nisi fortè quis proponat, ita dōtē pătrē pro emancipata filia dědisse: ut si nuptijs non cōsentiret, repeteret, quæ dĕderat. tunc enim habebit repetitionem. F

XI. IVLIANVS lib. XVI. *Digestorum.*

SPONSALIA, sicut nuptiæ, consensu contrahentium fiunt: & ideo sicut nuptijs, ita sponsalibus filiamfamiliâs consentire oportet.

XII. VLPIANVS lib. *singulari de sponsalibus.*

SED ea, quæ pătris uoluntati non repugnat, consentire intelligitur. Tunc autem solum dissentiendi à pătre licentia filiæ conceditur: si indignū moribus, uel turpē sponsum pater ei eligat. G

XIII. PAVLVS. lib. V. *ad edictum.*

FILIO familiâs dissentiente, sponsalia eius nomine fĭeri non possunt.

XIIII. MODESTINVS lib. IIII. *Differentiarum.*

IN SPONSALIBUS cōtrahendis ætas contrahentium definita non est, ut in matrimonijs. Quapropter à primordio ætatis sponsalia effici possunt: si modo id fĭeri ab utraque persona intelligatur, id est, si non sint minores, quàm septem annorum.

XV. IDEM lib. *singulari de enucleatis casibus.*

TVTOR factam pupillam suam, nec ipse uxorem ducere, nec filio suo in matrimonio adiungere potest. Scias tamen, quod de nuptijs trăctamus, & ad sponsalia pertinere. H

XVI. VLPIANVS lib. III. *ad L. Iuliam & Papiam.*

ORATIO imperatorum Antonini & Commodi, quæ quasdam nuptias in persona senatorum inhibuit, de sponsalibus nihil locuta est: rectè tamē dicitur, etiam sponsalia in his casibus ipso iure nullius esse momenti: ut suppleatur, quod orationi deest.

XVII. CAIVS lib. I. *ad L. Iuliam & Papiam.*

SAEPE iustæ ac necessariæ caussę nō solum annū, uel bienniū, sed etiam per triennium, & quadriennium, & ulterius trahunt sponsalia: ueluti ualetudo sponsi sponsǽue, uel mortes parentum, aut capitalia crimina, aut longiores peregrinationes, quæ ex necessitate fiunt.

XVIII. VLPIANVS lib. VI. *ad edictum.*

IN SPONSALIBUS constituendis parui refert, per se & coram, an per nunciū, uel per epistolam, an per alium hoc factum sit. & ferè plerunque conditiones interpositis expediuntur. I

DE RITV NVPTIARVM. TIT. II.

MODESTINVS lib. I. *Regularum.*



NVPTIAE sunt coniunctio maris & fœminæ, consortium omnis uitæ, diuini & humani iuris communicatio.

II. PAVLVS lib. XXXV. *ad edictum.*

NVPTIAE consistere non possunt, nisi consentiant: omnes: id est qui coëunt, quorumque in potestate sunt. K

III. IDEM lib. I. *ad Sabinum.*

SI NEPOTEM ex filio, & neptem ex altero filio in potestate habeam: nuptias inter eos me solo authore contrahi posse, Pomponius scribit, & uerum est.

IIII. POMPONIVS lib. III. *ad Sabinum.*

MINOREM annis duodecim nuptam tunc legitimam uxorem fore, cum apud uirum impleſſet duodecim annos.

V. IDEM lib. IIII. *ad Sabinum.*

MVLIEREM absenti per literas eius, uel per nuncium posse nubere placuit, si in domum eius deduceretur: eam uero, quæ abesset, ex literis uel nuncio deduci à marito non posse. deductione enim opus esse in mariti, non in uxoris domum; quasi domicilium matrimonij.

Denique

A VI. VLPIANVS lib. XXXV. ad Sabinum.

DENIQVE Cinna scribit: eum, qui absentem accepisset uxorem, deinde rediens à cœna iuxta Tyberim perisset: ab uxore lugendum, responsum esse.

VII. PAVLVS lib. I. ad L. Iuliam.

IDEO QVE potest fieri, ut in hoc casu aliqua uirgo, & dotem, & de dote habeat actionē.

VIII. POMPONIVS lib. V. ad Sabinum.

LIBERTINVS libertinam matrem aut sororem uxorem ducere non potest: quia hoc ius moribus, non legibus introductum est.

IX. VLPIANVS lib. XXXV. ad Sabinum.

B SI NEPOS uxorem uelit ducere auo furente: omnimodo patris authoritas erit necessaria. Sed si pater furiat, auus sapiat: sufficit aui uoluntas. Is, cuius pater ab hostibus captus est (si non intra triennium reuertatur) uxorem ducere potest.

X. PAVLVS lib. XV. ad Sabinum.

SI ITA pater absit, ut ignoretur, ubi sit, & an sit: quid faciendum sit, meritò dubitatur. Et si triennium effluxerit, postquā apertissimè pater fuerit ignotus, ubi degat, & an superstes sit: non prohibentur liberi utriusq; sexus matrimoniū uel nuptias legitimas cōtrahere.

XI. IVLIANVS lib. XVI. Digestorum.

SI FILIUS eius, qui apud hostes est, uel abest, ante trienniū captiuitatis uel absentię patris uxorē duxerit, uel si filia nupserit: puto rectè matrimoniū uel nuptias cōtrahi: dūmodo eam C filius ducat uxorē, uel filia tali nubat, ut eius conditionē certū sit patrem nō repudiaturum.

XII. VLPIANVS lib. XXVI. ad Sabinum.

SI QVA mihi uxor fuit, deinde à me repudiata nupsit Seio, quē ego postea adrogaui: nō sunt nuptiæ incestæ. Inter me & sponsam patris mei nuptiæ non possunt cōtrahi: quanquā nouerca mea propriè non dicatur. Sed & per contrariū sponsa mea patri meo nubere nō poterit: quamuis nurus non propriè dicatur. Si uxor mea post diuortium alij nupserit, & filiam susceperit: putat Iulianus hanc quidem priuignam non esse, uerum nuptijs eius abstinendum. Adoptiuæ sororis filiam possum uxorem ducere. cognata enim mea non est filia eius: quia auunculus nemo fit per adoptionem: & hæ demum cognationes contrahuntur in adoptionibus, quæ legitimæ sunt, id est, quæ agnatorum ius habent. pari ratione & D sororem patris mei adoptiui possum ducere, si non fuit eodem patre nata.

XIII. IDEM lib. XXXIIII. ad Sabinum.

SI PATRONA tam ignobilis sit, ut ei honestæ sint, uel liberti sui nuptiæ: officio iudicis super hoc cognoscentis, hæ prohiberi non debent.

XIIII. PAVLVS lib. XV. ad Sabinum.

ADOPTIVVS filius si emancipetur: eam, quæ patris adoptiui uxor fuit, ducere non potest: quia nouercæ locum habet. Item si quis filium adoptauerit: uxorem eiusdem, quæ nurus loco est, ne quidem post emancipationem filij uxorem ducere potest: quoniam aliquando nurus eius fuit. Seruiles quoq; cognationes hoc iure obseruandæ sunt. Igitur suam matrem manumissus nō ducet uxorem. tantūdem iuris est & in sorore & sororis filia. Idem E è contrario dicendum est, ut pater filiam non possit ducere: & si ex seruitute manumissi sint & dubitetur patrem eum esse. Vnde nec uulgo quæsitam filiam pater naturalis potest uxorem ducere: quoniam in contrahendis matrimonijs naturale ius & pudor inspiciendus est. contrà pudorem autem est, filiam suam uxorem ducere. Idem tamen quod in seruilibus cognationibus constitutum est, & in seruilibus adfinitatibus seruandum est: ueluti, ut eam, quæ in contubernio patris fuerit, quasi nouercam, non possim ducere: & contrà, eam, quæ in contubernio filij fuerit, patrem quasi nurum nō ducere. æquè nec matrem eius, quā quis in seruitute uxorem habuit: quasi socrum. cum enim cognatio seruilis intelligitur: quarè nō & ad finitas intelligatur? Sed in re dubia rectius & modestius est, huiusmodi nuptijs abstinere. Nunc uideamus, quomodo nouerca & priuigna, & socrus, & nurus intelligantur: ut sciamus, quas non liceat ducere. Quidam nouercam per se patris uxorem, & nurum

filij uxorē,& priuignam uxoris ex alio marito filiam intelligunt.sed(quod ad hāc caussam) F
uerius est,nec aui uxorē,nec proaui duci posse.& duas ergo uel plures nouercas ducere non poterit.nec mirum.nam & is,qui adoptiuus est, nec naturalis pātris, nec adoptiui uxorem ducere potest.& si plures uxores pater adoptiuus habuit,nullam earum ducere possum.

Itaq; socrus appellatione non tantum uxoris meæ m iter, sed & auia & pro auia intelligitur:ut nullam earum ducere possim. Nurus quoq; appellatione non tantū uxor filij, sed & nepotis,& pronepotis continetur:licet quidā has pronurus appellent.Priuigna quoq; non solū ea mihi intelligitur,quæ uxoris meæ filia est,sed & neptis, & proneptis:ut nullam earū ducere possim.Item eius m itrem,quam sponsam habui,nō posse me uxorem ducere, Augustus interpretatus est.fuisse enim eam socrum. G

XV. PAPINIANVS *lib.IIII. Responsorum.*

VXOREM quōdam priuigni coniungi matrimonio uitrici non oportet:nec in matrimonium nouercam ei conuenire, qui priuignæ maritus fuit.

XVI. PAVLVS *lib.XXXV. ad edictum.*

ORATione diui Marci cauetur,ut si senatoris filia libertino nupsisset, nec nuptię essent. quam & senatusconsultum secutum est. Nepote uxorem ducente, & filius consentire debet.neptis uero si nubat: uoluntas & authoritas aui sufficit. Furor matrimonium contrahi non sinit:quia consensu opus est.sed rectè contractum non impedit.

XVII. CAIVS *lib.XI. ad edictum prouinciale.*

PER adoptionem quæsita fraternitas eò usq; impedit nuptias, donec manet adoptio. H
Ideoq; eam,quam pater meus adoptauit,& emancipauit,potero uxorem ducere. Æquè & si me emancipato, illam in potestate retinuerit: poterimus iungi matrimonio. Itaq; uolenti generum adoptare:suadetur,ut filiam emancipet.Similiter suadetur ei, qui nurū uelit adoptare,ut emancipet filium. Amitam quoq;,& materteram, item magnam quoq; amitā, & materteram magnam prohibemur uxorem ducere: quamuis magna amita & matertera quarto gradu sint. Vtiq; autem amitam & amitam magnam prohibemur uxorem ducere: & si per adoptionem nobis coniunctæ sunt.

XVIII. IVLIANVS *lib.XVI. Digestorum.*

NVPTIAE inter easdem personas(nisi uolentibus parentibus) renouatæ,iustæ non habentur.

XIX. MARTIANVS *lib.XVI. Institutionum,cap.53.legis Iuliæ.* I

QVI liberos, quos habent in potestate,iniuria prohibent uxorem ducere, uel nubere: uel qui dotem dāre non uolunt:ex constitutione diuorum Seueri & Antonini per proconsules præsidesq; prouinciarum coguntur in matrimonium collocare, & dotare. prohibere autem uidetur,& qui conditionem non quærit.

XX. PAVLVS *lib. Singulari ad orationem D. Seueri & Commodi.*

SCIENDVM est.ad officium curatoris non pertinere, nubat pupilla,an non:quia officiū eius in administratione negociorum constat. & D. Seuerus & Antoninus rescripserunt in hæc uerba.ad officiū curatoris administratio rerū pupillæ pertinet: nubere aūt suo arb itrio potest.

XXI. TERENTIVS CLEMENS *lib.III. ad L. Iuliam & Papiam.*

NON cogitur filiusfamiliās uxorem ducere. K

XXII. CELSVS *lib.XV. Digestorum.*

SI PATRE cogente ducit uxorem,quam non duceret,si sui arbitrij esset:contraxit tamen matrimonium,quod inter inuitos non contrahitur.maluisse enim hoc uidetur.

XXIII. IDEM *lib.XXX. Digestorum.*

LEGE Papia cauetur,omnibus ingenuis,præter senatores,eorumq; liberos,libertinam uxorem habere licere.

XXIIII. MODESTINVS *lib.I. Regularum.*

IN LIBERAE mulieris consuetudine non concubinatus, sed nuptiæ intelligendę sunt: si nō corpore quæstum fecerit.

XXV IDEM *lib.II. Regularum.*

Filius

A FILIVS emancipatus etiam sine consensu pătris uxorē ducere potest, & susceptus filius hæres ei erit. XXVI. IDEM *lib. v. Responsorum.*

REAS adulterij factas, nec ante damnationem, uiuente marito, uxores duci posse.

XXVII. VLPIANVS *lib. III. ad L. Iuliam & Papiam.*

SI QVIS in senatorio ordine agens libertinā habuerit uxorem: quamuis interim uxor non sit: attamen in ea conditione est, ut si amiserit dignitatem, uxor esse incipiat.

XXVIII. MARCIANVS *lib. X. Institutionum.*

INVITAM libertam uxorem ducere patronus non potest.

XXIX. VLPIANVS *lib. III. ad L. Iuliam & Papiam.*

B QVOD & Ateius Capito consulatu suo fertur decreuisse. hoc tamen ita obseruandum est: nisi patronus ideo eam manumisit, ut uxorem eam ducat.

XXX. CAIVS *lib. III. ad L. Iuliam & Papiam.*

SIMVLATAE nuptiæ nullius momenti sunt.

XXXI. VLPIANVS *lib. III. ad L. Iuliam & Papiam.*

SI SENATORI indulgentia principis fuerit permissum, libertinam iustam uxorem habere: potest iusta uxor esse.

XXXII. MARCELLVS *lib. I. ad L. Iuliam & Papiam.*

SCIENDVM est, libertinum, qui se ingenuo dĕdit adrogandum: quamuis in eius familia ingenui iura sit consecutus: ut libertinum tamen à senatorijs nuptijs repellendum esse.

C XXXIII. IDEM *lib. III. ad L. Iuliam & Papiam.*

PLERIQ; opinantur, cum eadem mulier ad eundem uirum reuertatur, id matrimonium idem esse. quibus adsentior: si non multo tempore interposito, reconciliati fuerint: nec inter moras aut illa alij nupserit, aut is aliam duxerit: maximè si nec dōtem uir reddiderit.

XXXIIII. PAPINIANVS *lib. IIII. Responsorum.*

GENERALI mandatu quærēdi mariti filiæfamiliâs non fieri nuptias, rationis est. itaq; personam eius pătri demonstrari, qui matrimonio consensit, ut nuptiæ contrahantur, necesse est. Ream adulterij, quam uir iure mariti postulauit, non prohibetur post abolitionem denuo uxorem ducere. Sed & si non iure mariti ream postulauit: iure contractum matrimonium uidebitur. Inter priuignos contrahi nuptiæ possunt: & si frătrem communem

D ex nouo parentum matrimonio susceptum habeant. Filiam senatoris, nuptias liberti ni secutam, pătris casus non facit uxorem. Nam quæsita dignitas liberis propter crimen pătris auferenda non est.

XXXV. IDEM *lib. VI. Responsorum.*

FILIVS familiâs miles matrimonium sine pătris uoluntate non contrahit.

XXXVI. PAVLVS *lib. V. Quæstionum.*

TVTOR uel curator pupillam uel adultam ducere non potest: nisi à pătre desponsa, destinataúe testamento, nominata conditione nuptijs, secuta fuerit.

XXXVII. IDEM *lib. VII. Responsorum.*

LIBERTVM curatoris puellæ prohiberi oportet uxorem eandem ducere.

E XXXVIII. IDEM *lib. II. Sententiarum.*

SI QVIS officium in aliqua prouincia administrat: inde oriundam, uel ibi domicilium habentem, uxorem ducere non potest, quamuis sponsare non prohibeatur: ita scilicet, ut si post officium depositum mulier nuptias contrahere noluerit, liceat ei hoc facere, arris tantummodo redditis, quas acceperat. Veterem sponsam in prouincia, quam quis administrat, uxorem ducere potest, & dos data non fit caduca. Qui in prouincia aliquid administrat, in ea prouincia filias suas in matrimoniū collocare, & dōtem constituere non prohibetur. XXXIX. IDEM *lib. VI. ad Plautium.*

SORORIS proneptem non possum ducere uxorem: quoniam parentis ei loco sum. Si quis ex his, quas moribus prohibemur uxores ducere, duxerit: incestum dicitur cōmittere.

XL. POMPONIVS *lib. III. ex Plautio.*



ARISTO respondit, priuignæ filiam non magis uxorem ducere posse, quàm ipsam pri- F
uignam. XLI. MARCELLVS *lib. XXVI. Digestorum.*

PROBRVM intelligitur & in his mulieribus esse, quæ turpiter uiuerent, uulgoq́; quæ-
stum facerent, etiam si non palam. Et si qua se in concubinatum alterius, quàm patroni
tradidisset: matrisfamiliâs honestatem non habuisse eam dico.

XLII. MODESTINVS *lib. singulari de ritu nuptiarum.*

SEMPER in coniunctionibus, non solum quid liceat, considerandum est: sed & quod ho-
nestum est. Si senatoris filia, neptis, proneptis, libertino uel qui artem ludicram exercue-
rit, cuiusúe pater materúe id fecerit, nupserit: nuptiæ non erunt.

XLIII. VLPIANVS *lib. III. ad L. Iuliam & Papiam.* G

PALAM QVAESTVM FACERE, dicimus non tantum eam, quæ in lupanario se prosti
tuit: uerum etiam si qua (ut solet) in taberna, caupona, uel aliâs pudori suo non parcit. PA-
LAM autem sic accipimus, passim, hoc est sine delectu: non si qua adulteris uel stupratori-
bus se committit, sed quæ uicem prostitutæ sustinet. Item quæ cum uno & altero se, pecu-
nia accepta, commiscuit: non uidetur palam corpore quæstum facere. Rectissimè tamen O-
ctauenus ait: etiam eam, quæ sine quæstu palam se prostituerit, debuisse his connumerari.
Non solum autem ea, quæ facit: uerum ea quoq;, quæ fecit, & facere desijt, lege notatur.
neq; enim aboletur turpitudo, quæ postea intermissa est. Non est ignoscendum ei, quæ
obtentu paupertatis turpissimam uitam egit. Lenocinium facere nô minus est, quàm cor
pore quæstum exercere. Lenas autem eas dicimus, quæ mulieres quæstuarias prostituunt. H
Lenam accipiemus & eam, quæ alterius nomine hoc uitæ genus exercet. Si qua caupo-
nam exercens, in ea quæstuaria corpora habet (ut multæ adsolent, sub prætextu instrumen
ti cauponarij prostitutas mulieres habere) dicendum, hanc quoq; lenæ appellatione conti-
neri. Senatus censuit, non conueniens esse ulli senatori, ducere uxorē aut retinere damna-
tam publico iudicio, quo cuilibet ex populo experiri licet: nisi si cui lege aliqua accusandi pu
blico iudicio nô est potestas. Si qua calũniæ nomine in iudicio damnata sit ex caussa pu-
blici iudicij: sed & quæ præuaricationis caussa dânata sit: publico iudicio condênata esse nô
uidetur. Quæ in adulterio deprehensa est, quasi publico iudicio damnata est. Proinde si
adulterij damnata esse proponatur: nô tantum, quia deprehensa est, erit notata: sed & quia
publico iudicio damnata est. At si non sit deprehensa, damnata autem: idcirco notatur, I
quia publico iudicio damnata est. Si deprehensa quidem sit, damnata autem non sit nota-
ta erit. Ego puto, & si absoluta sit post deprehensionem, adhuc tamen notam illi obesse de-
bere: quia uerum est, eam in adulterio deprehensam: quia factum lex, non sententia notat.
Non adijcitur hic uti in lege Iulia de adulterijs, à quo, uel ubi deprehensa sit. Proinde siue
maritus, siue quis alius deprehendisse proponatur: uidetur notata. Sed & si non in domo
mariti, uel pâtris sui deprehensa sit, erit notata secundum uerba legis.

XLIIII. PAVLVS *lib. I. ad L. Iuliam & Papiam.*

LEGE Iulia cauetur. QVI SENATOR EST, QVI'VE FILIVS, NEPOS'VE EX FILIO,
PRONEPOS'VE EX EIVS FILIO NATVS CVIVS EORVM EST, ERIT: NE QVIS EO-
RVM SPONSAM, VXOREM'VE SCIENS DOLO MALO HABETO LIBERTINAM, AVT K
EAM, QVAE IPSA, CVIVS'VE PATER MATER'VE ARTEM LVDICRAM FACIT, FE-
CERIT. NE'VE SENATORIS FILIA, NEPTIS'VE EX FILIO, PRONEPTIS'VE EX NE-
POTE, EX FILIO NATO, NATA: LIBERTINO, EI'VE, QVI IPSE, CVIVS'VE PATER,
MATER'VE ARTEM LVDICRAM FACIT, FECERIT: SPONSA NVPTA'VE SCIENS
DOLO MALO ESTO: NE'VE QVIS EORVM DOLO MALO SCIENS SPONSAM VXO-
REM'VE EAM HABETO. Hoc capite prohibetur senator libertinam ducere, eamúe, cu-
ius pater materúe artem ludicram fecerit: item libertinus senatoris filiam ducere. Non
autem obest, auum & auiam artem ludicram fecisse: nec distinguitur, an pater in potestate
habeat filiam, nec ne. Tamen iustum pâtrem intelligendũ Octauenus ait: matrem, etiam
si uulgo conceperit. Itē nihil refert, naturalis sit pater, an adoptiuus. sed an & is noceat, qui
ante

A ante, quàm adoptaret, artem ludicram fecerit: atque si naturalis pater, antè quàm filia nasceretur, fecerit. Et si huius notæ homo adoptauerit, deinde emancipauerit: an non possit duci, ac si talis pater naturalis decessisset. Sed de hoc casu contrariam legis sententiã esse Pomponius rectè putat, ut eis non connumeretur. Si postea ingenuæ uxoris pater materue, artem ludicram facere cœperit: iniquissimum est, dimittere eam debere, cum nuptiæ honestæ contractæ sint, & fortè iam liberi procreati sint. Planè si ipsa artem ludicram facere cœperit: utique dimittenda erit. Eas quoque, quas ingenui cæteri prohibentur ducere uxores, senatores non ducent.

XLV. VLPIANVS lib. III. ad L. Iuliam & Papiam.

B IN EO iure, quo dicitur, INVITO PATRONO LIBERTAM, QVAE EI NVPTA EST, ALII NVBERE NON POSSE: patronum accipimus (ut rescripto Imperatoris nostri & diui Seueri pãtris eius cõtinetur) & eum, qui ea lege emit, ut manumittat: quia manumissa liberta emptoris habetur. Qui autem iurauit se patronum, hoc idem nõ habebit. nec is quidem debet habere, qui non suis numis comparauit. Planè si filiusfamiliâs miles esse proponatur: non dubitamus, si castrensis peculij ancillam manumiserit, cõpetere ei hoc ius. est enim patronus secundum constitutiones, nec pãtri eius hoc ius competit. Hoc caput ad nuptã tantum libertam pertinet, ad sponsam nõ pertinet. & ideo si inuito patrono nuncium sponsa liberta remiserit: cum alio cõnubium habet. Deinde ait lex. INVITO PATRONO. INVITVM accipere debemus eum, qui non consensit ad diuortium. Idcirco neque à furioso di-

C uertendo, soluit se hüius legis necessitate: nec si ab ignorante diuerterit. rectius enim hic inuitus dicitur, quàm qui dissentit. Si ab hostibus patronus captus esse proponatur: uereor, ne possit ista connubium habere nubendo, quemadmodum haberet, si mortuus esset. Et quidem Iuliani sententia probatur dicentis, non habitutam connubium. putat enim Iulianus, durare eius libertę matrimonium etiam in captiuitate, propter patroni reuerentiam. Certè si in aliam seruitutẽ patronus sit deductus: proculdubio dissolutũ matrimoniũ est.

XLVI. CAIVS lib. IX. ad L. Iuliam & Papiam.

ILLVD dubitationis est, an etiam qui communem libertam uxorem duxerit, ad hoc ius admittatur. Iabolenus negauit: quia non propriè uideatur eius liberta, quę etiã alterius sit. Alijs contrà uisum est: quia libertam eius esse negari non possit, licet alterius quoque sit li-

D berta. quam sententiam plerique rectè probauerunt.

XLVII. PAVLVS lib. II. ad L. Iuliam & Papiam.

SENA toris filia, quæ corpore quæstum, uel artem ludicram fecerit, aut iudicio publico damnata fuerit: impunè libertino nubit. nec enim honos ei seruatur, quæ se in tantũ scelus deduxerit.

XLVIII. TERENTIVS CLEMENS lib. VIII. ad L. Iuliam & Papiam.

FILIO patroni in libertam paternam, càndemque uxorem idem iuris, quod ipsi patrono daretur, ex sententia legis accommodatur. Idemque dicendum erit, & si alterius patroni filius uiuo altero libertam eorum uxorem duxerit. Si ignominiosam libertam suam patronus uxorem duxerit placet, quia contra legem maritus est, non habere cum hoc legis beneficium. Si uni ex filijs adsignatam, alter uxorem duxerit: non idem ius, quod patrono

E tribuendum. nihil enim iuris habebit: quia senatus omne ius libertorum adsignatorum ad eum transtulit, cui id pater tribuit.

XLIX. MARCELLVS lib. I. ad L. Iuliam & Papiam.

OBSERVANDVM est, quod inferioris gradus homines ducant uxores eas, quas hi, qui altioris dignitatis sunt, ducere legibus propter dignitatem prohibentur. At cotrà, antecedentis gradus homines non possunt eas ducere, quas ijs, qui inferioris dignitatis sunt, ducere non licet.

L. IDEM lib. III. ad L. Iuliam Papiam.

PROXIMè constitutum dicitur, ut cum quis libertam suam duxerit uxorem, quam ex fideicommissi caussa manumiserit: liceat libertæ inuito eo nuptias contrahere. Puto: quia non erat ferendus is, qui ex necessitate manumisit, non suo arbitrio. magis enim de-

bitam libertatem præstitit, quàm ullum beneficium in mulierem contulit. F

LI. LICINIVS RVFINVS *lib.I. Regularum.*

MATRIMONIJ caussa ancilla manumissa, à nullo alio uxor duci potest, quàm à quo manumissa est: nisi patronus matrimonio eius renunciauerit. Si autem filiusfamiliâs matrimonij caussa iussu pâtris ancillam manumisserit: Iulianus putat, perinde illam haberi, atque si à pâtre eius manumissa esset. & ideo potest eam uxorem ducere.

LII. PAVLVS *lib. VI. ad Sabinum.*

INCESTÆ nuptiæ neque dôtem habent: & ideo quod preceptũ est (licet fructuum nomine) auferetur. LIII. CAIVS *lib.I. ad edictum prouinciale.*

NVPTIAE consistere non possunt inter eas personas, quæ in numero parentum liberorumúe sunt, siue proximi, siue ulterioris gradus sint, usque ad infinitum. G

LIIII. SCAEVOLA *lib.I. Regularum.*

ET nihil inter est, ex iustis nuptijs cognatio descendat, an uero non. nam & uulgo quęsitam sororem quis uetatur uxorem ducere.

LV. CAIVS *lib.XI. ad edictum prouinciale.*

QVIN etiam nefas existimatur, eam quoque uxorem ducere, quæ per adoptionem filia neptisúe esse cœperit: in tantum, ut & si per emancipationem adoptio dissoluta sit, idem iuris maneat. Pâtris adoptiui mei mâtrem, aut materteram, aut neptem ex filio, uxorẽ ducere non possum: scilicet si in familia eius sim. alioquin, si emancipatus fuero ab eo: sine dubio nihil impedit nuptias: scilicet, quia post emancipationem extraneus intelligor. H

LVI. VLPIANVS *lib.IIII. Disputationum.*

ETIAM si concubinam quis habuit sororis filiam, licet libertinam, incestum cõmittitur.

LVII. MARTIANVS *lib. II. Institutionum.*

QVI in prouincia officium aliquod gerit: prohibetur etiam consentire filio suo uxorem ducenti. LVIII. PAPINIANVS *lib. singulari de adulterijs.* MARTIANVS *notat.*

DIVVS Marcus & Lucius imperatores Flauiæ Tertyllę per Mensorem libertum ita rescripserunt. mouemur & temporis diuturnitate, quo ignara iuris in matrimonio auunculi tui fuisti, & quod ab auia tua collocata es, & numero liberorum uestrorum: idcirco cum hęc omnia in unum concurrant, confirmamus statum liberorum uestrorum in eo matrimonio quæsitorum, quod ante annos quadraginta contractum est, perinde atque si legitimè concepti fuissent. LIX. MARTIANVS *lib. IIII. Regularum.* I

A DIVO Pio rescriptum est. si libertina senatorem deceperit, quasi ingenua, & ei nupta est: ad exemplum prętorij edicti dandam in eam actionem: quia ex dôte nullum lucrum habet, quæ nulla est.

LX. PAVLVS *lib. singulari de adsignatione libertinorum.*

SENATUSconsulto, quo cautum est, ne tutor pupillam, uel filio suo, uel sibi nuptũ collocet: etiam nepos significatur.

LXI. IDEM *lib. singulari ad orationem D. Antonini & Commodi.*

SI QVIS tutor quidem non sit, periculum tamen tutelæ ad eum pertineat: an sententia orationis cõtineatur? ueluti si pupilla ab hostibus capta fuerit, aut falsis allegationibus à tutela se excusauerit, aut ex sacris cõstitutionibus periculũ ad eum pertineat. Et dicendum est, hos quoque ad senatusconsultum pertinere. nam & huiusmodi periculum in numerum trium tutelarum computari comprobatum est. Sed si propter alterius personã periculum ad eum peruenit: uideamus, ne extra sententiã senatuscõsulti sit. ueluti si magistratus, in tutelę periculum inciderit, uel fideiusserit quis pro tutore, uel curatore, quia nec in numerum trium tutelarum hæc imputantur: consequens est & hoc probare. Quid ergo si honoris caussa tutor dâtus sit: quatinus nec huiusmodi tutela in numerum computatur, nunquid idem sit? sed ratio in contrarium ducit: quod dictum est, honorarium tutorem periculũ solere pati, si malè passus sit ad ministrari tutelã. Quin autẽ ille, qui cum dâtus est tutor, cessat in administratione, pertineat ad orationẽ, nõ est dubitandũ: quia perinde tenetur K

exsa-

A ex sacris constitutionibus, atque si gessisset. Quid ergo, si cum se uellet excusare aliquo titu/lo, nec in promptu probationes haberet, excusationis negocium fuerit dilatum, & inter moras pupilla adoleuerit: an ad senatusconsultum pertineat? Quaestio in eo est, an post pubertatem officio finito excusationem eius recipi oporteat? nam si recipiatur, & excusauerit: impune potest ducere. si uero non debeat recipi post officium finitum: non recte ducit. Et ait Papinianus libro quinto responsorum, officio finito excusationem recipi non oportere. & ideo exacti temporis periculum ad eum pertinere. Sed mihi hoc nequaquam placet. iniquum est enim propter dilationem, quae forte non dolo, sed ex necessitate contigit, non excusari, uel nuptias impediri excusatione percepta. Quamuis uerbis orationis cautum est, B ne uxorem tutor pupillam suam ducat: tamen intelligendum est, ne desponderi quidem posse. Nam cum qua nuptiae contrahi non possunt, haec plerunque ne quidem desponderi potest. nam quae duci potest: iure despondetur. Quid ergo, si adoptiuus filius tutoris duxerit pupillam illicite, posteaque emancipatus fuerit? credendum est de adoptiuis emancipatis senatum non sensisse: quia post emancipationem in totum adoptiuę familię obliuiscuntur. Naturales liberi, licet in adoptionem dati fuerint, senatusconsulto continentur. Quid ergo, si tutor datus prouocauit, & postea haeres eius uictus est? praeteriti temporis periculum praestare debet, an uero si filius haeres fuit, & uictus est, ad orationem pertineat? & consequens est hoc probare: quoniam rationem debet reddere.

LXII. PAPINIANVS lib. XXXII. *Quaestionum.*

C DOTE propter illicitum matrimonium caduca facta, exceptis impensis necessariis, quae dotem ipso iure minuere solent: quod iudicio de dote redditurus esset maritus, soluere debet.

LXIII. IDEM lib. IIII. *Responsorum.*

QVANQUAM in arbitrio matris pater esse uoluit, cui nuptum filia communis collocaretur: frustra tamen ab ea tutor datus eligetur. Neque enim intelligitur pater de persona tutoris cogitasse: cum ideo maxime matrem praetulit, ne filiae nuptias tutori committeret. Mulier liberto uiri ac patroni sui mala ratione coniungitur. Tutor, qui rationes curatori reddidit pupillam suam ante constitutum tempus ętatis eius uxorem ducere, nec matrem ex alio matrimonio factam, potest.

LXIIII. IDEM lib. VII. *Definitionum.*

D PRAEfectus cohortis, uel equitum, aut tribunus, si contra interdictum eius prouinciae duxit uxorem, in qua officium gerebat: matrimonium non erit. quę species pupillae comparanda est: cum ratio potentatus nuptias prohibuerit. Sed an huic quoque, si uirgo nupserit, non sit auferendum, quod testamento relictum est, deliberari potest. exemplo tamen pupillae nuptae tutori, quod relictum est, potest mulier consequi: pecuniam tamen in dotem datam mulieris haeredi restitui necesse est.

LXV. CALLISTRATVS lib. II. *Quaestionum.*

LIBERTVM, eundemque tutorem pupillae, eo quod in matrimonium collocata ipsa tutori suo uel filio eius esset: senatus relegandum censuit. senatusconsulti, quo prohibentur tutores & filii eorum pupillas suas ducere: puto haeredem quoque tutoris extraneum sententia ad/E prehendi: cum ideo prohibuerit huiusmodi nuptias, ne puellae in re familiari circumscribantur ab his, qui rationes eis gestae tutelae reddere compelluntur. Tutor autem pupilli non prohibetur filiam suam collocare pupillo suo in matrimonio.

LXVI. PAVLVS lib. V. *Responsorum.*

EOS, qui in patria sua militarent, non uideri contra mandata ex eadem prouincia uxorem ducere: idque etiam quibusdam mandatis contineri. Idem respondi mihi placere, & si contra mandata contractum sit matrimonium in prouincia: tamen post depositum officium, si in eadem uoluntate perseueraret iustas nuptias effici: & ideo postea liberos natos ex iusto matrimonii, legitimos esse.

LXVII. IDEM lib. II. *Sententiarum.*

NON EST matrimonium, si tutor uel curator pupillam suam intra uicesimum & septimum

mum annum non desponsatam à pâtre, neq; testamento destinatā ducat uxorem, uel eam F
filio suo iungat, quo facto uterq; infamatur, & pro dignitate pupillæ extra ordinem coërcetur. nec interest, filius sui iuris, an in pâtris potestate sit tutoris curatorisúe. Libertum etiam pupillam, cuius patronus res administrat, uxorem ducere, satis inciuile est.

LXVIII. TRIPHONINVS *lib. IX. Disputationum.*

NON solum uiuo tutore, sed & post mortem eius filius tutoris ducere uxorem prohibetur eā, cuius tutelæ rationi obstrictus pâter fuit. Nec puto interesse, exstiterit ei hæres filius, an abstinuerit paterna hæreditate: an nec hæres fuerit, fortè ex hæredatus, aut præteritus, uel emancipatus. Nam fieri potest, ut per fraudem in eum collata bona pâtris propter tutelam, reuocari oporteat. De uno dubitari potest. si auus tutelam gessit neptis ex filio emancipato natæ: an nepoti ex altero filio eam collocare possit siue emancipato, siue manenti in potestate: quia paris affectionis caussa suspitionem fraudis amouet. Sed & si senatusconsultum stricto iure contra omnes tutores nititur: attamen summæ affectionis auitę intuitu, huiusmodi nuptiæ concedendæ sunt. Sed & si filiusfamiliâs tutor puellæ uel curator fuit: puto magis, pâtri eius nō oportere eam nubere. Nunquid nec frâtri, qui est in eiusdem potestate? Sed uideamus, si Titij filius duxerit uxorem eam, quę tua pupilla fuit, deinde Titium uel filium eius adoptaueris, an petimâtur nuptiæ, ut in genero adoptato dictum est: an adoptio impediatur? quod magis dicendū est. Et si curator, dum gerit curam, adoptauerit maritum eius puellæ, cuius curator est: idem iuris est. Nam finita iam tutela, & nupta puella alij: uereor, ne longum sit adoptionē mariti eius impedire, quasi propter hoc interponatur, H
ut ratio tutelæ reddendæ cohibeatur: quam caussam prohibitionis nuptiarum contrahendarum oratio diui Marci continet. Et siquidem curator uentri bonisq; datus sit: prohibitionem eiusdem senatuscōsultum inducit. nam & hic debet rationem reddere. nec spacium administrationis mouere nos debet: quia nec in tutore, nec curatore discrimen maioris aut minoris temporis, quo in huiusmodi munere quis fuerit habitum est. Si pupillæ tutelam Titius administrauerit, uel curator negocia gesserit, eaq; nondum recepta ratione decesserit, filia hærede relicta: quærenti, an eam filio suo Titius posset collocare in matrimonium? dixi posse: quia ratio hæreditaria esset, & si simplex debitū. alioquin omnis debitor eam, cui obligatus esset ex aliqua ratione, prohiberetur sibi filioq; suo coniungere. Sed & is, qui pupillam abstinet bonis patris sui, rationem eius rei prę̄stare debet. & sic fieri potest, ut I
& si inconsultus hoc fecerit: hoc nomine condemnari debeat. Sed & si optimo consilio usus sit, auxilio prætoriæ iurisdictionis, quia non soluendo pater eius decesserat: nihilominus tamen (quia in iudicio hoc probari oportet) impediuntur nuptiæ. Nam & qui benē tutelam & ex fide administrauit: nihilominus prohibetur.

LXIX. PAVLVS *lib. singulari ad Senatusconsultum Iulianum.*

IVRE gentium incestū committit, qui ex gradu ascendentium uel descendentium uxorem duxerit. Quid uero ex latere eam duxerit, quæ uetatur: uel ad finem, quam impeditur: si quidem palam fecerit, leuius: si uero clam hoc commiserit, grauius punitur. Cuius diuersitatis illa ratio est circa matrimoniū, quod ex latere nō benē cōtrahitur: quod palam delinquētes, ut errantes maiore pœna excusantur: clam cōmittentes, ut contūmaces plectuntur. K

DE IVRE DOTIVM. TIT. III.

PAVLVS *lib. IX. ad Sabinum.*



DOTIS caussa perpetua est, cum uoto eius, qui dat, ita cōtrahitur, ut semper apud maritū sit. II. IDEM *lib. LXII. ad edictum*

REI publicę interest mulieres dotes saluas habere, propter quas nubere possint. III. VLPIANVS *lib. LXIII. ad edictum.*

DOTIS appellatio non refertur ad ea matrimonia, quæ consistere non possunt. neque enim dos sine matrimonio esse potest. ubicūq; igitur matrimonij nomē nō est, nec dos est.

IIII. PAVLVS *lib. VI. ad Sabinum.*

Si

A Si proprietati nudæ in dotem datæ usus fructus accesserit: incrementum uidetur dotis, non alia dos: quemadmodum si quid alluuione accessisset.

V. VLPIANVS lib. XXXI. ad Sabinum.

Profecticia dos est, quæ à patre uel parente profecta est, de bonis eius uel facto eius. Siue igitur parens dedit dotem, siue procurator eius, siue iussit alium dare, siue cum quis dedisset negocium eius gerens, parens ratum habuit: profectitia dos est. Quid si quis patri donaturus, dotem dedit? Marcellus libro sexto Digestorum scripsit, hanc quoque à patre profectam esse. & est uerum. Sed & si curator furiosi, uel prodigi, uel cuiusuis alterius dotem dederit: similiter dicemus, dotem profectitiam esse. Sed & si proponas præsidem, uel
B præsidem decreuisse, quantum ex bonis patris ab hostibus capti, aut à latronibus oppressi filiæ in dotem detur: habetur ea quoque profectitia. Si pater repudiauerit hæreditatem dotis constituendæ caussa: fortè quod maritus erat substitutus, aut quia potuit ab intestato hæreditatem uindicare: dotem profecticiam non esse, Iulianus ait. Sed & si legatum in hoc repudiauerit pater, ut apud generum hæredem remaneat dotis constituendæ caussa: Iulianus probat, non esse profectum id de bonis patris: quia nihil erogauit de suo pater, sed nec adquisijt. Si pater non quasi pater, sed alio dotem promittente fideiusserit, & quasi fideiussor soluerit: Neratius ait non esse profectitiam dotem: quamuis pater seruare à reo id, quod soluit, non possit. Sed si pater dotem promisit, & fideiussorem uel reum pro se dedit: ego puto, profectitiam esse dotem. sufficit enim, quod pater sit obligatus, siue reo, siue fide-
C iussori. Si filiusfamilias mutuatus pecuniã, creditorẽ delegauit, ut daret pro filia dotem: uel etiã ipse accepit, & dedit: uideri dotẽ ab auo profectã, Neratius ait hactenus, quatenus auus esset dotaturus neptẽ suã. id enim in rem aui uideri uersum. Si quis certam quantitatem patri donauit, ita ut hanc pro filia daret: nõ esse profecticiam, Iulianus libro decimoseptimo Digestorum scribit. obstrictus est enim, ut det: aut si nõ dederit, condictione tenetur. Hoc in m itre iuris esse ait, si fortè sub ea conditione uxor marito det, ut pro filia genero in dotẽ daret: nec uideri uxorẽ marito donasse. Rectissimè ergo ait, ut nõ sit interdicta donatio iure ciuili. nõ enim hoc dedit, ut ipse habeat, sed ut genero pro filia expendat. deniq; si non dederit, cõdictione tenetur. esse igitur dotẽ istam aduentitiã, Iulianus ait, & ita utimur.

Sfiliusfamilias dotẽ promiserit, & sui iuris factus dederit: profectitiam esse dotẽ constat.
D non enim pro hæreditate patris æs alienum soluit: sed suum æs alienum susceptum, dum filiusfamilias esset, paterfamilias factus exonerauit. Si pater pro filia emancipata dotem dederit: profecticiam nihilominus dotem esse, nemini dubium est. quia non ius potestatis, sed parentis nomen dotem profecticiam facit. Sed ita demum, si ut parens dederit. cæterum si cum deberet filiæ, uoluntate eius dedit: aduentitia dos est. Papinianus libro decimo Quæstionũ ait. cum pater curator suæ filiæ iuris sui effectæ dotem pro ea constituisset: magis eum quasi patrem id, quàm quasi curatorem fecisse uideri. Adoptiuum quoq; patrem, si ipse dotem dederit, habere eius repetitionem, Iulianus ait. Si quis pro aliena filia dotem promiserit, & promissori pater heres exstiterit: Iulianus distinguit. interesse, ante nuptias pater hæres exstiterit, & dotem dederit, an postea. si ante: uideri dotem ab eo profe-
E ctam. potuisse enim nunciũ remittendo resoluere dotem. quod si post nuptias: nõ esse profecticiam.

VI. POMPONIVS lib. XIIII. ad Sabinum.

Ivre succursum est patri, ut filia amissa solacij loco cederet, si redderetur ei dos ab ipso profecta: ne & filiæ amissæ, & pecuniæ damnũ sentiret. Si pater alienum fundum bona fide emptum in dotem dederit: ab ipso profectus intelligitur. Si in dote danda circumuentus sit alteruter & maiori annis uigintiquinq; succurrendum est: quia bono & æquo non conuenit, aut lucrari aliquem cum damno alterius, aut damnum sentire per alterius lucrum.

VII. VLPIANVS lib. XXXI. ad Sabinum.

Dotis fructus ad maritum pertinere debere, æquitas suggerit. cum enim ipse onera matrimonij subeat: æquum est eum etiam fructus percipere. Si fructus constante matrimonio percepti sint: dotis non erunt. si uero ante nuptias percepti fuerint: in dotem

con

conuertentur, nisi fortè inter maritum futurum & destinatam uxorem aliud conuenit. tunc F
enim quasi donatione facta fructus non redduntur. Si usus fructus in dotem dătus sit, uideamus, utrum fructus reddendi sint, nec ne. Et Celsus libro decimo Digestorum ait, interesse, quid acti sit: & nisi appareat aliud actū, putare se ius ipsum in dotem esse, non etiam fructus, qui percipiŭtur. Si res in dotem dentur: puto in bonis mariti fieri: accessionemq́ temporis marito ex persona mulieris concedendam. Fiunt autem res mariti, si cōstante matrimonio in dotem dentur. Quid ergo si ante matrimonium? siquidem sic dĕdit mulier, ut statim eius fiant: efficiuntur eius. Enimuero si hac condicione dĕderit, ut tunc efficiantur, cū nupserit: sine dubio dicemus tunc eius fieri, cum secutæ fuerint nuptiæ. Proinde si fortè nuptiæ non sequantur, nuncio remisso: siquidem sic dĕdit mulier, ut statim uiri res fiant: condicere eas debebit, remisso nūcio. Enimuero si sic dĕderit, ut secutis nuptijs incipiant esse: nuncio remisso, statim eas uindicabit. Sed ante nuncium remissum si uindicabit: exceptio poterit nocere uindicanti aut doli, aut in factum. dōti enim destinata non debebunt uindicari G

VIII. CALLISTRATVS *lib. II. Quæstionum.*

SED nisi euidenter hoc factum fuerit: credendum est hoc agi, ut statim res sponsi fiant & nisi nuptiæ secutæ fuerint, reddantur.

IX. VLPIANVS *lib. XXXI. ad Sabinum.*

SI EGO Seiæ res dĕdero, ut ipsa suo nomine in dotem det: efficientur eius, licet nō in dōtem sint dătæ. sed condictione tenebitur. Quod si pro ea res ego dem, siquidē ante nuptias: inter est, qua conditione dĕdi: utrū, ut statim fiant accipientis, an secutis nuptijs. & si statim: H
nuncio remisso condicam. sin uero non statim: porero uindicare, quia meæ res sunt. Quarè si sequi nuptię non possunt propter matrimonij interdictionem: ex posteriore casu res meę remanebunt. Si res alicui tradidero, ut nuptijs secutis dōtis efficiantur, & ante nuptias decessero: an secutis nuptijs dōtis esse incipiant? Et uereor, ne non possint in dominio eius effici, cui dătæ sunt: & quia post mortem incipiat dominium discedere ab eo, qui dĕdit: & quia pendet donatio in diem nuptiarum, & cum conditio nuptiarum sequitur, iam hæredis dominium est, à quo discedere nō posse rerum dominium inuito eo fatendum est. Sed benignius est, fauore dōtium, necessitatē imponi hæredi consentire ei, quod defunctus fecit: aut si distulerit, uel absit, etiam nolente uel absente eo, dominiū ad maritum ipso iure transferri, ne mulier indotata sit. Dōtis autē caussa dăta accipere debemus ea, quæ in dotem dantur. Cæterum si res dentur in ea, quæ Græci παράφερνα dicunt, quæq́ Galli peculium appellant: uideamus, an statim efficiantur mariti. Et putem, si sic dentur, ut fiant, effici mariti: I
& cum distractum fuerit matrimonium, nō uindicari oportere, sed condici, nec dōtis actione peti, ut diuus Marcus imperator noster cum pătre rescripsit. Planè si rerum libellus marito detur, ut Romę uulgo fieri uidemus: (nam mulier res, quas solet in usu habere in domo mariti, neq́ in dotem dat: in libellum solet conferrē, eumq́ libellū marito offerre, ut is subscribat, quasi res acceperit: & uelut chirographum eius uxor retinet, res, quæ libello continentur, in domum eius se intulisse) hæ igitur res, an mariti fiant, uideamus. Et non puto. nō quod ei non tradantur. quid enim inter est, inferantur uolente eo in domum eius, an ei tradantur? sed quia nō putem hoc agi inter uirūm & uxorem, ut dominium ad eum transferatur: sed magis, ut certum sit in domum eius illata, ne si quandoq́ separatio fiat, negetur. Et K
quia plerunq́ custodiam earum maritus repromittit, nisi mulieri cōmissæ sint: uidebimus, harum rerum nomine (si non reddantur) utrum rerum amotarum, an depositi, an mandati mulier agere possit? Et si custodia marito cōmittitur: depositi uel mandati agi poterit. si minus: agetur rerum amotarum, si animo amouendi maritus retineat: aut ad exhibendum, si non amouere eas adnisus sit.

X. IDEM *lib. XXXIIII. ad Sabinum.*

PLERUNQ́ interest uiri, res non esse æstimatas: idcirco, ne periculum rerum ad eum pertineat: maximè si animalia in dotem acceperit, uel uestem, qua mulier utitur. eueniet enim si æstimata sit, & eam mulier attriuerit, ut nihilominus maritus æstimationem earum, præstet.

A ſtet. Quoties igitur non æſtimatæ res in dotem dantur: & meliores & deteriores mulieri fiunt. Si prædijs inæſtimatis aliquid acceſſerit: hoc ad compendium mulieris pertinet. ſi aliquid deceſſerit mulieris damnum eſt. Si ſerui ſobolem ediderunt: mariti lucrum non eſt. ſed fœtus dotalium pecorum ad maritum pertinent: quia fructibus computantur. ſic tamen, ut ſuppleri proprietatem prius oporteat: & ſubmiſſis in locum mortuorum capitum adnatis, reſiduum maritus in fructum habeat: quia fructus dotis ad eum pertinent. Si ante matrimonium æſtimatę res dotales ſunt: hæc æſtimatio quaſi ſub conditione eſt. namque hanc habet conditionem, SI MATRIMONIVM FVERIT SECVTVM. ſecutis igitur nuptijs, æſtimatio rerum perficitur, & fit uera uenditio. Inde quæri poteſt, ſi ante nuptias

B mancipia æſtimata deperierint, an mulieris damnum ſit? & hoc conſequens eſt dicere. nam cum ſit conditionalis uenditio: pendente autem conditione, mors contingens extinguat uenditionem: conſequens eſt dicere, mulieri res perijſſe: quia nondum erat impleta uenditio. æſtimatio enim uenditio eſt. Si res in dotem datæ fuerint, quamuis æſtimatæ: uerum conuenerit, ut aut æſtimatio, aut res præſtentur. ſi quidem fuerit adiectũ, VTRVM MVLIER VOLET: ipſa eliget, utrum malit petere res, an æſtimationẽ. Verum ſi ita fuerit adiectum, VTRVM MARITVS VOLET: aut omnino nihil de electione adijciatur: electionem habebit maritus, utrũ malit res offerre, an preciũ earũ. Nam & cum illa, aut illa res promittitur, rei electio eſt, utram præſtet. Sed ſi res non extet: æſtimationem omnimodo maritus præſtabit.

XI. PAVLVS *lib.* VI. *ad Sabinum.*

C PLANE & deteriorem factam reddere poterit.

XII. VLPIANVS *lib.* XXXI. *ad Sabinum.*

SI RES æſtimata poſt contractum matrimonium donationis cauſſa adprobetur, nulla eſt æſtimatio: quia nec res diſtrahi donationis cauſſa poteſt, cum effectum inter uirum & uxorem non habeat. res igitur in dote remanebit. Sed ſi ante matrimonium: magis eſt, ut in matrimonij tempus collata ea donatio uideatur, atque ideo non ualeat. Si mulier ſe dicat circumuentam, minoris æſtimaſſe (putã) ſeruum: ſi quidem in hoc circumuenta eſt, quod ſeruum dedit, non tantum in hoc, quod minoris æſtimauit: in hoc actura eſt, ut ſeruus ſibi reſtituatur. Enimuero ſi in æſtimationis modo circũuenta eſt: erit arbitrium mariti, utrum iuſtam æſtimationem, an potius ſeruum præſtet. & hæc ſi ſeruus uiuit. quod ſi

D deceſſerit: Marcellus ait, æſtimationem præſtandam, non iuſtam, ſed eam, quæ facta eſt: quia boni conſulere mulier debet, quod æſtimatus fuerit. Cæterum ſi ſimpliciter dediſſet: proculdubio periculo eius moritetur, non mariti. Idemq; & in minore circumuenta Marcellus probat. Planè ſi emptorem habuit mulier iuſti precij: tunc dicendum, iuſtam æſtimationem præſtandam. idq; duntaxat minori annis præſtandum, Marcellus ſcribit. Scæuola autem in marito notat: ſi dolus eius adfuit, iuſtam æſtimationem præſtandam. & puto uerius, quod Scæuola ait. Si cũ marito debitoris mulier pacta ſit, ut id quod debet, in dotem habeat: dotis actione ſcilicet eam agere poſſe exiſtimo. licet enim ipſo iure priore debito liberatus non ſit: ſed tamen exceptionem habere poteſt.

XIII. MODESTINVS *lib. ſingulari de differentia dotis.*

E SI MVLIER poſt diuortium, ante quàm ex ſtipulatu de dote agat, ad eundem uirum fuerit reuerſa: cõſtantius dicetur, per doli exceptionem inefficacem fieri ex ſtipulatu actionem, uſque quo matrimonium durat.

XIIII. VLPIANVS *lib.* XXXIIII. *ad edictum.*

SI REM æſtimatam mulier in dotem dederit, deinde ea moram faciente in traditione, in rerum natura eſſe deſierit: actionem eam habere non puto.

XV. POMPONIVS *lib.* XIIII. *ad Sabinum.*

QVOD SI per eam non ſtetiſſet: perinde precium auferet, ac ſi tradidiſſet: quia quod euenit, emptoris periculo eſt.

XVI. VLPIANVS *lib.* XXXV. *ad Sabinum.*

QVOTIES res æſtimata in dotem dãtur: euicta ea, uirum ex empto cõtra uxorẽ agere: &

quidquid eo nomine fuerit consecutus, dotis actione soluto matrimonio ei præstare opor- F
tet. quarè & si duplum fortè ad uirum peruenerit: id quoque ad mulierem redigetur. Quæ
sententia habet æquitatem: quia non simplex uenditio fit, sed dotis caussa: nec debet mari-
tus lucrari ex damno mulieris. sufficit enim maritũ indemnẽ præstari, nõ etiã lucrũ sentire.

XVII. PAVLVS lib. VII. *ad Sabinum.*

IN REBVS dotalibus uirum præstare oportet, tam dolum, quàm culpam: quia sui caussa
dotem accepit. sed etiam diligentiam præstabit, quam in suis rebus exhibet. Si re æstima
ta data, nuptiæ secutæ non sunt: uidendum est, quid repeti debeat: utrum res, an æstimatio?
Sed id agi uidetur, ut ita demum æstimatio rata sit, si nuptiæ sequantur: quia nec alia cauf- G
sa contrahendi fuerit. res igitur repeti debet, non precium.

XVIII. POMPONIVS lib. XIIII. *ad Sabinum.*

SI MANCIPIA in dotem æstimata accepisti, & pactum conuentũ factum est, ut tantidem
æstimata diuortio facto redderes: manere partum eorum apud te Labeo ait: quia & man-
cipia tuo periculo fuerunt.

XIX. VLPIANVS lib. XXXV. *ad Sabinum.*

ETIAM si alij iussu mariti dos detur: nihilominus maritus de dote obligatur.

XX. PAVLVS lib. VII. *ad Sabinum.*

IVLIANVS scribit, ualere talem stipulationẽ, CVM MORIERIS, DOTIS NOMINE TOT
DARI? quia & pacisci solet, ne ea uiua exhibeatur. quod nõ esse simile, accepi. aliud est enim H
differre exactionẽ, aliud ab initio in id tempus stipulari, quo matrimonium futurũ non sit.
idq; & Aristoni, & Neratio, & Pomponio placet.

XXI. VLPIANVS lib. XXXV. *ad Sabinum.*

STIPVLATIONEM, quæ propter caussam dotis fit, cõstat habere in se conditionem hanc,
SI NVPTIAE FVERINT SECVTAE: & ita demum ex ea agi posse, quamuis non sit expres-
sa conditio, si nuptiæ constant. quarè si nuncius remittatur: defecisse conditio stipulationis
uidetur. XXII. PAVLVS lib. VII. *ad Sabinum.*

ET LICET postea eidem nupserit: non conualescit stipulatio.

XXIII. VLPIANVS lib. XXXV. *ad Sabinum.*

QVIA autem in stipulatione nõ est necessaria dotis adiectio, etiã in dãtione tantundem I
ducimus. XXIIII. POMPONIVS lib. XV. *ad Sabinum.*

SI FILIAFAMILIÂS nuptura ex peculio, cuius administrationem habebat, dotem uiro dẽ
derit: deinde cum in eadem caussa peculium eiusdem esset, diuortium fecerit: dos ei rectẽ
soluitur, quasi à quolibet peculiari debitore.

XXV. PAVLVS. lib. VII. *ad Sabinum.*

SI EI nuptura mulier, qui Stichum debebat, ita cum eo pacta est: PRO STICHO, QVEM
MIHI DEBES, DECEM TIBI DOTI ERVNT: secundum id, quod placuit rem pro re solui
posse, & liberatio cõtingit, & decem in dotem erunt: quia & permutatio dotiũ conuentione
fieri potest. XXVI. MODESTINVS lib. I. *Regularum.*

ITA CONSTANTE matrimonio permutari posse dotem dicimus, si hoc mulieri utile sit: ut K
pecunia in rem, aut ex re pecunia. idq; probatum est.

XXVII. VLPIANVS lib. XXXV. *ad Sabinum.*

QVOD si fuerit factum: fundus, uel res dotalis efficitur.

XXVIII. PAVLVS lib. VII. *ad Sabinum.*

POST nuptias pater non potest deteriorem caussam filiæ facere: quia nec reddi ei dos
inuita filia potest.

XXIX. VLPIANVS lib. XXXVI. *ad Sabinum.*

CVM PATER dotem pro filia promittit, & dotẽ lẽgat: si quidem marito lẽgat: uidendum
est, an legatum ualeat. & non puto ualere. Nam cum creditori debitor lẽgat id, quod debet:
nullum legatum est. Quod si filiæ legauit: ualet legatum. dos enim ex promissione marito
debetur, legatum filiæ. Et siquidem hoc animo testatorem esse filia ostenderit, ut duplica-
ret ei legatum:

A ret ei legatum: habebit utrunque, & dotem, quam maritus persecutus fuerit, & legatum ex caussa legati. Quod si alterutrum uoluerit habere: si mulier legatum petat: opposita doli exceptione, non aliàs cogetur ei hæres legatum soluere, quàm si cauerit indemnem hoc nomine hæredem futurum, aduersus maritum ex promissione agentem. Sed si maritus agat: nihil de indemnitate cauere eum oportebit. Verum mulier post eum agens, exceptione repelletur: quia semel dos præstita est.

XXX. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

DOTEM, quæ in prius matrimonium data est, non aliter conuerti in posterius matrimonium dicendum est, quàm cum hoc agitur: dum hoc agi semper interpretemur, nisi probetur, aliud conuenisse.

B XXXI. PAPINIANVS lib. IIII. Responsorum.

QVOD si non diuortium, sed iurgium fuit: dos eiusdem matrimonij manebit.

XXXII. POMPONIVS lib. XIIII. ad Sabinum.

SI EX lapidicinis dotalis fundi lapides uel arbores, quæ fructus nõ essent: siue superficiem ædificij dotalis uolũtate mulieris uendiderit: nummi ex ea uẽditione recepti, sunt dotis.

XXXIII. VLPIANVS lib. VI. ad Sabinum.

SI extraneus sit, qui dotem promisit, isque defectus sit facultatibus: imputabitur marito, cur eum non conuenerit: maximè si ex necessitate, non ex uoluntate dotem promiserat. Si tamen donauit: utcunque parcendum marito, qui non præcipitauerit eum ad solutionem, qui donauerat: quemque in id, quod facere posset, si conuenisset, condemnauerit. hoc enim C diuus Pius rescripsit: eos, qui ex liberalitate conueniuntur, in id quod facere possunt, condemnandos. Sed quid, si uel pater, uel ipsa promiserit? Iulianus quidem libro decimosexto Digestorũ scribit, & si pater promiserit, periculum respicere ad maritum. quod ferendum nõ est. debebit igitur mulieris esse periculũ. nequaquã enim iudex propicijs auribus audiet mulierẽ dicentem: cur pãtrem, qui de suo dotẽ promisit, non urserit ad solutionẽ? multominus, cur ipsam non conuenerit? Rectè itaque Sabinus dispósuit, ut diceret: quod pater, uel ipsa mulier promisit, uiri periculo non esse quod debitor: uiri esse periculo. quod alius, scilicet donaturus: eius periculo esse, cui adquiratur. adquiri autem mulieri accipiemus, ad quam rei commodum respicit.

XXXIIII. IDEM lib. XXVII. ad Sabinum.

D MATER cum filiæ aurum dedisset utendum, pater puellæ id aurum in dotem uiro adpendit. dein mortua est mater. si inscia inuitaue uxore uir id aurum in dotem dẽdit: manet id aurum hæredis mãtris, uindicarique potest, & eo minorem uiro dotem dãtam esse placuit. sed quia res euicta est: marito competit aduersus socerum actio.

XXXV. IDEM lib. XXXIII. ad Sabinum.

DOTEM à pãtre, uel à quouis alio promissam, si uir nouandi caussa stipuletur: cœpit uiri esse periculum, cum ante mulieris fuisset.

XXXVI. IDEM lib. XLVIII. ad Sabinum.

DEBITOR mulieris iussu eius pecuniam uiro expromisit. deinde uir acceptam eam iussu mulieris fecit. res mulieri perit. hoc quomodo accipimus? utrum dotis nomine, an si alia E ex caussa? Et uidetur de eo debitore dictum, qui dotis nomine promisit. Illud adhuc subest: utrum ante nuptias, an post nuptias id factum sit. (multum enim interesse uidetur) nam si secutis nuptijs id factum est, dote iam constituta: maritus accepto ferendo perdit dotem. si autem ante, quàm nuptiæ sequerentur: nihil uidetur doti constitutum esse.

XXXVII. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

NON enim aliàs perit mulieri actio, quàm si nuptiæ secutæ fuerint. nam si secutę non sunt: manet debitor mulieri obligatus.

XXXVIII. VLPIANVS lib. XLVIII. ad Sabinum.

SANE uidendum est, an marito mulier, quæ iussit accepto fieri, obligetur. & putem obligari mandati actione: & hoc ipsum in dotem conuerti, quod mulier mandati iudicio ob-

gata est. & quod dicitur, rem mulieri perire:consequens est. Nam si cœperit uelle de dote agere: ipsa secum debebit compensare iussum suum. F

XXXIX. IDEM lib. XXXIII. ad edictum.

SI SERVA seruo quasi dōtem dederit: deinde constante coniunctione ad libertatē ambo peruenerint, peculio eis non adempto, & in eadem coniunctione permanserint: ita res moderetur, ut si quæ ex rebus corporalibus,uelut in dōtem tēpore seruitutis dātis, exstiterint: uideantur ea tacitè in dōtem conuersa,ut eorum æstimatio mulieri debeatur. Si spādoni nupserit mulier: distinguendum arbitror, castratus fuerit, nécne. ut in castrato dicas dōtem non esse:in eo,qui castratus non est (quia est matrimonium) & dōtem,& dōtis exactionem esse.

XL. IDEM lib. XXXIIII. ad edictum.

DIVVS Seuerus rescripsit Pontio Lucriano in hæc uerba. Si mulier, quæ dōtem dederat, post diuortium rursus in matrimonium redit, non reuocatis instrumentis: non dubitabit is, apud quem res agetur, secundum uoluntatem mulieris, quæ utiq; non indotata redire in matrimonium uoluit,partibus suis fungi,quasi renouata dote. G

XLI. PAVLVS lib. XXXV. ad edictum.

PROMITtendo dōtem omnes obligantur,cuiuscunq; sexus,conditionisq; sint.Sed si nuptiæ secutæ non fuerint:ex stipulatu agi non potest.magis enim res,quàm uerba intuenda sunt. Acceptilatione quoq; dos constituitur,cum debitori marito accepto fertur dotis constituendæ caussa. Si à debitore mulieris sub conditione dos promittatur, & postea, sed antequàm maritus petere posset,debitor soluēdo esse desierit:magis periculum ad mulierem pertinere placet. nec enim uideri maritum nomen secutum eo tempore, quo exigi non potuerit. Quod si iam tunc debitor, cum sub conditione promitteret, soluendo non fuerit: periculum uiri esse, quod sciens tale nomen secutus uideatur, quale in obligatione fuerit. Si debitor mulieris dotem promiserit,& mulierem hæredem reliquerit: Labeo perinde habendum ait, ac si mulier ipsa dotem promisisset. cuius sententiam Iulianus quoq; probat. nec enim æquum esse ait,ut ei damnetur eius pecuniæ nomine, quam ipsa debeat: & satis esse acceptilatione eam liberari. H

XLII. CAIVS lib. XI. ad edictum prouinciale.

RES in dotem datæ,quæ pondere,numero, mensura cōstant,mariti periculo sunt:quia in hoc dantur, ut eas maritus ad arbitrium suum distrahat: & quandoq; soluto matrimonio eiusdem generis & qualitatis alias restituat,uel ipse,uel hæres eius. I

XLIII. VLPIANVS lib. III. Disputationum.

LICET soleat dos per acceptilationem constitui: si tamen ante matrimonium acceptilatio fuerit interposita,nec nuptię secutę sint:Scæuola ait, matrimonij caussa acceptilationē interpositam non secutis nuptijs nullam esse:atq; ideo suo loco manere obligationem.quę sententia uera est. Quoties autem extraneus accepto fere debitori dotis constituendæ caussa: si quidem nuptiæ insecutæ non fuerint: liberatio non sequetur. nisi fortè sic accepto tulit, ut uelit mulieri in totum dōnatum. tunc enim credendum est, breui manu acceptum à muliere,& marito datum.cæterum mulieri per liberam personam condictio adquiri non potest. Planè secutis nuptijs, mulier soluto matrimonio dotis exactionem habebit: nisi fortè sic accepto tulit extraneus, ut ipse (quoquo modo solutum fuerit matrimonium) condictionē habeat.tunc enim mulier actionē non habebit.Secundum quæ cōstituta dote per acceptilationem,& secutis nuptijs,is effectus erit dotis exactionis: ut siquidem pura sit obligatio, quæ accepto lata est: non ipsa iam restituenda sit, sed soluenda dos secundum sua tempora. Sin uero obligatio in diem fuerit, nec ante solutum matrimonium dies obligationis præterierit: restauranda erit in diem pristinum obligatio. & si debitum cum satisdatione fuerit: satisdatio renouanda est. Similiq; modo & si conditionalis fuerit obligatio, quæ in dotem conuersa est, & pendente obligatione diuortium fuerit secutum: uerius est, obligationem sub eadem conditione restitui debere. Sed si conditio exstiterit, constante matrimonio ex die diuortij tempora exactionis numerentur. K

XLIIII. IVLIANVS lib. VI. Digestorum.

Si pater

A Si pater filiæ nomine dotem promiſerit, & eam ante nuptias emanciparit: non reſoluitur
promiſſio. nam & cum ante nuptias pater moriretur: nihilominus hæredes eius ex promiſ
ſione obligati manerent. Quæ debitorem filiumfamiliâs habet, ſi patri eius ita dotem
promiſerit, QVOD MIHI DEBES, uel, QVOD MIHI FILIVS TVVS DE
BET, DOTI TIBI ERIT, non obligatur ſed efficitur, ut id, quod actione de pecu
lio ſeruari à patre poterat, in dote ſit. MARCELLVS. Siue igitur cum filio poſt hæc, ſiue
cum patre agere inſtituerit: exceptione pacti conuenti ſubmouebitur. actione autem de do
te ſi experiatur: conſequetur, quod in peculio fuiſſe apparuit eo tempore, quo dos promit/
tebatur, utiq; ſi poſt nuptias, promiſſa eſt dos. ſi uero ante nuptias: eius temporis peculiũ
B æſtimari debet, quo nuptiæ fierent.

XLV. TRIPHONINVS lib. IX. Diſputationum.

QVOD ſi nuptura debitori ſuo filiofamiliâs, actionem duntaxat de peculio promiſit id
quod ex eâ cauſſa ſibi deberetur; nuptiarum tempore inſpicitur. Si uero alii nuptura, illi
filiumfamiliâs debitorem de peculio dotem promitteret: tempus inſpicitur, quo dos pro/
miſſa eſt, ut tantum in peculio eſſe exiſtimetur.

XLVI. IVLIANVS lib. XVI. Digeſtorum.

QVEM admodum inuito domino ſeruus ſtipulatus adquirit: ita ſi dotem domini no/
mine ſibi promitti patiatur, obligatio domino adquiritur. ſed neq; periculũ dominus præ/
ſtare debebit (ſi forte debitor mulieris dotem promiſerit) neq; culpã. Traditione quoq;
C rei dotalis in perſona ſerui uel filiifamiliâs facta, dos cõſtituitur: ita ut neq; periculum, nec
culpam dominus aut pater præſtet. Igitur hãc dotem periculo mulieris eſſe dico, quandiu
dominus uel pater ratam promiſſionem uel traditionem non habuerit. Ideoq; etiam tin/
nente matrimonio res, quas tradiderit, condictione repetituram puto. itemq; incerti condi
ctione cõſecuturam, ut promiſſione liberetur. Si debitori ſuo mulier nuptura, ita dotem
promiſerit, QVOD MIHI DEBES, AVT FVNDVS SEMPRONIANVS DO/
TI TIBI ERIT: utrum mulier uolet, id in dotem erit. Et ſiquidem debitum malit dotis
nomine apud uirũ remanere, poteſt exceptione ſe tueri aduerſus petentem fundum. Quod
ſi fundum dederit pecuniam à marito cõdicet. Pater etiam ſi falſo exiſtimans ſe filiæ ſuæ
debitorem eſſe, dotem promiſerit: obligabitur.

D XLVII. IDEM lib. XVI. Digeſtorum.

SI SERVO in dotem ante nuptias dato donatum aliquid, uel legatum ante nuptias
fuerit ampliatur dos, ſicut ex fructibus fundi, qui ante nuptias traditus eſt.

XLVIII. IDEM lib. II. ad Vrſeium Ferocem.

TALI ſtipulatione, DECEM IN ANNO DOTIS NOMINE DARE SPON/
DES? quæſitum eſt, annus ex quo tempore ſit numerandus utrum ex die ſtipulationis fa
ctæ, an ex eo die, quo dos eſſe potuiſſet, id eſt nuptiarum? Et reſponſum eſt, ex die nuptia/
rum annum eſſe numerandum: ne ſi aliter obſeruemus, (ſi intra annum nuptiæ factæ non
ſint) uideri poſſit dos ex ea obligatione non deberi. Socer genero ſuo ſic legauerat. LV/
CIO TITIO FILIAE MEAE NOMINE CENTVM HAERES MEVS DA
E RE DAMNAS ESTO. hanc pecuniam generum petere debere, & exactam acceptam
legatis referre: ſed diuortio facto, de dote actionem mulieri reddendam, Proculus reſpon/
dit; & nihilominus dotis eſſe factam. IVLIANVS NOTAT. imò nec filiæ (ſi uoluerit)
deneganda eſt huiuſmodi actio.

XLIX. IDEM lib. IIII. ex Minutio.

VIR ab eo, qui uxori eius dotem facere uolebat, certam pecuniã eo nomine ſtipulatus
eſt. deinde acceptam ei fecit. Quærebatur, eſſet ne ea pecunia in dotem? Reſpondit. ſi acce/
ptã non feciſſet, & promiſſor ſoluendo eſſe deſiiſſet: quæreremus, an culpa mariti ea pecu
nia exacta non eſſet. cum uero acceptam fecit: omnimodo periculũ ad eum pertinebit: per/
inde enim eſt, ac ſi acceperit pecuniam, & eandem promiſſori donauerit.

L. AFRICANVS lib. VIII. Quæſtionum.

QVAE fundum in dotem habebat, diuortio facto, cum in matrimonium rediret, pacta est cum uiro, uti decem in dotem acciperet, & fundum sibi restitueret: ac datis decem, prius quàm fundus ei restitueretur, in matrimonio decessit. Illud ex bona fide est, & negocio contracto conuenit, ut fundus, quasi sine caussa penes maritum esse cœperit, condicatur. Et hoc euidentissimè circa actionem pignoraticiam apparebit. Etenim si cum fundum Cornelianum pignoris caussa tibi tradidissem, postea ex conuentione fundum Titianum in hoc tradiderim, ut Cornelianum mihi restitueres: minimè (puto) dubitandum erit, quin statim rectè pignoraticia ad recipiendum Cornelianum agere possim.

LI. VLPIANVS lib. II. *Responsorum.*

SI RES, quas filiæ emancipatæ pater donauit, ex uoluntate eius postea pro ea in dotem datæ sunt: à filia dotem, non à patre uideri datam.

LII. MARTIANVS lib. III. *Regularum.*

NON solùm si æstimatus fundus, sed etiam si non æstimatus in dotem datus est: & aliàs, cum necesse non haberet mulier duplum promittere, promisit: quia ipse fundus est in dote, quodcunque propter eum consecutus fuerit à muliere maritus, quandoque restituet mulieri de dote agenti.

LIII. NERATIVS lib. III. *Membranarum.*

CVM uir uxori donare uellet: debitor mulieris, qui soluendo non erat, dotem ei promisit. Ad id duntaxat, quoad soluendo fuit, uiri periculo ea res est. & si quid debitori ad soluendum facultatis accesserit: periculum ad eam summam, quæ accesserit, crescet. permanebitque, etiam si rursus pauperior factus erit: quia neque tum, cum dos promittretur, donatio facta est, nisi eius pecuniæ, quæ à debitore seruari non poterat: neque cum soluendo esse cœpit, donationis caussa permanet, cum eo loco res sit, quo esset, si tum quoque, cum promitteretur dos, locuples fuisset.

LIIII. PAVLVS lib. I. *ad Plautium.*

RES, quæ ex dotali pecunia comparatæ sunt, dotales esse uidentur.

LV. IDEM lib. VI. *ad Plautium.*

CVM dotis caussa aliquid expromittitur, & fideiussor eo nomine datus tenetur.

LVI. IDEM lib. VIII. *ad Plautium.*

SI IS, qui Stichum mulieri debet, in dotem delegatus sit: & antè, quàm solueret debitor, Stichus decesserit: cum neque per debitorem stetisset, quò minus solueret, neque maritus agendo moram fecisset: periculo mulieris Stichus moritur. Quanquam etiam si moram maritus fecerit in exigendo: si tamen apud maritum moriturus Stichus fuerit: actione dotis maritus non tenetur. Ibi dos esse debet, ubi onera matrimonij sunt. Post mortem patris statim onera matrimonij filium sequuntur, sicut liberi, sicut uxor. Quod dicitur, NECESSARIAS IMPENSAS IPSO IVRE DOTEM MINVERE: non eò pertinet, ut si fortè fundus in dote sit, desinat aliqua ex parte dotalis esse. sed nisi impensa reddatur: aut pars fundi, aut totus retineatur. Sed si tantum in fundum dotalem impensum sit per partes, quanti fundus est: desinere eum dotalem esse, Scæuola noster dicebat: nisi mulier sponte marito intra annum impensas obtulerit. Si pecunia & fundus in dote sint, & necessariæ impensæ in fundo factæ: Nerua ait, dotem pecuniariam minui. Quid ergo, si mulier impensas marito soluerit: utrum crescet dos, an ex integro data uidebitur? cuius rei manifestior iniquitas in fundo est, secundum sententiam nostri Scæuolæ. Nam si desinit dotalis esse: poterit alienari. rursus quemadmodum poterit fieri dotalis, data pecunia? an iam pecunia in dotem esse uidebitur? sed magis est, ut ager in caussam dotis reuertatur, & interim alienatio fundi inhibeatur.

LVII. IAVOLENVS lib. I. *ex Plautio.*

NVPTVRA filiofamiliâs, si socero dotem ita promiserit, QVOD FILIVS TVVS MIHI DEBET, ID DOTI TIBI ERIT: interesse puto, utrum filij obligatio, an patris persecutio, & in rem uersum promissione contineatur. Nam si id, quod filium dare oportet, significatum est: tota pecunia, in quam filius obligatus est, promissione dotis continebitur. Sin autem id, quod patrem de peculio, uel de in rem uerso præstare oportebit: æstimari debebit, quantum sit eo tempore,

A fit eo tempore, quo promittitur: ut ea summa dōtis esse uideatur, in quam pātrem eo tem-
pore filij nomine condemnari oportuerat. Quod si non euidenter appareat, de cuius obli-
gatione mulier senserit: præsumptionē ad filij debitum spectare, uerisimile est: nisi euiden-
tissimè contrarium adprobetur.

LVIII. CELSVS lib. XI. Digestorum.

SI SPONSalibus nondum factis, Titio dōtem Seiæ nomine promiseris, cum ea nubere
ei nollet: tamen si postea nupserit, dōtem debebis: nisi aliæ nuptiæ mediæ intercesserint.
Si mulier ancillā Pamphilam à Titio stipulata, deinde ei nuptura, quod is sibi debebat,
dōti habere permiserit: etiam si non erit uiri Pamphila, an ipsa tamen in dōtem & mulieris
B periculo erit? an & quod ea pepererit: reddi mulieri debebit: quia si in sua caussa prior stipu-
latio mansisset, non redderet? nisi fortè refert, habuit rem, quam debebat uir, quo tempore
dos constituebatur: (nam ita poterit uideri res ipsa ad eum peruenisse) an nō habuit: nam si
non habuit, magis est, ut liberatio obligationis potius, quàm res ipsa ad eum peruenisse ui-
deatur: ideo que partus eius non debeatur.

LIX. MARCELLVS lib. VII. Digestorum.

SI MVlier ita dōtem promiserit, DECEM TIBI AVT TITIO DOTI ERVNT: hoc casu
dici potest, uel Titio dāri posse: sed de dōte utrum teneri, quemadmodum si Titio iussisset
dāri. nec mirum: cum etiam promissura uiro dōtem, possit delegante eo alteri promittere.
Et si dici solet, alij, quàm marito, dōtis nomine mulierem non posse obligari: his tamen casi-
C bus uiro dos quæritur. Non enim existimabimus illā ita promisisse, ut uel de Titij nuptijs
cogitatet. Ex asse hæres institutus, rogatus que mulieri dodrantem hæreditatis restituere:
iussu eius, quod debet, dōti promisit marito. Vereor, ne non sit obligatus. nam mulieri in
hoc tenetur, ut hæreditatē restituendo transferat actiones, & quas habet, & quibus est ob-
strictus, quas transferre ad alium, quàm cui debet fideicommissum, non potest. Dixerit ali-
quis, incerti cum eo agi posse, ut fideicommissi præstet æstimationem. huic ego consentire
non possum. nam obligari mulieris debitorem ita æquum est, si accipere idipsum, quod ei
debetur uir potest. Sed ne indotata mulier esse uideatur: dicendum est ipsi mulieri ex Tre-
belliano restituendam esse partem hæreditatis, quæ ei relicta est, ut ea suo marito pro dōte
eam soluat: quia ad eam & fideicommissum, & onera eius pertinēt, delegatione propter ni-
D miam subtilitatem & casus necessitatem minimè obtinente. Eius nomine, quæ libera ui-
debatur, decem in dōtem dēdisti. eo casu habebis condictionē, quo habere potuisses, si mu-
lieris liberæ nomine dēdisses, nec nuptiæ secutæ essent. Si manumissa nupserit: ita demum
dos erit, si ea mente dēdisti, ut quādoque secutis nuptijs dos esset. igitur si mulieri donaturus
dēdisti: dominus cōdicet, queādmodū si cū sibi donaturus esses, mulieri ipsi donate iussisset.

LX. CELSVS lib. XI. Digestorum.

QVAERO, quantæ pecuniæ dōtem promittenti adultæ mulieri, curatot consensum ac-
commodare debeat? Respondi modus ex facultatibus, & dignitate mulieris, mariti que sta-
tuendus est, quousque ratio patitur.

LXI. TERENTIVS CLEMENS lib. III. ad L. Iuliam & Papiam.

E SIVS generalis curator, siue dōtis dādę causa cōstitutus sit, & amplius dōtis promissum
est, quàm facultates mulieris ualent: ipso iure promissio nō ualet: quia lege rata nō habetur
authoritas dolo malo facta. Quærendum est tamen, utrum tota obligatio, an, quod ampli-
us promissum est, quàm promitti oportuit, infirmetur? & utilius est dicere, id quod super-
fluum est, tantūmodo infirmari. Iste autē curator res dōtis nomine tradere debet: nō ut
uendat cuilibet, & precium eius in dōtem det. Dubitari tamen potest, an hoc uerum sit.
quid enim, si aliter honestè nubere non possit, quàm ut pecuniam in dōtem det, id que ei ma-
gis expediat? atquin possunt res in dōtem dātæ plerunque alienari, & pecunia in dōtem con-
uerti. Sed (ut expediatur quæstio) si quidem res in dōtem maritus accipere maluerit: nihil
amplius quærendum est. Sin autem non aliter contrahere matrimonium uir patiatur, nisi
pecunijs in dōtem dātis: tunc officiū curatoris est, apud eundem impetrare iudicē, qui eum

 constituit

constituit: ut interim ei, caussa cognita etiam uiro absente, permittat rerum uenditione ce- F
lebrata, dotem constituere.

LXII. MODESTINVS lib. V. *Responsorum.*

TITIA cum esset minor uiginti quinque annis, quartam hæreditatis matris suæ, commu-
nem sibi cum fratribus, permutauit, & accepit pro ea parte fundum, quasi emptione inter
se facta. hunc fundum cum alijs rebus doti dedit. Quæro, si in integrum restituatur, & par-
tem suam accipiat quartam & fundum reddat: quid debeat maritus facere? an contentus es-
se debeat alijs rebus in dotem datis? Item quæro, si hæc decesserit, & hæredes eius in inte-
grum restitutionem ex persona eius petierint: & ipsi petant quartam partem, & illi fundum:
an maritus cogatur restituere fundum, contentus in retentione lucri dotis cæteris rebus? G
Modestinus respondit, nihil proponi, cur marito dos auferenda sit: sed in meram æstima-
tionem prædij mulier, uel eius hæredes condemnandi sunt, referendam in hoc tempus, quo
in dotem datus est.

LXIII. IDEM lib. singulari περὶ εὑρηματικῶν.

STIPVLATIO de dote reddenda ab extraneo interposita, facto diuortio statim com-
mittitur: nec redintegrato matrimonio, actio stipulatori quæsita intercidit. denuo igitur
consciente stipulatore dos constituenda est, ne sequente matrimonio mulier indotata fiet: si
modo ea dos non ab ipsa profecta sit, quam alius permissu eius stipulatus est. tunc enim
consensus eius non est necessarius.

LXIIII. IABOLENVS lib. IIII. *ex Cassio.*

POST diuortium mulieri si de dote maritus nihil cauit: & cum alij nupsisset, postea ad H
priorem uirum rediit: tacitè dos ei redintegratur.

LXV. POMPONIVS lib. V. *ad Quint. Mutium.*

SI LEGATO aut hæreditate aliquid seruo dotali obuenit, quod testator noluit ad mari-
tum pertinere: id soluto matrimonio reddendum est mulieri.

LXVI. IDEM lib. V. *ad Sabinum.*

SI VSVSFRVCTVS fundi, cuius proprietatem mulier non habebat, dotis nomine mihi à do-
mino proprietatis detur: difficultas erit post diuortium circa reddendum ius mulieri: quo-
niam dicimus, usumfructum à fructuario cedi non posse, nisi domino proprietatis: & si ex-
traneo cedatur, id est ei, qui proprietatem non habeat, nihil ad eum transire, sed ad domi-
num proprietatis reuersurum usumfructum. Quidam ergo remedij loco rectè putauerunt I
introducendum, ut uel locet hunc usumfructum mulieri maritus, uel uendat numo uno: ut i-
psum quidem ius remaneat penes maritum, perceptio uero fructuum ad mulierem pertineat.

LXVII. PROCVLVS lib. VII. ἐπιστολῶν.

PROCVLVS nepoti suo S. Ancilla, quæ nupsit, dotisque nomine pecuniam uiro tradidit
(siue sciat ancillam esse, siue ignoret) non poterit eam pecuniam uiri facere: eaque nihilomi-
nus mansit eius, cuius fuerat antè, quàm eo nomine uiro traderetur, nisi fortè usucapta est:
nec postea, quàm apud eundem uirum libera facta est, eius pecuniæ caussam mutare potuit.
itaque ne facto quidem diuortio, aut dotis iure, aut per condictionem repetere rectè potest.
sed is, cuius pecunia est, rectè uindicat eam. Quod si uir eam pecuniam pro suo possidendo
usuceperit, scilicet quia existimauit mulierem liberam esse: propius est, ut existimem eum K
lucrifecisse, utique, si antè, quàm matrimonium esse inciperet, usucepit. Et in eadem adhuc o-
pinione sum, si quid ex ea pecunia parauit, antequàm ea dos fieret: ita ut nec possideat eam,
nec dolo fecerit, quò minus eam possideret.

LXVIII. PAPINIANVS lib. X. *Quæstionum.*

DOTIS promissio non ideo minus ualet, quod ignorante initio patre nuptiæ fuerint, si
postea consenserit: cum omnis dotis promissio futuri matrimonij tacitam conditionem ac-
cipiat. Nam & si minor annis duodecim, ut maior, ducta sit: tunc primum petetur, cum ma-
ior annis apud eundem esse cœperit. Quod enim uulgatum est, dotis promissionem in primis
duntaxat nuptijs destinari, neque durare obligationem, si post alterius matrimonium enubat,

cui dotem

A cui dotem promiserat:tunc locum habet,cum intercesserunt aliæ nuptiæ.

LXIX. IDEM *lib.* III. *Responsorum*

CVM POST diuortium uiro sciente mulier in possessione prædiorum, quæ in dotem promisit,longo tempore fuerit:conuenisse tacitè uidetur,ne dos,quę promissa fuerat,petatur:& si petere ea cœperit, pacti exceptione à muliere repellatur. Mulier si pecuniam sibi debitam à Seio cum usuris futuri temporis in dote promittenda demonstrauit: eas quoque dotis portionem esse,quarum dies post nuptias cessit, rationis est. Vsuras dotis in stipulatum cum dote post diuortium deductas, ex die secundi matrimonij non esse præstandas placuit:quia nec sortis exactio locũ habere cœpit.medij autem temporis debebuntur. In
B domũ absentis uxore deducta nullis in eam interea ex bonis uiri sumptibus factis, ad exhibitionem uxoris promissas usuras reuersus uir improbè petit. Gener à socero dotem arbitratu soceri certo die dări,non demonstrata quantitate,stipulatus fuerat. arbitrio quoque detracto,stipulationem ualere placuit.Nec uideri simile,quod fundo non demonstrato nullum esse legatum, uel stipulationem fundi constaret:cum inter modum constituendæ dotis,& corpus ignotum magna diffentia sit.dotis etenim quantitas pro modo facultatum pătris, & dignitate mariti constitui potest. Nuptijs ex uoluntate pătris puellæ cum filio tutoris iure contractis:dos pro modo facultatum,& dignitate natalium,rectè per tutorem constitui potest. Patrona dotem pro liberta iure promissam, quod exstitit ingrata, non retinebit. Cum res in dotem æstimatas soluto matrimonio reddi placuit: summa de-
C claratur,non uenditio contrahitur.ideoque rebus euictis,si mulier bona fide eas dĕderit,nulla est actio uiro. alioquin de dolo tenetur. In dotem rebus æstimatis traditis, quamuis eas mulier in usu habeat,uiri dominium factum uidetur. Partus dotalium ancillarum dotis esse portionem cõuenit.ideoque frustra pacisci uirum, ut inter uxorem & se partus cõmunis sit.

LXX. PAVLVS *lib.* VI. *Quæstionum.*

IN AMBIGVIS pro dotibus respondere melius est.

LXXI. IDEM *lib.* III. *Quæstionum.*

CVM dotem mulieris nomine extraneus promiserit,mulieris periculum esse:si maritus nomen secutus usuras exegerit,periculum eius futurum respondetur.

LXXII IDEM *lib.* VIII. *Responsorum.*

D MVLIER bona sua omnia in dotem dĕdit.quæro, an maritus quasi hæres oneribus respondere cogatur? Paulus respondit.eum quidem, qui tota ex repromissione dotis bona mulieris retinuit,à creditoribus eius conueniri non posse: sed non plus esse in promissione bonorum,quàm quod superesset,deducto ære alieno. Paulus respondit.in rebus dotalibus etiam pătrem mariti dolum & culpam præstare debere. Paulus respondit. si mulier de suo dotem dĕdit,& adhibuit mătrem,quæ stipularetur:potuisse eam postea instrumentum dotale mutare.

LXXIII. IDEM *lib.* II. *Sententiarum.*

MVTVS,surdus,cœcus dotis nomine obligantur:quia & nuptias contrahere possunt.

Manente matrimonio,non perituræ uxori ob has caussas dos reddi potest:ut se suosque alat,ut fundum idoneum emat,ut in exilium uel in insulam relegato parenti præstet alimo
E niam,aut ut egentem uirum,frătrem,sororémue sustineat.

LXXIIII. HERMOGENIANVS *lib.* V. *iuris* ἐπιτομῶν.

SI SPONSA dotem dĕderit,nec nupserit: uel minor duodecim annis,ut uxor habeatur:exemplo dotis,condictioni (fauoris ratione) priuilegium, quod inter personales actiones uertitur, tribui placet.

LXXV. TRIPHONINVS *lib.* VI. *Disputationum.*

QVAMVIS in bonis mariti dos sit: mulieris tamen est. & meritò placuit, ut si in dotem fundum inęstimatũ dĕdit,cuius nomine duplæ stipulatione cautum habuit,isque sit marito euictus:statim eam ex stipulatione agere posse pro eo, quod eius interest,nõ esse euictum, quod in dotẽ fuit:quodque ipsa euictione pati creditur ob id, quod cũ in dotẽ habere desijt. huic enim constante matrimonio (quamuis apud maritũ dominium sit) emolumenti potestatem esse

testatem esse creditur:cuius etiam caussa matrimonij onera maritus sustinet. F

LXXVI. IDEM lib.IX. Disputationum.

SI PATER mulieris mortis suæ caussa dōtē promiserit:ualet promissio. nam & si in tem/
pus,quo ipse moriretur,promisisset:obligaretur.sed si cōualuerit: cur ei non remittatur ob/
ligatio per condictionem,atq; si stipulanti quiuis alius promisisset, aut dōtem alicuius no/
mine? nam ut corporis,uel pecuniæ translatæ,ita obligationis cōstitutæ mortis caussa con/
dictio est. Non idem dicēdum est in persona mulieris:si mortis caussa dōtem promisit:quia
nisi matrimonij oneribus seruiat,dos nulla est.

LXXVII. IDEM lib.X. Disputationum.

SI MVLIER debitori suo,qui sub usuris debebat, nuptura in dōtem promisisset, quod is
sibi deberet: post contractas nuptias secuti temporis usuras non esse dotales: quia tota illa G
obligatio tolletur,perinde ac si solutum debitum mulieri in dōtem ab ea dătum esset.

LXXVIII. IDEM lib.XI. Disputationum.

CVM in fundo mariti habēs mulier usumfructū, dotis caussa marito eum dĕdit: quam/
uis ab ea usus fructus discesserit,maritus tamen usumfructū non habet:sed suo fundo quasi
dominus utitur,consecutus per dotem plenam fundi proprietatem,non separatam ab usu
fructu:nec est,quod non utendo eum maritus amittat. Diuortio autem facto constituet in
eodem fundo usumfructum mulieri. Quod si in matrimonio decesserit uxor, nihil emolu/
menti ob dōtem habere uidetur maritus: quia etsi uxorem eam non duxisset, tamen fru/
ctuariæ morte finitus usus fructus ad proprietatem rediret. ideoq; nec in funus confert mu
lieris. Planè si pater filiæ nomine,qui in fundo generi usumfructum habebat, dōtis consti/
tuendę gratia cum dĕderit,& in matrimonio ea mortua fuerit:habebit ex sua persona usus/
fructus petitionem. Quod si mulier in suo fundo marito usumfructum dōtis caussa consti/
tuerit:tunc ex mariti persona propriè erit usus fructus,quia & non utendo ipsi perit. Quod
si acciderit:uideamus,an etiam nunc dotata sit mulier. Et siquidē dominiū apud mulierem
est fundi,ad quē reuersus est usus fructus:nihil iam in dōte habet, quod actione dotis con/
sequatur ab eo, cui quod non utendo amisit usumfructum, imputari non potest, ex quo i/
psa lucrum habet. ideoq; indotata erit. Quod si uxor alienauerit proprietatem,quæ sine ul
lo mulieris emolumento plenior facta est:adhuc dotata est:quia dotis actione teneri debet
maritus,qui quando licuit usufructu uti,amiserit eum non utendo. nam si habere perseue/
rasset usumfructum usq; ad diuortium:commodo mulieris cēderet eius restitutio:quia & si E
non protinus ad ipsam transiret,tamen uel precio,uel beneficio,sine incommodo mulieris
ad proprietatem reuerteretur. Si autem usumfructum maritus nō amiserit: morte mulieris
non finitur usus fructus apud maritū. Diuortio autem facto, primum uideamus & in hac
& in superiore specie,an pro rata temporis anni eius diuidantur fructus. quod probādum
est. Ipsius autem restitutio ita fiet:ut habenti mulieri fundū,usus fructus cēdatur,& ita cum
proprietate consolidetur. Sed & si non sit fundi domina:nihilominus competit dotis actio
ut dimittat à se maritus usumfructum . nam uel ex empto actione adhuc, ut usumfructum
præstet,mulier tenetur:aut precium eius consequi sperat: aut cuiuis magis gratiam præsta/
re, quàm relinquere apud inimicum ius à se translatum, licere ei, ciuile est. Vxor uiro u/
sumfructū dotis nomine dĕdit.manente matrimonio,eidem fundum uendidit. Quęsitum K
est,diuortio facto,quid dotis iudicio recuperare debeat? Dixi referre,quanti fundus uēnis
set. nam si nudæ proprietatis æstimatio facta fuisset: mulierem dotis iudicio precium usus/
fructus recuperare debere. Quid ergo,si uir ante litem contestatam mortuus fuisset? hære/
des eius nihil pręstituros. nam etsi quilibet alius emptor proprietatis exstitisset: hæres uiri
mulieri nihil pręstaret,scilicet usufructu reuerso ad proprietatem. Cęterum si fundus totus
uēnisset,quanti deberet uēnire,non detracto usufructu:intelligi mulierē dotē matrimonio
manente recepisse. Si fundus communis dătus erit in dotem, & socius egerit cum marito
communi diuidūdo,adiudicatusq; fundus socio fuerit: in dotem erit quantitas, qua socius
marito damnatus fuerit.at si admissa licitatione extraneo addictus hic fundus fuerit:precij
portio,quæ

portio,quæ distracta est:sed ita,ut non uice corporis habeatur,nec diuortio secuto præsenti die,quod in numerato est, restituatur:sed statuto tẽpore solui debeat. Quod si marito fundus adiudicatus fuerit:pars utiq; dicta in dotem,dotalis manebit. diuortio autem facto, sequetur restitutionem,propter quam ad maritum peruenit,etiam altera portio: scilicet ut recipiat tantum precij nomine à muliere,quantum dĕdit ex condemnatione socio.nec audiri debebit alteruter eam æquitatem recusans: aut mulier in suscipienda parte altera quoque, aut uir in restituenda. Sed an cõstante matrimonio non sola pars dotalis fit, quæ data fuit in dōtem,sed etiam altera portio,uideamus. Iulianus tantum de parte dotali loquitur. ego
B dixi in auditorio,illam solam dotalem esse. Si marito dōtis nomine stipulanti promiserit per errorem is,qui exceptione tutus erat,nec soluat:cogetur ei soluere,& habebit condictionem aduersus mulierẽ,aut pātrem,uter eorum delegauit:ob id,quod indebitũ marito promisit,aut soluit. LXXIX. LABEO *lib.VI. posteriorum à Iaboleno epitomatorum.*

AVUS NEPTIS nomine ex filio natæ genero dōtem dĕdit.& moritur.negat Seruius dōtem ad pātrem reuerti:& ego cum Seruio sentio : quia non potest uideri ab eo profecta, qui nihil ex his sui habuit. Pater filiæ nomine centum doti promisit ita, CVM COMMODISSIMVM ERIT. Ateius scripsit Seruium respondisse : cum primum sine turpitudine & infamia dāri possit, deberi.

C LXXX. IABOLENVS *lib.VI. ex posterioribus Labeonis.*

SI DEBITOR mulieris dotem sponso promiserit : posse mulierem ante nuptias à debitore eam pecuniam petere, neq; eo nomine postea uiro debitorem obligatum futurum, ait Labeo quod falsum est:quia ea promissio in pendenti est, donec obligatio in ea caussa est.

LXXXI. PAPINIANVS *lib.VIII. Quæstionum.*

PATER filiæ nomine numos alienos, quos mutuos acceperat, aut in caussam crediti receperat,in dotem dĕdit.consumptis his,dos profectitia efficitur.

LXXXII. PROCVLVS *lib.V. ἐπιστολῶν.*

CVM VXOR uirum suum pecuniam,quam sibi deberet, in dotem filiæ communi dare iusserit,& id fecisse dicatur:puto animaduertendum esse,utrum eam dotem suo, an uxoris nomine dĕdit.si suo : nihilominus uxori eum debere pecuniam. si uxoris nomine dĕde-
D rit: ipsum ab uxore liberatum esse.

LXXXIII. IABOLENVS *lib.VI. ex posterioribus Labeonis.*

SI DEBITOR mulieris dotem sponso promiserit: non posse mulierem ante nuptias à debitore pecuniam petere:quia ea promissio in pendenti esset,donec obligatio in ea caussa est.

LXXXIIII. LABEO *lib.VI. πιθανῶν. à Paulo epitomatorum.*

SI DE dote promissa agatur : non oportet,in quantum facere potest, condemnari eum, qui promisit. PAVLVS. imò quod ad extraneum attinet, semper hoc uerum est. Cæterum si manente adfinitate,dotem promissam gener à socero petat : utiq; in quantum facere potest, socer condemnabitur. Si dirempto matrimonio petatur:ex caussa & persona id tribuendum puto.quid enim si socer specie futuræ dotis induxerit generum:& cum sciret se præ-
E stare dotem non posse,id egerit,ut genero insidiaretur?

LXXXV. SCAEVOLA *lib.VIII. Digestorum.*

FVNDVM filiæ nomine pater in dotem dĕderat.huius hæredi filiæ ex asse (creditoribus pātris urgentibus) utilius uidebatur,potius fundum,qui dotalis erat,distrahere,quod minus fructuosus esset:& alios hæreditarios uberiore reditu retinere.maritus cōnsensit,si nulla in ea re captio futura sit.Quæro,an pars dotis,quæ in hoc fundo est,mulieri manente matrimonio rectè soluatur? Respondi,si precium creditoribus soluatur, rectè solutum.

DE PACTIS DOTALIBVS TIT. IIII.

IABOLENVS *lib.IIII. ex Cassio.*

PACISCI post nuptias,& si nihil antè cōuenerit,licet. Pacta quidẽ,quę de reddẽda dote fiunt,inter omnes fieri oportet,qui repetere dotẽ, & à quibus repeti potest: hoc ei,qui

ne ei, qui non interfuit apud arbitrium cognoscentis, pactum non prosit. F

II. VLPIANVS lib. XXXI. ad Sabinum.

SI conuenerit, ut quoquo modo dissolutum sit matrimonium, liberis interuenientibus, dos apud uirum remaneret. Papinianus Iuniano prætori respõdit, morte mariti finito matrimonio, neque conuenisse uideri dõtem remanere. & si conuenisset: non esse seruandũm pactum contra dõtem, cum mariti mortalitas interuenit.

III. PAVLVS lib. IIII. ad Sabinum.

PACTA cõuenta, quæ in tẽpus diuortij collata sunt, nõ facto diuortio locũ non habent.

IIII. VLPIANVS lib. XXXI. ad Sabinum.

SI CONVENERIT, ut fructus in dõtem conuertantur: an ualeat conuentio? Et Marcellus G ait libro septimo Digestorũ, conuentionem non ualere. propè enim indotatam mulierem hoc pacto fieri. Sed tamẽ distinguit: si quidem fundum in dotem dẽderit mulier, ita ut maritus fructus redderet: non esse ratum pactum. idemque & si usumfructum in dõtem hoc pacto dẽdisset. Quod si cõuenisset de fructibus reddendis, hoc est, ut in dõtem fructus essent, quosquos percepisset: & fundus, uel usufructus in hoc traditus est, non ut fundus uel fructus fieret dotalis, sed ut fructus perciperet dõtis futuros: cogendum de dote actione fructus reddere. Erunt igitur in dotem fructus, & fruetur iste usuris, quæ ex fructibus collectis & in sortem redactis, percipi possunt. Ego utrobique arbitror interesse, qua contemplatione dos sit data: ut si ob hoc ei maiorẽ dotem mulier dẽdit, quia fructus uolebat esse dotis, contento marito ea pecunia, quæ ex usuris redituum colligeretur: possit dici conuentionem ualere. Nec enim uidebitur sterilis esse dos. finge quadringẽta annua esse reditus apud eum, qui non acciperet in dotem (ut hoc conuenisset) plus trecentis: & boni consuleret, si tam uberem dotem consecutus esset. Et quid dicemus, si tale pactum conuentum interuenit: ut maritus fructus in dotem conuerteret, & mulier se suosque aleret tueretúrue, & uniuersa onera sua expediret? quare non dicam conuentionem ualere? H

V. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

ILLVD cõuenire non potest, ne de moribus agatur, uel plus uel minus exigatur: ne publica coërcitio priuata pactione tollatur. Ac ne illa quidẽ pacta seruanda sunt, ne ob res donatas, uel amotas agatur: quia altero pacto ad furandum mulieres inuitantur, altero ius ciuile impugnatur. sed & si conuenit, ne ob impensas necessarias ageretur, tale pactum non est I seruandum: quia tales impensæ dotem ipso iure minuunt.

VI. VLPIANVS lib. XXXIIII. ad edictum.

POMPONIUS ait. maritum non posse pacisci ut dolum solummodo in dotem præstet, uidelicet propter utilitatem nubentium: quamuis pacisci possit, ne sit periculo eius nomen debitoris, qui ei dotẽ promisit. nam ut sit dos periculo mulieris, pacisci eum posse probat: & per contrarium, ut ea dos, quæ periculo mulieris est, sit periculo mariti.

VII. POMPONIVS lib. XVI. ad Sabinum.

CVM DOS filiæ nomine dãtur, optimum est, pactum conuentum cum utroque generum facere: quanquam initio dotis dandæ legem, quam uelit (etiam citra personam mulieris) is, qui dat, dicere possit. Si uero post dãtam pacisci uelit: utriusque persona in paciscendo necessaria est: quoniam iam tunc adquisita mulieri dos est. quo casu, si solus pater pactus sit K sine filia: siue solus agat, siue adiuncta filiæ persona: ei soli nocebit, & proderit pactum conuentum. sed si sola filia egerit: neque proderit, neque nocebit ei. Si uero filia sola pacta fuerit, quo pacto pãtris cõditio melior fiat: proderit & pãtri quoniam per filiam pãtri adquiri potest, per pãtrẽ filiæ non potest. Si uero sic pacta sit filia, ut noceat ipsi quandoque filiæ agenti nocebit pactum, pãtri uero nullo modo nocebit: nisi adiecta quoque filiæ persona experiatur. Dicendum enim, paciscendo filiam conditionem pãtris deteriorem facere non posse eo casu, quo mortua ea in matrimonio, dos ad patrem reuersura est.

VIII. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

QVOTIES pãtre furente, uel ab hostibus capto filiusfamiliãs ducit uxorem, filiáue familiâs nubit:

A liàs nubit:neceſſariò etiam pacto cum ipſis duntaxat dotis dominę fieri potuit.

IX. POMPONIVS *lib.* XV. *ad Sabinum.*

SI ITA conueniat,ut ſi uiuo ſocero mortua ſit filia,ipſi ſocero : ſi mortuo eo,filio:ſi filio quoque defuncto , totum ſuo hæredi reddatur : benigna interpretatione poteſt defendi, utilem ſtipulationem eſſe.

X. IDEM *lib.* XXI. *ad Sabinum.*

AVVS pactus eſt, cum dōtem pro nepote ſuſcepiſſet : ne à ſe,néne à filio dos peteretur: ab alio uero, quàm filio hærede, ut dos peteretur. exceptione conuentionis filius tuendus
B erit:quippè cum hæredi noſtro cauere conceſſum eſt. nec quidquam obſtat,quò minus certæ perſonæ (ſi hæres erit ſibi) caueri poſſit , quod non idem & in cæteris hæredibus caueatur. & ita Celſus ſcribit.

XI. VLPIANVS *lib.* XXXIIII. *ad edictum.*

CVM pater dōtem pollicitus fuerit, & paciſcatur , NE A SE VIVO PETATVR, NE'VE CONSTANTE MATRIMONIO : ita pactum interpretandum diuus Seuerus conſtituit, quaſi denuo adiectum eſſet, SE VIVO .hoc enim ita accipiendum contemplatione pietatis paternæ , & contrahentium uoluntatis , ut & poſterior quoq; pars conuentionis ad uitam pătris relata uideatur:ne diuerſa ſententia fructus dotis ab oneribus matrimonij ſeparet.
C quodq; indigniſſimum eſſet : inducat, ut non habuiſſe dotem exiſtimetur . quo reſcripto, hoc effectum eſt : ut ſiquidem uiuo pātre deceſſerit filia,aut ſine culpa ſua diuerterit,omnino dos peti non poſſit:conſtante autem matrimonio mortuo pătre,peti poſſit.

XII. PAVLVS *lib.* XXXV. *ad edictum.*

SI PATER dotem dĕderit,& pactus ſit,ut mortua in matrimonio filia,dos apud uirum maneret:puto pactum ſeruandum,etiam ſi liberi non interueniant. Ex pactis conuentis, quæ ante nuptias uel poſt nuptias interponi ſolent,alia ad uoluntatem pertinent:ut mulier dote promiſſa ſe alat,& donec nupta ſit,dos ab ea non petatur:aut ut certam ſummam uiro præſtet. & ab eo alatur,& his ſimilia. Alia ad ius pertinēt:ueluti quādo dos petatur,quemadmodum reddatur: in quibus non utiq; uoluntas contrahentium ſeruatur . Cæterum ſi conuenerit,ne omnino dos petatur:indotata erit mulier. Si mulier pacta ſit,ne amplius,
D quàm pars dimidia dotis à ſe petatur, & pœnam ſtipulata ſit:Mela ait, alterutro eam contentam eſſe oportere:uel exceptione pacti acceptam facere pœnæ obligationem,uel ſi ex ſtipulatu agat,denegandā exceptionem. Si fundo æſtimato in dotem dăto pacta ſit mulier, ut quanto pluris uĕnierit, in dotem ſit : Mela ait, id ſeruandum : cum ex contrario conuenire poſſit, ut ſi minoris uĕnierit,ipſa debeat. Si pacta ſit mulier,ut ſiue pluris,ſiue minoris fundus æſtimatus uĕnierit,precium quanti res uĕnierit,in dotem ſit:ſtari ei pacto oportere . ſed ſi culpa mariti minoris uĕnierit : & idipſum mulierem conſequi.

XIII. IVLIANVS *lib.* XVI. *Digeſtorum.*

ITEM ſi non uĕnierit,æſtimatio præſtari debebit.

XIIII. PAVLVS *lib.* XXXV. *ad edictum.*

E DE DIE reddendæ dotis hoc iuris eſt:ut liceat paciſci,qua die reddatur:dnm ne mulieris deterior conditio fiat.

XV. CAIVS. *lib.* XI. *ad edictum prouinciale.*

ID EST, ut citeriore die reddatur.

XVI. PAVLVS *lib.* XXXV. *ad edictum.*

VT AVTEM longiore die reddatur dos,conuenire non poteſt:non magis,quàm ne omnino reddatur.

XVII. PROCVLVS *lib.* VI. *ἐπιστολῶν.*

ATILICINVS Proculo ſuo ſalutem. Cum inter uirum & uxorem pactum conuentum ante nuptias factum eſſet, ut quibus diebus dos dăta eſſet , ijſdem diuortio facto redderetur:poſt quinquennium, quàm nuptiæ factæ ſunt,uxor uiro dotem dĕdit. diuortio facto: quæro,utrum quinquennij die uir uxori dotem reddet,an ſtatuto legibus tempore? PROCVLVS RESPONDIT . quod ad diem dotis reddendæ attinet, pacto exiſtumo meliorem

conditionem mulieris fieri posse, deteriorem non posse. itaq; si cautum est, ut priore tempore, quàm legibus constitutum est, reddatur: stari ab eo debere. si ut longiore: nec ualere id pactum conuentum. Cui sententiæ conueniens est dicere, si pacto conuento cautum est, ut quanto serius post nuptias dôta fuerit, tanto serius post diuortium reddatur: si propiore tempore, quàm in reddenda dote constitutum est, dâta sit: ualere pactum conuentum. si longiore: non ualere. XVIII. IVLIANVS lib. XVI. *Digestorum.* F

LICET manente matrimonio non possit inter uirum & uxorem conueniri, ut longiore die dos reddatur: post diuortium tamen, si iusta caussa conuentionis fuerit, id pactum debet custodiri. XIX. ALFENVS lib. III. *Digestorum à Paulo epitomatorum.*

ALIVD est, si pater pro filia dotem promisit, ut annua, bima, trima, quadrima, quinto anno à se redderetur: & conuenit, ut iisdem diebus soluto matrimonio dos redderetur. hoc enim pactũ ita ualet, si pâtri filia hæres exstiterit, & interueniente ea pactũ conuentũ fuerit. G

XX. PAVLVS lib. XXXV. *ad edictum.*

OB RES quoq; donatas, uel amotas, uel impensas factas, tunc facta pactio ualebit. id est post diuortium. Si extraneus de suo dâturus sit dotem: quidquid uult, pacisci (etiam ignorãte muliere) sicut & stipulari potest. legem enim suæ rei dicit. postquam uero dêderit: pacisci cõsentiente muliere debet. Si cõuenerit, ne à muliere, néue à pâtre dos petatur hæ res non habebit exceptionem. sed si conuenerit, ne manente matrimonio, uiuo pâtre petatur: mortuo pâtre statim exigitur. & si non petierit maritus: tenebitur huius culpæ nomine, si dos exigi potuerit: nisi fortè ante diremptum sit matrimonium, quàm facultatẽ petendi haberet. XXI. IVLIANVS lib. XVI. *Digestorum.* H

SI MVLIER dotis caussa promiserit certam summam, & pro ea pecunia mancipia in dotem dêderit, ea conditione, ut periculo eius essent, & si quid ex his natum esset, ad eam pertinere: stari pacto conuento oportebit. nam constar posse inter uxorem & uirum conueniri, ut dos, quę in pecunia numerata est, permutetur, & transferatur in corpora, cum mulieri prodest. XXII. IDEM lib. II. *ad Vrseium ferocem.*

QVIDAM fundum dotis caussa ab uxore sua acceperat: interq; eos conuenerat, ut mercedes eius fundi uir uxori annui nomine dâret. deinde eum fundũ uir mâtri mulieris certa pensione colendum locauerat: eaq; cum mercedes eius fundi deberet, decesserat: & filiam suam solam reliquerat hæredem, & diuortium factum erat. uir deinde petebat à muliere mercedes, quas mater debuerat. Placuit exceptionem mulieri dâri non debere: ac si inter se & uirum non conuenisset, ut hæ mercedes sibi alimentorum nomine darentur: cum futurum sit, ut quodammodo donationes inter uirum & uxorem confirmentur. nam quod an nui nomine dâtur, species donationis est. I

XXIII. AFRICANVS lib. VIII. *Quæstionu.*

PATER, cum filiæ suæ nomine dotem dâret, pactus est, ut mortua filia, uno pluribusue liberis superstitibus, deducta parte tertia, reliqua dos sibi, aut post mortem suam, illi aut illis filiis, quos in potestate habebat, redderetur. deinde hoc ita fieri stipulatus est. post mortem eius mulier in matrimonio decesserat, relictis filiis. quæsitum est, an ex stipulatione duas partes illi petere possint? respondit posse. etenim uim eius stipulationis hanc esse, ut si in matrimonio mortua esset, dos pâtri redderetur: perindeq; habendum, ac si talis stipulatio interposita fuisset, SI NAVIS EX ASIA VENERIT, MIHI, AVT POST MORTEM MEAM LVCIO TITIO DARE SPONDES? nam & si post mortem stipulatoris nauis uenisset: hæredi deberi. XXIIII. FLORENTINVS lib. III. *Institutionum.* K

SI INTER uirum & uxorẽ pactum est, ut certa pars dotis, uel tota ob unũ, uel plures liberos interuenientes retineatur: etiam eorum liberorum nomine, qui ante nati sunt, quàm dos daretur, aut ampliaretur, conuentio rata est. nam sufficit eos ex eo matrimonio nasci, in quo dos data est. XXV. VLPIANVS lib. I. *Responsorum.*

QVOD de reddenda dote, si dâta fuisset, mortua in matrimonio filia, conuenit: idem de non petenda quoq; uideri conuenisse: ac pâtrem pacti conuenti exceptionem ad hæredem

suum

A suum transmisisse. XXVI. PAPINIANVS lib. IIII Responsorum.

INTER socerum & generum conuenit, ut si filia superstitem filium anniculum habuisset, dos ad uirum pertineret: quod si uiuente matre filius obijsset, uir dotis portionem, uxore in matrimonio defuncta, retineret. mulier naufragio cum anniculo filio perijt. quia uerisimilè uidebatur, ante matrem infantem perijsse: uirum partem dotis retinere placuit. Vir dotem, quam ex pacto filiæ nomine retinere potuit, si lapsus errore non retinuit: filiam, quæ sola patri, matri pro parte hæres exstiterat: apud arbitrum diuisionis non improbè dotis perperam à patre solutæ præceptionem desiderare constitit. Cum inter patrem & generum côuenit, ut in matrimonio sine liberis defuncta filia, dos patri restituatur: id actum in-
B ter contrahentes intelligi debet, ut liberis superstitibus filia defuncta, dos retineatur: nec separabitur portio dotis additamenti caussa data. si postea nihil aliud conueniat. Conuenit, ut mulier uiri sumptibus, quoquò iret, quoquò ueheretur, uteretur atque ideo mulier pactum ad literas uiri secuta, prouinciam, in qua centurio morabatur, petit. non seruata fide conuentionis, licet directa actio nulla competit, utilis tamen in factum danda est. Filia, cum pro se dotem promitteret, pepigit, ut si in matrimonio sine liberis decessisset, matri suę dos solueretur. pacto filiæ nulla quæritur matri actio. si tamen hæres puellæ matri pecuniā dotis soluerit: uiro contra placita petenti dotē, obstabit exceptio. Pater, si filia nupta mortem obijsset, dotem dari stipulatus est. constante matrimonio capitali crimine damnatus est. diuortio secuto, uel morte uiri soluto matrimonio, stipulationis conditio deficit. quod si
C mulier in matrimonio decesserit: ex stipulatu fisco dotis actio quæritur. post uerum autem diuortium renouatis nuptijs, non committitur fisco stipulatio, licet defuncta sit in matrimonio filia: quoniam ad primas nuptias pertinet.

XXVII. IDEM lib. I. Definitionum.

SI LIBERIS sublatis, reuersa post iurgiū per dissimulationē mulier, ueluti uenali concordia, ne dotata sit, côueniat: côuentio secundum ordinē rei gestæ moribus improbanda est.

XXVIII. PAVLVS lib. V. Quæstionum.

QVAERIS. si pacta sit mulier, uel ante nuptias, uel post nuptias, ut ex fructibus fundi, quem dedit in dotem, creditor mulieris dimittatur: an ualeat pactum? Dico. si ante nuptias id conuenerit: ualere pactum, eoque modo minorem dotem constitutam. post nu-
D ptiás uero, cum onera matrimonij fructus releuaturi sunt: iam de suo maritus paciscitur, ut dimittat creditorem, & erit mera donatio.

XXIX. SCAEVOLA lib. II. Responsorum.

CVM MARITUS, qui æstimata prædia in dotem acceperat, manente matrimonio pactus est circunscribendæ mulieris gratia, ut prædia inæstimata essent, ne periculo suo ea deteriora faceret: quæsitum est, an secūdum priores dotales tabulas prædia æstimata remanerent, & periculum eorum ad maritum pertineret? Respondit. non idcirco pactum, de quo quæritur, impediri, quod in matrimonio factum esset, si deteriore loco dos non esset. nihilominus eo pacto admisso, si deteriora prædia faceret, ea actione teneri. Titius mulieris nomine dotem dedit, & stipulatus est in casum mortis & diuortij, diuortio secuto, non repeti-
E ta dote, Titius decessit. mulier ex uoluntate eius hæredis redintegrauit matrimoniū. Quæsitum est, an ex stipulatu dotem repetere possit? Respondit. hæredem Titij, si consensisset, ut ea quantitas, quam ex stipulatu consequi poterat, reconciliato matrimonio dotis fieret: posse pacti exceptione submoueri. Mulier de dote, quam dedit, pacta est, ut si in matrimonio decessisset, fratri eius redderetur: isque in eum casum stipulatus est. mulier quasdam res dotales decedens marito legauit, & alijs. quosdam ex dotalibus seruis manumisit. quæsitum est, an maritus rerum nomine, quas legauit mulier: & seruorum, quos manumisit, fratri teneretur? Respôdit. nihil proponi, cur non teneatur: cum etiam hæredes defunctæ tam legatarijs, quàm libertatibus obnoxij sint.

XXX. TRIPHONINVS lib. X. Disputationum.

BEBIVS Marcellus Bebio Maryllo dotis filiæ suæ nomine centena promiserat: & con-

ueneral inter eos, ne ea dos cõstante matrimonio sine liberis peteretur: uel si post mortem patris in matrimonio sine liberis filia decessisset, ut dimidia dos apud Maryllũ remaneret, dimidia fratri mulieris restitueretur: eaq; etiam in stipulationem deducta erant. mortuo Marcello, filio & filia superstitibus, dote uniuersa filiæ prælegata, Maryllus nata filia diuerterat: & mulier decesserat, fratre suo & filia ex æquis partibus hæredibus relictis. Apud Petronium magnum prætorẽ Maryllus ab hærede filio Marcelli ex dotis promissione uniuersam dotem petebat ex coniectura: quia si inter eos placuisset, nullo filiorum exstante mortua muliere, partem dotis remanere apud maritum: magis ergo conuenisset utiq;, dotem totam esse eius, si filium filiámue habuisset. Et ex diuerso respondebatur, pacti quidem uulgaris exceptionem hæredi proficere. sed in specie, quæ proponitur, non quasi mulieris hæres ex persona defunctæ se exceptione pacti tuebitur. sed ipse ille, qui etiam uiua muliere, si ab eo dos peteretur, potuisset exceptione Maryllum, quia diuortium factum erat, submouere: eandem quoq; defensionem & post mortem sororis suæ retinebit. Itaque placuit eum ab ea petitione absolui: nulla ex hac sentẽtia facta derogatione petitioni fideicõmissi, quam iure hæreditario per filiam hæres uxoris Maryllus in parte dimidia habebat. G

XXXI. SCAEVOLA lib. III. *Quæstionu.*

SI INTER uirum & uxorem conuenerit, ut extremi anni matrimonij fructus nondum percepti mulieris lucro fiant: huiusmodi pactum ualet.

XXXII. IABOLENVS lib. VI. *ex posterioribus Labeonis.*

VXOR uiro fundum æstimatũ centum in dotem dederat: deinde cum uiro pactum conuentum fecerat, ut diuortio facto, eodem precio uxori uir fundum restitueret: postea uolente uxore, uir eum fundum uendiderat ducentis, & diuortium erat factum. Labeo putabat, uiro potestatem fieri debere, utrum uelit ducenta, uel fundum reddere: neq; ei pactum conuentum remitti oportere. Idcirco puto hoc Labeonẽ respondisse, quoniam uoluntate mulieris fundus uenijt, alioquin omnino fundus erat restituendus. Si pater filiæ nomine pecuniam certam in dotem promisit, & pactus est, ne inuitus eam solueret: nihil ab eo exigendum puto: quia id, quod pacto conuento, ne inuitus exigeretur, conuenit: in dotis caussam esse non uidetur. H

DE FVNDO DOTALI TIT. V.

PAVLVS lib. XXXV. *ad edictum.*

INTERDVM lex Iulia de fundo dotali cessat: si ob id, quod maritus damni infecti non cauebat, missus sit uicinus in possessionem dotalis prædij, deinde iussus sit possidere. hic enim dominus uicinus fit: quia hæc alienatio non est uoluntaria. Sed & per uniuersitatem transit prædium (secundum quod possibile est) ad alterum: ueluti ab hærede mariti, cum suo tamen iure, ut alienari non possit. I

II. VLPIANVS lib. V. *de adulterijs.*

SI MARITUS fuerit in seruitutem redactus: an dominus alienare hũc fundum non possit: quod puto esse uerius. Quarè & si ad fiscum peruenerit, nihilominus uenditio fundi impeditur: quamuis fiscus semper idoneus successor sit, & soluendo. K

III. PAVLVS lib. XXXV. *ad edictum.*

FVNDVS dotali seruo legatus, ad legẽ Iuliam pertinet, quasi dotalis. Toties autem non potest alienari fundus, quoties mulieri actio de dote cõpetit, aut omnimodo cõpetitura est.

IIII. CAIVS lib. XI. *ad edictum prouinciale.*

LEX Iulia, quæ de dotali prædio prospexit, ne id marito liceat obligare, aut alienare, plenius interpretanda est: ut & de sponso idem iuris sit quod de marito.

V. VLPIANVS lib. II. *de omnibus tribunalibus.*

IVLIANVS libro decimosexto Digestorum scribit, neq; seruitutes fundo debitas posse maritum amittere, neq; alias ei imponere.

VI. IDEM lib. V. *de adulterijs.*

SED nec libertas seruitutis urbano prædio dotali debitæ competit: ne per hoc deterior conditio

A conditio prædij fiat. VII. IVLIANVS lib. XVI. *Digestorum.*

SI MARITUS fundum Titij seruientem dotali prædio adquisierit: seruitus confunditur. Sed si eundem fundum Titio reddiderit sine restauratione seruitutis: hoc marito imputabitur, & hoc casu maritus litis æstimationem præstabit. quod si maritus soluendo non erit: utiles actiones aduersus Titium mulieri ad restaurandam seruitutem dantur. Sed cum uxor fundum, cui prædia uiri seruitutem debebant, in dotem dat: fundus ad maritum peruenit amissa seruitute, & ideo non potest uideri per maritum ius fundi deterius factum. Quid ergo? officio de dote iudicantis continebitur, ut redintegrata seruitute iubeat fundum mulieri, uel hæredi eius reddi.

B VIII. ALFENVS lib. III. *Digestorum à Paulo epitomatorum.*

VIR IN fundo dotali uxoris rogatu oliuetum succiderat, ad hoc ut nouellum reponeret: postea uir mortuus erat, & uxori dotē relegauerat. ligna, quæ ex olieto excisa essent, oportere reddi mulieri respondit.

IX. AFRICANVS lib. VIII. *Quæstionum.*

SI MARITO debitori fundi, id quod debebat, doti mulier promiserit: dotalem fundum effici. quod si ei promittat, qui fundum aut decem debuit: in arbitrio esse mariti, quid in dotem sit. quod si Stichum, aut fundum debuerit maritus, & quod debet, doti ei promiserit: Sticho mortuo, fundum in dotem esse. His consequens esse, ut si Cornelianū aut Sempronianum fundum deberet, id quod debet, doti promissum sit: utrum eorū dotalem esse ma-
C lit, hunc dotis esse. Planè utrum uelit alienatum, alterum alienare non posse. si tamen alienatum rursus redimat: adhuc in eius potestate esse, an eum, quem retinuisset, alienare uelit.

X. PAVLVS lib. V. *Quæstionum.*

ERIT ergo potestas legis ambulatoria: quia dotalis fuit obligatio. Nūquid ergo illo nondum redempto, alterum quoque alienare possit, quia potest alterū redimere: an hoc non debet recipi, ut nullus in dotē sit? Certè ex post facto uidebitur rectè alienatus, illo postea redempto.

XI. AFRICANVS lib. VIII. *Quæstionum.*

QVOD si fundus in dotem æstimatus datus sit, ut electio esset mulieris: negauit alienari fundum posse. quod si ut arbitrio mariti sit: contrà esse.

XII. PAPINIANVS lib. *singulari de adulterijs.*

D ETIAM dirempto matrimonio dotale prædium esse intelligitur. Soceri uoluntas in distrahendo prædio dotali nulla est.

XIII. VLPIANVS lib. V. *de adulterijs.*

DOTALE prædium accipere debemus, tam urbanum, quàm rusticanū. ad omne enim ædificium lex Iulia pertinebit. Prædij appellatione etiam pars continetur. proinde siue totum prædium in dotem sit datum, siue pars prædij: alienari non poterit. & hoc iure utimur. Dotale prædium sic accipimus, cum dominium marito quæsitū est, ut tunc demum alienatio prohibeatur. Hæredi quoque mulieris idem auxilium præstabitur, quod mulieri præstaretur. Si uxore hærede instituta, fundus dotalis fuerit legatus: siquidem deductis legatis, mulier quantitatem dotis in hæreditate habitura est: ualet legatum: si minus: an non
E ualeat, quæritur. Scæuola certè, si non totus, sed aliqua pars ex eo uindicari possit (si modo aliqua pars ad dotem supplendam desit) id duntaxat, ex eo apud mulierem remanere ait, quod quantitati dotis deest.

XIIII. PAVLVS lib. IIII. *de adulterijs.*

SI NVPTVRA Titio, uoluntate eius fundum dotis nomine Mæuio tradit: dos eius conditionis erit, cuius esset, si ipsi Titio fundum tradidisset. Si mulieris nomine quis fundum in dotem dederit: dotalis fundus erit. propter uxorem enim uidetur is fundus ad maritum peruenisse. Si fundum alienum mulieri debeat maritus, cumque mulier ei dotis nomine promiserit: in pendenti erit, & tunc fiet dotalis, cum ad eum peruenerit. Si fundum legatum sibi dotis caussa mulier repudiauit, uel etiam substituto uiro omisit hæreditatem, uel legatum: erit dotalis fundus.

XV. PAPINIANVS lib. III. *Responsorum.*

DOTALE prædium, cuius uir possessionem retinuit, post literas ad uxorem missas, quibus dotis non fore prædium declarauit: in matrimonio defuncta muliere, uirum retinere placuit: quia mulier actionem ex pacto non habuit. y

XVI. TRIPHONINVS lib. XI. *Disputationum.*

SI FVNDUM, quem Titius bona fide possidebat, & longi temporis possessione poterat sibi quærere: mulier, ut suum, marito dedit in dotem: eumq; petere neglexerit uir, cum id facere posset: rem periculi sui fecit. Nam licet lex Iulia, quę uetat fundum dotalem alienari, pertineat etiam ad huiusmodi adquisitionem: non tamen interpellat eam possessionem, quæ per longum tempus fit, si ante quàm constitueretur dotalis fundus, iam cęperat. Planè si paucissimi dies ad perficiendam longi temporis possessionem superfuerunt: nihil erit, quod imputetur marito. G

XVII. MARCELLVS lib. VII. *Digestorum.*

FVNDVM dotalem maritus uendidit & tradidit. si in matrimonio mulier decesserit, & dos lucro mariti cessit: fundus emptori auelli non potest.

XVIII. IABOLENVS lib. VI. *ex posterioribus Labeonis.*

VIR in fundo dotali lapidicinas marmoreas aperuerat. diuortio facto, quæritur, marmor, quod cæsum, neq; exportatū est, cuius sit? & impensas in lapidicinas factas mulier, an uir præstare debeat? Labeo marmor uiri esse ait. cæterū uiro negat quidquam pręstandum esse à muliere: quia nec necessaria ea impensa esset, & fundus deterior esset factus. Ego non tantum necessarias, sed etiam utiles impensas dandas à muliere existimo: nec puto fundum deteriorem esse, si tales sint lapidicinæ, in quibus lapis crescere possit. Si per mulierem mora fieret, quò minus ęstimationem partis fundi uiro solueret, & fundum reciperet, cum hoc pactum esset: fructus interim perceptos ad uirū pertinere, ait Labeo. Sed puto potius pro portione fructus uirum habiturum, reliquos mulieri restituturum. quo iure utimur. H

DIGESTORVM SEV

PANDECTARVM LIBER uicesimus quartus.

DE DONATIONIBVS INTER VIRVM & uxorem. TIT. I. I

VLPIANVS lib. XXXII. *ad Sabinum.*



MORIBVS APVD NOS RECEPTVM EST, NE INTER uirum & uxorem donatio ualeret. hoc autē receptum est, ne mutuo amore se inuicem spoliarent, donationibus non obtemperantes, & profusa erga se facilitate utentes.

II. PAVLVS lib. VII. *ad Sabinum.*

NEC esset eis studium liberos potius educendi. Sextus Cæcilius & illam caussam adijciebat: quia sæpe futurum esset, ut distraherentur matrimonia, si non dáret is, qui posset: atq; ea ratione euenturum, ut uenalia matrimonia essent. K

III. VLPIANVS lib. XXXII. *ad Sabinum.*

HAEC ratio & oratione Imperatoris nostri Antonini electa est. nā ita ait. Maiores nostri inter uirū & uxorem donationes prohibuerunt, amorē honestū solis animis ęstimantes, famæ etiam coniunctorū consulentes: ne cōcordia precio conciliari uideretur. neue melior in paupertatem decideret, deterior ditior fieret. Videamus, inter quos sint prohibitæ donationes. Et quidem si matrimonium legibus & moribus constat: donatio non ualebit. sed si aliquod impedimentum interueniat, ne sit omnino matrimonium: ualebit donatio. ergo si senatoris filia libertino contra senatusconsultum nupserit, uel prouincialis mulier ei, qui ibi moretur,

A qui ibi moretur, contra mandata: ualebit donatio, quia nuptiæ non sunt. Sed fas non est,
eas donationes ratas esse:ne melior sit conditio eorũ,qui deliquerunt. Diuus tamen Seue-
rus in liberta Pontij Paulini senatoris contra statuit:quia nõ erat affectione uxoris habita,
sed magis concubinæ. Qui in eiusdem potestate sunt, prohibentur sibi donare: utputà
frater mariti, qui est in potestate soceri. Verbũ potestatis non solum ad liberos trahimus,
uerumetiam ad seruos. nam magis est,ut hi quoq;,qui aliquo iure subiecti sunt marito,do
nare non possint. Secundum hæc si mater filio, qui in pãtris potestate est, donet: nullius
momenti erit donatio, quia pãtri quæritur. sed si in castra eunti filio dẽdit, uidetur ualere:
quia filio quæritur,& est castrensis peculij. Quarè & si filius,uel priuignus, uel quiuis alius
B potestati mariti subiectus,de castrensi suo peculio donauerit:non erit irrita donatio.Prohi
betur igitur uxori & nurui donare etiam is,qui est in soceri potestate:si modo maritus sit in
pãtris potestate. Ab uxoris nurusùe parte prohibitum est donari uiro,uel genero. Sed
& his,qui sunt in eorum potestate,si fuerit donatum,uel in quorum sunt potestate,non ua-
lebit donatio:si modo uir & socer in eiusdem sunt potestate,uel uir in soceri. Cæterum si in
ãlia familia est maritus:neq; socero,neq; ei,qui est in eius potestate,neq; ei,in cuius est, do
natione interdictũ est. Socrui à nuru uel contrà,donari non est prohibitũ:quia hic ius po
testatis nõ uertitur. Si seruus meus, cuius usufructus alienus est, donet uxori meæ ex eo
peculio, quod ad me nõ pertinebat: uel liber homo bona fide mihi seruiens: an ualeat do-
natio,quæritur? Et in libera quidem persona utcunq; admitti potest donatio. cæterę enim
C personæ alienationem peculij, ut donent,non habent. Non tantum autẽ per se maritus
& uir,cæteræq; personæ donare non possunt:sed nec per alios. Sciendũ autem est,ita in-
terdictam inter uirum & uxorem donationem,ut ipso iure nihil ualeat,quod actũ est. pro-
inde si corpus sit, quod donatur, nec traditio quidquam ualet. Et si stipulanti promissum
sit,uel acceptò latũ: nihil ualet. ipso enim iure, quæ inter uirũ & uxorem donationis caussa
geruntur,nullius momenti sunt.Si quis igitur numos uxori dẽderit:non fieri eius apparet:
quia nihil corporis eius fieri, palam est. Sed si debitorem suũ ei soluere iusserit: hic quæ-
ritur,an numi fiant eius,debitorq; liberetur? Et Celsus lib. decimoquinto Digest. scribit:
uidendum esse,ne dici possit,& debitorem liberatũ,& numos factos mariti,deinde uxoris.
nam si donatio iure ciuili non impediretur:eum rei gestæ ordinem futurũ, ut pecunia ad te
D à debitore tuo, deinde à te ad mulierem perueniret. nam celeritate coniungendarũ inter se
actionũ unam actionem occultari.cæterũ debitorem creditori dãre, creditorem uxori. nec
nouum,aut mirum esse, quod per alium accipias,te accipere. nam & si is, qui se procurato-
rem tui creditoris esse simulauit, à debitore tuo iubẽte te pecuniam acceperit: & furti actio-
nem te habere constat,& ipsam pecuniam tuam esse. Huic sententiæ consequens est quod
Iulianus libro decimoseptimo Digestorum scribit. ait enim, si donaturum mihi, iussero
uxori meæ dãre:nullius esse momenti. perinde enim habendum,atq; si ego acceptam rem
meam factam uxori meæ dẽdissem. quæ sententia uera est.

IIII. IVLIANVS lib. XVII. *Digestorum.*

IDEMQVE est,& si mortis caussa traditurũ mihi,iusserim uxori tradere.nec refert,conua-
E ualuerit donator,an mortuus sit.neq; existimandum est, si dixerimus ualere donationem,
non fieri me pauperiorem:quia siue conualuerit donator,ei condictione tenebor: siue mor
tuus fuerit,rem,quam habiturus eram in bonis meis desinã propter donationem habere.

V. VLPIANVS lib. XXXII. *ad Sabinum.*

SI SPONSVS sponsæ donaturus,tradiderit Titio,ut is sponsæ dãret: deinde Titius tra-
diderit post nuptias secutas:siquidem maritus eum interposuit:donationẽ non ualere,quę
post contractas nuptias perficiatur.si uero mulier eum interposuit: iamdudum perfectam
donationem,hoc est ante nuptias: atq; ideo,quamuis contractis nuptijs Titius tradiderit,
donationem ualere. Si maritus duos reos habeat Titium & mulierem,& mulieri acceptò
tulerit donationis caussa, neuter liberatur: quia acceptilatio non ualet. & hæc Iulianus lib.
17. Digestorum scribit.Planè si proponas Titio acceptò latũ esse: ipse quidem liberabitur.

mulier uero manebit obligata. Generaliter tenendum est, quod inter ipsos, aut qui ad F
eos pertinent, aut quod per interpositas personas donationis caussa agitur: non ualere.
quod si aliarum extrinsecus personarum rerúmue caussa commista sit: si separari non pos/
sit: nec donationem impediri. si separari possit: cętera ualere, id quod donatũ sit, non ualere.
Si debitor uiri pecuniam iussu mariti uxori promiserit, nihil agitur. Si uxor uiri credito/
ri donationis caussa promiserit, & fideiussorẽ dederit: neq; uirũ liberari, neq; obligari muli
erẽ uel fideiussorẽ eius, Iulianus ait: perindeq; haberi, ac si nihil promisisset. Circa uendi/
tionem quoq; Iulianus scribit: minoris factam uenditionem, nullius momenti esse. Nera/
tius etiam (cuius opinionem non improbat Pomponius) uenditionem donationis caussa
inter uirum & uxorẽ factam, nullius esse momenti ait: si modo, cum animum maritus uen/ G
dendi non haberet, idcirco uenditionem commentus sit, ut donaret. Enimuero si cum ani/
mum uendendi haberet, ex precio ei remisit: uenditionem quidem ualere, remissionem ha/
ctenus non ualere, quatenus locupletior facta est. itaque si res quindecim, uenit quinque,
nunc autem sit decem: quinq; tantum præstanda sunt: quia in hoc locupletior uidetur fa/
ctà. Si donationis caussa uir uel uxor seruitute non utatur: puto amitti seruitutem, uerum
post diuortium condici posse. Si uxor uel maritus exceptione quadam donationis caus/
sa submoueri uoluerit: facta à iudice absolutione, ualebit, quidem sententia: sed condicetur
ei, cui donatũ est. Cõcessa donatio est sepulturæ caussa. nam sepulturæ caussa locũ marito
ab uxore, uel contrà posse donari, cõstat: & siquidẽ intulerit, faciet locũ religiosum. Hoc aũt
ex eo euenit, quod definiri solet: eam demum donationẽ impediri solere, quæ & donantem H
pauperiorem, & accipientem faceret locupletiorem. porrò hic non uidetur fieri locupletior
in ea re, quam religioni dicauit. nec moueat quenquam; quod emeret, nisi à marito accepis/
set. nã & si pauperior ea fieret, nisi maritus dedisset: non tamen idcirco fit locupletior, quod
non expendit. hoc & illud suadet: & si uxori maritus sepulturę caussa donauerit: ita demum
locum fieri intelligi mulieris, cum corpus humatur. cæterũ ante, quàm fit religiosus: donan/
tis manet. proinde & si distraxerit mulier: manet locus donatoris. Secundum hæc si uxori
suæ monumentum purum maritus magni precij donauerit, ualebit donatio: sic tamen, ut
cum sit religiosus, ualeat. Sed si ipsa fuerit illò illata: licet morte eius finitum est matrimoni
um: fauorabiliter tamen dicetur, locum religiosum fieri. Proinde & si maritus ad oblatio/
nem dei uxori donauit: uel locum, in quo opus publicũ, quod promiserat, faceret, uel ædem I
publicam dedicaret: fiet locus sacer. Sed & si quid ei donetur, ut deo detur, uel consecretur:
nec dubium, quin debeat ualere. Quarè & si oleum pro ea in æde sacra posuerit, ualet dona
tio. Si maritus hæres institutus repudiat hæreditatem donationis caussa: Iulianus scri/
psit libro decimoseptimo Digestorum, donationem ualere. neq; enim pauperiorem fieri,
qui non adquirat, sed qui de patrimonio suo deposuerit. Repudiatio autem mariti mulieri
prodest, si uel substituta mulier sit, uel etiã ab intestato hæres futura. Simili modo & si lega/
tũ repudiet, placet nobis ualere donationẽ: si mulier substituta sit in legato, uel etiã si propo
nas eã hæredẽ institutã. Si quis rogatus sit, præcepta certa quãtitate, uxori suæ hæredita/
tem restituere, & is sine deductione restituerit: Celsus libro decimo Digestorũ scripsit, ma/
gis pleniore officio præstandæ fidei functũ maritũ, quàm donasse uideri. & rectã rationem K
huic sententiæ Celsus adiecit. quod plerią; magis fidẽ exsoluũt in hoc casu, quàm donant:
nec de suo putant proficisci, quod de alieno plenius restituunt, uoluntatem defuncti secuti.
nec immeritò. sæpe enim credimus aliquid defunctum uoluisse, & tamen non rogasse. quæ
sententia habet rationem: & magis in eo, qui non erat deducta quarta restituere roga/
tus, & tamen integram fidem præstat, omisso senatusconsulti commodo. hic enim uerè
fidem exsoluit, uoluntatem testatoris secutus. Hoc ita, si non per errorem calculi fecit.
Cæterum indebiti fideicommissi esse repetitionem, nulla dubitatio est. Cum igitur nihil
de bonis erogatur, rectè dicitur ualere donationem. Vbicunque igitur non deminuit
de facultatibus suis, qui donauit: uel etiam si deminuat, loupletior tamen non fit, qui
accepit: donatio ualet. Marcellus libro septimo Digestorum quærit. si mulier à ma/
rito acceptam

A rito acceptam pecuniā in ſportulas pro cognato ſuo ordini erogauerit: an donatio ualeat? & ait ualere, nec uideri locupletiorem mulierem factam: quamuis mutuam pecuniam acceptura, & pro affine erogatura. In donationibus autem iure ciuili impeditis, hactenus reuocatur donum ab eo, ab eaue, cui donatum eſt: ut ſiquidem exſtet res uindicetur: ſi conſumpta ſit, condicatur, quatenus locupletior quis eorum factus eſt.

VI. CAIVS lib. XII. ad edictum prouinciale.

QVIA quod ex non conceſſa donatione retinetur: id aut ſine cauſſa, aut ex iniuſta cauſſa retineri intelligitur: ex quibus cauſſis condictio naſci ſolet.

VII. VLPIANVS lib. XXXII. ad Sabinum.

B QVOD autem ſpectatur tempus, an locupletiores ſint facti: utrum tempus litis conteſtatæ, an rei iudicatæ? Et uerum eſt litis conteſtatæ tempus ſpectari oportere. idemq; Imperator noſter cum patre reſcripſit. Si maritus pecuniam uxori in unguenta dederit, eaq; eam creditori ſuo ſoluerit, mox de ſua pecunia emerit unguenta: non uideri locupletiorem factam, Marcellus libro ſeptimo Digeſtorū ſcribit. Idem ait. & ſi lancem ob eandem cauſſam ei dederit, eaq; lancem retinuerit, de ſua autem pecunia unguenta emerit: uindicationem ceſſare: quia non ſit locupletior, quæ tantundem in re mortua impenderit. Si uir & uxor quina inuicem ſibi donauerint, & maritus ſeruauerit, uxor conſumpſerit: rectè placuit compenſationem fieri donationum. & hoc diuus Hadrianus conſtituit. Idemq; ait, ſi maritus uxori pecuniam donauerit, ipſaq; ex ea pecunia prædia comparauerit: æſtimari oportere, in quantum locupletior facta ſit mulier. proinde & ſi prædia hodie uiliſſima ſunt: conſequenter dicemus, litis conteſtatæ tempore æſtimationem eorū ſpectandam. Planè ſi magni precij prædia ſunt: ſumma numerata erit reſtituenda, non etiam uſuræ precij. Eleganter tractabitur: ſi mulier prædia quindecim emerit, & maritus non totum precium numerauerit, ſed duas partes precij, hoc eſt decem, uxor de ſuo quinq;, deinde hæc prædia ualeant nūc decē: maritus quantū conſequetur. & magis eſt, ut conſequi debeat duas partes decem: ut quod perierit ex precio, utriq; perierit, & marito, & uxori. Si maritus æſtimationē terū quas in dote accepit, dicat ſe donationis cauſſa auxiſſe: remedium monſtrauit Imperator noſter cū diuo pātre ſuo reſcripto, cuius uerba hæc ſunt. Cum donationis cauſſa preciū auctum adfirmes: qui ſuper ea re cogniturus erit, ſi pecuniæ modum recuſabis, ipſa prædia

D reſtitui debere, ſumptuum deductis rationibus, arbitrabitur. Igitur in arbitrio mariti erit, quid præſtitum malit. Idem iuris eſt, & ſi è contrario mulier de minore æſtimatione quæratur: nec aliud in commodato æſtimato obſeruari ſolet, ut Pomponius libro quarto uariarum lectionum ſcribit. Si uxor à marito ſuo prædia, quæ ob dotem pignori acceperat, emerit, eaq; emptio donationis cauſſa facta dicatur: nullius eſſe momenti, pignoris tamen obligationem durare, Imperator noſter cum pātre ſuo reſcripſit. cuius reſcripti uerba ideo retuli, ut appareat uenditionem inter uirum et uxorem bona fide geſtam, non retractari. Si tibi maritus pignora, propter dotem & pecuniam creditā dāta, non donationis cauſſa uendidit: quod bona fide geſtū eſt, manebit ratū. At ſi titulus donationi quæſitus oſtendetur, atq; ideo uenditionē irritā eſſe cōſtabit: iure publico cauſſam pignorū integrā obtinebis.

E Si uxor rem emit, & maritus precium pro ea numerauit: interdum dicendum eſt, totum à muliere repetendum, quaſi locupletior ex ea in ſolidū facta ſit: utputā ſi emit quidem mulier rem, & debeat pecuniam, maritus autem à uenditore eam liberauit. quid enim intereſt, creditori ſoluat, an uenditori. Vxori quis donauit ſeruum, ita ut cum intra annum manu mitteret. an ſi mulier non obtemperet uoluntati, conſtitutio diui Marci imponat ei libertatem, ſi uir uel uiuit, uel etiam diem ſuum obijt? Et ait Papinianus. cum Sabini ſententia ſit recepta, qui putat, tunc fieri ſeruum eius, cui donaretur, cum libertas cœperit imponi: ideóque, nec ſi uelit mulier, poſt exactum tempus poſſit manumittere. rectè dici, non eſſe conſtitutioni locū, nec uoluntatē mariti poſſe cōſtitutioni locū facere, cum propriū ſeruum ipſe poſſit manumittere. quæ ſententia mihi quoq; probatur: quia uenditor ſiue donator non ſibi legē uolūt imponere, nec poſſunt: ſed ei, qui accepit. dominio igitur penes ſe remanēte,

nequaquam

nequaquam effectum habebit constitutio. Manumissionis caussa donatio facta ualet: F
& licet non hoc agatur, ut statim ad libertatẽ, sed quandoq; perducatur. proinde si, ut post certum tempus manumittat, uxori suæ tradidit: tunc demum eius fiet, cum tempore impleto manumittere cœperit. quarè ante manumittendo nihil agit. Nam & illud sciendum est: si uxori quis suæ donauerit, ut intra annum manumittat, deinde non manumiserit intra annum: postea manumittendo nihil agi.

VIII. CAIVS lib. XII. *ad edictum prouinciale.*

SI ANTE quàm seruus manumittatur, morte, aut diuortio solutũ fuerit matrimonium, resoluitur donatio. inesse enim conditio donationi uidetur, ut manente matrimonio manu mittatur.

IX. VLPIANVS lib. XXXII. *ad Sabinum.* G

SI EVM uxori maritus donet, qui eius etat conditionis, ne unquam ad libertatem perduci possit: dicendum est, omnino nihil agi hac donatione. Si pecunia accepta mulier manumiserit, uel operas ei imposuerit: ait Iulianus, operas quidẽ licito iure eam imposituram, & tenere obligationem: nec uideri mulierem ex re uiri locupletiorem fieri, cum eas libertus promittat. Quod si preciũ ob manumissionẽ acceperit mulier, & sic manumiserit: siquidem ex peculio suo dẽdit: numos mariti manere. si uero alius pro eo dẽdit: fieri numos mulieris. quę sententia rectè se habet. Inter uirũ & uxorem mortis caussa donationes receptæ sunt.

X. CAIVS lib. XII. *ad edictum prouinciale.*

QVIA in hoc tempus excurrit donationis euentus, quo uir & uxor esse desinunt.

XI. VLPIANVS lib. XXXII. *ad Sabinum.* H

SED interim res non statim fiunt eius, cui donatæ sunt: sed tunc demum, cum mors insecuta est. medio igitur tempore dominium apud eum remanet, qui donauit. Sed quod dicitur, mortis caussa donationem inter uirum & uxorem ualere: ita uerum est, ut non solum ea donatio ualeat secundum Iulianum, quę hoc animo fit. ut tunc demum res fiant uxoris uel mariti. cum mors insequatur, sed omnis mortis caussa donatio. Quando itaq; non retro agitur donatio: emergunt uicia, ut Marcellus animaduertit in specie huiuscemodi. Maritus uxori mortis caussa donatum uolnit. interposuit mulier filiumfamiliâs, qui à marito acciperet, eiq; traderet: deinde cum moritur maritus paterfamiliâs inuentus. an ualeat traditio? & ait consequens esse dici traditionem ualere: quia sui iuris effectus sit eo tempore, ad quod traditio redigitur, id est, cum maritus moriebatur. Idem ait. placuisse scio Sabinianis, si filiæfamiliâs uxori maritus tradiderit: donationem eius cum omni suo emolumento fieri, si I
uiuo adhuc marito sui iuris effecta fuerit. quod & Iulianus libro decimoseptimo Digestorum probat. Proinde & si uxor marito filiofamiliâs mortis caussa tradat, & is sui iuris effectus sit: sine dubio dicemus, ipsius fieri. Per contrariũ quoq;, si uxor donauerit mortis caussa patrifamiliâs marito, & mortis eius tempore filiusfamiliâs inueniatur: pãtri erit nunc emolumentum quæsitum. Consequenter Scæuola apud Marcellum notat. si interposuerit seruum mulier, ut ei tradatur mortis caussa, isq; adhuc seruus dẽderit mulieri, deinde mortis tempore liber inueniatur: tantundem esse dicendum. Idem Marcellus tractat. si is, qui interpositus est, postquam dẽderit mulieri, decesserit uiuo adhuc donatore: donationem euanescere: quia debebat aliquo momento interposito eius fieri, & sic ad mulierem transire. K
Quod ita procedit, si ea, cui donabatur, eum interposuit, nõ is, qui donabat. Porrò si à marito est interpositus: res ipsius statim facta est. & si ante mortẽ mariti tradiderit, & decesserit: traditio eius egit aliquid, ut tamẽ hæc traditio pendeat, donec mors cõsequatur. Si uxor rẽ Titio dẽderit, ut is marito mortis caussa traderet: eaq; defuncta, inuitis hæredibus eius, Titius marito dẽderit: interest, utrũ à muliere sit interpositus Titius, an uero à marito, cui donabatur. si à muliere interpositus est: obligabit se conditione, si marito tradiderit. si aũt à marito sit interpositus: mortua muliere cõfestim fundus efficietur eius, quẽ maritus interposuit, & actionẽ ipse maritus cũ eo habebit. Si uxor rem, quã acceperat à marito suo mortis caussa, uiuo eo alij tradiderit: nihil agitur ea traditione: quia nõ ante ultimũ uitæ tempus mulieris fuit. Planè in quibus casibus placet retroagi donationẽ: etiã cõsequens traditio à muliere facta

A muliere facta in pendenti habebitur. Si maritus uxori donauerit mortis caussa, eaq; diuerterit: an dissoluatur donatio? Iulianus scripsit, infirmari donationem, nec eam in pendenti esse. Idem ait, si diuortij caussa facta sit donatio, ualere.

XII. PAVLVS lib. VI. ad Sabinum.

QVAE tamē sub ipso diuortij tempore, non quæ ex cogitatione quandoq; futuri diuortij fiat.

XIII. VLPIANVS lib. XXXII. ad Sabinum.

SED SI mors sit insecuta: non uideri factas res mulieris: quia donatio in alium casum facta est. Proinde & si mortis caussa uxori donauit, & deportationem passus est: an donatio ualeat, uideamus. Et aliâs placet in casum deportationis donationē factam ualere, quemadmodum in caussa diuortij. cum igitur deportatione matrimonium minimè dissoluitur, & nihil uicij mulier incurrit: humanum est donationem, quæ mortis caussa ab initio facta est, tali exilio subsecuto confirmari, tanquam si mortuo marito rata habeatur. ita tamen, ut non adimatur licentia marito eam reuocare: quia & mors eius exspectanda est: ut tunc plenissimam habeat firmitatem, quādo ab hac luce fuerit subtractus siue reuersus, siue adhuc in pœna constitutus. Cum quis acceperit, ut in suo ædificet: condici ei id non potest: quia magis ei donari uidetur. quæ sententia Neratij quoque fuit. ait enim. datum ad uillam exstruendam, uel agrum conserendum, quod alioquin facturus non erat is, qui accepit: in speciem donationis cadere. ergo inter uirum & uxorem hæ erunt interdictæ.

XIIII. PAVLVS lib. XXXVI. ad edictum.

C QVOD si uir uxori, cuius ædes incendio consumptæ sunt, ad refectionem earum pecuniam donauerit: ualet donatio in tantum, in quantum ædificij exstructio postulat.

XV. VLPIANVS lib. XXXII. ad Sabinum.

EX ANNVO uel menstruo, quod uxori maritus præstat, tunc quod superest, reuocabitur: si fatis immodicum sit, id est supra uires dotis. Si maritus uxori donauerit pecuniam, eaq; usuras ex donata pecunia perceperit: lucrabitur. hæc ita Iulianus in marito libro decimo septimo Digestorum scribit.

XVI. TRIPHONINVS lib. XI. Disputationum.

QVID ergo, si ex centum, quæ uir uxori donauit, quinquaginta apud debitorem perierint, & ex his alia quinquaginta duplicata pro usuris uxor habeat? non plus quinquaginta, D eius donationis nomine, maritus ab ea consequetur.

XVII. VLPIANVS lib. XXXII. ad Sabinum.

DE FRVCTIBUS quoq; uideamus: si ex fructibus prædiorū, quæ donata sunt, locupletata sit: an in caussam donationis cadant. Et Iulianus significat, fructus quoq;, ut usuras, licitam habere donationem. Sed si quid seruus donatus adquisijt, ad eum, qui donauit, pertinebit.

XVIII. POMPONIVS lib. IIII. ex varijs lectionibus.

SI VIR uxoris, aut uxor uiri seruis, aut uestimentis usus, uel usa fuerit: uel in ædibus eius gratis habitauerit: ualet donatio.

XIX. VLPIANVS lib. XXXII. ad Sabinum.

SI VXOR filio donauerit seruum, qui in pātris mariti sit potestate, deinde is seruus ancillam accipiat: dominium mulieri quæritur. nec interesse Iulianus ait, ex cuius pecunia ancilla empta sit: quia nec ex re sua quidquam adquiri potest per eum, qui donatur, ei cui donatur. hoc enim bonæ fidei possessoribus concessum esse: uirum autem scientem alienum possidere. Idem quærit. si ex re mariti ea ancilla comparata fuerit: an aduersus mulierem agentem de dote precium possit per exceptionem retineri? Et dicendum est, posse maritum exceptionem habere, si dos ab eo petatur, secundum Marcelli sententiam: & si soluerit, secundum Iulianum, posse condicere.

XX. IABOLENVS lib. XI. ἐπισολῶν.

SI IS seruus, qui uxori mortis caussa donatus est, prius quàm uir decederet, stipulatus est: in pendenti puto esse caussam obligationis, donec uir aut moriatur, aut suspitione mortis, quā propter donauit, liberetur. quidquid autē corū inciderit, quod donationē aut perimat, aut confirmet.

aut confirmet: id quoque caussam stipulationis aut confirmabit, aut resoluet.

XXI. VLPIANVS lib. XXXII. ad Sabinum.

SI QVIS pro uxore sua uectigal in itinere, quod præstari solet, soluisset: an quasi locupletiore ea facta, exactio fiat, an uero nulla sit donatio? & magis puto, non interdictū hoc maximè, si ipsius caussa profecta est. nam & Papinianus libro quarto Responsorum scripsit: uecturas uxoris & ministeriorum eius, uirum itineris sui caussa dătas repetere non posse. iter autem uideri fuisse uiri caussa, & cum uxor ad uirum perueniat. nec interesse, an aliquid de uecturis in contrahendo matrimonio conuenerit. non enim eum donare, qui necessarijs oneribus succurrit. Ergo & si consensu mariti profecta est mulier propter suas necessarias caussas, & aliquid maritus expensarum nomine ei præstitit, hoc reuocandum non est. G

Si uxor uiro dotem promisit, & dotis usuras: sine dubio dicendum est, usuras peti posse: quia non est ista donatio, cum pro oneribus matrimonij petantur. Quid tamen si maritus uxori petitionem earū remiserit? eadem erit quęstio, an donatio sit illicita. Et Iulianus hoc diceret. quod & uerum est. Planè si conuenerat, ut se mulier pasceret, suosque homines: & idcirco passus est eam dote sua frui, ut se suosque aleret: expeditum erit. puto enim non posse ab ea peti, quasi donatum, quod compensandum est.

XXII. IDEM lib. III. ad Sabinum.

VXORI suæ quis mortis caussa seruum donauit, eumque postea cum libertate hæredem scripsit. an ualeat institutio, quęritur. Et puto, si hoc animo eum scripsit hæredem, quod donationis se dixit pœnituisse: ualere institutionē, & necessarium hæredem domino seruum fieri. Cæterum si postea, quàm hæredem instituit, donauit: donatio præualebit. uel si antè donauit, non tamen animo adimendi libertatem scripsit. H

XXIII. IDEM lib. VI. ad Sabinum.

PAPINIANUS rectè putabat, orationem diui Seueri ad rerum donationem pertinere. denique si stipulanti uxori suæ spopondisset: non putabat conueniri posse hæredem mariti, licet durante uoluntate maritus decesserit.

XXIIII. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

SI INTER extraneos facta sit donatio, & antè, quàm per tempus legitimum dominium fuerit adquisitum, coierint: uel contrà si inter uirum & uxorem facta sit donatio, & antè impletum tempus supradictum solutum sit matrimonium: nihilominus procedere temporis suffragiū constat: quia altero modo sine uicio tradita est possessio, altero quod fuit uicium, amotum est. I

XXV. TERENTIVS CLE. lib. V. ad L. Iul. & Papiam.

SED ET si constante matrimonio res aliena uxori à marito donata fuerit: dicendum est, confestim ad usucapionem eius uxorem admitti: quia & si mortis caussa donaretur ei, non impediretur usucapio. nam ius constitutum ad eas donationes pertinet, ex quibus & locupletior mulier, & pauperior maritus in suis rebus fit. itaque licet mortis caussa donatio interueniat: quasi inter extraneas personas fieri intelligenda est in ea re, quæ quia aliena est, usucapi potest.

XXVI. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

SI EVM, qui mihi uendidit, iusserim eam rem uxori meæ donationis caussa dăre, & is possessionem iussu meo tradiderit: liberatus erit: quia licet illa iure ciuili possidere non intelligatur, certè tamen uenditor nihil habet, quod tradat. Ex quibus caussis inter uirum & uxorem concessæ sunt donationes: ex ijsdem & inter socerum & generum nurumue concessas, Neratius ait. Ergo & socer genero mortis uel diuortij caussa: & gener socero mortis suæ uel diuortij caussa rectè donabit. K

XXVII. MODESTINVS lib. VII. Regularum.

INTER eos, qui matrimonio coituri sunt: ante nuptias donatio facta iure consistit, etiam si eodem die nuptiæ fuerint consecutæ.

XXVIII. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

SI ID, quod donatū est, perierit, uel consumptū sit: eius, qui dĕdit, est detrimentū meritò: quia manet eius res, qui dĕdit, suamque rem perdit. Si quid in pueros ex ancillis dotalibus natos maritus

A natos maritus impenderit, aut in doctrinam, aut alimenta: non seruatur marito: quia ipse ministerijs eorum utitur. Sed illud seruatur, quod nutrici datum est ad educandum: quia pro capite id dedit, quemadmodum si à prædonibus redemisset seruos dotales. Si quas serui operas uir uxori præstiterit, uel contrà: magis placuit, nullam habendam earum rationem. & sanè non amare, nec tanquam inter infestos ius prohibitæ donationis tractandum est: sed ut inter coniunctos maximo affectu, & solam inopiam timentes. Si ex decem donatis sibi mulier seruum emat, & is quinque sit: quinque petenda esse, apud Plautium placuit: quemadmodum si mortuus est, nihil petetur. si uero quindecim dignus sit: nō plus quàm decē peti possunt: quoniam hactenus donator pauperior factus est. Quod si ex de-
B cem duos seruos emerit, & eorum alter mortuus sit, alter decem dignus sit: solet quæri. Et plerique (ut Pomponius) interesse putant, utrum uno precio uenierint, an diuersis. Si uno: tota decem petenda, quemadmodum si una res empta deterior facta esset: uel grex, uel carrucha, & aliqua pars inde perijsset: si diuersis: hoc solum petendum, quanti emptus sit, qui super est. Iulianum putasse Pomponius refert. si quid per eum seruum, quem emerat ex nummis à marito donatis mulier, adquisiisset (fortè legatum, hæreditatem) aut cum partus editus esset: eo quoque nomine petitionem faciendam esse. Illud constat: si antequam à uiro annuum acciperet mulier, ipsa de suo, aut etiam mutuata impendit: uideri iam tantū ex annuo consumptum. Illud rectè dictū Celsus ait. si dotis usuras annuas uxor stipulata sit: licet ei non debeantur, quia tamen quasi de annuo conuenerit, peti quidē dotis iudicio non
C possunt, compensari autē possunt. idem ergo dicemus in qualibet pactione annui nomine facta. XXIX. POMPONIVS *lib. XIII. ad Sabinum.*

SI MVlier ex pecunia donata emptum seruū uendidisset, & alium emisset: posteriorem periculo mulieris esse, Fulcinius scripsit. quod non est uerum, licet non ex re mariti emptus sit. Si uir uxori lanā donauit, & ex ea lana uestimenta sibi confecit: uxoris esse uestimenta, Labeo ait. XXX. CAIVS *lib. XII. ad edictum prouinciale.*

VTilem tamen uiro competere.

XXXI. PAVLVS *lib. VII. ad Sabinum.*

SED si uir lana sua uestimentum mulieri confecerit: quamuis id uxori confectum fuerit, & uxoris cura, tamen uiri esse: neque impedire, quod in ea re uxor tanquam lanipendia
D fuerit, & uiri negocium procurarit. Si uxor lana sua operis ancillarum uiri uestimenta sui nomine confecit muliebria: & uestimenta mulieris esse, & pro operis ancillarum uiro præstare nihil debere. sed uiri nomine uestimēta cōfecta uirilia, uiri esse: ut is lanæ uxori preciū præstet. Sed si nō uirilia (uestimenta suo nomine) mulier cōfecit, sed ea uiro donauit: non ualere donationē, quamuis illa ualeat, cū uiri nomine cōfecit. nec unquam operas ancillarum uiri æstimari conuenit. Si uir uxori areā donauerit, & uxor in ea insulā ædificauerit: ea insula sine dubio mariti est, sed eius impensam mulierē seruaturā placet. Nam si maritus uindicet insulam, retentionē impensę mulierē facturā. Si duo mancipia fuerint singula quinis digna, sed utrunque unis quinque donationis caussa à uiro mulieri, uel cōtrà uenierit: melius dicetur, cōmunia ea esse pro portione precij: nec tantū spectandū esse, quanti mancipia sint, sed
E quantū ex precio donationis caussa sit remissum. sine dubio enim licet à uiro uel uxore minoris emere, si nō sit animus donādi. Si uir uxori, uel cōtrà, quid uēdiderit uero precio, & donationis caussa paciscanī, ne quid uēditor ob eam rem pręstet: uidendū est, quid ea uenditione agatur: utrum res uenierit, & totum negociū ualeat: an uero, ut ea sola pactio irrita sit, quemadmodum irrita esset, si post contractam emptionem nouo consilio inito, id pacti fuisset factum. Et uerius est, pactum duntaxat irritum esse. Idem dicemus, si donationis caussa pacti sint, nec fugitiuum aut erronem præstari, id est, integras esse actiones ædilitias, & ex empto. Quod uir uxori in diem debet, sine metu donationis pręsens soluere potest: quamuis commodum temporis retenta pecunia sentire potuerit. Quod legaturus mihi, aut hæreditatis nomine relicturus es: potes rogatus à me uxori meæ relinquere, & non uidebitur ea esse donatio: quia nihil ex bonis meis deminuitur. in quo maximè maiores

ii donan-

donāti fucurriſſe Proculus ait,ne amore alterius alter deſpoliaretur:neue quaſi inter maleuolos,alter locupletior fieret. Si uir uxori munus immodicum calendis Martijs, aut natali die dediſſet:donatio eſt.ſed ſi impenſas,quas faceret mulier,quo honeſtius ſe tueretur: cōtrà eſt. Non uidetur facta eſſe mulier locupletior,ſi aut in obſonio,aut in unguētis, aut in cibarijs familiæ donatam ſibi pecuniam impenderit. Quæ uir cibaria uxoris ſuæ familiæ iumentisúe præſtitit,quæ in uſu communi erant,non condicentur.Quod ſi familiā domeſticam uxoris aut uenaliciam pauit:contrà puto obſeruari debere. F

XXXII. VLPIANVS lib.XXXIIII. ad edictum.

Cvm hic ſtatus eſſet donationum inter uirum & uxorem.quem antea retulimus:Imperator noſter Antoninus Auguſtus ante exceſſum diui Seueri pǎtris ſui,oratione in ſenatu habita,author fuit ſenatui cenſendi,Fuluio Aemiliano & Numio Albino conſulibus,ut aliquid relaxet ex rigore iuris. Oratio autem de confirmandis donationibus Imperatoris noſtri,non ſolum ad ea pertinet,quæ nomine uxoris à uiro comparata ſunt, ſed & omnes donationes inter uirum & uxorem factas:ut & ipſo iure res fiant eius, cui donatæ ſunt, & obligatio ſit ciuilis. ſed de Falcidia, ubi poſſit habere locum, tractandum eſt.cui locum ita fore opinor,quaſi ſit teſtamento confirmatum, quod donatum eſt. Ait oratio. FAS ESSE EVM, QVI DONAVIT, POENITERE: HAEREDEM VERO ERIPERE FORSITAN ADVERSVS VOLVNTATEM SVPREMAM EIVS, QVI DONAVIT, DVRVM ET AVARVM ESSE. Pœnitentiam accipere debemus ſupremam. Proinde ſi uxori donauit, deinde eum pœnituit, mox deſijt pœnitere: dicendum eſt, donationem ualere:ut ſupremum eius ſpectemus iudicium, quemadmodum circa fidei commiſſa ſolemus, uel in legatis, cum de doli exceptione oppoſita tractamus:ut ambulatoria ſit uoluntas eius uſque ad uitæ ſupremum exitum.ſed ubi ſemel donatorem pœnituit:etiam hæredi reuocandi poteſtatem tribuimus,ſi appareat defunctum euidēter reuocaſſe uoluntatem.quod ſi in obſcuro ſit: pro-cliuior eſſe debet iudex ad comprobandam donationem. Si maritus ea,quæ donauit, pignori dēderit:utiq; eum pœnituiſſe dicemus,licet dominium retinuit. Quid tamē,ſi hoc animo fuit,ut uellet adhuc donatum? finge in poſſeſſionem precariam mulierem remanſiſſe, paratamq; eſſe ſatisfacere creditori. dicendum eſt, donationem ualere. Nam ſi ab initio rem obligatam hoc animo donaſſet:diceremus uim habere donationem, ut parata ſatis facere mulier,haberet doli exceptionem.quinimò & ſi ſatis feciſſet: potuiſſe eam per doli exceptionem conſequi, ut ſibi mandarentur actiones. Si donator ſeruus fuerit effectus priuati: dicendum eſt,non impletam,ſed peremptam donationem: quamuis ſeruitus morti comparetur. Proinde & ſi ipſa in ſeruitutem redigatur,cui donatum eſt, exſtincta erit. Si maritus uxori donauerit,& mortem ſibi ob ſceleris conſcientiam conſciuerit, uel poſt mortem memoria eius donata ſit: reuocabitur donatio:quamuis ea,quæ alijs donauerit, ualeant:ſi non mortis cauſſa donauit. Si miles uxori donauerit de caſtrenſibus bonis,& fuerit damnatus: quia permiſſum eſt ei de his teſtari (ſi modo impetrauit, ut teſtetur, cum damnaretur) donatio ualebit.nam & mortis cauſſa donare poterit,cui teſtari permiſſum eſt. Quod ait oratio CONSVMPSISSE.ſic accipere debemus:ne is, qui donationem accepit. locupletior factus ſit. cæterum ſi factus eſt: & orationis beneficium locum habebit. Sed & ſi non ſit factus locupletior, dēderit tamen tantam quantitatem, eaq; exſtet: dicendum eſt, ſi is deceſſerit, qui factus eſt locupletior, poſſe repeti id, quod dēdit, nec compenſari id,quod conſumpſit:quamuis diuortio ſecuto, hic compenſatio locum habeat. Si diuortium poſt donationem interceſſit,aut prior deceſſit.qui donum accepit: ueteri iuri ſtatur,hoc eſt,ſi maritus uxori donatum uult, ut ualeat donatio. quod ſi non uult, exſtinguatur.Plerique enim cum bona gratia diſcedunt,pleriq; cum ira animi ſui & offenſa. Quid ergo,ſi diuortium factum eſt:deinde matrimoniū reſtauratur:& in diuortio, uel mutata uoluntas eſt,uel eadem durauit,reſtaurato tamen matrimonio, & uoluntate donatoris reconciliata: an donatio duret,ſi conſtante matrimonio donator deceſſerit? & poteſt defendi ualere.Quid ſi diuortium nō interceſſerit,ſed friguſculum? profecto ualebit donatio, ſi fri-

A ti frigusculum quieuit. Si mulier & maritus diu seorsum habitauerint, sed honorem inuicem matrimonio habeant, quod scimus interdum & inter cõsulares personas subsecutum: puto donationes non ualere, quasi durauerint nuptiæ. non enim coitus matrimonium facit, sed maritalis affectio. si tamen donator prior decesserit: tunc donatio ualebit. Si ambo ab hostibus capti sunt, & qui donauit, & cui donatum est: quid dicemus? Et prius illud uolo tractare. Oratio, si ante mors contigerit ei, cui donatum est, nullius momenti donationem esse uoluit. ergo si ambo decesserint, naufragio fortè, uel ruina, uel incendio, quid dicemus? & siquidem possit apparere, quis ante spiritum posuerit: expedita est quæstio, si uero nõ appareat: dificilis est quæstio. & magis puto donationem ualuisse, & id uerbis orationis

B defendimus. ait enim oratio, SI PRIOR VITA DECESSERIT, QVI DONATVM ACCEPIT. non uidetur autem prior uita decessisse, qui donatum accepit, cum simul decesserint. proinde rectissimè dicetur, utrasque donationes ualere, si fortè inuicem donationibus factis simul decesserint: quia neuter alteri superuixit. licet de commorientibus oratio non senserit: sed cum neuter alteri superuixerit, donationes mutuæ ualebunt. nam & circa mortis caussa donationes mutuas id erat consequens dicere, neutri dandã condictionem. locupletiores igitur hæredes donationibus relinquentur. Secundum hęc si ambo ab hostibus simul capti sint, amboque ibi decesserint: an simul utrinque captiuitatis tempus spectemus, ut donationes dicamus ualere, quasi simul decesserint: an neutras, quia uiuis eis finitum est matrimonium: an spectemus, ut & prior decesserit, ut in eius persona non ualeat donatio: an uter re-

C dierit, ut in eius ualeat? Mea tamẽ fert opinio, ubi nõ reuertuntur: ut tempus spectandũ sit captiuitatis, quasi tunc defecerint. quod si alter redierit: eum solũ uideri superuixisse, qui redijt. Qui quasdam res ex his, quas donauerat, legasset, quasdam nõ: uidebitur cæteras uoluisse ad uxorẽ pertinere. plerunque enim antea legat, postea donat: uel alia caussa fuit legandi.

Oratio nõ solum uirũ & uxorẽ complectitur, sed etiã cęteros, qui propter matrimonium donare prohibentur: utputã donat socer nurui, uel contrà: socer genero, uel contra, cõsocer consocero, qui copulatos matrimonio in potestate habẽt. nam ex mẽte orationis his quoque omnibus permissum est in eundẽ casum donare: & ita & Papinianus libro quarto Respõsorum sentit. sic enim scribit. Socer nurui uel genero donauit. postea filius eius uel filia cõstãte matrimonio uita decessit. quanquam uiciũ donationis perseueret: tamẽ si socer nullã quęstionẽ

D donationibus intulit, post mortẽ eius contra hæredẽ orationis sentẽtia uidetur interuenire. nam quæ ratio donationem prohibuit, eadem beneficium ratum implorauit. Vt igitur ualeat donatio ista, Papinianus exigit, ut & filius eius, qui donauit, ante decesserit: & postea socer, durante uoluntate. Si filiusfamiliàs, qui castrense peculiũm habet, uel quasi castrense, uxori donet: & in personã filij mortẽ spectabimus. Si nurus socero donauerit: mortem nurus, & perseuerantem in supremam diem uolũtatem spectare nos oportet. quod si socer ante decesserit: dicemus exstinctam donationem? an quia maritus uiuus uxori suæ superuixit, admittimus uim habere donationem? & siquidem maritus solus socero hæres exstitit: quasi noua donatio in maritum collata, seruari potest: ut illa finita sit, alia cœperit. si uero filius hæres pãtri non est: finita erit donatio, ratione noua. Si socer nurui nuncium mise-

E rit, donatio erit irrita: quamuis matrimonium, concordantibus uiro & uxore, secundum rescriptum Imperatoris nostri cum pãtre comprobatum est. sed quod ad ipsos, inter quos donatio facta est, pertinet: finitum est matrimonium. Proinde & si duo consoceri inuicem sibi donauerint, idem erit dicendum. si inuitis filijs nuncium remiserint: inter ipsos irritam esse donationẽ. In hac autẽ donatione inter soceros facta, mors consideranda est eius, qui donauit, constante matrimonio, & iure potestatis durante. Idemque & in his, qui sunt in eorum potestate. Si consocer consocero donauerit, & alter eorum, uel uterque copulatos emancipauerit: debet dici, donationem ad orationem non pertinere, & ideo infirmari donationem. Si sponsus sponsæ donauerit, in tempus matrimonij collata donatione: quamuis inter uirum & uxorem donatio non uidetur facta, & uerba orationis minus sufficiant: tamen donationem dicendum est ad sententiam orationis pertinere: ut si durauerit uoluntas

usque ad mortem, ualeat donatio. Siue autem res fuit, quæ donata est, siue obligatio F
remissa: potest dici donationem effectum habituram. utputá uxori acceptum tulit do-
nationis caussa, quod debebat: potest dici pendere acceprilationem non ipsam, sed effe-
ctum eius. & generaliter, uniuersæ donationes, quas impediri diximus, ex oratione ua-
lebunt. Si inter uirum & uxorem societas donationis caussa contracta sit: iure uulga-
to nulla est. sed nec post decretum senatus, emolumentum ea liberalitas, ut actio pro so-
cio constituatur, habere poterit. quæ tamen in commune renuerunt: præstituto fine re-
nocanda non sunt. Idcirco igitur actio pro socio non erir: quia nulla societas est, quæ do-
nationis caussa interponitur, nec inter cæteros: & propter hoc nec inter uirum & uxorem.
Idem erit dicendum, & si emptio contracta sir donationis caussa. nam nulla erit. Planè si G
minoris tes uēnierit donationis caussa, uel postea precium sit remissum : admittemus do-
nationem ualere ad senatusconsultum. Si quis sponsam habuit, deinde eandem uxo-
rem, cum non liceret: an donationes, quasi in sponsalibus factæ, ualeant: uideamus. Et
Iulianus tractat hanc quæstionem in minore duodecim annis, si in domum quasi mari-
ti immatura sit deducta. air enim, hanc sponsam esse, & si uxor non sit. Sed est uerius,
quod Labeoni uidetur, & à nobis, & à Papiniano libro decimo Quæstionum probatum
est: ut siquidem præcesserint sponsalia, durent: quamuis eam uxorem esse putauit, qui du-
xit. si uero non præcesserint: neque sponsalia esse, quæ non fuerunt: neque nuptias, quod
nuptiæ esse non potuerunt. Ideoq; si sponsalia antecesserunt: ualet donatio. si minus:
nulla est: quia non quasi ad extraneam, sed quasi ad uxorem fecit, & ideo nec oratio locum H
habebit. Sed si senator libertinam desponderit, uel tutor pupillam, uel quis alius ex his,
qui mattimonium copulare prohibentur, & duxerit: an donatio, quasi in sponsalibus fa-
cta, ualeat? & putem etiam sponsalia improbanda: & quasi ab indignis ea, quæ donata
sunt, ablata fisco uindicari.

XXXIII. IDEM .lib. XXXII. *ad Sabinum.*

SI STIPULATA fuerit mulier annuum dări: id ex stipulatu petere, constante matrimo-
nio, non potest. Sed si manente matrimonio decessisse maritum proponatur: puto, quia
in annuo quoque donatio uertitur, posse dici donationem confirmari ex senatusconsulto.

Si uxor marito annuum uersa uice præstiterit: restituetur ei hoc, & poterit uindica-
re id, quod exstat. credo poterit & condicere, in quantum locupletior factus est: quia I
non ut solenne est annuum, quod maritus uxori pendit: & quod uxor marito præstat.
imò incongruens est, & contra sexus naturam. Et si fortè maritus ab uxore stipulatus
sit annuum, decesseritque mulier, constante matirmonio: dicendum erit, ex oratione
donationem conualescere.

XXXIIII. IDEM lib. IIII. *ad edictum.*

SIVE VXOR marito res donasset, ut eas in dotem pro communi filia daret: siue post
donationem, quam in maritum contulit, uxor passa est eum pro filia in dōtem dăre: benig-
nè potest dici, & si prima donatio nullius momenti est, attamen ex sequente consensu ua-
lere dōtis dationem.

XXXV. IDEM lib. XXXIIII. *ad edictum.* K

SI NON secundum legitimam obseruationem diuortium factum sit: donationes post
tale diuortium factæ, nullius momenti sunt, cum non uideatur solutum matrimonium.

XXXVI. PAVLVS lib. XXXV. *ad edictum.*

SI DONATAE res exstant, etiam uindicari poterunt. sed quia caussam possidendi do-
natio præstitit: nisi reddatur res, æstimatio facienda est iusto precio: caueriq; possidenti
debebit de euictione simpli, quanti ea res sit. idq; etiam Pedio uidetur. Si sponsus alienū
annulum sponsæ muneri misit, & post nuptias pro eo suum dĕdit: quidam (ut Nerua) pu-
tant fieri eum mulieris: quia tūc factam donationem confirmare uidetur, non inchoare no-
uam. quam sententiam ueram esse accepi.

XXXVII. IVLIANVS lib. XVII. *Digestorum.*

Si

A S i mulier dolo fecerit,ne res exstaret sibi à marito donata: uel ad exhibendũ,uel damni iniuriæ cum ea agi poterit: & maximè si post diuortium id commiserit.

XXXVIII. ALFENVS lib. III. Digestorum.

Si seruus comunis uiri & frătris eius puerũ donauit uxori frătris,pro qua parte is seruus,qui donasset,uiri esset:pro ea parte munus non esse factum mulieris, respondi. Idem iuris esse,si ex tribus frătribus unus uxorẽ haberet,& rem cõmunem uxori donasset. nam ex tertia parte mulieris rem factam non esse: ex duabus autẽ partibus reliquis (si id sciissent frătres,aut postea,quàm donata esset.ratum habuissent)nihil debere mulierem reddere.

XXXIX. IVLIANVS lib.V. ex Minutio.

B Vir cum uxori pecuniam donare uellet,permisit ei, ut à debitore suo stipularetur. illa cum id fecisset,priusquam pecuniam tulisset, diuortium fecit. Quæro,utrum uir eam summam petere debeat:an ex ea promissione propter donationis caussam actio nulla sit? Respondi,inanem fuisse stipulationem. sed si promissor mulieri ignorans soluisset: siquidem pecunia exstat: uindicari eam debitor potest. sed si actiones suas marito præstare paratus est: doli mali exceptione se tuebitur. ideoq; maritus hanc pecuniam,debitoris nomine uindicando,consequetur. sed si pecunia non exstat,& mulier locupletior facta est:maritus eam petet. intelligitur enim ex re mariti locupletior facta esse mulier:quoniam debitor doli mali exceptione se tueri potest.

XL. VLPIANVS lib.II. Responsorum.

C Qvod adipiscendæ dignitatis gratia ab uxore in maritũ collatũ est: eatenus ratum est, quatenus dignitati supplendæ opus est.

XLI. LICINIVS RVFINVS lib.VII. Regularum.

Nam & imperator Antoninus constituit,ut ad processus uiri uxor ei donare possit.

XLII. CAIVS lib.XII. ad edictum prouinciale.

Nvper ex indulgentia principis Antonini recepta est alia caussa donationis,quam dicimus honoris caussa: ut ecce si uxor uiro lati claui petendi gratia donet,uel ut equestris ordinis fiat,uel ludorum gratia.

XLIII. PAVLVS lib.singulari Regularum.

Inter uirum & uxorem exilij caussa donatio fieri potest.

D XLIIII. NERATIVS. lib.I. Membranarum.

Si extraneus rem uiri,ignorans eius esse,ignoranti uxori,ac ne uiro quidem sciente eam suam esse, donauerit:mulier rectè eam usucapiet. Idemq; iuris erit:si is,qui in potestate uiri erat,credens se pătremfamiliăs esse, uxori pătris donauerit. Sed si uir rescierit suam rem esse,priusquam usu capiatur,uindicareq; eam poterit,nec uolet,& hoc & mulier nouerit: interrumpetur possessio: quia transijt in caussam ab eo factæ donationis, ipsius mulieris sciẽtia. propius autem est,ut nullum adquisitioni dominij eius adferat impedimentum. non enim omnimodo uxores ex bonis uirorum, sed ex donationibus ab ipsis factis adquirere prohibitæ sunt.

XLV. VLPIANVS lib.XXXIIII. ad edictum.

E Marcellus libro septimo Digestorũ scribit,eum etiam detrahere sine mulieris damno,& citra metum senatusconsulti,quod detrahentibus negociationis caussa occurrit.

XLVI. IDEM lib. LXXIII. ad edictum.

Inter uirum & uxorem nec possessionis ulla donatio est.

XLVII. CELSVS lib.I. Digestorum.

Vtrvm negocium uxoris gerens,an officio mariti ductus,in rem eius impenderit uir: facti,non iuris quæstio est.sed coniectura eius rei ex modo & genere impensæ non dificilis est. XLVIII. IDEM lib. IX. Digestorum.

Qvae iam nuptæ maritus donauit,uiri manent,& potest ui uindicare: nec quidquam refert,quod ampla legata ab uxore ei relicta sunt.

XLIX. MARCELLVS lib.VII. Digestorum.

SVLPICIUS Marcello. mulier: quæ ad communem filium uolebat, qui in potestate pa/ F
tris erat, post mortem patris fundum peruenire: cum patri tradidit, ut post mortẽ restitua/
tur filio. Quæro, an donatio tibi uideatur, ut nihil agatur: an ualeat quidem, sed mulieri po/
testas detur, si uoluerit, eum petere. Respondi. si color uel titulus (ut sic dixerim) donationi
quæsitus est, nihil ualebit traditio: id est, si hoc egit uxor, ut aliquid ex ea re interim commo
di sentiret maritus. alioquin si solo eius ministerio usa est, & id egit, ut uel reuocare sibi lice/
ret: uel ut res cum omni emolumento per patrem, postea ad filium transiret: cur non id per/
inde sit ratum, ac si cum extraneo tale negocium contraxisset, hoc est, si extraneo in hanc
caussam tradidisset.

L. IABOLENVS lib. XIII. ἐπιστολῶν. G

SI CVM mulier uiginti seruum emisset, in eam emptionẽ uir quinque uenditori dedit:
diuortio facto, omnimodo uir eam summam exiget: neque ad rem pertinet, an is seruus de
terior factus sit. nam & si mortuus esset, quinq; exactio ei competeret. Quæritur enim, an
mulier ex uiri patrimonio locupletior sit eo tempore quo de dote agatur. facta autem intel
ligitur, quæ ære alieno suo interuentu uiri liberata est, quod potuisset adhuc debere, si uir
pecuniam non exsoluisset. neque enim inter est, ex qua caussa mulier pecuniam debuit:
utrum creditam, an eam, quam ex emptione præstare debebat. Quod si mulier non eme/
rat seruum, sed ut emeret, à uiro pecuniam accepit: tunc uel mortuo, uel deteriore facto ser/
uo, damnum ad uirum pertinebit: quia quod aliter emptura non fuit, nisi pecuniam à uiro
accepisset, hoc consumptũ ei perijt, qui donauit: si modo in rerũ natura esse desijt. nec enim H
uidetur mulier locupletior esse, quæ neq; à creditore suo liberata est, neq; id possidet, quod
ex pecunia uiri emerat.

LI. POMPONIVS lib. V. ad Qu. Mutium.

QVINTUS Mutius ait. cum in controuersiam uenit, unde ad mulierem quid peruenerit:
& uerius, & honestius est, quod non demonstrat, unde habeat: æstimari à uiro, aut qui in
potestate eius esset, ad eam peruenisse. euitandi autem turpis quæstus gratia, circa uxorem
hoc uidetur Quintus Mutius probasse.

LII. PAPINIANVS lib. X. Quæstionum.

SI VIR uxori donationis caussa rem uilius locauerit, locatio nulla est: cum autem depo/
situm inter eas personas minoris donationis caussa æstimatur, depositum est. hoc ideo tam I
uarie: quia locatio quidem sine certa mercede contrahi non potest, depositum autem & ci/
tra æstimationem quoq; dari potest. Vxor uiro fructum fundi ab herede suo dari: & si da
tus non fuisset, certam pecuniam mortis caussa promitti curauit. defuncto uiro, uiua mulie
re, stipulatio soluitur, ut traditio, quæ mandante uxore mortis caussa facta est. nam quo ca/
su inter exteros condictio nascitur, inter maritos nihil agitur.

LIII. IDEM lib. III. Responsorum.

MORTIS suæ caussa genero uel nurui socerum frustra donare conuenit: quia mortuo so
cero nuptiæ non soluuntur. nec inter est, an pater filium uel filiam exhæredauerit. sed diuor
tij species ea ratione diuersa est. Res in dotem æstimatas, consentiente uiro, mulier in usu
habuit. usu deteriores res si fiant: damni compensatio non admittitur: cum easdem res non K
possit mulier sibi quasi donatas defendere, ex illis uerbis, quibus donationes ei à uiro lega/
tæ sunt. cum eiusmodi specie neq; donari, neq; auferri uideatur.

LIIII. IDEM lib. IIII. Responsorum.

VIR VSVRAS promissæ dotis in stipulatum deduxerat, easq; non petierat. cũ per om/
ne tempus matrimonij sumptibus suis uxorem & eius familiam uir exhiberet: dote relega
ta, & donationibus fideicommisso confirmatis, legato quidem dotis usuras non contineri
uidebatur: sed titulo donationis esse remissas.

LV. PAVLVS lib. VII. Quæstionum.

VXOR MARITO suo pecuniam donauit. maritus ex pecunia sibi donata, aut rem mo/
bilem, aut soli comparauit. soluendo non est, & res exstant. Quæro, si mulier reuocet dona/
tionem,

A tionem, an utiliter condictione expetiatur? uidetur enim maritus, quamuis soluendo non sit, ex donatione locupletior effectus, cum pecunia mulieris res comparata exstet. Respondi, locupletiorem esse ex donatione, negari non potest. non enim quærimus, quid deducto ære alieno liberum habeat: sed quid ex re mulieris possideat. solo enim hoc separatur ab eo res, cui donata est. quod si res mulieris permanet: & uindicare directo potest: & erit deterior caussa uiti, si ea pecunia, quatenus res ualet (non ut ultra id tamen, quod dōnatum est, condicatur) quàm, si dōtis iudicio conueniatur. Sed nihil prohibet, etiam in rem utilem mulieri in ipsas res actionem dāri.

LVI. SCAEVOLA lib. III. *Quæstionum.*

B SI QVOD mihi mortis caussa donare quis uellet, ego purè uxori donare uelim: non ualet, quod uxori iubeo dāri: quia illo conualescente, condictiōne teneor: mortuo autem, nihilominus pauperior sum. non enim habeo, quod habiturus essem.

LVII. PAVLVS lib. VII. *Responsorum.*

EA, QVAE à marito suo pecuniam ex caussa donationis acceperat, literas ad eum misit huiusmodi. Cum petenti mihi à te, domine charissime, annuerit indulgentia tua uiginti ad expediendas quasdam rès meas: quæ summa mihi numerata est sub ea conditione, si per me, meosq; mores non steterit, quo minus in diem uitæ nostræ matrimonium permaneat: siquidem inuito te discessero de domo tua uel repudium tibi sine ulla querela misero, diuortiumue factum per me probabitur: tunc uiginti, quæ mihi hac die donationis caussa dāre

C uoluisti, daturam restituturam me sine ulla dilatione spondeo. Quæro, si eadem Titia marito suo repudium miserit, an pecuniā restituere debeat? Paulus respōdit. pecuniam, quam uir uxori donauit, ex stipulatione proposita, si conditio eius exstitit, peti posse: quoniam ex donatione in pecuniam creditam conuersa est. quod si stipulatio commissa non probetur: tunc tantum peti posse, quanto locupletior ex ea donatione facta probetur.

LVIII. SCAEVOLA lib. II. *Responsorum.*

SI PRAEDIA & mancipia Seiæ data, effecta sint eius tempore concubinatus: ac postea tempore matrimonij, alijs acceptis, reddita sint: quid iuris est? Respondit. secundum ea, quę proponerentur, negocium potius gestum uideri, quàm donationem interuenisse. Item cū quæreretur de cibarijs mancipiorum: respondit. tempore quidem concubinatus dāta ciba-

D ria repeti non possunt: sed nec tempore matrimonij, si ea mancipia uxoris in communi usu fuerunt. Filius rebus m ātris interuenire solitus, pecunia m ātris, consentiente ipsa, mancipia & res mercatus, emptionum instrumenta suo nomine confecit. decessit in pātris potestate. quæsitum est, an m āter cum marito suo experiri, & qua actione uti possit? Respondit. si mater obligatum filium in ea pecunia uoluit esse: intra annum, quàm filius decessit, de peculio cum pātre, in cuius potestate fuisse proponatur, actionem habere. si donauit: repeti posse, quanto locupletior ex ea donatione pater factus esset.

LIX. PAVLVS lib. II. *Sententiarum.*

SI QVIS uxori ea conditione donauit, ut quod donauit, in dōtem accipiat: defuncto eo, donatio conualescit.

E LX. HERMOGENIANVS lib. II. *iuris* ἐπιτομῶν.

VITRICVS & priuignus inuicem sibi donare prætextu matrimonij non prohibentur. Diuortij caussa donationes inter uirum & uxorem concessæ sunt. sæpe enim euenit, ut propter sacerdotium, uel sterilitatem.

LXI. CAIVS lib. XII. *ad edictum prouinciale.*

VEL senectutem, aut ualetudinē, aut militiam satis cōmodè retineri matrimonium non posse.

LXII. HERMOGENIANVS lib. II. *iuris* ἐπιτομῶν.

ET ideo bona gratia matrimonium dissoluitur. Diuortio facto, nec instaurato matrimonio, non cōfirmatur inter uirum & uxorem facta donatio. sed nec inter patronū & libertam (& si ab eo inuito diuertere non licet) facta donatio confirmatur, cum inter eos diuortiū intercedit. perinde enim id, quod donatum est, habetur diuortio intercedente, ac si donatū non fuisset.

LXIII. PAVLVS lib. III. ad Neratium.

De eo, quod uxoris in ædificium uiri ita cöiunctum est, ut detractum alicuius usus esse possit: dicendum est, agi posse, quamuis nulla actione ex lege duodecim tabularum: quia decem uiros non sit credibile de his sensisse, quorum uoluntate res eorum in alienum ædificium coniunctæ essent. PAVLVS NOTAT. sed in hoc solum agi potest, ut uindicatio soluta re competat mulieri, non in duplum ex lege duodecim tabularum. neq; enim furtiuũ est, quod sciente domino inclusum est.

LXIIII. IABOLENVS lib. II. ex posterioribus Labeonis.

Vir mulieri diuortio facto quędam idcirco dẽderat, ut ad se reuerteretur. mulier reuersa erat, deinde diuortium fecerat. Trebatius inter Terentiam & Mecœnatem respondit. si uerum diuortium fuisset, ratam esse donationem: si simulatum, contrà. Sed uerum est, quod Proculus & Cæcilius putant: tunc uerum esse diuortium, & ualere donationẽ diuortij causa, si aliæ nuptiæ insecutæ sint: aut tam longo tempore uidua fuisset, ut dubium non foret, alterum esse matrimonium. aliàs nec donationem ullius esse momenti futuram.

LXV. LABEO lib. III. Posteriorum à Iaboleno epitomatorum.

Qvod uir ei, quæ nondum uiripotens nupserat, donauerit: ratum futurum existimo.

LXVI. SCAEVOLA lib. IX. Digestorum.

Seia Sempronio, cum certa die esset nuptura, ante quàm domum deduceretur, tabulæq; dõtis signarentur, donauit tot aureos. Quæro, an ea donatio rata sit? non attinuisse tempus, an ante quàm domum deduceretur, donatio facta esset: aut tabularum consignatarum, quæ plerunq; & post cõtractum matrimonium fierent: inquirere exprimit. Itaq; nisi ante matrimonium contractum, quod de consensu intelligitur, donatio facta esset: non ualere. Virgini in hortos deductæ ante diem tertium, quàm ibi nuptiæ fierent: cum in separata diæta ab eo esset, die nuptiarum prius, quàm ad eum transiret, & prius quàm aqua & ignis acciperetur: obtulit decem aureos dono. quæsitum est, post nuptias contractas diuortio facto, an summa donata repeti possit? Respondit, id, quod ante nuptias donatum proponeretur, non posse deduci.

LXVII. LABEO lib. III. πιθανῶν à Paulo epitomatorum.

Si vxor numis à uiro, aut ab eo, qui in eius potestate esset, sibi donatis, seruũ emerit: deinde cũ eius factus esset, eum ipsum donationis caussa uiro tradiderit: rata erit traditio, quãuis ea mente facta fuerit, qua cæteræ donationes: neq; ulla actio eius nomine dãri potest.

DE DIVORTIIS ET REPVDIIS. TIT. II.

PAVLVS lib. XXXV. ad edictum.


Dirimitvr matrimonium diuortio, morte, captiuitate, uel alia contingẽte seruitute alterutrius eorum.

II. CAIVS lib. XII. ad edictum prouinciale.

Divortivm autem uel à diuersitate mentium dictum est, uel quia in diuersas partes eunt, qui distrahunt matrimonium. In repudijs autem & renunciationibus comprobata sunt hæc uerba, RES TVAS TIBI HABETO: item hæc, TVAS RES TIBI AGITO. In sponsalibus quoq; discutiendis placuit renunciationem interuenire oportere. in qua re hæc uerba probata sunt, CONDITIONE TVA NON VTOR. Siue autem ipsi præsenti renuncietur, siue absenti per eum, qui in potestate eius sit, cuiusue is eaue in potestate sit: nihil interest.

III. PAVLVS lib. XXXV. ad edictum.

Divortivm non est, uerum nisi, quod animo perpetuam cõstituendi diuisionem fit. Itaq; quidquid in calore iracundiæ uel fit, uel dicitur: nõ ratum est prius, quàm perseuerantia apparuit, iudicium animi fuisse. ideoq; per calorem misso repudio, si breui reuersa est uxor, nec diuertisse uidetur.

IIII. VLPIANVS lib. XXV. ad Sabinum.

Iulianus

A IVLIANVS libro decimoseptimo Digestorum quærit, an furiosa repudium mittere, uel repudiari possit. Et scribit, furiosam repudiari posse: quia ignorantis loco habeatur. repudiare autem non posse, neque ipsam propter dementiam, neque curatorem eius. pătrem tamẽ nuncium mittere posse. quod non tractaret de repudio, nisi constaret, posse & cum furiosa retineri matrimonium. quæ sententia mihi uidetur uera.

V. IDEM *lib.* XXXIIII. *ad edictum.*

SI FILIA emancipata idcirco diuertat, ut maritũ lucro dõtis afficiat, pătrẽ fraudet, qui profecticiã dõtẽ potuit petere, si cõstante matrimonio decessisset: ideo pătri succurrendũ est, ne dõtem perdat. non enim minus pătri, quàm marito, succurrere prætorem oportet. danda B igitur est ei dõtis exactio, atque si constante matrimonio decessisset filia.

VI. IVLIANVS *lib.* XVII. *Digestorum.*

VXORES eorum, qui in hostium potestatem peruenerunt, possunt uideri nuptarum locum retinere eo solo, quod alij temere nubere non possunt. Et generaliter definiendum est: donec certum est, maritum uiuere in captiuitate constitutum: nullam habere licentiam uxores eorum ad aliud migrare matrimonium: nisi malint ipsæ mulieres caussam repudij præstare. Sin autem in incerto est, an uiuus apud hostes teneatur, uel morte præuentus sit: tunc si quinquennium à tempore captiuitatis excesserit, licentiam habeat mulier ad alias migrare nuptias: ita tamen, ut bona gratia dissolutum uideatur pristinum matrimonium, & unusquisque suum ius habeat imminutum: eodem iure & in marito degente in ciuitate, & C uxore captiua obseruando.

VII. PAPINIANVS *lib.* I. *de adulterijs.*

SI PENITVIT, eum, qui libellum diuortij tradendum dẽdit, isque per ignorãtiam mutatæ uoluntatis oblatus est: durare matrimonium dicendum est: nisi pœnitentia cognita, is qui accepit, ipse uoluit matrimonium dissoluere. tunc enim per eum, qui accepit, soluitur matrimonium.

VIII. IDEM *lib.* II. *de adulterijs.*

DIVVS Hadrianus eum, qui alienam uxorem ex itinere domum suam duxisset, & inde marito eius repudium misisset, in triennium relegauit.

IX. PAVLVS *lib.* II. *de adulterijs.*

NVLLVM diuortium ratum est, nisi septem ciuibus Romanis puberibus adhibitis: præ- D ter libertum eius, qui diuortium faciet. Et libertum accipiemus etiam eum, qui à pătre, auo, proauo, & cæteris sursum uersum manumissus sit.

X. MODESTINVS *lib.* I. *Responsorum.*

PATRONO inuito, liberta, quam in matrimonio habuit, ab eo discedere non potest: nisi ex caussa fideicommissi manumissa sit. tunc enim potest, licet eius sit liberta.

XI. VLPIANVS *lib.* III. *ad L. Iuliam & Papiam.*

QVOD ait lex, DIVORTII FACIENDI POTESTAS LIBERTAE QVAE PATRONO NVPTA EST, NE ESTO: nõ infectũ uidetur effecisse diuortiũ, quod iure ciuili potuisset dissoluere matrimonium. Quarè matrimonium dicere nõ possumus, cum sit separatum. Denique scribit Iulianus de dõte hanc actionem non habere. Meritò igitur, quandiu patronus E eius eam uxorem suam esse uult, cum nullo alio connubium ei est. nam cum intellexit legislator facto libertę quasi diremptum matrimonium: detraxit ei cum alio connubium. quarè cuicunque nupserit, pro non nupta habebitur. Iulianus quidẽ amplius putat: nec in concubinatu eã alterius, quàm patroni esse posse. Ait lex. QVAMDIV PATRONVS EAM VXOREM ESSE VOLET, ET VXOR ESSE VELLE DEBET (ET PATRONVS DVRARE). Si igitur aut patronus esse, aut uelle desierit: finita est legis authoritas. Illud rectissimè placuit: qualiquali uolũtate intelligi possit patronus, animũ habere desijsse quasi in uxorẽ: fini ri legis huius beneficiũ. Proinde cũ patronus rerũ amotarũ cũ eius liberta, quę ab inuito eo diuerterat, uelit experiri: Imperator noster cũ diuo pătre suo rescripsit, intelligi eũ hoc ipso nolle nuptã sibi: quod eã actionẽ uel aliã inciperet, quę nõ soleret, nisi ex diuortio oriri. Quarè si accusare eã adulterij cœperit, uel eo crimine postulare, quod uxori nemo obijcit: magis est, ut

est, ut diremptum sit matrimonium. Etenim meminisse oportet, ideo adimi cum alio connubium, quia patronus sibi nuptam cupit. Vbicunque igitur uel tenuis intellectus uideri potest, nolentis nuptam: dicendum est, iam incipere libertae cum alio esse connubium. Proinde si patronus sibi despondetit aliam, uel destinauerit, uel matrimonium alterius acceperit: credendum est, nolle hanc nuptam. Et si concubinam sibi adhibuerit, idem erit dicendum. F

SOLVTO MATRIMONIO, QVEMADMODUM dos petatur. TIT. III.

POMPONIVS lib. XV. ad Sabinum.



Dotium caussa semper & ubique praecipua est. nam & publicè interest, dôtes mulieribus conseruari: cum dotatas esse foeminas ad sobolem procreandã, replendamque liberis ciuitatem, maximè sit necessarium. G

II. VLPIANVS lib. XXXV. ad Sabinum.

Solvto matrimonio solui dos mulieri debet: nec cogitur maritus alij eam ab initio stipulanti promittere, nisi hoc ei nihil noceat. nam si in commodum aliquod maritus suspectum habet: non debere eum cogi alij, quàm uxori promittere, dicendum est. haec, si sui iuris mulier est. Quod si in pätris potestate est, & dos ab eo profecta sit: ipsius & filiae dos est. Denique pater non aliter, quàm ex uoluntate filiae, petere dôtem, nec per se, nec per procuratorem potest. sic ergo & promittendum Sabinus ait. ei ergo promittendum erit, cui uterque iusserit. Caeterum si pater solus iussit: dôtis actio filiae non erit adempta, quandocunque sui iuris filia fuerit facta. Item si uoluntate solius filiae promittatur: remanebit dôtis actio integra pätri. Sed utrum ut agat solus, an ut adiuncta quoque filiae persona experiri possit? Et puto, nec eam actionẽ amissam, quam adiuncta filiae persona potest habere. quod si sui iuris fuerit facta filia: nocebit ei ista stipulatio. Voluntatẽ aũt filiae, cum pater agit de dôte, utrum sic accipimus, ut consentiat: an uero, ne contradicat filia? & est ab imperatore Antonino rescriptum: filiam, nisi euidenter contradicat, uideri consentire pätri. Et Iulianus libro decimo septimo Digestorum scripsit, quasi ex uolũtate filiae uideri experiri pätrem, si furiosam filiam habeat. nam ubi non potest per dementiam contradicere, consentire quis eam meritò credet? Sed si absens filia sit: dicendum erit, non ex uoluntate eius id factum: cauendumque à pätre, ratam rem filiam habituram. Vbi enim sapit, scire eam exigimus, ut uideatur non contradicere. H I

III. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

Non solum autem in exigenda, sed etiam in soluenda dôte, quae cõmunis est & pätri & filiae, utriusque uoluntas exquiritur: nec alter alterius conditionem deteriorem facere potest. Sed si pecunia ad pätrem peruenit, quam filia accepit: actio de dôte utriusque tolletur.

IIII. POMPONIVS lib. XV. ad Sabinum.

Si cvm pater sine consensu filiae dôtem à uiro exegisset, & eandem alij uiro eiusdem filiae nomine dẽdisset, mortuo pätre filia cũ priore uiro agat: doli mali exceptione repellitur.

V. VLPIANVS lib. XXXV. ad Sabinum.

De diuisione anni eius, quo diuortium factum est: quaeritur, ex die contracti matrimonij, an ex die traditi fundi maritus sibi computet tempus? & utique in fructibus à uiro retinendis, neque dies constitutae dotis, neque nuptiarum obseruabitur: sed quo primum dotale praedium constitutum est, id est, tradita possessione. K

VI. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

Si ante nuptias fundus traditus est: ex die nuptiarum, ad eundẽ diem sequentis anni, cõputandus annus est. idem in caeteris annis obseruatur, donec diuortiũ fiat. nam si ante nuptias traditus sit, & fructus inde percepti: hi restituendi sunt quandoque diuortio facto, quasi dôtis facti. VII. VLPIANVS lib. XXXV. ad Sabinum.

Frvctvs esse constat, qui deducta impensa supererunt. quod Scaeuola, & ad mariti, & ad mulieris impẽsas refert. nã si mulier pridie uindemias dôti dẽdit, mox sublatis à merito

uindemijs

A uindemijs diuertit:non putat ei undecim duntaxat mensium fructus restitui, sed & impensas,quæ antè,quàm portiones fructuum fiant, deducendæ sunt.Igitur si & maritus aliquid impenderit in eundem annnm,utriusq; impensæ concurrent: & ita(si impensarum à muliere factarum ratio habeatur)cum plurimis annis in matrimonio fuit,necesse est, primi anni tempori computari,quod fuit ante dâtum prædium. Papinianus libro undecimo Quęstionum,diuortio facto fructus diuidi ait,non ex die locationis,sed habita ratione præcedentis temporis,quo mulier in matrimonio fuit.neq; enim si uindemiæ tempore fundus in dôtem dâtus sit,cumq; uir ex calendis nouembribus primis fruendûm locauerit: mensis ianuarij suprema die facto diuortio,retinere uirum, & uindemię fructus,& eius anni,quo diuor
B tium factum est, quartam partem mercedis,æquum est. alioquin si coactis uindemijs,altera die diuortium intercedat:fructus integros retinebit.itaq; si in fine mensis ianuarij diuortium fiat,& quatuor mensibus matrimonium steterit: uindemiæ fructus, & quarta portio mercedis instantis anni cõfundi debebunt, ut ex ea pecunia tertia portio uiro relinquatur.

Ex contrario quoq; idem obseruandum est.nam si mulier percepta uindemia statim fundum uiro in dôtem dêderit, & uir ex calendis martijs eundem locauerit, & calendis aprilibus primis diuortium secutum fuerit: non solum partem duodecimam mercedis,sed pro modo temporis omnium mensium,quo dotale prædium fuit,ex mercede,quæ debebatur, portionem retinebit. Item si messes eius anni,quo diuortium factũ est, colonum ex forma locationus sequâtur:ante uindemiã soluto matrimonio,nihilominus pecunia messium
C in computationem cum spe futuræ uindemiæ ueniet. apparet igitur ex his, illos fructus, quos mulier percepit,antequam nuberet, non debere in contributionem uenire. Ob donationes,item ob res amotas.ex his fructibus,qui post diuortium percepti sunt,compensationes fieri possunt. Quod in anno dicitur, potest dici & in sex mensibus, si bis in anno fructus capiantur:ut est in locis irriguis.sed & in pluribus annis idem dici potest,ut in sylua tędua.Item si locatio agri talis sit,ut super annuam mercedem quinquennio quoq; aliquid amplius præstaretur, in eo enim, quod amplius est, tempus ad quinquennium computamus. Non solum autem de fundo, sed etiam de pecore idem dicemus, ut lana onium, fœtusq; pecorum præstetur.quare enim,si maritus propè partum oues dôti acceperit,item proximas tonsuræ:post partum,& tonsas oues protinus diuortio facto,nihil reddat? Nam
D & hic fructus totô tempore,quo curantur,non quo percipiuntur, rationem accipere debemus.In seruo quoq; anni ratio habetur:ut si in annum fortè operæ eius locatæ sint,præteriti temporis ad maritum:post diuorcium autem,ad mulierem operæ pertineant. de pensionibus quoque prædiorum urbanorum idem est, quod in fructibus rusticorum. Si fundum uiro uxor in dôtem dêderit, isq; inde arbores deciderit: si hæ fructus intelliguntur, pro portione anni debent restitui.Puto autem,si arbores cæduæ fuerint,uel cremiales:dici oportere in fructum cêdere. si minus, quasi deteriorem fundum fecerit, maritum teneri. Sed si ui tempestatis ceciderint: dici oportet, precium earum restituendum mulieri, nec in fructum cêdere: non magis, quàm si thesaurus fuerit inuentus. Non enim in fructu computabitur, sed pars eius dimidia restituetur, quasi in alieno inuenti. Si uir in fundo mu
E lieris dotali lapidicinas marmoreas inuenerit, & fundum fructuosiorem fecerit:marmor, quod cæsum,neque exportatum est,mariti est,& impensa non est ei præstanda:quia nec in fructu est marmor:nisi talis sit,ut lapis ibi renascatur, quales in Gallia sunt & in Asia. Sed si cretifodinæ, uel argentifodinæ:uel auri, uel cuius alterius materiæ sint,uel arenæ:utique in fructu habebuntur. Interdum marito de fructibus à muliere cauetur, & nihil retinebit,si fructibus stantibus,fundum mulier recipiet:interdum retinebit totum maritus, & nihil restituet:id est, si non plus erit,quàm pro portione eum retinere oportet:interdum uero reddet,si plus pecepit,quàm eum retinere oportet.eadem conditio erit,& si cũ socero,uel cũ hęrede alterutrius de dôte agatur. Impendi autem fructuũ percipiendorũ caussa Pomponius ait,quod in arando serendoq; agro impensum est:quodq; in tutelam ędificiorum, ægrumue seruum curandum:scilicet:si ex ędificio,uel seruo fructus aliqui percipiebantur.sed

hæ impensæ non repetuntur, cum maritus fructum totius anni retinet: quia ex fructibus F
prius impensis satisfaciendum est. Planè si nouam uillam necessario exstruxit, uel ueterē totam sine culpa sua collapsam restituit: erit eius impensæ petitio. simili modo & si pastinum instituit. hæ enim impensæ, aut in res necessarias, aut in utiles cēdunt, pariuntque marito actionem.

VIII. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

SI FVNdus in dōtem dātus sit, in quo lapis cæditur: lapidicinarum commodum ad maritum pertinere constat: quia palam fit, eo animo dēdisse mulierem fundum, ut is fructus ad maritum pertineat: nisi contrariam uoluntatem in dōte danda declarauerit mulier.

Quod in sementem erogatur, si non responderint messes, ex uindemia deducetur: quia totius anni unus fructus est. G

IX. POMPONIVS lib. XV. ad Sabinum.

SI MORA per mulierem fuit, quò minus dōtem reciperet: dolum malum duntaxat in ea re, non etiam culpam maritus præstare debet: ne facto mulieris in perpetuum agrum eius colere cogatur, fructus tamen, qui peruenissent ad uirum, redduntur.

X. IDEM lib. XVII. ad Sabinum.

SI AB hostibus capta filia, quæ nupta erat, & dōtem à pātre profectam habebat, ibi decessit: puto dicendum, perinde omnia obseruanda, ac si nupta decessisset: ut etiam si in potestate pātris non fuerit, dos ab eo profecta reuerti ad eum debeat. Si uir uxorem suam occiderit: dōtis actionem hæredibus uxoris dandā esse, Proculus ait. & rectè. non enim æquū est uirum ob facinus suum dōtem lucri facere. idemque & ex contrario statuendum est. H

XI. IDEM lib. III. ad Qu. Mutium.

SI ALienam rem sciens mulier in dōtem dēderit: reddenda ei est quasi suam dēdisset, & fructus quoque pro portione anni, quo diuortium factum est.

XII. VLPIANVS lib. XXXV. ad Sabinum.

MARITVM in id, quod facere potest, condemnari, explorati iuris est: sed hoc hæredi extraneo non esse præstandum.

XIII. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

QVIA tale beneficium personale est, & cum persona exstinguitur.

XIIII. VLPIANVS lib. XXXV. ad Sabinum.

ALIA caussa est defensoris: quem placet sufficienter uideri defendisse, si tantum uxori I
præstet, quantum consequeretur, si ipsum maritum conuenisset. Eleganter quærit Pomponius libro decimoquinto ex Sabino: si paciscatur maritus, ne in id, quod facere possit, cōdemnetur, sed in solidum: an hoc pactum seruandum sit? & negat seruari oportere: quod quidem & mihi uerum uidetur. namque contra bonos mores id pactum esse, melius est dicere: quippe cum contra receptam reuerentiam, quæ maritis exhibenda est, id esse appareat.

XV. PAVLVS. lib. VII. ad Sabinum.

REI iudicatæ tempus spectatur, quatenus maritus facere potest. Hæredi mariti, licet in solidum condemnetur, compensationes tamen, quæ ad pecuniariam caussam respiciunt, proderunt, ut hoc minus sit obligatus: ueluti ob res donatas, & amotas, & impensas. morū uero coërcitionem non habet. Socero quoque, cum quo nurus de dōte agit, idem honor K
habetur: ut in id damnetur, quod facere potest.

XVI. POMPONIVS lib. XV. ad Sabinum.

QVIA parentis locum socer obtinet.

XVII. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

EX DIVERSO, si socer ex promissione à marito conueniatur: solet quæri, an idem honor ei habendus sit? Neratius libris membranarum & Proculus scribunt, hoc iustum esse. Item si mulier ex promissione conueniatur: magis placuit, defendendam eam per exceptionem. (idem & Proculus ait) sicuti enim cum socia fuerit, sic dābitur ei exceptio: quamuis iure ciuili sit obligata. Sin in iudicio dōtis iudex ignorantia iuris lapsus, condemnauerit maritum in solidum: Neratius & Sabinus doli exceptione uti oportere aiunt, eaque tutum fōre.

Etiam

A XVIII. POMPONIVS *lib. XV. ad Sabinum.*

ETIAM filios mulieris, qui pătri hæredes exstiterunt, in id quod facere possunt, cōdemnandos Labeo ait. Licet in dotalibus rebus non solum dolum, sed & culpā maritus præstet: cum tamen quæritur: in iudicio de dōte, an facere possit, dolus duntaxat comprehenditur: quia in rerum ipsius administratione non erat culpa ab eo exigenda. Quanquā cum duntaxat dolum ei nocere putem (si facere non possit) quem propter uxorem adhibuit, ne ei solidum solueret, non propter quem libet alium: Ofilius tamen aiebat, si dolo mariti res dotales interijssent, & alioquin soluendo non esset: quamuis nihil dolo fecisset, quò minus soluendo esset: perinde tamen cum damnandum eius rei dotalis nomine, in qua dolum fe-
B cisset, atq; si dolo eius factum esset, quò minus facere possit. cæterum si circa interitum rei dotalis dolus malus & culpa mariti absit: actiones solum, quas eo nomine quasi maritus haberet, præstandas mulieri, ueluti furti, uel damni iniuriæ.

XIX. VLPIANVS *lib. XXXV. ad Sabinum.*

SI MVLIER diuerterit, & iudicio de dōte contestato, reuersa fuerit in matrimonium: redintegrato matrimonio exspirat iudicium, & omnia manent in statu pristino.

XX. PAVLVS *lib. VII. ad Sabinum.*

QVAMVIS mulier non in hoc accipiat constante matrimonio dōtem, ut ęs alienum soluat, aut prædia idonea emat: tamen ut liberis ex alio uiro egentibus, aut frātribus, aut parentibus consulat, uel ut eos ex hostibus redimat: (quia iusta & honesta caussa est) non uide-
C tur malè accipere. & ideo rectè ei soluitur, idq; & in filiafamiliās obseruatur.

XXI. VLPIANVS *lib. XXXIIII. ad edictum.*

SED & si ideo maritus ex dote expendit: ut à latronibus redimeret necessarias mulieri personas, uel ut mulier uinculis aliquem de necessarijs suis uindicaret: reputatur ei id, quod expensum est: siue pars dōtis sit, pro ea parte: siue tota dos sit, actio dōtis euanescit. & multo magis idem dicendum est, si socer agat de dōte, debere rationē haberi eius, quod in ipsum impensum est: siue ipse maritus hoc fecit, siue filiæ, ut faceret: dēdit. sed & si non pater experiretur, sed post mortem eius filia sola de dōte ageret: idem erit dicendum. cum enim doli exceptio insit de dōte actioni, ut cæteris bonæ fidei iudicijs: potest dici (ut & Celso uidetur) inesse hunc sumptum actioni de dōte: maximè, si ex uoluntate filiæ factus sit.

D XXII. IDEM.

SI CVM dōtem daret pater, uel extraneus, pro muliere in unum casum pepigit, uel in diuortium, uel in mortem: dicendum est, in eum casum, in quem nō pepigit, esse mulieri actionem. Si post solutum matrimonium filiafamiliās citra pătris uoluntatem exactam communem dotem consumat: pātri, & uiua ea, & mortua, actio superest, ut dos ipsi soluatur. quod ita uerum est, si perdituræ soluatur. Cæterum si non perdituræ, & ex iustis caussis soluta sit: non superit actio. sed mortuo pătre, nec etiam hæredes agent, nec mulier. Si mulier, soluto matrimonio, egētem reum dōtis per nouationem decepta accipiat: nihilominus actio dōtis ei manebit. Si pater filia absente de dōte egerit, & si omissa sit de rato sātisdātio, filiæ denegari debet actio: siue pătri hæres exstiterit, siue in legato tantum acceperit,
E quantum dōti satis esset. sed & Iulianus in pluribus locis scribit, cōpensandum ei in dōtem, quod à patre datur: lucroq; eius cēdere, si tātum ab eo consecuta sit, quantum ei dōtis nomine debebatur à marito, qui patri soluit. Si patri propter condemnationem Romę, ubi dos petatur, esse non licet: filiæ satis dotis fieri oportet: ita tamen, ut caueat ratam rem patrem habiturum. Eo autem tempore consentire filiam patri oportet, quo lis contestatur. secundum hæc si filia dicat se patri cōsentire, & ante litis contestationem mutauerit uoluntatē, uel etiā emancipata sit: frustra pater aget. Nec non illud quoq; probamus, quod Labeo probat: nonunquam patri denegandam actionem, si tam turpis persona patris sit, ut uerendum sit, ne acceptam dotem consumat. ideoq; officium iudicis interponendum est, quatenus & filiæ, & patri competenter cōsulatur. Sed si latitet filia, ne tali patri consentire cogatur: puto dari quidem patri actionem, sed caussa cognita. quid enim, si filia uerecundè

per absentiam pãtri contradicat? cur non dicamus, patri non esse dandam actionẽ? Quod F
si is pater sit, cui omnimodo consentire filiam deceat, hoc est uitæ probatæ: filia leuis mulier, uel admodum iuuenis, uel nimia circa maritum non merentem: dicendum est, patri potius adquiescere prætorem oportere, dareq; ei actionem. Si maritus uel uxor constante matrimonio furere cœperit: quid faciendum sit, tractemus. Sed illud quidem dubio procul obseruatur: eam personam, quæ furore detenta est (quia sensum non habet) nuncium remittere non posse. an aũt illa repudianda sit, considerandũ est. & siquidem interuallum furor habet, uel perpetuus quidẽ morbus est, ferendus tamẽ his, qui circa eam sunt: tunc nullo modo oportet dirimi matrimonium: sciente ea persona, quæ cum compos mentis est, ita furenti (quemadmodum diximus) nuncium miserit, culpa sua nuptias esse diremptas. quid G
enim tam humanum est, quàm fortuitis casibus mulieris maritum, uel uxorem uiri participem esse? Si autem tantus furor est, ita ferox, ita perniciosus, ut sanitati nulla spes supersit, ita circa ministros terribilis: & forsitan altera persona uelit, uel propter sæuitiam furoris, uel quia liberos non habet, procreandæ sobolis cupidine tenta, dirimere: licentia erit compoti mentis personæ furenti nuncium mittere, ut nullius culpa uideatur esse matrimoniũ dissolutum, neq; in damnum alterutra pars incidat. Si autem in sæuissimo furore muliere constituta, dirimere maritus quidem matrimonium calliditate non uult: spernit autem infelicitatem uxoris, & non ad eam flectitur, nullamq; competentem curam inferre manifestissimum est, sed abutitur dõte: tunc licentiam habeat uel curator furiosæ, uel cognati, adire iudicem competentem: quatenus necessitas imponatur marito, omnem talem mulieri H
sustentationem sufferre, & alimenta præstare, & medicina ei succurrere, & nihil prætermittere, quorum maritum uxori adferre decet, secundum dõtis quantitatem. si uero dõtem ita eum dissipare manifestum est, ut hominem non frugi: oportet dõtem tunc sequestrari, quatenus ex ea mulier competens habeat solatium unà cum sua familia: pactis uidelicet dotalibus, quæ inter eos ab initio nuptiarum inita fuerunt, in suo statu durantibus, & alterius exspectantibus sanitatem, aut mortis euentum. (Item pater furiosæ utiliter intendere, sibi filiæue suæ reddi dõtem, potest. quamuis enim furiosa nuncium mittere non potest, pãtrem eius tamen posse certum est.) Si soluto matrimonio pater furiosus sit: curator eius uoluntate filiæ dõtem petere poterit: aut si curatoris copia non sit, agere filiam permittendum erit, caueriq; oportebit de rato. Item dicendum est, & si ab hostibus captus sit I
pater, puellæ dandã actionẽ de dõte repetenda. Transgrediamur nũc ad articulũ hunc, ut quæramus, aduersus quos cõpetat de dõte actio. Et aduersus ipsum maritũ cõpetere, palam est: siue ipsi dos dãta sit, siue alij ex uolũtate mariti, uel subiecto iuri eius, uel nõ subiecto. sed si filiusfamiliás maritus sit, & dos socero data sit: aduersus socerũ agetur. planè si filio dãta sit: siquidem iussu soceri: adhuc absolutè socer tenebitur. quod si filio data sit, non iussu patris: Sabinus & Cassius responderunt, nihilominus cum patre agi oportere. uideri enim ad eum peruenisse dõtem, penes quem est peculium. sufficit autem ad id eum damnari, quod est in peculio, uel quod in rem patris uersum est. Sin autem socero dõtem dẽderit: cum marito non poterit experiri, nisi patri hæres exstiterit. Si mulier in conditione mariti errauerit, putaueritq; esse liberum, qui seruus esset: cõcedi oportet quasi priuilegium in bonis uiri K
mulieri: uidelicet ut si sint & alij creditores, hæc præferatur circa actionem de peculio: ut tamen si domino aliquid debeat seruus, non præferatur mulier: nisi in his tantum rebus, quæ uel in dõtem datę sunt, uel ex dõte comparatæ, quasi & hæ dotales sint.

XXIII. PAVLVS *lib. VII. ad Sabinum.*

ET SI quid in eam dõtem impensum est, nec à muliere reddatur: per doli mali exceptionem seruabitur.

XXIIII. VLPIANVS *lib. XXXV. ad Sabinum.*

SI CONstante matrimonio propter inopiam mariti mulier agere uolet: unde exactionem dotis initium accipere ponemus? & constat, exinde dõtis exactionem competere, ex quo euidentissimè apparuit, mariti facultates ad dõtis exactionem non sufficere. Si exhęredato marito mulier agat: magis est, ut ex die aditæ patris hæreditatis, incipiat ei dõtis exactio.

A actio. Quoties mulieri satisdandū est de solutione dōtis post certū tempus, si maritus satisdāre non possit:tunc deducto commodo temporis, condemnatio residui repræsentatur. sed si cum maritus satisdāre posset,nollet:in solidum eum condemnandum, Mela ait, non habita ratione commodi temporis.iudicis igitur officio conuenit, ut aut satisdatione interposita absoluat maritum,aut habita ratione repræsentationis eum condemnet.quod quidē hodie magis usurpatur.nec ferenda est mulier,si dicat,magis se uelle dilationem pati,quàm in repræsentatione deductionē. Siue autem mariti, siue uxoris periculo dos fuit: nihilominus legitimo tempore debet soluere maritus. (Si uir uoluntate mulieris seruos dotales manumiserit:si quidem donare ei mulier uoluit: nec de libertatis caussa impositis ei præ-
B standis tenebitur. Quod si negocium ab eo gestum est:utiq; tenebitur, ut officio iudicis caueat,restituturum se mulieri, quidquid ad eum ex bonis liberti, uel ex obligatione peruenisset.) Si maritus sæuus in seruos dotales fuit:uidendum,an de hoc possit conueniri.& si quidem tantum in seruos uxoris sæuus fuit: constat eum teneri hoc nomine. Si uero & in suos,licet natura:adhuc dicendum est, immoderatam eius sæuitiā hoc iudicio coërcendam. Quamuis enim diligentiam uxor eam demum ab eo exigit, quam rebus suis exhibet, nec plus possit:attamen sęuitia,quæ in proprijs culpanda est,in alienis coërcenda est. Si uxor uiri rem commodauerit,eaq; perierit:uidendum est,an compensationem hoc nomine pati possit.& puto, siquidem prohibuit eam maritus commodare: statim deductionem fieri.si uero non prohibuit eam commodare: arbitrio iudicis modicum tempus ei indulgeri, cau-
C tionē præbendi. Si bona mulieris pro parte sint publicata, superest mulieri reliquæ partis dōtis exactio.plus puto, & si post litem contestatam publicata sit pro parte dos:sufficiet arbitrium iudicis ad partis condemnationem faciendam.quod si tota dos publicata sit: exspirabit iudiciū. XXV. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

SI FILIO familiás dos data sit iniussu patris: de peculio quidem agetur:sed siue propter impensas à filiofamiliás factas,siue propter res donatas à filiofamiliás, uel amotas ab uxore res peculiares,hoc ipso,quod habet actionem pater ex persona filij, maius peculium fit. & sic totum est præstandum mulieri,quod in peculio est:modo adhuc sit,quod uxori debeatur. Maritum in reddenda dōte de dolo malo & culpa cauere oportet. quod si dolo malo fecerit, quò minus restituere possit:damnandum eum, quanti mulier in litem iurauerit:
D quia inuitis nobis res nostras alius retinere non debeat. Si post diuortium res dotales deteriores factæ sint, & uir in reddenda dote moram fecerit: omnino detrimentum ipse præstabit. Si qui dotalium seruorum in fuga erunt: cauere debebit maritus, se eos uiri boni arbitratu persecuturum, & restituturum. Si uir in quinquennium locauerit fundum, & post primum fortè annum diuortium interuenerit:Sabinus ait, non aliás fundum mulieri reddi oportere,quàm cauerit, si quid præter unius anni locationem maritus damnatus sit, id se præstaturam esse.sed & mulieri cauendum,quidquid præter primum annum ex locatione uir consecutus fuerit,se ei restituturum.

XXVI. IDEM *lib.* XXXV. *ad edictum.*

SEMEL mora facta,si seruum dotalem postea offerente marito mulier accipere noluerit,
E & ita is decesserit: non debebit precium eius maritus uel hæres eius: ne damnum sentiat, quod postea offerente eo,mulier accipere noluit.

XXVII. POMPONIVS *lib.* XV. *ad Sabinum.*

SI POST diuortium mortua muliere hæres eius cum uiro parenteúe eius agat: eadem uidentur de restituenda dōte interuenire,quæ ipsa muliere agente obseruari solent.

XXVIII. VLPIANVS.

FACERE posse maritus etiam id uidetur, quod à muliere consequi potest: scilicet si iam ei aliquid absit,quod pro muliere uel expendit, uel mandatu eius præstitit. Cæterū si nondum ei abest,utputā si sub conditione obligatus est:nondum uidetur facere posse.

XXIX. IDEM *lib.* VII. *Disputationum.*

QVOTIES pater dōtem dat,& stipulatur: ita demum in suam personam de dōte actio-

nem transfert, si ex continenti stipuletur. Cæterum si interposito tempore stipulari uelit: E non nisi consentiente filia poterit, quamuis in potestate sit: quia deteriorem conditionem in dote filiæ facere non potest, nisi consentiat. planè si ante nuptias dotem dẽderit: poterit ex interuallo (ante nuptias tamen) & citra uoluntatem filiæ stipulari. Si quis pro muliere dotem dẽderit, conuenerítq;, ut quoquo modo dirempto matrimonio, ipsi solueretur: postea maritus uxori dotem dẽderit: rectissimè dicetur, exactionem nihilominus ei, qui dẽdit, contra maritum competere.

XXX. IVLIANVS lib. XVI. *Digestorum.*

NVPTA non impeditur, quò minus cum priore marito de dôte experiatur. Quoties culpa uiri accidit, ne dos à socero, aut à quolibet alio, qui mulieris nomine promiserat, exigeretur: si aut in matrimonio filia decesserit, aut materfamiliás facta, eum, qui dotem repromiserat, hæredem instituerit: sátis constat, nihil amplius uirũ præstare debere, quàm ut eos obligatione liberet. G

XXXI. IDEM lib. XVII. *Digestorum.*

SI MARITO publ'co iudicio damnato, pars aliqua bonorum eius publicetur: fiscus creditoribus eius satisfacere necesse habet, inter quos uxor quoq; est. Si pater, cum ducenta filiæ suæ nomine doti promisisset, pactus fuerit, ne amplius, quàm centum, à se peterentur, & soluto matrimonio egerit: centum, de quibus conuenit, ne peterentur, nec intelliguntur dotis esse. quod si mortuo patre cum herede eius maritus agere cœperit: ista quoq; pecunia in dotem erit. Si uoluntate filiæ procurator à patre dãtus, litem de dote cõtestatus fuerit, & re secundum eum iudicata pater decesserit: iudicati actionem filiæ potius, quàm hæredibus patris, dãri oportebit. H Cum patri dos dãta est, & ei filius ex aliqua parte hæres sub conditione institutus fuerit, & pendente conditione cohæredes eius dotem pro sua portione mulieri soluerint: hoc minus ex dote filius præstare debebit, quoniam nullam actionem eius pecuniæ recuperandæ gratia aduersus cohæredes habet. Si fundum dotalem receptisset mulier, non habita ratione fructuum pro portione anni, quo nupta nõ fuisset: nihilominus de dote agere potest: quia minorem dotem recepisset. hoc enim ad dotis augmentũ pertinet: quemadmodum si partum ancillarum non recepisset, aut legata uel hæreditates, quæ post diuortium per seruos dotales adquisitæ marito fuissent.

XXXII. IDEM lib. II. *ex Minutio.*

SI PRIOR maritus posteriori dotis nomine, tanquam debitor mulieris, dotem promisit: non plus, quàm facere possit, dotis futurum est. I

XXXIII. AFRICANVS lib. VIII. *Quæstionum.*

QVAE dotis nomine certam pecuniam promiserat: quosdam adhibuerat, qui stipularentur partem dotis distracto matrimonio sibi solui. ea nulla dãta dote obierat, eodem marito suo hærede relicto. is damnosam hæreditatem eius adierat. nihilominus stipulatoribus teneri, quoniam adeundo hæreditatem debitricis intelligeretur se compensasse. nec ad rem pertinere, quod soluendo nõ esset hæreditas, quando cæteris etiam creditoribus teneatur.

XXXIIII. IDEM lib. VII. *Quæstionum.*

TITIA diuortium à Seio fecit. hanc Titius in sua potestate esse dicit, & dotem sibi reddi postulat. ipsa se matremfamiliás dicit, & de dote agere uult. quæsitum est, quæ partes iudicis sint: respondi, patri, nisi probet filiam non solum in sua potestate esse, sed etiam consentire sibi denegandam actionẽ, sicuti deneg aretur, etiã si constaret eam in potestate esse. K

XXXV. PAPINIANVS.

LIBERTA, quæ uoluntate patroni discessit, de dote cum eo agere potest, quam ei dẽdit.

XXXVI. PAVLVS.

SI MARITUS minus facere potest, & dos publicata sit: in id, quod facere potest, & fisco maritus condemnandus est: ne in perniciem mariti mulier punita sit.

XXXVII. VLPIANVS.

DOTEM uoluntate filiæ uideri patrem recepisse, cum caussas contradicendi ei filia non habeter: maximè cum ab eo postea ampliore summa dotata sit.

Lucius

A XXXVIII. MARCELLVS lib. Singulari Responsorum.

LVCIVS Titius, cum esset filiusfamiliâs, uoluntate patris uxorem Mæuiam duxit, & dôtem pater accepit. Mæuia Titio repudium misit. postea pater repudiati, absente filio, sponsalia cum eadem nomine filij sui fecit. Mæuia denuo repudium sponsalibus misit, atque ita alij nupsit. quæro, si Mæuia ageret cum Lucio Titio quondam marito, & à patre hærede relicto de dôte, & probetur culpa mulieris matrimonium dissolutū: an possit maritus propter culpam mulieris dôtem retinere? Marcellus respondit, etiam si ut hæres institutus à patre Titius conueniretur: tamen si sponsalibus non consensisset, culpam mulieris mulcandā esse.

XXXIX. PAPINIANVS lib. III. Quæstionum.

B VIRO atque uxore mores inuicem accusantibus, caussam repudij dêdisse utrunque pronunciatum est. Id ita accipi debet: ut ea lege, quam ambo contempserunt, neuter uindicetur. paria enim delicta mutua pensatione dissoluuntur.

XL. IDEM lib. VIII. Quæstionum.

POST dôtem dâtam & nuptias contractas stipulatus est pater, uoluntate filiæ, DIVORTIO FACTO DOTEM DARI: si conditio stipulationis impleatur, & postea filia sine liberis decesserit: non erit impediendus pater, quò minus ex stipulatu agat. uiua autem filia, si agere nult, exceptione submouendus erit.

XLI. IDEM lib. I. Responsorum.

SI PATER ignorans filiam diuertisse, dôtē ex caussa promissionis numerauerit: non per C indebiti condictionem, sed de dôte actione pecunia petetur.

XLII. IDEM lib. XII. Responsorum.

IN INSVLAM patre deportato, qui pro filia dôtem dêdit, actio dôtis ad filiam pertinet. post diuortium quoque patre damnato, qui dôtem consentiente filia non petierat, æquè dôtis actio mulieris est. Fructus ex prædijs, quæ in dôtem dâta esse uidebantur, bona fide perceptos, & in mulieris oneribus ante caussam liberalem absumptos: quamuis seruam fuisse postea constiterit, peti non posse placuit. Sumptus uero necessarios & utiles in prædia, quæ dotalia uidebantur, factos: compensatis fructibus perceptis, ad finem superflui seruari conuenit. Vsuras autem numeratæ dôtis ex stipulatu pater, in matrimonio defuncta filia, si petat: gener, qui residuæ dôtis promissæ fœnus stipulatus est: ita demum ad finē D uicē mutua debitæ quantitatis compensationē opponere iustè uidetur, si proprijs sumptibus uxorem suam exhibuit. alioquin si patris sumptibus exhibita sit: inanis usurarum stipulatio compensationi non proderit. Ad uirum uxore post diuortium reuersa, iudicium acceptum ex stipulatione, qua extraneus, qui dôtem dêdit, stipulatus fuerat, non dissoluitur, nec officio iudicis absolutio continebitur.

XLIII. SCAEVOLA lib. V. Digestorum.

SI MARITVS in id, quod facere potest, condemnatus sit, & nomina sint ad dôtis quantitatem, neque amplius habebit: mandare actiones debet.

XLIIII. PAVLVS lib. Quæstionum.

SI SOCER à genero hæres institutus, adierit hæreditatem: quandoque mortuo patre, cū E hærede eius filiam de dôte acturam, Nerua & Cato responderūt: ut est relatum apud Sextum Pomponium ab Aristone libro quinto, ubi idem Aristoni consensit. Ego dicerem, & si emancipasset pater filiam, ipsum quoque conueniri posse. Lucius Titius filiæ suæ nomine centum dôti promisit Caio Seio: interque Caium Seium & Lucium Titium patrem mulieris cōuenit, ne dos à uiro uiuo Lucio Titio peteretur. postea culpa mariti diuortio facto, solutum est matrimonium: & pater mulieris decedens alios hæredes instituit, filia ex hære data. Quæro, an ab hæredibus soceri maritus exigere possit dôtem, cum eam mulieri reddituruss sit? respondi, cum filia, alijs à patre hæredibus institutis, actionem de dôte sua recuperanda habere cœperit: necesse habebit maritus, aut exactam dôtem, aut actiones ei præstare. nec ullam exceptionem habebunt soceri hæredes aduersus eum: cum absurdè dicatur: dolo uideri eum facere, qui non ipsi, quem conuenit, sed alij restituturus petat. alioquin

& si post mortem patris diuertisset: nondum exacta dote, excluderetur actione dotis ma- F
ritus. quod non est admittendū. sed & si ex parte filia hæres patri suo exstiterit: debebit ma-
ritus cohæredes eius pro parte uirili exigere, & mulieri reddere, aut actiones ei præstare.

XLV. IDEM *lib. Quæstionum.*

CAIVS Seius auus maternus Seiæ nepti, quæ erat in patris potestate, certam pecuniæ
quantitatem dotis nomine Lucio Titio marito dedit, & in instrumento dotali huiusmodi
pactum & stipulationem complexus est. Si inter Lucium Titium maritum & Seiam diuor-
tium sine culpa mulieris factum esset: dos omnis Seiæ uxori, uel Caio Seio auo materno
redderetur, restitueretur'que. Quæro. cum Seius auus maternus statim uita defunctus sit, &
Seia postea sine culpa sua diuerterit, uiuo patre suo, in cuius potestate est: an, & cui actio ex G
hoc pacto & stipulatione competat: utrum hæredi aui materni, an nepti? Respondi, in per-
sona quidem neptis uideri inutiliter stipulationem esse conceptam, quoniam auus mater-
nus ei stipulatus proponeretur. Quod cum ita est: hæredi stipulatoris (quandocunque diuer-
terit mulier) actio competere uidetur. sed dicendum est: Seiæ dotem posse solui, quamuis
actio ei directo non competat, ac si sibi aut illi dari auus stipulatus esset. Sed & permitten-
dam esse nepti ex hac auita cōuentione, ne commodo dotis defraudetur, utilem actionem.
fauore enim nuptiarū, & maximè propter affectionem personarū, ad hoc decurrendū esse.

XLVI. IDEM.

QVI dotem stipulanti uxori promiserat, eidem testamēto quædam legauerat: ita tamē,
ne dotem ab hæredibus peteret. ea, quæ legata erant, uxor capere non potuerat. Respondi, H
dotis actionem mulieri aduersus hæredes non esse denegandam.

XLVII. SCAEVOLA.

CVM mulier uiri lenocinio adulterata fuerit, nihil ex dote retinet. Cur enim improbet
maritus mores, quos ipse aut ante corrupit, aut postea probauit? Sed & si ex mente legis su-
mat quis, ut nec accusare possit. qui lenocinium uxori præbuit: audiendus est.

XLVIII. CALLISTRATVS *lib. VI. Stipulationum.*

SI DOTali instrumento ita stipulatio interposita sit, ut liberorum nomine dos apud ma-
ritum resideat: nepotum quoque nomine dos retinebitur.

XLIX. PAVLVS *lib. II. Responsorum.*

MAEVIA marito suo inter alias res dotis, etiam instrumentum solidorum decem tradi- I
dit: quod Otacilius eidem Mæuię cauerat, daturum se, cum nuptum ire cœpisset, decem. ex
eo instrumento maritus nihil exegit: quia nec potuit. Quęsitum est, si dos à marito petatur,
an compellendus sit, etiam illam summā, quę instrumento continebatur, refundere? Respon
di. potuisse quidem eum, cui actiones mandatæ sunt, debitorem conuenire: sed si sine dolo
malo, uel culpa exigere pecuniam non potuerit: neque dotis nomine eum conueniri posse,
neque mandati iudicio. Fundus æstimatus in dotem datus à creditore antecedēte ex cau-
sa pignoris ablatus est. Quæsitum est. an mulier, si æstimationem dotis repetat, exceptione
submouenda sit? ait enim propterea se non teneri, quod pater eius dotem pro se dedit, cui
hæres non exstiterit. Paulus respondit. prædio euicto sine dolo & culpa uiri: precium peten
ti mulieri doli mali exceptionem obesse. Consequi enim eam precium fundi euicti, euidēs K
iniquitas est, cum dolus patris ipsi nocere debeat.

L. SCAEVOLA.

AESTIMATIS rebus in dotem datis, pactum intercessit: ut ex quacunque caussa dos reddi
deberet, ipse res restituerentur, habita ratione augmenti & deminutionis uiri boni arbitra-
tu: si quæ uero non exstarent, æstimatio earum. Quæsitum est. cum res quædam, quas ma-
ritus uendiderat, exstarent: an secundum pactum & hæ ad mulierem pertinerent? respon-
dit. res, quæ exstant, si neque uolēte, neque ratum habente muliere, uenissent: perinde redden-
das, atque si nulla æstimatio interuenisset.

LI. HERMOGENIANVS *lib. II. iuris ἐπιτομῶν.*

AESTIMATÆ res usu etiam mulieris periculo mariti deteriores efficiuntur.

Maritus

A LII. TRIPHONINVS lib. VII. *Disputationum.*

MARITUS dotem, quam non accepit, si post diuortium per errorem soluit, repetet: qua si non numeratam pecuniam cauerit. exigi enim ab eo non potuit.

LIII. IDEM lib. VIII. *Disputationum.*

SI filio familiâs dâta est dos: ipse quidem dôtis actione tenetur, pater autem eius de peculio. nec inter est, in peculio rem uel pecuniam dotalem habeat, nec ne. sed quatenus facere potest, hic quoque cōdemnandus est. Intelligitur aūt peculiotènus facere posse, quod habet rei indicatę tempore. Et quidem si cū patre agatur: deducetur ex peculio, quod pâtri uel subiectis ei personis filius debet. at si cum ipso filio agatur: alterius debiti nō fiet detractio,

B in computatione quantum facere possi filius.

LIIII. PAVLVS. t

MARITUS facere posse creditur, nullo deducto ære alieno: item socius, item patronus, parensúe. at is, qui ex donatione conuenietur: omni ære alieno deducto facere posse intelligitur.

LV. IDEM.

CVM MVLIER de dotis repetitione post solutum matrimonium agit: cauere debet marito, qui ædium nomine damni infecti cauit: si uelit eam recipere, ut periculum marito amoueatur.

LVI. IDEM.

SI QVIS sic stipuletur à marito, SI QVO CASV TITIA TIBI NVPTA ESSE DESIE-

C RIT, DOTEM DABIS: hac generali commemoratione, & ab hostibus capta ea, committetur stipulatio: uel etiam si deportata fuerit, uel ancilla facta. hac enim conceptione omnes hi casus continentur. Planè quaerum ueniet in stipulatione: utrum quasi mortua sit, an qua si diuortium fecerit. sed humanius quis id competere dixerit, quod propter mortē cōuenit.

LVII. MARCELLVS lib. VII. *Digestorum.*

VSVFRVCTU in dotem dāto, si diuortium interuenerit, nec proprietas rei apud maritū uel mulierem sit: eam dotis esse restitutionem, ut maritus caueat, quandiu uixerit, passurum se uti frui mulierem hæredemque eius: id an uerum sit circa adiectionem hęredis, dubito. sed interest, quemadmodum sit ususfructus in dotem dâtus. ut si cum haberet mulier usumfructum, uiro, cuius erat proprietas fundi, usum fructum cessit: nihil mulier hæredi suo relin-

D quat. debebatur enim ei ususfructus, qui ad hæredem non solet transire. Quod si fundi sui fructum mulier uiro cessit: restitui is à uiro debet. cum proprietate enim ad hæredem eius transisset, si uir in reddendo eo non fecisset moram. Si uero alienata sit proprietas, aut aliquis fundi sui usumfructū mulieris iussu uiro eius dederit in dotem: inspiciendum est primum, quemadmodum mulieri possit restitui. potest autem uel cautionibus interpositis, ut (sicut potest) uir iure suo cēdat mulieri, fruique eam patiatur: uel si se accommodauerit do minus proprietatis, uolente eo, mulieri constituatur usus fructus. nam aut fructum fundi ille mulieri poterit cēdere, aut aliquid uidelicet pro eo (prout inter eos actum fuerit) dāre. nam finge hoc ipsum mulierem posse proprietatis domino uendere. quo casu non iniquè etiam mulieris hæredē agente, uir facere cogetur: quippe si moram non fecisset, pretiū fru-

E ctuum mulier hæredi suo reliquisset. quod si facultatem ususfructus uendendi proprietatis domino mulier non habuerit: patientiam percipiendi fructus, quam præstare ipsi debuit, & hæredi eius præstet.

LVIII. MODESTINVS lib. *singulari de differentia dotis.*

SERVUS dotalis hæres ab aliquo institutus, mariti iussu, uel adire, uel repudiare debet hæreditatem. sed ne maritus aut facilè repudiando, uel temere suscipiendo, incognitam successionem dotis iudicio uxori suę obliget: consulendum est, mulierem coram testibus interrogari, utrum uelit omittere, an adquirere hæreditatem. & si repudiare se dixerit: facilè mariti iussu repudiabit. quod si hæreditatem agnoscere maluerit: reddendus est à marito seruus uxori, ea conditione, ut eum iussu eius adierit, rursum marito retradatur. ita & mariti sollicitudini consuletur, & uxoris desiderio parebitur.

LIX. VLPIANVS lib. XXXV. ad Sabinum. F A

FILIAE meæ emancipatæ & ægræ uir in hoc repudium misit, ut mortua ea dotem potius hæredibus eius, quàm mihi redderet. Sabinus dicebat, utile mihi eius dotis recuperandæ iudicium dandum esse.

LX. IDEM lib. XXV. ad edictum.

SI FILIA familiâs nupta decesserit, & pater funus ei fecerit: tametsi ei dotē post aliquod tempus gener reddere deberet: tamen continuo socer agendo consequetur, ut impensam funeris præsentem recipiat: cætera dotis statuto tempore soluantur.

LXI. PAPINIANVS.

DOTALEM seruum uir inuita uxore manumisit. solus uir hæres à liberto institutus, portionem hæreditaris, quam ut patronus consequi potuit ac debuit, restituere debet: alteram uero portionem dotis iudicio, si modo uxor manumittenti refragatur. G

LXII. VLPIANVS lib. XXXIIII. ad edictum.

QVOD si uir uoluntate mulieris seruos dotales manumisit, cum donare ei mulier seruos uoluit: nec de libertatis caussa impositis ei præstandis tenebitur.

LXIII. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

ET DEfinit seruus in dote esse: quia cui manumittendi caussam donare liceret, ei quodammodo donaret, quod permitteret manumittere.

LXIIII. VLPIANVS lib. XXXIIII. ad edictum.

SI VERO negocium gerens mulieris non inuitæ, maritus dotalem seruum uolūtate eius manumiserit: debet uxori restituere, quicquid ad eū peruenerit. sed & si quid libertatis caussa maritus ei imposuit, id uxori præstabit. planè si operæ fuerint marito exhibitæ, non æstimatio earum: non erit æquum, hoc nomine uxori maritum quidpiam præstare. Sed & si post manumissionem aliquid fuerit ei liberto impositum, id uxori prēstandum est. sed & si reum maritus acceperat, expromissoremúe: æquè aduersus ipsum obligationem debet prestare. Item quicquid ad eum ex bonis libetti peruenerit, æquè præstare cogetur: si modo ad eum quasi ad patronū peruenerit. cæterum si alio iure: nō cogetur præstare. nec enim beneficium, quod in eum libertus contulit, hoc uxori debet: sed id tantum, quod iure patronatus adsequitur, uel adsequi potuit. planè si ex maiore parte, quàm debet, hæres scriptus fuit: quod amplius est, non præstabit. & si fortè, cum ei nihil deberet libertus, hæredem eum scripsit: nihil uxori restituet. Dabit autem (ut ait lex Iulia) quod ad eum peruenit. peruenisse accipimus, siue iam exegit, siue exigere potest: quia actio ei delata est. Adijcitur in lege, ET SI DOLO MALO FACTVM SIT, QVO MINVS AD EVM PERVENIAT. Si filium ex hæredauerit patronus, ut ad eum bona liberti pertineant: uideudum est, an hęres hoc nomine teneatur. & cum nihil, neque ad ipsum, necp ad hæredem eius perueniat: quomodo fieri potest, ut hoc nomine teneatur? De uiro hæredecp eius lex tantum loquitur: de socero, successoribuscp soceri nihil in lege scriptum est. & hoc Labeo quasi omissum adnotat. In quibus igitur casibus lex deficit, non erit nec utilis actio danda. Quod ait lex, QVANTA PECVNIA ERIT, TANTAM PECVNIAM DATO: ostendit æstimationem hæreditatis, uel bonorum liberti, non ipsam hęreditatem uoluisse legem præstari nisi maritus ipsas res tradere maluerit. & hoc enim benignius admitti debet. H I K

LXV. SCAEVOLA.

HAEC actio etiam constante matrimonio mulieri competit.

LXVI. IABOLENVS lib. V. ex posterioribus Labeonis.

IN his rebus, quas præter numeratam pecuniam doti uir habeat. dolum malum, & culpam præstare eum oportere, Seruius ait. eacp sententia & Publij Mutij est. nam is in Licinnia Gracchi uxore statuit: quod quæ res dotales in ea seditione, qua Gracchus occisus erat, perijssent: (quia Gracchi culpa ea seditio facta esset) eas Licinniæ præstari oporteret. Seruis uxoris uir numos in uestiariū dēderat. quo peracto, deinde intra annū diuortiū intercesserat. placuit Labeoni & Trebatio, qualia uestimenta post diuortiū essent, talia uiro reddi

Idem

A Idem iuris futurum fuisse, si ipsa uestimenta uir emisset, & seruis dedisset, quod si uestimenta non redderentur: tunc uirum precium in dotem compensaturum. Filiafamiliâs diortio facto, dotem patri reddi iusserat. deinde parte dotis persoluta, pater decesserat. reliquã partem, si nec dum delegata, nec promissa nouãdi animo patri fuisset: mulieri solui debere, Labeo & Trebatius putant. idq; uerum est. Mancipia in dotem æstimata accepisti. pa/ctum conuentum deinde factum est, ut diuortio facto, tantidem æstimata redderes: nec de partu dotalium ancillarũ mentio facta est. manebit (inquit Labeo) partus tuus: quia is pro periculo mancipiorum penes te esse debet. Mulier, quæ centum dotis apud uirum habe/bat, diuortio facto ducenta à uiro errãte stipulata erat. Labeo putat, quanta dos fuisset, tan

B tam deberi: siue prudens mulier plus esset stipulata, siue imprudens. Labeonis sententiam probo. Vxor diuortio facto partem dotis receperat, partem apud uirum reliquerat. dein de alij nupserat. iterum uidua facta ad priorem uirum redierat, cui centum doti dẽderat. neq; eius pecuniæ, quæ reliqua ex priore dote erat, mentionem fecerat. diuortio facto, reli/quum ex priore dote ĳsdem diebus uirum redditurum ait Labeo, quibus reddidisset, si su/perius diuortium inter eos factum nõ esset: quoniam prioris dotis caussa in sequentem do/tis obligationem esset translata. & hoc uerum puto. Si uir socero, in iussu uxoris, manente matrimonio, dotem acceptam fecisset: etiam si id propter egestatem soceri factum esset, uiri tamen periculum futurum, ait Labeo. & hoc uerum est. Si quis pro muliere dotem uiro promisit, deinde hærede muliere relicta decessit: qua ex parte, mulier ei hæres esset,

C pro ea parte dotis periculum, quod uiri fuisset, ad mulierem pertinere, ait Labeo: quia nec melius, nec æquius esset (quod exigere uir ab uxore non potuisset) ob id ex detrimento uiri mulierem locupletari. & hoc uerum puto.

LXVII. POMPONIVS lib. XI. ad Qu. Mutium.

IN PARTem dotis reddendæ erit id, quod mulieri ex peculio serui restitui debebit. & ideo & dolum & culpam in eo peculio, uel adquirendo, uel cõseruando maritus præstare debet: & fructus ex eo percepti, quomodo cuiuslibet rei dotalis, ad maritum pertinebunt.

DIGESTORVM SEV PANDECTARVM LIBER VICESI/mus quintus.

D

DE IMPENSIS IN REBVS DOTA/libus factis. TIT. I.

VLPIANVS lib. XXXV. ad Sabinum.



MPENSARVM quædã sunt necessariç, quędam utiles, quędam uo luptariç. Necessariç hæ dicuntur, quæ habent in se necessitatem impendẽdi. cæterũ si nulla sit necessitas: alio iure habentur. In necessarĳs impensis hoc sciendũ est: eas demũ impensas dotẽ minuere: quę in dotẽ factę sunt. cæterũ si in dotẽ factę nõ sint: non habent in

E se reputationẽ. Inter necessarias impensas esse Labeo ait, moles in mare uel flumẽ proiectas. sed & si pistrinũ uel horreũ necessario factum sit, in necessarĳs impensis habendũ ait. proinde Fulcinius inquit. si ædificium ruens, quod habere mulieri utile erat, refecerit: aut si olivetũ defecta re/staurauerit: uel si ex stipulatione damni infecti nomine, ne committatur, præstiterit:

II. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

VEL SI in ualetudinem seruorum impenderit.

III. VLPIANVS lib. XXXV. ad Sabinum.

VEL si uites ꝓpagauerit, uel arbores curauerit, uel seminaria pro utilitate agri fecerit: necessarias impensas fecisse uidebitur. Nos generaliter definimus. multũ interesse, ad per/petuam utilitatem agri, uel ad eam, quæ ad præsentis temporis, an uero quę nõ ad præsen/tis

præsens tantum apta erogatio:necessarijs impensis computandum, Iulianus putat. F

III. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

Et in totũ id uidetur necessarijs impensis cõtineri, quod si à marito omissum sit, iudex tanti eum damnabit, quanti mulieris inter fuerit eas impensas fieri. sed in hoc differt: quod factarum ratio habetur, & si res malè gesta est: non factarum, ita si ob id res malè gesta est. Itaq; si fulserit insulam ruentem eaq; exusta sit: impensas consequitur. si non fecerit: deusta ea, nihil præstabit.

V. VLPIANVS lib. XXXV. ad Sabinum.

Qvod dicitur, NECESSARIAS IMPENSAS DOTEM MINVERE, sic erit accipiendũ (ut & Pomponius ait) non ut ipsæ res corporaliter deminuantur (utputã fundus, uel quodcunque aliud corpus.) (etenim absurdum est, deminutionẽ corporis fieri propter pecuniam.) G cæterum hæc res faciat desinere esse fundum dotalem, uel partem eius. manebit igitur maritus in rerum detentionem, donec ei satisfiat. non enim ipso iure corporũ, sed dotis fit deminutio. Vbi ergo admittimus deminutionem dotis ipso iure fieri? ubi non sunt corpora, sed pecunia. Nam in pecunia ratio admittit deminurionem fieri. proinde si æstimata corpora in dotem dãta sint: ipso iure dos deminuetur per impensas necessarias. hoc de his impensis dictum est, quæ in dotem ipsam factæ sint. cæterum si extrinsecus: non deminuent dotem. Sed si impensis necessarijs mulier satisfecerit: utrum dos crescit, an uero dicimus ex intẽgro uideri dotem? & ego, ubi & pecunia dãta est, non dubito dotem uideri creuisse. Si dos tota soluta sit, non habita ratione impensarũ: uidendum est, an condici possit id, quod H pro impensis necessarijs compensari solet. Er Marcellus admittit, condictioni esse locũ. sed & si plerique negent, tamen propter æquitatem Marcelli sententia admittenda est. Vtiles autem impensæ sunt, quas maritus utiliter fecit, quæq; rem mulieris meliorem reddunt.

VI. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

Velvti si nouelletum in fundo factum sit, aut si domui pistrinum aut tabernam adiecerit. idem erit, si seruos artes docuerit.

VII VLPIANVS lib. XXXV. ad Sabinum.

Volvptariæ autem impensæ sunt, quas maritus ad uoluptatem fecit, & quę species exornant. quarum utiles quidem ipso iure dotem non minuunt, ueruntamẽ habent exactionem. I

VIII. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

Vtilium nomine ita faciendam deductionem quidam dicunt, si uoluntate mulieris factæ sint. iniquum enim esse, compelli mulierem rem uendere, ut impensas in eam factas soluat, si aliunde soluere non potest. quod summam habet æquitatis rationem.

IX. VLPIANVS lib. XXXV. ad Sabinum.

Et pro uoluptarijs impensis, nisi parata sit mulier pati maritum tollentem, ex actionem patitur. Nam si uult habere rem mulier: reddere ea, quæ impensa sunt, marito debet. aut si non uult: pati debet tollentem: si modo recipiant separationem. cæterum si non recipiant: relinquendę sunt. ita enim permittendum est marito auferre ornatum, quem posuit: si futurum est eius, quod abstulit.

X. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum. K

Qvod si hæ res, in quibus impensæ factæ sunt, promercales fuerint: tales impensæ nõ uoluptariæ, sed utiles sunt.

XI. VLPIANVS lib. XXXV. ad Sabinum.

In voluptarijs autem Aristo scribit, nec si uoluntate mulieris factæ sunt, exactionẽ parẽre. Donationem inter uirum & uxorem circa impensas quoq; inhibitam, uerè Sabinus scribit.

XII. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

Omnino & in ædificandis ædibus, & in reponendis propagandisq; uineis, & in ualetudine mancipiorum, modicas impensas non debet arbiter curare. alioquin negociorũ gestorum potius, quàm de dote iudicium uidebitur.

XIII. IDEM.

Neq;

A N E Q V E stipendium, neq; tributum ob dotalem fundum præstita, exigere uir à muliere potest. onus enim fructuũ hæc impendia sunt.

XIIII. VLPIANVS.

I M P E N S A E necessariæ sunt, quibus non factis dos imminuitur: ueluti aggeres facere, flumina auertere, ędificia uetera fulcire, iter reficere, arbores in locum mortuarum reponere. Vtiles sunt, ueluti pecora prędijs imponere, stercorare. Voluptuosę sunt, balinea exstruere.

XV. NERATIVS lib. IIII. *Membranarum.*

Q V O D dicitur, IMPENSAS, QVAE IN RES DOTALES NECESSARIO, SVNT, FACTAE, DOTEM DEMINVERE, ita interpretandum est: ut si quid extra tutelã necessariã in
B res dotales impensum sit. id demũ in ea caussa sit. nã tueri res dotales uir suo sumptu debet. alioquin tam cibaria dotalibus mancipijs data, quàm quęuis modica ędificiorũ dotaliũ refectio, & agrorũ quoq; cultura, doté minuent. omnia enim hęc in specie necessatiarũ impensarũ sunt. sed ipsæ res ita præstare intelliguntur, ut nõ tam impendas in eas, quàm deducto eo minus ex his percepisse uidearis. quæ autem impendia secundum eam distinctionem ex dote deduci debeant: non tam facilè in uniuersum definiri, quàm per singula ex genere & magnitudine impendiorum æstimari possunt.

XVI. IDEM.

E T ante omnia quæcunq; impensæ quærendorũ fructuũ caussa factæ erunt (quanquã eædem etiam colendi caussa fiant, ideóq; non solum ad percipiendos fructus, sed etiam ad
C conseruandam ipsam rem speciemq; eius necessariæ sunt) eas uir ex suo facit, nec ullam habet eo nomine ex dote deductionem.

RERVM AMOTARVM. TIT. II.

PAVLVS.

R E R V M amotarum iudicium singulare introductum est aduersus eam, quæ uxor fuit: quia non placuit cum ea furti agi posse. quibusdam existimantibus, nec quidem furtũ eam facere (ut Neruę & Cassio) quia societas uitæ quodammodo dominam eam faceret: alijs (ut Sabino & Proculo) furtum quidem eam facere, sicut filia pãtri faciat, sed furti non esse actionem constituto iure. in qua sententia & Iulia-
D nus rectissimè est. II. CAIVS lib. XII. *ad edictum prouinciale.*

N A M in honorem matrimonij turpis actio aduersus uxorem negatur.

III. PAVLVS lib. VII. *ad Sabinum.*

E T ideo si post diuortiũ easdem res contrectet, etiam furti tenebitur. Item si seruus eius furtũ fecerit: furti cum ea agere possumus. Sed & cum uxore furti agi posibilè est: si ei, cui hæredes sumus, furtum fecit, uel nobis, antequàm nuberet: tamẽ propter reuerentiam personarum in utroq; casu furtiuam tantum condictionẽ competere, non etiam furti actionẽ dicimus. Item uerum est, quod Ofilius ait: etiam eas res quas diuortij tempore mulier comederit, uendiderit, donauerit, qualibet ratione consumpserit: rerum amotarũ iudicio contineri. *Si filiafamiliàs* res amouerit: Mela & Fulcinius aiunt, & de peculio in pãtrẽ, quia
E displicuit eam furti obligari: & in ipsam, ob res amotas, dari actionẽ. sed si pãter adiuncta filia de dote agat: non aliter ei dandam actionem, quàm si filiam rerum amotarum iudicio in solidum, & cum satisdatione defendat. sed mortua filia, in patrem rerum amotarum actionem dari non oportere, Proculus ait: nisi quatenus ex ea re pater locupletior sit.

IIII. POMPONIVS.

D O L O ue malo fecerit, quò minus ad eum peruenerit.

V. PAPINIANVS.

V I V A quoq; filia, quod ad patrem ex rebus amotis peruenit, utili iudicio petendũ est.

VI. PAVLVS.

C O N T R A nurum quoq; soccro hoc iudiciũ dandũ, Atilicinus & Fulcinius aiunt. Quoties filiofamiliàs dos data est: socerum ob res diuortij caussa amotas, furti agere non posse.

Item

Item cum rerum amotarum etiam in uirum dātur iudicium, si filius familiâs maritus sit: F
utrum de peculio, an in ipsum actio dāri debeat: eadem repetemus, quæ de filiafamiliâs diximus. Si post diuortium maritus decesserit: hæres eius rerum amotarum iudicio uti potest. Idem hæres mulieris ex hac caussa tenebitur, sicut condictionis nomine ex caussa furtiua. Sed si morte mariti solutū sit matrimonium: hæres mariti hæreditatis petitione, uel ad exhibendum actione, eas cōsequi poterit. Aristo & condictione posse, rectè putat: quia ex iniusta caussa apud eam essent. Quod si mortuo uiro amouerit, non facit furtū: quia rei hæreditariæ nondum possessę furtum non fit. ideoq; aut uindicari poterunt, aut in hęreditatis petitionem uenient. G

VII. VLPIANVS.

CVM mulier habebit rerum amotarum actionem aduersus uirum: & compensare potest cum actione, qua maritus agere uult, ob res amotas.

VIII. POMPONIVS *lib. XV. ad Sabinum.*

ICVM dos solueretur mulieri, aut satis doti fieret, dictum non esset, actum iri rerum amotarum: nihilominus agi potest. nam & cum dos nulla est, eadem actio dātur. Sabinus ait, si mulier res, quas amouit, non reddat: æstimari debere, quanti in litem uir iurasset.

IX. PAVLVS *lib. VII. ad Sabinum.*

NON enim æquum est, inuitum suo prætio res suas uendere.

X. POMPONIVS *lib. XIII. ad Sabinum.*

IDEOQ; nec debere eum pro euictione promittere: quod ex cōtumacia mulieris id ita acciderit. H

XI. VLPIANVS *lib. XXXV. ad Sabinum.*

MARcellus libro septimo Digestorum scribit. siue uir uxorem, siue uxor uirum domo expulit, & res amouit: rerum amotarum teneri. Qui rerum amotarum instituit actionem si uelit magis iusiurandū deferre: cogitur aduersarius iurare, nihil diuortij caussa amotum esse: dum prius de calumnia iuret, qui iusiurandum defert. Iurare autem tam uir, quàm uxor cogetur. pater autem amouentis iurare non cogitur: cum iniquum sit, de alieno facto aliū iurare. Is ergo cogitur iurare, qui amouisse dicitur. & idcirco nec hæres eius, qui quæue amouisse dicetur, iurare cogetur. Si quis delatū sibi iusiurandū referre uelit: nō uidet prętor id permisisse.

XII. PAVLVS *lib. VII. ad Sabinum.*

NON magis, quàm si quis ei, qui furti agat, iusiurandum referat, an ipse fur sit. I

XIII. VLPIANVS *lib. XXXV. ad Sabinum.*

IDEM Labeo scribit, mulieri non esse permittendum, referre iusiurandum. & ita edicto ordinatū uidetur.

XIIII. PAVLVS *lib. II. Setentiarum.*

DE REbus amotis permittendum est marito, uel uxori de quibusdam rebus iusiurandum deferre, de quibusdam probare.

XV. VLPIANVS *lib. XXXIIII. ad edictum.*

NIHil interest, utrum simul, an separatim habitauerunt: cum actio rerum amotarum competat etiam aduersus eam, quę ex ea domo subtraxit, in qua non simul cum uiro habitabat. Vxor & nurus, & pronurus, uiro, & socero, & prosocero furtū facere possunt, furti autem non tenentur: nisi fortè emancipatus sit filius. tunc enim nurus pātri eius & furtum facit, & furti tenetur. K

XVI. HERMOGENIANVS *lib. III. iuris ἐπιτομῶν.*

AD fiscum mariti bonis deuolutis, uxor rerum amotarum nomine in simplum conuenitur: quamuis alij in quadruplum condemnentur.

XVII. VLPIANVS.

SI concubina res amouerit, hoc iure utimur, ut furti teneatur. consequenter dicemus, ubicunq; cesset matrimonium: utputà in ea, quę tutori suo nupsit, uel contra mandata conuenit, uel sicubi alibi cessat matrimonium: cessare rerum amotarum actionem, quia competit diuortij caussa. Res amotas dicimus non solum eas, quas mulier amouit, cum diuortij consilium inisset: sed etiam eas, quas mulier nupta amouit, si cum discederet, eas cæla

uerit

A ueri. Non solum eas res, quæ exstant, in rerum amotarum iudicium uenire, Iulianus ait: uerum etiam eas, quæ in rerum natura esse desierunt. simili modo & certi condici eas posse ait. Quæ uiro suo res pignori dâtas amouerit, hoc iudicio tenebitur.

XVIII. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

SED. & domino condictio competet, sed alterutri agere permittendum est.

XIX. VLPIANVS lib. XXXV. ad Sabinum.

SED & si diuortij tempore fures in domum mariti induxerit, & per eos res amouerit, ita ut ipsa non contrectauerit: rerum amotarum iudicio tenebitur. uerum est itaque, quod Labeo scripsit: uxorem rerum amotarum teneri, etiam si ad eam res non peruenerint.

B XX. MARCELLVS lib. VII. Digestorum.

SI REM, quam maritus bona fide emerat, uxor amouerit, uel opem furi tulerit, idque fecerit diuortij caussa: rerum amotarum iudicio damnabitur.

XXI. PAVLVS lib. VII. ad Sabinum.

SI MVLIER, cum de uiri uita desperasset, subreptis quibusdam rebus, diuertisset: si conualuerit uir, utilis rerum amotarum actio ei danda est. Si seruus mulieris iussu dominæ diuortij caussa res amouerit: Pedius putat, nec furtum eum facere (quoniam nihil lucri sui caussa cõtrectet) nec uideri furtum facienti opem ferre, cum mulier furtũ non faciat: quamuis seruus in facinoribus domino dicto audiens esse non debeat. sed rerum amotarum actio erit. At si in dotem seruus dâtus furtũ uiro fecerit: siquidem mulier talem esse eum C scierit: totum damnum uiro sarcietur. quod si ignorauerit: tunc non ultra condemnationem noxæ multanda erit. Rerum amotarum actio damnum repræsentat, etiamsi postea dotis exactio competat. commodi quoque, si quidem amotis rebus uir amiserit, ratio habenda est. Hæc actio, licet ex delicto nascatur, tamen rei persecutionem continet. & ideo non anno finitur, sicuti nec condictio furtiua. præterea & hæredibus competit. Nec uiro, nec mulieri prodest in hoc iudicio, si facere non possint. pendet enim id ex furto.

XXII. IVLIANVS lib. XVII. Digestorum.

SI PROPTER res amotas egero cum muliere, & lis æstimata sit: an actio ei danda sit, si amiserit possessionem? mouet me, quia dolo adquisiuit possessionem respondi. qui litis æstimationem suffert, emptoris loco habendus est. ideoque si mulier, cum qua rerum amotarum a-D ctum est, æstimationem litis præstiterit. aduersus uindicantem maritum uel hæredem mariti exceptionem habet: & si amiserit possessionem, in rem actio ei danda est. Si mulier mortis caussa res amouerit, deinde mortuus sit ei maritus: hæreditatis petitione, uel actione ad exhibendum consequi poterit hæres id, quod amotum est.

XXIII. AFRICANVS lib. VII. Quæstionum.

REDINTEGRATO matrimonio, si iterum diuortium factum erit: ob res amotas prioris diuortij caussa, item ob impensas, donationesque priore matrimonio factas, manere actionem existimauit. XXIIII. VLPIANVS.

OB RES amotas, uel proprias uiri, uel etiam dotales, tam uindicatio, quàm condictio, uiro aduersus mulierem competit: & in potestate est, qua uelit actione uti.

E XXV. MACIANVS lib. XI. Institutionum.

RERVM quidem amotarum iuditium sic habet locum, si diuortij consilio res amotæ fuerint, & secutum diuortium fuerit. sed si in matrimonio uxor marito res subtraxerit: licet cesset rerum amotarum actio, tamen ipsas res maritus condicere potest. nam Iuregentium puto res condici posse ab his, qui non ex iusta caussa possident.

XXVI. CAIVS lib. XII. ad edictum prouinciale.

RERVM amotarum actio condictio est.

XXVII. PAPINIANVS lib. I. de Adulterijs.

RERVM amotarum actio ob adulterij crimen, quo mulier postulata est, non differtur.

XXVIII. PAVLVS lib. XXXIX. ad edictum.

SI VXOR rem uiri ei, cui eam uir cõmodauerat, subripuerit, isque conuentus sit: habebit

furti actionem, quamuis uit habere non possit. F

XXIX. TRIPHONINVS lib. VIII. *Disputationum.*

Rervm amotarum æstimatio ad tempus, quo amotæ sunt res, referri debet. nam ue/
ritate furtum fit, & si leuius coërcetur mulier. quarè nec à bonæ fidei possessore ita res amo/
tæ usucapiuntur. sed si pluris factæ non restituuntur, quæ amotæ sunt: crescit æstimatio,
ut in condictione rei furtiuæ.

XXX. PAPINIANVS.

Cvm soluto matrimonio rerum amotarum iudicium contra mulierem restituitur, re/
dintegrato rursus matrimonio, soluitur iudicium.

DE AGNOSCENDIS, VEL ALENDIS liberis, uel parentribus, uel patronis, uel li/bertis. TIT. III. G

VLPIANVS.

Senatvsconsultum, quod factum est de liberis agnoscendis, duas species com
plectirur: unam eorum, qui agnoscunt: aliam earum, quæ falsum partum subij/
ciunt. Permittitur igitur mulieri parentiue eius, in cuius potestate est, uel ei,
cui mandatum ab eis est: si putet prægnantem, denunciare intra dies triginta
post diuortium connumerandos, ipsi marito, uel parenri, in cuius potestate est: aut ad do/
mum denunciare, si nullius eorum copiam habeat. Domum accipere debemus, hospi/ H
tium, si in ciuitate maneat. quod si non sit in ciuitate, sed in uilla, uel in municipio: illic, ubi
larem matrimonio collocauerunt. Denunciare autem hoc tantum, esse mulierem ex eo
prægnantem. non ergo hoc denunciat, ut mittat custodes maritus. sufficit enim mulieri
notum facere, quod sit prægnans. Mariti est iam aut mittere custodes, aut eidem renuncia/
re, quod non sit ex eo prægnans. hoc autem uel ipsi marito, uel alij nomine eius facere per/
mittitur. Pœna autem mariti ea est: ut nisi aut custodes præmiserit, aut contrà denunciaue/
rit, non esse ex se prægnantẽ: cogatur maritus partum agnoscere. & si non agnouerit: extra
ordinem coërcetur. debebit igitur respondere, non esse ex se prægnantẽ, aut nomine eius
responderi. quod si factum fuerit: nõ aliâs necesse habebit agnoscere, nisi uerè filius fuerit.
Illud notandũ est, quod denunciatio à marito non incipit, sed à muliere. Sed si maritus I
ultro custodes offerat, & ea non admittat: uel si non denunciauerit mulier, aut si denuncia/
uerit quidem, custodes autem arbitratu iudicis non admiserit: liberum est marito parenti/
ue eius, partum iam non agnoscere. Si mulier se prægnantem intra triginta dies non de/
nunciauerit: & postea denuncians, caussa cognita, audiri debebit. quinimò & si in totum o/
miserit denunciationem: Iulianus ait, nihil hoc nocere ei, quod ẽditur. Dies autem trigin/
ta continuos accipere debemus ex die diuortij, non utiles. Eleganter autẽ apud Iulianum
lib. decimonono Digestorũ quæritur. si intra triginta dies marito mulier non denũciaue/
rit, & intra triginta partũ ẽdiderit: an senatusconsulto locus sit? & ait Plautianũ senatuscon/
sultum cessare: quia de eo partu nõ uideatur sentire, qui intra dies triginta nascatur: quippè
dies triginta ad denunciandum præstat senatus. sed hanc rem non facere præiudiciũ partui K
arbitror. Quemadmodum & per cõtrarium, si maritus uxore denunciante custodes mi/
serit, nullum præiudicium sibi facit. licebit igitur ei partum ẽditũ ex se negare: nec ei nocebit,
quod uentrem custodierit. & ita Marcellus libro septimo Digestorũ scripsit. ait enim. siue
quis neget suam uxorem, siue ex se prægnantem sine præiudicio rectè mittit custodes: ma/
ximè si missurus id ipsum protestetur. Iulianus libro decimonono Digestorum scripsit.
quod senatusconsulto comprehensum est, Si mulier uiro denunciauerit se ex eo concepis/
se, & is cui denunciatum erit, custodes ad uentrem custodiendum inspiciendúmue non mi/
serit, neque contestato dixerit, eam ex se prægnantẽ non esse: ut ei id, quod ẽditum sit, agno/
scere sit necesse: nõ eò pertinere, ut quasi iudicio agnoscere se filium diceret, suum hæredem
habeat, quãuis ex alio conceptus sit. quandocunque enim (inquit) cœperit caussa agi, grande
præiudicium

A præiudicium adfert pro filio confessio patris. Idem per contrarium quoque ait. si mulier diuortio facto non fecerit ea, quæ senatusconsulto præcipiuntur, ut liceat patri non agnoscere: non eò pertinere, ut filius natus suum se dicere non possit: sed ad id tantum, ut ita pater alere eum cogatur, si constiterit eum filium esse. Idem Iulianus scribit. si uxore denunciante se prægnantem, maritus nō negauerit: non utique suū illico partum effici, cogendum tamē alere. cæterum si esset: satis iniuriosum ait. Si quis longo tempore abfuerit, & reuersus uxorem prægnantem inuenerit, & idcirco reiecerit: si quid ex his, quæ senatusconsulto continentur, omiserit: suum hæredem ei nasci. Ex his apparet: siue uxor omiserit, quæ eam ex senatusconsulto obseruare oportuit: nihil præiudicabit filio (si filius est) nō tantum

B in iure sui, uerum ne in alimentis quidē, secundum diui Pij rescriptum siue maritus neglexerit facere, quæ ex senatusconsulto deberet: natum cogetur omnimodo alere. cæterum recusare poterit filium. Planè si denunciante muliere, negauerit ex se esse prægnantē: tametsi custodes non miserit, non euitabit, quò minus quæratur, an ex eo mulier prægnans sit, nec ne? quæ caussa si fuerit acta apud iudicem, & pronunciauerit (cum de hoc agetur) quod ex eo prægnans fuerit: in ea caussa est, ut agnosci debeat (siue filius non fuerit, siue fuerit) quasi suus. II. IVLIANVS *lib.* XIX. *Digestorum.*

IN OMNIBUS caussis. quare & fratribus suis consanguineus erit.

III. VLPIANVS *lib.* XXXIIII. *ad edictum.*

SI VERO contrà pronunciauerit, nō fore suum, quamuis suus fuerit. placet enim eius rei

C iudicem ius facere. & ita Marcellus libro septimo Digestorum probat, eoque iure utimur. Quia Plautianum senatusconsultū ad eos partus pertinet, qui post diuortium eduntur: aliud senatusconsultum temporibus diui Hadriani factum est, ut etiam si constante matrimonio partus sit editus, de agnoscendo eo agatur. quid ergo, si quis post mortem patris nascatur, auo superstite, in cuius potestate recasurus est? & si ex filio eius susceptus probetur: uidendum, quid dici debeat. & certè probandum est, cum auo præiudicio de partu agnoscendo similiter agendum. quid si hoc ipsum in quæstionem ueniat, utrum in matrimonio, an postea editus sit? dicendum est, & super hoc ex senatusconsulto agendum. & quid si, an uxor fuerit, disceptetur? & Iulianus Sexto Cæcilio Africano respondit, locum esse præiudicio. Illud tenendum, hæc senatusconsulta post mortem parentis cessare: si is

D superest, in cuius potestate recasuri non sunt. quid ergo est in petitione hæreditatis, quam filius intendit? quæritur, utrum ex eo natus sit, cuius hæreditatem petit, an non. & adeò hoc uerum est, ut Iulianus libro decimo nono Digestorum scribat: si uiuo patre redditū sit præiudicium, & antè quàm sententia feratur, pater decesserit: transeundum esse ad Carbonianum edictum. Item hæc senatusconsulta pertinent & ad eos, qui sui hæredes adnascuntur. Cæterum si fortè non sint in potestate recasuri: uerius est, senatusconsulta cessare.

IIII. PAVLVS.

NECARE uidetur non tantum is, qui partum præfocat: sed & is, qui abijcit, & alimoniam denegat, & qui publicis locis misericordiæ caussa exponit, quam ipse non habet.

V. VLPIANVS.

E SI quis à liberis ali desideret, uel liberi, ut à parente exhibeantur: iudex de ea re cognoscet. sed utrum eos tantū liberos, qui sunt in potestate, cogatur quis exhibere: an uero etiam emancipatos, uel ex alia caussa sui iuris constitutos, uidendum est. & magis puto, etiam si non sunt liberi in potestate, alendos à parentibus: & uice mutua alere parentes debere. Vtrum autem tantum patrem, auúmue paternum, proauúmue paterni aui patrem, cæterosque uirilis sexus parentes: an uero etiam matrem, cæterosque parentes, per illum sexum contingētes cogamur alere, uidendum. & magis est, ut utrobique se iudex interponat: quorundam necessitatibus facilius succursurus, quorundam ægritudini. & cum ex æquitate hęc res descendat, charitateque sanguinis: singulorū desideria perpēdere iudicem oportet. Idem in liberis quoque exhibendis à parentibus dicendum est. ergo & matrem cogemus, præsertim uulgo quæsitos liberos alere, nec nō ipsos eam. Item diuus Pius significat, quasi auus

quoque maternus alere compellatur. Idem rescripsit,ut filiam suam pater exhibeat,si cõsti F
terit apud iudicem iustè eam procreatã. Sed & si filius possit se exhibere: æstimare iudices debent, ne non debeant ei alimenta decernere. Deinde idem ita rescripsit ad Titianum. competentes iudices ali te à patre tuo iubebunt pro modo facultatum eius,si modo(cum opificem te esse dicas) in ea ualetudine es,ut operis sufficere non possis. Si uel parens neget filium,idcircoque alere se non debere contendat: uel filius neget parentem:summatim iudices oportet super ea re cognoscere. & si constiterit filium uel parentem esse: tunc ali iubebunt.cæterum si non constiterit: nec decernent alimenta. Meminisse autem oportet,& si pronunciauerint ali oportere: attamen eam rem præiudicium nõ facere ueritati. nec enim hoc pronunciatur,filiũ esse, sed ali debere. & ita diuus Marcus rescripsit. Si quis ex his alere detrectet: pro modo facultatũ alimenta constituentur. quod si non præstentur: pi G
gnoribus captis & distractis, cogetur sententiæ satisfacere. Idem iudex æstimare debet, num habeat aliquid parens: uel an pater meritò filios suos nolit alere. Trebatio denique Marino rescriptũ est: meritò patrem eum nolle alere, qui eum detulerat. Non tantũ alimenta,uerum etiam cętera quoque onera liberorum patrem à iudice cogi prębere, rescriptis continetur. Et si impubes filius emancipatus sit: patrem inopem alere cogetur.iniquissimum enim quis merito dixerit, patrem egere,cum filius sit in facultatibus. Si mater alimenta,quæ fecit in filiũ, à patre repetat: cum modo eam audiendam,diuus Marcus rescripsit Antoniæ Montanæ in hæc uerba.Sed & quantum tibi alimentorum nomine, quibus necessario filiam tuam exhibuisti, à patre eius præstari oporteat: iudices æstimabunt, nec impetrare debes ea, quæ exigente materno affectu, in filiam tuam erogatura esses,etiam si H
à patre suo educeretur. A milite quoque filio, qui in facultatibus est, exhibendos parentes esse pietatis ratio exigit. Parens,quamuis ali à filio ratione naturali debeat: tamẽ æs alienum eius nõ esse eogendum filium exoluere rescriptũ est. Item rescriptũ est,hæredes filij ad ea præstanda, quæ uiuus filius ex officio suæ pietatis dabat, inuitos cogi non oportere: nisi in summã egestatem pater deductus sit. Solent iudices cognoscere & inter patronos & libertos,si de alendis his agatur.itaque si negẽt se esse libertos: cognoscere eos oportebit. quod si libertos esse constiterit: tunc demũ decernere,ut alant. nec tamen alimentorũ decretum tollet liberto facultatem,quò minus pręiudicio certare possit,si libertũ se neget. Alimenta autẽ pro modo facultatum erunt præbenda, egentibus scilicet patronis. Cæterum si sit,unde se exhibeant, cessabunt partes iudicis. Vtrum autem tantũ patroni alendi sint, I
an etiam patronorum liberi, tractari potest.& puto,caussa cognita iudices & liberos quoque patronorum alendos decernere: nõ quidem tam facilè, ut patronos: sed nonnunquam & ipsos. nam & obsequiũ non solum patronis uerumetiam liberis eorum debet præstari. sed & libertus maternus alere cogitur. Si quis à liberti liberto ali se desideret, uel ab eo, quẽ ex caussa fideicõmissi manumisit, quenque suis numis redemit: non debet audiri,ut & Marcellus scribit: qui exæquat eum ei, qui mercedes exigendo, ius libertorum amisit. sed & patroni filium,qui capitis accusauit libertum paternum,negat exhibendum.Sed & liberta cogitur patronum alere. De alimentis patroni arbiter solet dari: arbitraturus,quantum sit in facultatibus, ut proinde possit alimenta moderari: quæ tandiu præstabuntur, quandiu liberto supersit,patrono desit. Patrem quoque & matrem patroni, cum patronus & filij eius K
minimè supersint, alere liberti ipsi (si idonei facultatibus sint) coguntur.

VI. MODESTINVS.

ALIMENTA liberto petente, nõ præstando patronus amissione libertatis caussa impositorũ, & hæreditatis liberti punietur: non autem necesse habebit præstare, etiã si potest. Imperatoris Commodi constitutio talis profertur.cum probatum sit,contumelijs patronos à libertis esse uiolatos, uel illata manu atrocius esse pulsatos, aut etiam paupertate, uel corporis ualetudine laborantes relictos: primum eos in potestate patronorum redigi, & ministerium pręberere dominis iubemus cogi. sin autẽ nec hoc modo admoneantur: uel à præside emptori addicentur, & precium patronis tribuetur.

VII. IDEM.

Si neget,

A SI NEGET, qui maritus fuisse dicitur, matrimonium esse contractum, eo quod eam, quę se uxorem fuisse dicit, ancillam esse probare paratus sit: alimenta quidem liberis præstare interim compellendum. sin autem constiterit, eam seruam fuisse: nihil ei, qui pascendos curauit, ex hoc præiudicij generari respondi.

VIII. MARCELLVS.

NON quemadmodum masculorum liberorum nostrorum liberi ad onus nostrum pertinent, ita & in fœminis est. nam manifestum est, id quod filia patit, non auo, sed patri suo esse oneri: nisi pater aui non sit superstes, aut egens sit.

IX. PAVLVS.

B IN BONIS superstitum libertorū, nullū omnino ius patroni liberiue patronorū habent: nisi si tā infirmos se esse, tâq; pauperes prçsidibus probauerint, ut meritò mēstruis alimētis à libertis suis adiuuari debeāt: idq; ius ita plurimis principū cōstitutionibus manifestatur.

DE INSPICIENDO VENTRE CVSTODIENdoq; partu. TIT. IIII.

VLPIANVS *lib. XXXIIII. ad edictum.*

TEMPORIBVS diuorū frātrum cum hoc incidisset, ut maritus quidam prægnantem mulierem diceret, uxor negaret: consulti, Valerio Prisciano prætori urbano rescripserunt in hæc uerba. Nouam rem desiderare Rutilius Seuerus uidetur: ut C uxori, quæ ab eo diuertit, & se non esse prægnantem profitetur, custodes adponat. & ideo nemo mirabitur, si nos quoq; nouum consilium & remedium suggeramus. Igitur si perstat in eadem postulatione: commodissimum est, eligi honestissimæ fœminæ domum, in quam Domicia ueniat: & ibi tres obstetrices probatæ & artis & fidei, quæ à te adsumptæ fuerint, eam inspiciant. & siquidem uel omnes, uel duæ renunciauerint prægnantem uideri: tunc persuadendum mulieri erit, ut perinde custodem admittat, atq; si ipsa hoc desiderasset. quod si enixa non fuerit: sciat maritus ad inuidiā existimationemq; suam pertinere: ut non immeritò possit uideri, captasse hoc ad mulieris iniuriam. si autem uel omnes uel plures non esse grauidam renunciauerint: nulla caussa custodiendi erit. Ex hoc rescripto euidentissimè apparet. senatusconsulta de liberis agnoscendis locū non habuisse, si mulier D dissimularet se prægnantem, uel etiam negaret. nec immeritò. partus enim, antè quàm edatur, mulieris portio est, uel uiscerum. post editum planè partum à muliere, iam potest maritus iure suo filium per interdictum desiderare, aut exhiberi sibi, aut ducere permitti extra ordinem. Igitur princeps in caussa necessaria subuenit. secundum. quod rescriptum euocari mulier ad prætorem poterit, & apud eum interrogari, an se putet prægnantem, cogendaq; erit respondere. quid ergo, si non responderit, aut non ueniat ad prætorem? numquid senatusconsulti pœnam adhibemus, scilicet ut liceat marito non agnoscere? sed finge non esse eo contentum maritum, qui se patrem potius optet, quàm carere filio uelit. cogenda igitur erit remedijs prætoris, & in ius uenire (& si uenit) respondere: pignoraq; eius capienda & distrahenda, si contemnet, uel multis coërcenda. quid ergo, si interrogata dixerit E se prægnantem? ordo senatusconsulti expositus sequetur. quod si negauerit: tunc secūdum hoc rescriptum prætor debebit obstetrices adhibere. Et notandum, quod non permittitur marito, uel mulieri obstetricem adhibere: sed omnes à prætore adhibendæ sunt. item prætor domū honestę matronę eligere debet, in quam mulier ueniat, ut possit inspici. quid ergo, si inspici se non patiatur, uel ad domum non ueniat? æquè prætoris authoritas interueniet. Si omnes, uel plures renunciauerint, pręgnantem non esse: an mulier possit iniuriarum experiri ex hac caussa? & magis puto, agere eam iniuriarum posse. sic tamen, si iniuriæ faciendæ caussa id maritus desiderauit. cæterum si non iniuriæ faciendæ animo, sed quia iustè credidit, uel nimio uoto liberorum suscipiendorum ductus est, uel ipsa eum illexerat, ut crederet. quod constante matrimonio hoc omnino fingebat: æquissimum erit, ignosci marito. Meminisse autē oportet, tempus non esse præstitutū rescripto: quāuis in senatuscon-

ſultis de liberis agnoſcendis triginta dies præſtituantur mulieri. quid igitur eſt? ſempérne
diecmus marito licere uxorem ad prætorem euocare: an uero & ipſi triginta dies præſtitui- F
mus? & putem, prætorẽ cauſſa cognita debere maritum etiam poſt triginta dies audire.

De inſpiciendo uentre, cuſtodiendoq́ partu ſic prætor ait. SI MVLIER MORTVO MA-
RITO PRAEGNANTEM SE ESSE DICET: HIS, AD QVOS EA RES PERTINEBIT, PRO
CVRATORIBV'SVE EORVM, BIS IN MENSE DENVNCIANDVM CVRET, VT MIT-
TANT (SI VELINT) QVAE VENTREM INSPICIANT. MITTANTVR MVLIERES LI-
BERAE DVNTAXAT QVINQVE, HAE'QVE SIMVL OMNES INSPICIANT: ET NE
QVA EARVM, DVM INSPICIT, INVITA MVLIERE VENTREM TANGAT. MV-
LIER IN DOMO HONESTISSIMAE FOEMINAE PARIAT, QVAM EGO CONSTITV-
AM. MVLIER ANTE DIES TRIGINTA, QVA'M PARITVRAM SE PVTAT, DENVN- G
CIET HIS, AD QVOS EA RES PERTINET, PROCVRATORIBV'SVE EORVM, VT
MITTANT (SI VELINT) QVI VENTREM CVSTODIANT. IN QVO CONCLAVI MV-
LIER PARITVRA ERIT, IBI NE PLVRES ADITVS SINT, QVA'M VNVS, SI ERVNT:
EX VTRA'QVE PARTE TABVLIS PRAEFIGANTVR. ANTE HOSTIVM EIVS CON-
CLAVIS LIBERI TRES, ET TRES LIBERAE CVM BINIS COMITIBVS CVSTODIANT.
QVOTIESCVNQVE EA MVLIER IN ID CONCLAVE, ALIV'DVE QVOD, SIVE IN
BALINEVM IBIT: CVSTODES (SI VOLENT) ID ANTE PROSPICIANT, ET EOS, QVI
INTROIERINT, EXCVTIANT. CVSTODES, QVI ANTE CONCLAVE POSITI ERVNT
(SI VOLVERINT) OMNES, QVI CONCLAVE, AVT IN DOMVM INTROIERINT, EX-
CVTIANT. MVLIER CVM PARTVRIRE INCIPIET, HIS, AD QVOS EA RES PERTI- H
NET, PROCVRATORIBVS'VE EORVM DENVNCIET, VT MITTANT, QVIBVS PRAE-
SENTIBVS PARIAT. MITTANTVR MVLIERES LIBERAE DVNTAXAT QVINQVE:
ITA VT PRAETER OBSTETRICES DVAS, IN EO CONCLAVI NE PLVRES MVLIE-
RES LIBERAE SINT, QVA'M DECEM: ANCILLAE, QVA'M SEX. SED HAE, QVAE IN-
TVS FVTVRAE ERVNT IN EO CONCLAVI, EXCVTIANTVR OMNES, NE QVA PRAE-
GNANS SIT. TRIA LVMINA, NEC MINVS, IBI SINT: SCILICET QVIA TENEBRAE
AD SVBIICIENDVM APTIORES SVNT. QVOD NATVM ERIT, HIS, AD QVOS EA
RES PERTINET, PROCVRATORIBV'SVE EORVM (SI INSPICERE VOLENT) OSTEN-
DATVR. APVD EVM EDVCATVR, APVD QVEM PARENS IVSSERIT, SI AVTEM NI-
HIL PARENS IVSSERIT, AVT IS, APVD QVEM VOLVERIT EDVCARI, CVRAM NON I
RECIPIET: APVD QVEM EDVCETVR. CAVSSA COGNITA CONSTITVAM. IS, APVD
QVEM EDVCABITVR, QVOD NATVM ERIT: QVO AD TRIVM MENSIVM SIT, BIS IN
MENSE, EX EO TEMPORE, QVO AD SEX MENSIVM SIT, SEMEL IN MENSE A MEN-
SIBVS, QVO AD ANNICVLVS FIAT, ALTERNIS MENSIBVS: AB ANNICVLO, QVO AD
FARI POSSIT, SEMEL IN SEX MENSIBVS (VBI VOLET) OSTENDAT. SI CVI VEN-
TREM INSPICI, CVSTODIRI, ADESSE'VE PARTVI LICITVM NON ERIT: FACTV'M-
VE QVID ERIT, QVO MINVS ITA EA FIANT, VTI SVPRA COMPRAEHENSVM EST:
EI, QVOD NATVM ERIT, POSSESSIONEM CAVSSA COGNITA NON DABO. SIVE
QVOD NATVM ERIT, VT SVPRA CAVTVM EST, INSPICI NON LICVERIT: QVAS
VTIQVE ACTIONES ME DATVRVM POLLICEOR HIS, QVIBVS EX EDICTO MEO, K
BONORVM POSSESSIO DATA SIT: EAS, SI MIHI IVSTA CAVSSA ESSE VIDEBITVR,
EI NON DABO. Quamuis ſit manifeſtiſſimum edictum prætoris: attamen non eſt negli-
genda eius interpretatio. denunciare igitur mulierẽ oportet his, ſcilicet quorũ intereſt, par-
tum non edi: uel totã habituris hæreditatẽ, uel partẽ eius, ſiue ab inteſtato, ſiue ex teſtamen
to. Sed & ſi ſeruus hæres inſtitutus fuerit, ſi nemo natus ſit: Ariſto ſcribit, huic quoq́ ſer-
uo (quãuis non omnia) quædam tamen circa partũ cuſtodiendũ arbitrio prætoris eſſe con-
cedenda. quam ſententiã puto ueram. publice enim intereſt, partus nõ ſubijci, ut ordinum
dignitas familiarũq́ ſalua ſit. ideoq́ etiam ſeruus iſte, cum ſit in ſpe cõſtitutus ſucceſſionis
(qualis qualis ſit) debet audiri, & rem publicam, & ſuam gerens. Denunciari aũt oportet

ijs, quos

A his, quos proxima spes successionis cõtingit: utputà primo gradu hæredi instituto, non etiã substituto. & si intestatus sit paterfamiliâs: his, qui primũ locum ab intestato tenent. si uero plures sint simul successuri, omnibus denunciandum est. Quod autẽ prętor ait, CAVSSA COGNITA SE POSSESSIONEM NON DATVRVM, VEL ACTIONES DENEGATVRVM, eò pertinet: ut si per rusticitatem aliquid fuerit omissum ex his, quæ prætor seruari uoluit, non obstet partui. quale est enim, si quid ex his, quæ leuiter obseruanda prætor edixit, non sit factum, partui denegari bonorum possessionem? sed mos regionis inspiciendus est, & secundum eum & obseruari uentrem, & partum, & infantem oportet.

II. IVLIANVS *lib. XIX. Digestorum.*

B EDICTVM de custodiendo partu, derogatorium est eius, quod ad Carboniani decreti exemplum comparatum est. sed hoc aliquando remittere prætor debet, si non malicia, sed imperitia mulieris factum fuit, ne uenter inspiceretur, aut partus custodiretur.

III. PAVLVS.

QVI uentri substitutus est, uel institutus: si uentrem seruare uelit, audiendus est.

IIII. SCAEVOLA.

IS, à quo, si sine liberis decessisset, quidquid ad eum ex bonis peruenisset, sorori fideicommisso relictum erat: decessit posthumo hærede instituto, & substitutis alijs. quæsitum est, cum uxor defuncti prægnantem se dicat: an sorori procuratoriue eius secundum formam edicti uentrem inspicere, & partum custodire permittendum sit? respondi in eiusmodi specie, de qua quæreretur, posse uideri ad eius, cui fideicommissum dătum esset, sollicitudinem

C prospiciendum, idq; caussa cognita statuendum.

SI VENTRIS NOMINE MVLIERE IN POSsessione missa, eadem possessio dolo malo ad alium translata esse dicatur. TIT. V.

VLPIANVS.

HOC EDICTO rectissimè prætor prospexit, ne dum in fauorem partus possessionem polliceatur, alijs prædæ occasionem præbeat. Idcirco constituit actionem in mulierem, quæ in alium hanc possessionem dolo malo transtulit. nec solum mulierem prætor coërcet, uerum eum quoque, in cuius potestate ea fuit: scilicet,

D si dolo ipsorum alius in possessionem fuerit admissus. actionemq; in tantum pollicetur in eos, quanti interfuerit eius, qui experitur. Necessario prætor adiecit, VT QVI PER DOLVM VENIT IN POSSESSIONEM, COGATVR DECEDERE. coget autẽ eum decedere nõ prætoria potestate, uel manu ministrorum: sed melius & ciuilius faciet, si eum per interdictum ad ius ordinarium remiserit. Interest autem eius, qui experitur, admissum alium in possessionem non fuisse: cum forte bona fide fructus perceptos consumpserit: aut si prædo uenerit in possessionem, à quo fructus consequi non possit, quia soluendo non est. Hæc actio etiam post annum dabitur: quia rei habet persecutionem. & si filia sit, quæ dolo fecit, in patrem dabitur actio, si quid ad eum peruenerit. II. PAVLVS.

DOLO facit mulier, non quæ in possessionem uenientem non prohibeat: sed quæ cir-

E cumscribendi alicuius caussa, clam & per quandam machinationem in possessionem intro ducat. Si & patris & filiæ factum arguetur: in alterum, quem actor uelit, reddenda est actio: quia in id, quod agentis interest, dătur, ideo si id, quod ei abest, ab eo, qui in possessione est, seruari possit (præter sumptus litis caussa factos) inutilis erit ei hæc actio.

SI MVLIER VENTRIS NOMINE IN POSsessionem calumniæ caussa esse dicetur. TIT. VI.

VLPIANVS.

SI DE possessione uentris nomine quæratur, & defuncti hæredi mulier iurauerit se prægnantem esse: seruandum est iusiurandum, nec tenebitur mulier, quasi calumniæ caussa fuerit in possessionem missa: nec uis ei facienda est post iusiu-

randum. si tamen pepererit: quæretur ueritas, an ex eo prægnans fuerit. alteri enim nec pro F
deest: nec nocet iusiurandum inter alios factum. nec partui igitur nocebit. Et hoc edictum ex eadem caussa proficiscitur, qua superius. debet enim prætor, quemadmodum facilis est circa bonorum possessionem mulieri dandam uentris nomine, ita calumniam eius impunitam non relinquere. Per calumniam autem in possessionem fuisse uidetur, quæ sciens prudensque se prægnantem non esse, uoluerit in possessionem uenire. Hanc autem actionem prætor intra annum utilem pollicetur, ultra non, uidelicet quasi pœnalem. Simili autem modo & hic, quanti agentis interfuit, prætor actionem hanc pollicetur. In parentem etiam prętor actionem pollicetur: si modo per eum factū sit, ut in possessionē per calumniā ueniret. Competit autem actio ei, cuius interfuit in possessionem missum non esse: ut putà G
tí uel cohæredi speranti partū, uel ei, qui substitutus fuit, uel qui ab intestato, si partus non fuisset, succedere potuit. Interesse autem uidetur primum de alimentis, quæ in uentrem sunt erogata. nec enim aliàs hæc repetuntur, nisi per calumniā in possessionem uenit. cæterum si res calumnia caret: nihil præstabit mulier, quasi sine caussa alta sit sub prætextu uentris. Nonnunquam augebitur, quod interest: si quis fortè dubitans, an prægnans sit, exclusus sit hæreditate. nam hæredi eius, qui exclusus est, dandā hanc actionem, Iulianus ait. Si quidem eius quoque interfuit, nō fuisse calumniæ caussa in possessionem mulierem: quia hoc si non fuisset, adeundo hæreditatem, institutus hæredi suo locupletiorem hæreditatem suam relinqueret. sed & hoc imputatur mulieri, quod deminuta sunt multa in hæreditate: dum hic contemplatione uentris non attingit hęreditatem. Idem Iulianus libro decimo- H
nono Digestorum sic ait. si substitutus, manente muliere in possessione, decesserit: hæres eius eadem actione precium hæreditatis à muliere exiget. sed an decedant legata, cæteraque onera hæreditatis, uidendum. & mihi uidetur potius dici posse, legatarios cum muliere usuros hac actione: quia & ipsorum interfuit adiri hæreditatem. Libertatibus planè subueniendum erit aduersus eum, qui propter hæreditatem hac actione aget: scilicet ut fideicommissarias cogatur is præstare, qui precium etiam eorum utique consequitur. Sed & directis credo prætorem succurrere oportere, ut interuentu suo tueatur eorum libertates. Si dolus filiæfamiliâs interuenerit, & particeps doli pater fuerit: suo nomine tenebitur.

DE CONCVBINIS TIT. VII. I

VLPIANVS.



QVAE IN concubinatu est, ab inuito patrono poterit discedere, & alteri se aut in matrimonium, aut in concubinatum dáre. Ego quidem puto in concubina, adimendum ei connubium, si patronum inuitum deserat: quippè cum honestius sit patrono, libertam concubinam, quàm matremfamiliâs habere. Cum Atilicino sentio, & puto, solas eas in concubinatu haberi posse sine metu criminis, in quas stuprum non committitur. Qui etiam adulterij damnatam in concubinatu habuit, non puto lege Iulia de adulterijs teneri: quamuis si uxorē eam duxisset, teneretur. Si quę in patroni fuit concubinatu, deinde in filij esse cœpit, uel nepotis, uel contrà: non puto eam rectè facere: quia pro nefaria est huiusmodi coniunctio. & ideo huiusmodi facinus prohibendū est. K
Cuiuscunque ætatis concubinam haberi posse, palam est: nisi minor annis duodecim sit.

II. PAVLVS.

SI PATRONVS libertam concubinam habens, furere cœperit: in concubinatu eam esse, humanius dicitur.

III. MARTIANVS.

IN cōcubinatu potest esse & aliena liberta, & ingenua, sed maximè ea, quæ obscuro loco nata est, uel quæ corpore quęstū fecit. alioquin si honestæ uitę, & ingenuā mulierē in cōcubinatu habere maluerit: sine contestatione hoc manifestū faciente, nō conceditur. sed necesse est ei, uel uxorē eam habere, uel hoc recusante eo, stuprū cum ea cōmittere. nec adulteriū per

concubinatum

A concubinatum ab ipso committitur. nam cum cõcubinatus per leges nomen assumpsit, extra legis pœnam est, ut Marcellus libro septimo Digestorum scribit.

IIII. PAVLVS.

CONCVBINAM ex sola animi destinatione æstimari oportet.

V. IDEM.

CONCVBINAM ex ea prouincia, in qua quis aliqnid administrat, habere potest.

DIGESTORVM SEV

B PANDECTARVM LIBER VICESIMVS SEXTVS.

DE TVTELIS TIT. I.

I. PAVLVS.



TVTELA EST (ut Seruius definit) uis ac potestas in capite libero constituta ad tuendum eum, qui per ætatẽ sua sponte se defendere nequit, iure ciuili data ac permissa. Tutores autem sunt, qui eam uim ac potestatem habent, exq; re ipsa nomen acceperunt. itaq; appellantur tutores, quasi tuitores, atq; defensores: sicut æditui dicuntur, qui ædes tuentur. Mutus tutor dari nõ potest: quoniam autoritatem præbere non potest. Surdũ non posse dari tutorem, plerīq; & Pomponius libro XVI. ad Sabinũ probant: quia non tantum loqui, sed & audire tutor debet.

II. POMPONIVS lib. XVI. ad Sabinum.

NON EST exigendũ à pupillo, ut sibi tutorẽ petat, aut ut ad tutorem suum proficiscatur.

III. VLPIANVS lib. XXXVIII. ad Sabinum.

QVI HABENT tutorem, si furere cœperint, in ea caussa sunt, ut in tutela nihilominus durent. quæ sentẽtia Quinti quoq; Mutij fuit, & à Iuliano probatur: eoq; iure utimur, ut esset cura, si tutela ætas indigeat. quarè si tutores habent, per furorẽ in curã non rediguntur: D si uero nõ habent, & furor eis accessit: nihilominus tutores accipere poterũt: quia lex duodecim tabularũ ita accepta est, ut ad pupillos uel pupillas nõ pertineat. Quia autẽ in pupillorum persona agnatos curatores non admittimus: idcirco putamus, & si minor XXV. annis furiosus sit, curatorem ei, non ut furioso, sed ut adolescenti dari, quasi ætatis sit impedimentum. & ita definiemus, ei, quem ætas curæ uel tutelæ subijcit, non esse necesse, quasi dementi, quæri curatorem: & ita Imperator Antoninus Augustus rescripsit: cum magis ætati, quàm dementiæ tantisper sit consulendum. Si pupillus pupillàue cum iusto tutore litem agere uult, & curator in eam rem petitur: utrum ipsis poscentibus datur, an uero & aduersario? & sciendum est (siue agant, siue conueniantur) dari his hunc curatorem posse: licet non aliàs, quàm si ipse petat, cui dari eum oportet. deniq; Cassius libro sexto scripsit, talem cu- E ratorem neminem dari posse, nisi præsentem: neq; cuiquam, nisi pręsenti, & postulanti. itaque infanti non potest dari. Idemq; Cassius ait, si pupillus curatorẽ poscere non uult, quò minus cum eo agatur: cogi eum à prætore debuisse. Quolibet loco & tempore hunc curatorem dari posse, Pomponius lib. XVI. ad Sabinũ scripsit. Si pupillus petat talem curatorem, nec addat in quam rem, an in omnes controuersias datus sit? Et ait Celsus Seruiũ constituisse, in omnes res datum uideri.

IIII. PAVLVS. lib. IX. ad Sabinum.

QVOD dicitur, si indistinctè datus sit curator, in totam litem datum uideri: fortasse eò spectat, si familiæ erciscundæ, aut cõmuni diuidundo, aut finiũ regundorũ actio esset cum tutore. Et si indistinctè datus esset: non solum eo nomine curator esset: quo ageret pupillus pupillàue

pupillue: sed inuicem quoque, quo cum his ageretur. Possunt autem uel plures in pluriũ locum, uel unus in pluriũ, uel unus unius loco, uel in unam litem, uel in plures curator peti. F

V. POMPONIVS lib. XVI. ad Sabinum.

CVM semel petitus est talis curator: quàm diu is curator manet, alius in eandem litem curator peti non potest. Etsi Titius (uerbi gratia) aduersus Seium curator petitus sit: idem Titius & aduersus alium curator esse poterit: ut ex diuersis caussis unus duorum curatorum locum obtineat. Quod quidem & aduersus eundẽ accidet, si in diuersas lites, & diuersis tempotibus idem petatur.

VI. VLPIANVS.

MVTO, itemque mutæ impuberibus tutorem dari posse, uerum est. Sed an autoritas eis accõmodari possit, dubitatur. & si potest tacenti, & muto pot est. Est autẽ uerius (ut & Iulianus libro XXI. Digestorum scripsit) etiam tacentibus autoritatem posse accommodari. G

Sub conditione à præsidibus prouinciarum non posse dari tutorem placet: & si datus sit, nullius esse momenti dationem. & ita Pomponius ait. hanc autem adiectionẽ, quã præsides prouinciarum faciunt, TVTOREM DO, SI SATISDEDERIT: nón conditionẽ in se habere, sed admonitionem: non scilicet aliter ei tutelam committi, quàm si rem pupillo saluã fore cauerit. Tutoris datio neque imperij est, neque iurisdictionis: sed ei soli cõpetit, cui nominatim hoc dedit uel lex, uel senatusconsultum, uel princeps. Surdo impuberi poterit tutor dari. Ei, cuius pater in hostium potestate est, tutorẽ dari nõ posse, palàm est. Sed si datus sit, an in pendenti sit datio, quæri potest? & non puto dationem ualere. Sic enim post patris regressum recidit in potestatẽ, atque si nunquam pater ab hostibus captus fuisset. Imò curator substantiæ dari debet, ne medio tempore pereat. H

VII. VLPIANVS.

SI FILIUSfamiliàs tutor à prætore datus sit, si quidẽ pater tutelam agnouit: in solidum debet teneri. si non agnouit: duntaxat de peculio. Agnouisse autem uidetur, siue gessit, siue gerenti filio consensit, siue omnino tutelam attigit. unde cum quidam filio scripsisset, ut diligẽter tutelam gereret, CVM SCIAS (inquiens) PERICVLVM AD NOS PERTINERE: dixi, hunc quoque uideri agnouisse. planè si solum monuit filium, non uidebitur agnita.

VIII. IDEM.

PATRONUS quoque tutor liberti sui fidem exhibere debet: & si qua in fraudem debitorũ (quamuis pupilli liberti) gesta sunt, reuocari ius publicum permittit. I

IX. MARTIANVS lib. XI. Institutionum.

IN EOS extra ordinẽ animaduertitur, qui probantur numis datis tutelam occupasse, uel precio accepto operam dedisse, ut non idoneus tutor daretur, uel consulto in edendo patrimonio quantitatem minuisse, uel euidenti fraude pupillorum bona alienasse.

X. VLPIANVS.

ETIAM non municeps tutor dari potest, dummodo municipi detur.

XI. PAVLVS.

FVRIOSUS si tutor datus fuerit, potest intelligi ita dari, cum suæ mentis esse cœperit.

XII. IDEM.

QVAESITUM est, an hi, qui in locum absentis reipublicæ caussa tutores dati sunt, mortuo illo, tutores perseuerent: an alij petendi sint? Paulus respondit. eos, qui in locum absentis dati sunt, non reuerso eo, in eadem caussa perseuerare usque ad tempus pubertatis. K

XIII. POMPONIVS.

SOLET etiam curator dari aliquando tutorem habenti, propter aduersam tutoris ualetudinem, uel seniũ ætatis: qui magis administrator rerum, quàm curator esse intelligitur. sed etiam actor tutelæ, quem solet prætor permittere tutoribus constituere, qui non possunt sufficere administrationi tutelæ: ita tamen, ut suo periculo eum constituant.

XIIII. VLPIANVS.

SI ADROGATI sint adhuc impuberes, uel pupilli deportati sint: tutores habere desinũt. Item si in

A si in seruitutem pupillus redigatur, utique finitur tutela. alijs quoque modis desinunt esse tutores: si fortè quis ab hostibus fuerit captus, uel pupillus, uel tutor. sed & si ad tempus fuerit quis dătus, tempore finito desinit esse tutor. præterea si tanquam suspectus quis fuerit remotus, desinit esse tutor. sed & si ad certam conditionem dătus sit: æquè eueniet, ut desinat esse tutor, existente conditione.

XV. IDEM.

SI quis tutor nō sit captus ab hostibus, sed ad eos quasi legatus missus, aut etiā receptus ab eis, aut transfugerit: quia seruus non efficitur, tutor manet: sed interim à præsidibus alius tutor dabitur. XVI. CAIVS.

B TVTELA plerunque uirile officium est. & sciendum est, nullam tutelam hæreditario iure ad alium transire. & licet ad liberos uirilis sexus perfectæ ætatis descendunt legitimæ: cæteræ tamen non descendunt.

XVII. PAVLVS.

COMPluria senatusconsulta facta sunt, ut in locū furiosi, & muti, & surdi tutoris alij tutores dentur. XVIII. NERATIVS.

FOEMINAE tutores dări non possunt: quia id munus est masculorum: nisi à principe filiorum tutelam specialiter postulent.

DE TESTAMENTARIA TVTELA. TIT. II.

C CAIVS lib. IIII. ad L. XII. tabularum.

LEGE duodecim tabularum permissum est parentibus, liberis suis, siue masculini, siue fœminini sexus (si modo in potestate sunt) tutores testamento dăre. itē scire debemus, etiā posthumis filijs, uel nepotibus, uel cęteris liberis licere parētibus testamento tutores dăre: qui modo in ea caussa sint, ut si eo uiuo nati fuerint, in potestate eius futuri, neque testamentū rupturi sint. Item ignorandum non est: cum, qui filium in potestate, & nepotem ex eo æquè in potestate habebit: si nepoti tutorem dĕderit: ita rectè dĕdisse uideri, si nepos post mortem eius in pătris sui potestate recasurus nō sit. quod euenit, si uiuo testatore filius in potestate eius esse desierit.

II. VLPIANVS.

D NEC militem liberis recasuris in potestatē, tutorem dăre posse, à diuis frătribus rescriptum est. III. IDEM.

TESTAMENTO datos tutores accipere debemus etiā eos, qui codicillis testamento confirmatis scripti sunt. sed eos demū testamento dătos accipere nos oportet, qui iure dăti sunt.

IIII. MODESTINVS.

PATER hæredi instituto filio, uel exhæredato, tutorem dăre potest: mater autem, non nisi instituto: quasi in rem potius, quàm in personā tutorem dăre uideatur. Sed & inquiri in eum, qui in mătris testamento datus est tutor, oportebit: cum à patre dătus, quamuis minus iure datus sit, tamen sine inquisitione confirmetur: nisi caussa, propter quam dătus uidebatur, in eo mutata sit: ueluti si ex amico inimicus, uel ex diuite pauperior effectus sit.

E V. VLPIANVS.

SI QVIS filiabus suis tutores dĕderit, etiam posthumæ uidetur dĕdisse: quia filiæ appellatione etiam posthuma continetur.

VI. IDEM.

QVID si nepotes sint: an appellatione filiorum & ipsis tutores dăti sint, uidendum est. & magis est, ut ipsis quoque dăti uideantur: si modo liberos dixit. cæterum si filios: non continebūtur. aliter enim filij, aliter nepotes appellantur. Planè si posteris dixerit: tam filij posthumi, quàm cæteri liberi continebuntur.

VII. PAVLVS.

TVTORES nō ab hærede, sed à testatore protinus proficiscuntur, & simul atque aliquis hæres exstitisset. nam & ipse hæres tutor dari potest. sed & post mortē hæredis tutor rectè dari potest.

Tutor

VIII. VLPIANVS.

Tutor dătus, uetati tutor esse potest, uel testamento, uel codicillis. Sed & si sub conditione fuerit tutor dătus: deficiente conditione, tutor non erit. Tutorem autem & à certo tempore dăre, & usq; ad certum tempus licet, & sub conditione, & usq; ad conditionem. F

In tutoris dătione, utrum leuissima conditio, an nouissima spectanda est? utpută ita TITIVS, CVM POTERIT, TVTOR ESTO. TITIVS, SI NAVIS EX ASIA VENERIT, TVTOR ESTO. & Iulianus lib. uicesimo Digestorum rectè scripsit, nouissimă scripturam esse spectandam

IX. POMPONIVS lib. XVI. ad Sabinum.

Si nemo hæreditatem adierit: nihil ualet ex his, quæ testamento scripta sunt. si uero unus ex pluribus adierit: tutelæ statim ualet, nec exspectandū erit, ut omnes hæreditatem adeant. G

X. VLPIANVS.

Si haereditas nondum adita sit, ex qua tutor speratur: uetius est, alium tutorem dări posse, quasi nondum sit, nec speretur. In tutelis testamentarijs id sequimur, quod nouissimum est: & si sæpius tutor dătus sit, nouissimam scripturam intuemur. Qui filium, & ex eo nepotem habebat, si nepoti tutorem dĕderit: habet disceptationem, an aliquo casu non sit utilis datio: utpută si proponas, filium uiuo pătre decessisse, & nepotem ex eo successisse uiuo auo. & fortius dicendum est tutelam quoq; ex lege Iunia Vellea confirmatam. nam & Pomponius libro decimosexto ex Sabino scripsit ualere tutoris dationem. cum enim confirmatum sit testamentum, consequenter tutoris quoq; datio ualebit in eo testamento scripta, quod ualet (idem ubi nepos uel hæres institutus sit, uel nominatim exhæredatus.) Si furiosus testamento tutor dĕtur, siquidem cum furere desierit: rectè tutorem esse dătum, Proculus existimat. quod si dătus sit purè: negat Proculus ualere dationem. sed est uerius, quod & Pomponius ait: rectè uideri datum, & tunc fore tutorem, cum sapere cœperit. H

Seruus alienus ita dari tutor potest, SI LIBER ERIT, TVTOR ESTO. quinimo & si purè datus sit, uidetur inesse hæc conditio, CVM LIBER ERIT. potest autem quis & extraneo seruo defendere ex hac caussa fideicommissariam libertatem. quid enim interest, suum seruum, an alienū tutorem scripserit: cum pupilli fauore, & publicæ utilitatis gratia assumpta libertas sit in persona eius, qui tutor scriptus est? potest igitur & huic fideicommissaria libertas defendi, si uoluntas apertissimè non refragetur.

XI. IDEM.

Si quis sub conditione, uel ex die tutorem dĕderit: medio tempore alius tutor dandus est, quamuis legitimum tutorem pupillus habeat. sciendum est enim, quàmdiu testamentaria tutela speratur, legitimam cessare. & si semel ad testamentarium deuoluta sit tutela, deinde excusatus sit tutor testamentarius: adhuc dicimus in locū excusati alium dandum, non ad legitimum tutorem redire tutelam. Idem dicimus, & si fuerit remotus. nam idcirco abijcitur, ut alius dĕtur. quod si tutor testamento dătus decesserit, ad legitimum tutela redijt: quia hic senatusconsultum cessat. Planè si duo pluresúe fuerint tutores testamentarij: in locum eius, qui cessit, uel in ciuitate esse desijt, poterit dari alius. cæterum si nullus superfit, uel in ciuitate sit: legitima tutela succedit. I

XII. IDEM.

Certarum rerum uel caussarū testamento tutor dari non potest, nec deductis rebus. K

XIII. POMPONIVS.

Et si datus fuerit: tota datio nihil ualebit.

XIIII. MARTIANVS.

Quia personæ, non rei, uel caussæ datur.

XV. VLPIANVS.

Si tamen tutor dĕtur rei Africanæ, uel rei Syriacæ, utilis datio est. hoc enim iure utimur.

XVI. IDEM.

Si quis ita dixerit, FILIIS MEIS TVTOREM DO: in ea conditione est, ut tam filijs, quam filiabus dĕdisse uideatur. filiorum enim appellatione & filiæ continentur. Si quis filio tutorem

A torem dederit,& plures filios habeat:an omnibus filijs dedisse uideatur? & de hoc etiam Pomponius dubitat.magis est autem,ut omnibus dedisse uideatur. Si quis liberis tutores dederit,uel filijs,& habeat quosdam apud hostes:etiam ipsis dedisse uidebitur,si non aliud apertè probetur testatorem sensisse. Si quis cum ignoraret se Titium filium habere,filijs tutores dederit:utrū his solis dedisse uidebitur,quos in potestate scit:an ei quoque, quem ignorauit se habere? & magis est,ut huic dedisse non uideatur:licet nomen filiorum admittat & ipsum.sed quia de ipso non sensit:dicendum est,cessare in personam eius datio nem.proinde & si certior sit factus filium decessisse,qui supererat:idem erit dicendum .nec enim uidetur ei dedisse,quē obisse credebat. Si posthumis dederit tutores,hicq; uiuo eo

B nascantur:an datio ualeat? & magis est,ut utilis datio fiat,etiam si uiuo eo nascantur.

XVII. IDEM.

TESTAmento datos tutores non esse cogendos satis dare rem saluā fore,certo certius est. Sed nihilominus cum quis offert satisd[a]tionem,ut solus administret,audiendus est, ut edicto cauetur.sed rectè prætor etiam cæteris detulit hanc conditionem, si & ipsi uelint satisdare.nam & si ipsi parati sint satisdare,non debent excludi alterius oblatione:sed impleta uidelicet ab omnibus satisdatione,omnes gerent:& qui contentus est magis satis accipere,quàm gerere,securus erit. Non omnimodo tamen is,qui satisdat, præferendus est. quid enim,si suspecta persona sit,uel turpis,cui tutela committi nec cum satisdatione debeat? uel quid,si iā multa flagitia in tutela admisit? nōne magis repelli & reijci à tutela, quàm

C solus administrare debeat? Nec satis non dantes temere repelluntur:quia plerunque benè probati & idonei atq; honesti tutores,etiam si satis non dent,non debent reijci. quinimò nec iubendi sunt satisdare. Duplex igitur caussæ cognitio est.una ex persona eius,qui obtulit satisdationē,quis & qualis sit.alia uero contutorum,quales sint:num fortè eius existimationis uel eius honestatis sint,ut non debeant hanc contumeliam satisdationis subire.

XVIII. CALLISTRATVS.

QVOD si plures satisdare parati sint,tunc idonior præferendus erit:ut & tutorum personæ inter se & fideiussorum comparentur.

XIX. VLPIANVS.

SI nemo tutorū prouocet ad satisdationem:sed existat quidam,qui tutor non est, desiderD retq;,ut aut satisdent tutores,aut si non dent,parato sibi satisdare committant tutelam: nō est audiendus.neq; enim aut extero tutela committenda est,aut testamento dati tutores cō contra ius satisdationi subijciendi sunt. Hoc edictum de satisdatione ad tutores testamētarios pertinet.sed & si ex inquisitione dati sint tutores: Marcellus ait,ad eos pertinere hoc edictum,& id etiam oratione diuorum fratrum significari.ideoq; & illi clausulæ sunt subiecti:& si cui maior pars tutorum decernat.is enim geret,quem maior pars elegerit:quamuis uerba edicti ad testamentarios pertineant. Licet testamento datus posthumo tutor, nōdum est tutor,nisi posthumus ēdatur:datur tamē aduersus eum substituto pupilli negociorum gestorum actio.sed & si partus editus fuerit,deinde hic tutor prius, quàm quicquam gereret,remotus à tutela fuerit:& hic eadem actione tenebitur.si quid planè gessit post ē-

E ditum partum:de eo quoq;,quod antè gessit,tutelæ iudicio tenebitur,& omnis administratio in hanc actionem ueniet.

XX. PAVLVS.

TVTOR incertus dari testamēto non potest. Quemlibet possumus tutorē dare, siue is prætor,siue consul sit:quia lex duodecim tabularum id confirmat.

XXI. IDEM.

TESTAmento tutores hi dari possunt,cum quibus testamenti factio est.

XXII. IDEM.

SI quis tutorem dederit filio suo seruum,quē putabat liberum esse:is neque tutor, neq; liber erit.

XXIII. AFRICANVS.

mm Tutor

Tutor ita rectè non datur, ILLI AVT ILLI FILIIS MEIS, VTRI EORVM VOLET, TITIVS TVTOR ESTO. quid enim dicemus, si Titius constituere nolit, utri ex filijs tutor esse uelit? ita autem rectè tutor dabitur, TITIVS (SI VOLET) ILLI FILIO MEO TVTOR ESTO. F

XXIIII. IABOLENVS.

Si plures tutores dàti sint à prætore, curatorem posci litis caussa superuacuum est: quia altero tutore authore cum altero agi potest.

XXV. MODESTINVS.

Duobus pupillis tutor dàtus, & si alterius tutela se excusare potest, cũ res separatæ sint: attamen alterius tutor manet.

XXVI. PAPINIANVS.

Iure nostro tutela communium liberorum matri testamẽto patris frustra mandatur. G nec si prouinciæ præses imperitia lapsus patris uoluntatem sequendam decreuerit: successor eius sententiam, quam leges nostræ non admittunt, rectè sequetur. Honoris caussa tutor dàtus non uidebitur, quem pater à cæteris tutoribus, quibus negotia gerenda mandauit, rationes accipere uoluit. Propter litem inofficiosi testamenti ordinandam, exhæredato filio, quẽ ei tutorẽ pater dèdit, eundem à prætore cõfirmari oportet. euentus etenim iudicatæ rei declarabit, utrũ ex testamẽto patris, an ex decreto prætoris authoritatẽ acceperit.

XXVII. TRIPHONINVS.

Idem fiet, si intestatum decessisse pàtrem pupilli nomine defendatur, falsumúe testamẽtum nomine pupilli dicatur: & si patruus exstet, legitimus tutor futurus ab intestato: quia tutorem habenti tutor dàri nõ potest. nam commodius ipse, qui scriptura cõtinetur, à prætore dabitur: ut sine ullo litis præiudicio, iustus tutor author pupillo ad eam litem fiat. H

Cum autem ipse patruus, quem tutorem legitimum sibi dicebat pupillus esse, subiectũ filium criminaretur, & ad se legitimam hæreditatem pertinere contenderet: alium tutorem petendum, Iulianus respondit.

XXVIII. PAPINIANVS.

Qui tutelam testamento mandatam excusationis iure suscipere noluit: ab his quoq; legatis submouendus erit, quæ filijs eius relicta sunt: modo si legata filij non affectione propria, sed in honorem patris meruerunt. Verbis fideicommissi manumissus, non iure tutor testamento datur. post libertatem itaq; redditam ex uoluntate testatoris ad tutelam uocatur. Impuberi liberto patronus frustra tutorem dabit: sed uoluntatem eius, si fides inquisitionis congruet, prætor sequetur. I

XXIX. IDEM.

Ex sententia senatusconsulti Liboniani tutor non erit, qui se in testamento pupillo tutorem scripsit. cum autem patris uoluntas, hoc ipsum manu sua declarantis, ambigua non esset: eum (quamuis alij tutores essent) curatorem dandum respondi: nec admittendam excusationem, quam iure publico habebat (quoniam promisisse uidebatur:) nec ut suspectũ remoueri.

XXX. PAVLVS.

Duo sunt Titij, pater & filius. dàtus est tutor Titius. nec apparet, de quo sensit testator. quæro, quid iuris sit? Respondi, is datus est, quem dàre se testator sensit. si id non apparet: non ius deficit, sed probatio. igitur neuter est tutor. K

XXXI. SCAEVOLA.

Si pater exhæredatæ filiæ tutores dèderit, & testamentum eius ruptũ dicatur, nato posthumo. commodissimum est, eosdem tutores pupillæ dàri ad petendã intestati hæreditatẽ.

XXXII. PAVLVS.

Quaero, an non eiusdem ciuitatis ciues testamento quis tutores dare possit? Paulus respondit, posse. Idem Paulus respondit. eum quoq;, qui propter rerum noticiam tutor dàtus sit: perinde in omnibus & administrationis & accessionis iure conueniri posse, atque ceteros tutores, qui eodem testamento dàti sunt. Lucius Titius hæredes instituit filios suos pupillaris ætatis, eisq; tutores his uerbis dèdit. FILIIS MEIS TVTORES SVNTO CAIVS MAEVIVS

A MAEVIVS, ET LVCIVS EROS. cui Eroti libertatem non dedit. fuit autē Eros intra uiginti quinq; annos ætatis. Quæro, an possit libertatem sibi uindicare? Paulus respondit. quoniam placet eum, qui à domino tutor est dātus, libertatem quoq; meruisse uideri: eum quoq; de quo quæritur, in eadē caussa habendum: & liberum quidem ab adita hæreditate esse, tutela autem post legitimam ætatem onerari.

XXXIII. IABOLENVS.

TVTORibus ita datis, LVCIVM TITIVM TVTOREM DO, SI IS NON VIVIT, TVNC CAIVM PLAVTIVM TVTOREM DO. Lucius Titius uixerat, & tutelā gesserat, deinde mortuus erat. Trebatius negabat ad Plautium pertinere tutelam, Labeo cōtrà: Proculus quod

B Labeo, ego Trebatij sententiam probo: quia illa uerba ad mortis tempus referuntur.

XXXIIII. SCAEVOLA.

CVM codicillis ideo alios se tutores dāre significasset, quoniam testamento dātos quosdam defunctos, aut excusationem habere posse compeřisset: an nihilominus, qui eorum uiuerent, nec excusati essent, tutores permanerēt? respondi, nihil proponi, cur nō permanerēt.

DE CONFIRMANDO TVTORE VEL curatore. TIT. III.

MODESTINVS.

AT ne de confirmandis tutoribus quærentes relinquamus: pauca de his scrutemur.

C Quidam rectè dāti sunt tutores secundum testamēta: hoc est, & à quibus oportet, & quibus oportet, & quomodo oportet, & ubi oportet. pater enim filiis, uel nepotibus, quos habet in potestate, rectè dat tutorem, sed in testamento. si autem talis persona fuerit, quæ dāre non possit, uelut mater, aut patronus, aut extraneus quis: aut cui non potest dāri, ueluti filio non existenti in potestate, aut filiæ: aut si dixerit, PRECOR TE CVRAM HABERE RERVM: aut in codicillis quidem non confirmatis dederit tutorem, aut curatorē: tunc & quod deficit, repleri à consulari potestate, constitutiones concesserunt. & secundum mentem tutores confirmari. & si quidem pater fuit, qui dēdit: nihil amplius inquirit, qui præest, sed simpliciter eum confirmat. si autem alius quis dederat: tūc inquirit personam, si apta sit. Amplius scire oportet, quoniam neq; curator testamēto à pa-

D tre rectè datur, datum assuetum esse confirmari ab eo, qui præest.

II. NERATIVS lib. III. Membranarum.

MVLier liberis non rectè testamento tutorē dat. sed si dederit: decreto prætoris, uel proconsulis ex inquisitione confirmabitur, nec satisdabit pupillo rem saluam fore. sed & si curator à matre testamento datus sit filijs eius, decreto confirmatur ex inquisitione.

III. IVLIANVS lib. XX. Digestorum.

QVI à patre tutor scriptus est, aut non iusto testamento, aut non ut lege præcipiebatur: confirmandus est ad tutelam gerendam, perinde ac si ex testamento tutor esset, id est ut satisdatio ei remittatur. IIII. PAVLVS.

SI patronus: uel quiuis extraneus impuberi, quem hæredē instituit, tutorē dederit, & ex-

E tra ea nihil in bonis pupillus habeat: nō malè diceretur, iudicium eius sequendū esse: quippe qui & personā eius, quem tutorē esse uoluit, nouerit: & impuberē ita dilexerit, ut eū hæredē institueret. V. PAPINIANVS.

TVTores à patruo testamento datos iussit prætor magistratus confirmare. hi cautionē quoq; accipere debuerunt: nec uoluntas eius, qui tutorem dare non potuit, negligentiam magistratuum excusat. deniq; prætor non ante decretum interponere potest, quàm per inquisitionem idoneis pronunciatis. unde sequitur, ut si tutelæ tempore soluendo non fuerūt: in id, quod de bonis eorum seruari non poterit, contra magistratus actio decernatur.

VI. IDEM.

SI filio impuberi pater tutorem, aut puberi curatorem dederit: citra inquisitionem prætor eos confirmare debebit.

VII. HERMOGENIANVS lib. IIII. iuris ἐπιτομῶν.

NATVrali filio, cui nihil relictum est, frustra tutor à patre dâtur, nec sine inquisitione confirmatur. Si quæratur, an ex inquisitione rectè datus sit tutor: quatuor hæc consideranda sunt. an & hic dederit, qui dâre potuit: & ille acceperit, cui fuerat dandus: & is dâtus sit cuius dandi facultas erat: & pro tribunali decretum interpositum sit.

VIII. TRIPHONINVS lib. VII. Disputationum.

IN confirmando tutore hoc prætor inquirere debet, an durauerit patris uoluntas. quod in facili est, si in proximo mortis tempore tutores non iure uel curatores scripserit pater. nã si ante annos: ut medio spacio potuerit facultatum tutoris non iure à patre dâti fieri deminutio, uel morum antè celata uel ignorata emerserit improbitas, aut inimicitiæ cũ patre exarserint.

IX. PAVLVS.

VEL cum fisco aliquem contractum damnosum miscuisset.

X. TRIPHONINVS.

VTILitatem pupillorum prætor sequetur, non scripturam testamenti, uel codicillorũ. nam patris uoluntatem prætor ita accipere debet, si non fuit ignarus scilicet eorum, quæ ipsa prætor de tutore comperta habet. quid deniq;, si postea de eo, quem pater testamento codicillisúe non iure dêdit, scripserit tutorem esse nolle? nempe non sequetur primam uolũtatem prætor, à qua pater discessit.

XI. SCAEVOLA.

AVIA testamento nepotibus curatorem dedit, fideicommisso ei relicto. quæsitum est, an administrare curator compelli debeat? respondi. curatorem quidem non esse: sed cum aliquid testamento ei dâtum esset, teneri eum ex fideicommisso, si non curam susciperet: nisi id, quod ei datum esset, nollet petere, aut reddere paratus esset. Item quæsitum est, an iste curator satisdâre nepotibus debeat? respondi. quasi curatorem non debere: sed cum fideicommissum peti ab eo posset, fideicommissi nomine satisdâre debere.

DE LEGITIMIS TVTORIBVS. TIT. IIII.

VLPIANVS.

LEGITIMAE tutelæ lege duodecim tabularum adgnatis delatę sunt, & consanguineis, item patronis: id est his, qui ad legitimam hæreditatem admitti possint. hæc summa prouidentia: ut qui sperarent hanc successionem, ijdem tuerētur bona, ne dilapidarentur. Interdum tamen alibi hæreditas est, alibi tutela: utputa si consanguinea pupillo sit. nam hæreditas quidem ad agnatam pertinet, tutela autem ad agnatum. Idem in libertinis, si sit patrona, & patroni filius. nam tutelam patroni filius, hæreditatem patrona obtinebit. tantũdemq; erit, & si sit patroni filia, & nepos. Si apud hostes sit frater, inferioris gradus agnatò tutela non defertur, nam & si patronus apud hostes sit: patroni filio tutela non defertur, sed interim à prætore datur. Interdum etiam sine hæreditate tutela defertur, interdum hæreditas sine tutela: utputà in eo, qui latitauit, cum seruum rogatus esset manumittere. nam generaliter diuus Pius rescripsit Aurelio Basso, ius patroni eum non habere, his uerbis. Planè tergiuersatio eorum, qui subuertere fideicommissariam libertatem uoluerunt, eo modo puniatur: ne ius patroni adquirant in eo, quem liberum esse noluerunt. idem erit, si filiæ adsignatus libertus sit: tutela quidem apud fratres remanebit, (ut Marcellus notat) legitima autem hæreditas ad sororem pertinebit.

II. IDEM.

LEGitimam tutelam capitis deminutione pupilli (etiam ea, quæ salua ciuitate cõtingit) amitti, nulla dubitatio est.

III. IDEM.

TVtela legitima, quæ patronis defertur lege duodecim tabularum, non quidem specialiter uel nominatim delata est: sed per consequentias hæreditatum, quæ ex ipsa lege patronis datæ sunt. ergo manumissor ex lege duodecim tabularum tutor est: siue ponte, siue etiã cõ pulsus

a pulsus ex caussa fideicommissi manumisit. sed & si hac lege emit, ut manumitteret, & ex constitutione diui Marci ad Aufidium Victorinum peruenit ad libertatem: dicendum est, tutorem esse. Planè si fortè ex Rubriano senatusconsulto peruenerit ad libertatem: non habebit tutorem eum, qui rogatus est. sed Orcinus libertus effectus, ad familiam testatoris pertinebit. in qua specie incipit tutela ad liberos patroni primos pertinere, quæ ad patronos non pertinuit. quod quidem in omnibus Orcinis libertis locum habet, testamento manumissis. Si duo pluresue manumittant: omnes tutores sunt. sed si mulier sit inter manumissores: dicendum est, solos masculos fore tutores. Sed & si aliquis ex patronis decesserit: tutela penes cæteros patronos est, quamuis ille filium reliquerit. Sed & si ab hostibus fuerit ca-
b ptus: interim soli compatroni tutores sunt. Simili modo & si in seruitutem redactus sit: apparet cæteros esse tutores. Sed si omnes patroni decesserint: tunc tutela ad liberos eorum incipit pertinere. Proinde si alter ex patronis filium, alter nepotem reliquerit: utrum ad solum filium, an uero & ad nepotem tutela pertineat: quia & nepos in familia patris sui proximus est? hoc apparebit ex legitimis hæreditatibus. legitima autem hæreditas ad solum filium pertinet. ergo & tutela ad solum filium descendit, post filium tunc ad nepotem.

Quæri potest, si patroni filius sit remotus uel excusatus, an nepoti tutela deferatur? & Marcellus in ea sententia est, ut succedi non posse scribat. idcirco enim abierunt tutela, ut alij in locum eorum dentur, non ut & successio admittatur. Non tantum autem morte, uerum etiam capitis deminutione successio debet in legitima tutela admitti. quare si proxi-
c mior capite deminutus est: qui post eum est, succedit in tutelæ administratione. Si parés filium, uel filiam, uel nepotem, uel neptem, uel deinceps impuberes, quos in potestate habebat, emancipet: uicem legitimi tutoris sustinet.

IIII. MODESTINVS.

QVO defuncto, si liberi perfectæ ætatis existant: fiduciarij tutores fratris uel sororis efficiuntur.

V. VLPIANVS.

LEGITIMOS tutores nemo dat, sed lex duodecim tabularum fecit tutores. sed etiam hos cogi satisdáre, certú est: in tantum, ut etiá patronú, & patroni filium, cæterosq; liberos eius, cogi rem saluá fore satisdáre, plerisq; uideatur. sed h c caussa cognita prætorem statuere debere, melius est: utrum debeat satisdáre patronus, liberiq; eius, an nó. ut si persona ho-
d nesta sit: remittatur ei satisdátio, & maximè si substantia modica sit. si autem patroni persona uulgaris, uel minus honesta sit: ibi dicendum est, satisdátionem locum habere: ut aut modus tutelę, aut persona, aut caussa admittat satisdátionem. In legitimis, & in his, qui à magistratibus dantur, quæsitú est, an uni decerni tutela possit? & ait Labeo, & uni rectè tutelá decerni. posse enim aliquos, uel absentes, uel furiosos esse. quæ sententia utilitatis gratia admittenda est, ut uni decernatur administratio. an ergo & prouocare se inuicem secundú superiorè clausulam possint? & magis est, ut si omnes satis non déderint, uel potuerint & noluerint: uel si finita sit satisdátio (nonnunquá enim satisdatio ab eis nó petitur) aut satis desinat esse cautú: aut magistratus municipales ab his, quos déderút, aut nó potuerint, aut noluerint satis exigère: possit dici in his, & quo casu cautú non est, admittendá prouocationé.
e an ergo & in patronis idé sit dicendú, maximè ubi cessat satisdátio? & puto in patronis non oportere admitti prouocationé, nisi ex magna caussa: ne quis spem successionis deminuat: nam si patrono tutela non fuerit cómissa: poterit per cópatronum damno affici, qui solus ré pupilli malè administrat. Si quis legitimus tutor capite minutus sit: dicendum est, desinere eum esse tutorem, & locum esse iudicio tutelæ finita tutela.

VI. PAVLVS.

IN TESTATO parente mortuo adgnatis defertur tutela. Intestatus autem uidetur non tantum is, qui testamentum non fecit: sed & is, qui testamento liberis suis tutores non dedit: quantum enim ad tutelam pertinet, intestatus est. Idem dicemus, si tutor testaméto dátus, adhuc filio impubere manente decesserit. nam tutela eius ad agnatum reuertitur.

CAIVS lib. II. *Rerum quotidianarum.*

SVNT autem adgnati, qui per uirilis sexus personas cognatione iuncti sunt, quasi à patre cognati: ueluti frater eodem patre natus, fratris filius, nepos ue ex eo, item patruus, & patrui filius, nepos ue ex eo.

VIII. PAVLVS.

SI reliquerò filium impuberem, & fratrem, & nepotem ex alio filio: constat utrosque esse tutores, si perfectæ ætatis sint: quia eodem gradu sunt.

IX. CAIVS lib. II. *Rerum quotidianarum.*

SI plures sint adgnati, proximus tutelam nanciscitur: & si in eodē gradu plures sint, omnes tutelam nanciscuntur.

X. HERMOGENIANVS lib. III. iuris ἐπιτομῶν.

ADGNATO propior fœmina, quò minus sit impuberis adgnati tutor, nón obijcitur. Ideoque patruus sororem consanguineam habentis fratris filij legitimus erit tutor: nec amita patruo magno, uel matertera fratris filijs, ne sint tutores, obstat. Surdus & mutus nec legitimi tutores esse possunt: cum nec testamento, nec alio modo utiliter dari possint.

XI. PAVLVS.

MINVS autem audiens potest.

DE TVTORIBVS ET CVRATORIBVS DAtis ab his, qui ius dandi habent: & qui, & in quibus caussis specialiter dari possunt. TIT. V.

VLPIANVS.

SIVE proconsul, siue præses, siue etiam præfectus Aegypti, siue quí proconsulatum, uel moderamen prouinciæ temporis caussa obtinet, proconsule scilicet uel præside defuncto, uel quia ipsi prouincia regenda commissa est: tutorem dare poterit. Legatus quoque proconsulis, ex oratione diui Marci, tutorem dare potest quod autem permittitur tutorem dare prouinciæ præsidi: eis tantum permittitur, quí sunt eiusdem prouinciæ, uel ibidem domicilium habent.

II. IDEM.

CVM quidam tutores dati appellassent, quidā aūt non adessent: diuus Pius rescripsit, dandum temporarium tutorem, qui tutela fungeretur.

III. IDEM.

IVS dandi tutores datū est omnibus magistratibus municipalibus, eoque iure utimur: sed illum, qui ab eodem municipio, uel agro eiusdem municipij est.

IIII. IDEM.

PRAETOR ipse se tutorem dare non potest: sicut nec pedaneus iudex, nec compromissarius ex sua sententia fieri potest.

V. CAIVS lib. II. *Rerum quotidianarum.*

ILLud semper constitit: præsidem posse tutorem dare, tam absentem, quàm præsentem, & tam præsenti, quàm absenti.

VI. VLPIANVS.

NEC non ignoranti & inuito.

VII. IDEM.

NON tantùm ad dotem dādam nupturæ curatorem dari oportet: uerum etiam ei quæ iam nupta est. sed & ad dotem augendam datur. & mutandæ quoque dotis gratia curator dari potest.

VIII. IDEM.

NEC mandante præside alij is tutor dari poterit. Si pretor uel præses prouinciæ in furore aut dementia constitutus, dederit tutorem: non puto ualere. quamuis enim prætor uel præses sit, nec furor ei magistratum abroget: attamen datio nullius erit momenti. Dari tutor omni die poterit. Furioso, & furiosæ, & muto, & surdo tutor uel curator à prætore uel præside dari poterit.

A IX. MARCIANVS.

In puberi ad hæreditatem adeundam,ut tutor detur,ex caussa permissum est.

X. IDEM.

Tutor si petitus fuerit habenti,& absente eo,quasi non habenti datus sit:datio nulla est. Nam & si quoquo modo in petitione tutoris erratum fuerit in facti caussa,maximè post cõstitutionem diuorum fratrum,non ualet tutorum datio.

XI. CELSVS lib. VIII. Digestorum.

Curator pupillo uel pupillæ non datur,si tutor eorum adfuerit.

XII. VLPIANVS lib. V. de officio proconsulis.

B His,qui in ea caussa sunt,ut superesse rebus suis non possint,dare curatorem proconsulem oportebit.nec dubitabit filium quoque patri curatorem dare.quamuis enim contrà sit apud Celsum,& apud alios plerosque relatum,quasi indecorum sit patrem à filio regi: attamen diuus Pius Iusto Celeri,item diui fratres rescripserunt:filium,si sobriè uiuat:patri curatorem dandum magis,quàm extraneum. Diuus Pius matris querelam de filijs prodigis admisit,ut curatorem accipiant in hæc uerba.Non est nouum,quosdam,& si mentis suæ uidebuntur ex sermonibus compotes esse:tamen sic tractare bona ad se pertinẽtia,ut nisi subueniatur his,deducantur in egestatem.eligendus itaque erit,qui eos consilio regat.nã æquũ est,prospicere nos etiam eis,qui quod ad bona ipsorum pertinet,furiosum faciunt exitum.

XIII. PAPINIANVS.

C Si impuberi libertas & hæreditas per fideicommissum data sit,& institutus adire nolit: senatus censuit,eum(si impuberis nomine desideretur) adire cogendum:ut tamen pupillo pupillæue tutor ab eo,cui ius dandi erit,detur:qui tutelam retineat,quoad restituatur hæreditas,& rem saluam fore ab hærede caueatur.postea autem diuus Hadrianus,ut idem in eo seruet, quod in eo,cui directa libertas data fuerit,rescripsit. Quãuis aũt à patrono REM SALVAM PVPILLO FORE non facilè cautio exigatur:tamen senatus pro extraneo haberi uoluit eum,qui quod in ipso fuit,etiam libertate priuauit impuberem.& ius quidem liberti,quod habet,qui ex caussa fideicommissi manumittit,non ẽst ei ablatum:tutela uero sine uinculo cautionis non committitur.quid ergo,si non caueat?non dubiè tutela nõ erit apud patronum. Si puella duodecimum annum impleuerit,tutor desinit esse: quoniam tum
D minoribus annis desiderantibus curatores dari solẽt. Si curator patronus petatur, fides inquisitionis pro uinculo cautionis cedet.

XIIII. IDEM.

Libertus nõ alijs patroni patronęue liberis tutor esse cogitur,quàm qui iura patronatus superare possunt. XV. PAVLVS.

In omnem rem tutor dandus est,in eius tutoris locum,qui reipublicæ caussa abfuit.

XVI. IDEM.

Nec ille desinit tutor esse.quod & in omnibus,qui ad tempus excusantur,iuris est.

XVII. VLPIANVS.

Ei,qui de statu suo litigat,tutorem dari posse,Pomponius scribit,& uerum est:ut ita demum teneat datio,si liber est.

XVIII. IDEM.

In dando tutore ex inquisitione,& in cũ inquiritur,qui senator est:& ita Seuerus scripsit.

XIX. PAVLVS.

Vbi absunt hi,qui tutores dare possunt,decuriones iubentur dare tutores: dummodo maior pars conueniat.ubi non est dubium,quin unum ex se dare possint. Magistratus municipalis collegam suum,quin dare tutorem possit,non dubium est.

XX. MODESTINVS.

Ventri tutor à magistratibus populi Romani dare non potest, curator potest.nam de curatore constituendo edicto comprehensum est. Curatorem habenti, quò minus alius curator detur,regula iuris non est impedimento.

XXI. IDEM lib. III. Excusationum.

SCIRE oportet magistratus, quod curatrices minoribus mulieres non creabunt. Si mater sub hac conditione scripserit filios hęredes, SI SOLVTI PATRIS POTESTATE FVERINT: solutis his, & propter hoc hæredibus, ipse pater curator creari non poterit, etiam si uoluerit: ut non alia uia hoc, quod noluit testatrix, fiat. & hoc ita à diuo Seuero promulgatum est. Sed & si quis à parentibus prohibitus fuerit tutor esse: neq; creari hunc oportet. & si creatus sit, nec recusauerit: prohiberi eum esse tutorem, manente epitimia. Eos, qui in legatione sunt, non creent tutores uel curatores magistratus: quia per id tempus, quo in legatione sunt, periculum ad eos non pertinet. Si præfectorium hominem in legatione existentem Romanus princeps dederit tutorem, dimittetur. Cum reliquis oportet magistratum & mores creandorum inuestigare. neq; facultates enim, neq; dignitas ita sufficiens est ad fidem, ut bona electio & benigni mores. Semper autem maximè hoc obseruēt magistratus, ne creent eos, qui seipsos uolunt ingerere, ut creentur: quiq; pecuniam dant. hos enim & pœnæ obnoxios esse, lege promulgatum est.

XXII. IDEM lib. V. Excusationum.

ET qui non sunt consiliarij, cōsiliariorū filijs tutores creātur: sicut & consiliarij his, qui nō sunt ex cōsiliarijs. XXIII. IDEM.

SIMVL plures tutores dari possunt.

XXIIII. PAVLVS.

DIVVS Marcus & Verus Cornelio Proculo. Si quando desunt in ciuitate, ex qua pupilli oriundi sunt, qui idonei uideantur esse tutores: officium erit magistratuum, inquirere ex uicinis ciuitatibus honestissimum quenq;, & nomina præsidi prouinciæ mittere: non ipsos arbitrium dandi sibi uindicare.

XXV. IDEM lib. VII. Responsorum.

CVRATOREM impuberi datum quacunq; ex caussa, perseuerare in diem pubertatis in eadem cura respondi. ergo post pubertatem alium curatorem sibi petere debebit.

XXVI. SCAEVOLA lib. IIII. Digestorum.

SEIAE egressæ annos duodecim, decreto prætoris ex inquisitione datus est tutor, quasi minori. quæro an excusare se deberet. respondi. secundum ea, quæ proponerentur: neq; excusationem necessariam esse, neq; obligari, quod non gereret.

XXVII. HERMOGENIANVS lib. V. ἐπιτομῶν.

PVPILLO, qui tam Romæ, quàm in prouincia facultates habet: rerum, quæ sunt Romæ prætor: prouincialium, præses tutorem dare potest. Libertino tutores libertini dandi sunt. sed & si ingenuus detur, nec se excusauerit, tutor perseuerabit.

XXVIII. PAVLVS lib. IIII. Decretorum.

ROMANIUS Apulus à iudice appellauerat, dicens se non debuisse dari in tutela collegā ei, quem ipse, cum magistratus esset, nominasset suo periculo: ne in una tutela duplex periculum sustineret. decreuit Imperator, posse quē & fideiussorem pro tutore esse, & nihilominus tutorem dari. itaq; detentus est in tutela.

XXIX. IDEM.

SI peregrè agant, qui tutores dati sunt, ut intra dies triginta notum his à magistratibus fiat, diuus Marcus rescripsit.

QVI PETANT TVTORES VEL CVRAtores, & ubi petantur. TIT. VI.

MODESTINVS lib. IIII. πανδεκτῶν.


MATRIS sollicitudo in petendis filio tutoribus, non etiam curatoribus obseruatur: nisi quo casu impuberi curator petendus est.

II. IDEM lib. II. Excusationum.

SI minores nō habēt eos, q̄ ex legibus defēsores sint: siquidē tutoribus indigēt propter

A propter ætatem: possunt eis petere tutores constitui cognati, & qui adfinitate iuncti sunt parentibus, tam masculis quàm fœminis. possunt & amici parentum, & educatores ipsorum puerorum hoc petere. & hi quidem ex electione uel uoluntate petunt tutores. Sunt autem quidam quibus necesse est petere tutores: putà mater & liberti. ex his enim quidam damnum patiuntur, quidam uero & puniuntur, si non petierint eos, qui ex legibus defensores sint: mater enim expellitur legitima filij hæreditate, quasi indigna existens accipere hæreditatem legitimã eorum, quibus tutorem constitui neglexerit. nec solũ si non petierit, sed & si quẽ petierit qui prauitatis gratia dimitti poterat, deinde dimisso eo uel etiã abiecto, rursus aliũ non petierit, uel studiose malos petierit. Liberti aũt ex his caussis accusati, apud præ

B sidẽ puniuntur, ut emẽdentur, si appareat eos, uel propter negligentiã, uel malitiã nõ petisse. Quæ autem de matre prædicta sunt, ostenduntur in epistola Seueri, cuius uerba subiecta sunt. DIVVS SEVERVS VLPIO RVFINO. Omnem me rationem adhibere subueniendis pupillis, cum ad curam publicam pertineat, liquere omnibus uolo. & ideo mater, quæ uel non petierit tutores idoneos filijs suis, uel prioribus accusatis reiectisúe, non confestim aliorum nomina ẽdiderit: ius non habeat uindicandorum sibi bonorum intestatorum filiorum: sed & apud Paulum libro septimo ita responsum est. Siquidem aliquis uel fœnerator, uel legatarius, uel alius necessariam habeat aduersus pupillum persecutionem: ipse quidem non petet tutorem pupillo, sed eos, qui petere possunt, rogabit petere. uel si hi neglexerint: tunc accedẽs ad præsidem, hoc ipsum dicet, ut uel constituto tutore legitimo ea, uel ad

C uersus pupillum moueatur persecutio. hęc quidem de tutoribus. Curatores autem minores sibi ipsis petent, siquidem adfuerint, per seipsos. si autem abfuerit aliquis eorum: petet per procuratorem. An autem alius petere curatorem possit minori, quæsitum est: & Vlpianus egregiè ita scribit, non decere alium ei petere, sed ipsum sibi ipsi. & apud Paulum libro nono Responsorum ita relatum est. †Curatorem, ignorante, nec mandante pupillo, non rectè ei à tutore petitum uideri: periculumq́ eorum, quæ curator non iure dãtus gessisset, non sine ratione eum, qui petisset, cogendum agnoscere. †Sed & alia parte eiusdem libri ita respondit † si matris iudicium princeps secutus, curatores filiæ eius dẽderit, periculum administrationis eorum eam respicere debere.

III. IDEM lib. III. *Excusationum.*

D QVI qualitercunq́ dimissi sunt per excusationem à tutela: necesse non habent peterẽ pupillis tutorem, ut ait Seueri & Antonini constitutio.

IIII. PAVLVS.

DECRETO decurionum & ipsum magistratum curatorem dãri potuisse, respondi.

V. TRIPHONINVS lib. VII. *Disputationum.*

CREDENDum est, & eam matrem constitutione contineri, quæ tutores à patre non legitimè testamento uel codicillis datos filijs impuberibus, non postulauit decreto confirmari. Sin autem pluribus tutoribus idoneis dãtis, unus eorum uel decessit, uel temporalem excusationem accepit: mater, quæ propterea in locum illius alium non petit, quia numerus reliquorum administrationi tutelæ sufficiebat: incidit quidem in uerba constitutionis, sed sen

E tentia excusatur. Sed si suspecto tutore pupilli accusato, decretum erit, ei adiungi alios: mater eos quoq; petere debet: & si non petit, incĩdet in sententiam constitutionis. Hæc autem mater ab omni quidem bonorum uindicatione intestatorum filiorum repellitur. Si uero maritus ei fideicommissum à filio reliquerit, cui mulier non petijt tutorem, SI SINE LIBERIS DECESSERIT, uel sub hac ipsa conditione, SI INTESTATVS MORTVVS ERIT: si deicommissi petitio, quæ ex alieno iudicio descendit, non est perempta. Quæ autem suspectum tutorem non fecit: nec uerbis, nec sententia constitutionis in pœnam incĩdit: quod eiusmodi facta dijudicare, & æstimare, uirilis animi est. & potest etiam delicta ignorare mater: satisq́ est eam petisse talem, qui inquisitione per prætorem habita, idoneus apparuit, & ideo nec iudicium eius sufficit ad eligendos tutores: sed inquisitio fit, etiã si maximè in propria bona liberis suis testamento tutores dederit.

DE ADMINISTRATIONE ET PERICVLO TVTORUM & curatorum, qui gesserunt uel non: & de agentibus, uel conueniendis uno uel pluribus. TIT. VII. F

VLPIANVS.



GERERE atq; administrare tutelam extra ordinem tutor cogi solet. Ex quo scit se tutorem datum, si cesset tutor, suo periculo cessat. id enim à diuo Marco constitutum est: ut qui scit se tutorem datum, nec excusationem (si quam habet) allegat intra tempora præstituta: suo periculo cesset. Sufficit tutoribus ad plenam defensionem: siue ipsi iudicium suscipiant, siue pupillus ipsis authoribus. nec cogendi sunt tutores cauere, ut defensores solent. licentia igitur erit: utrum malint ipsi suscipere iudicium, an pupillum exhibere, ut ipsis authoribus iudicium suscipiatur. ita tamen, ut pro his, qui fari non possint, uel absint, ipsi tutores iudicium suscipiant: pro his autem, qui supra septimum annum ætatis sunt, & præsto erunt, authoritatem præstent. In caussis autẽ adultorum licentia erit agentibus, uel ipsum adultum præsentem in iudicium uocare, ut consensu curatoris conueniatur: uel contra curatorem agere, ut ipse litẽ suscipiat. In absentibus autem adultis omnimodo contra curatorem agendum. Non denegari autem, neq; tutoribus, neq; curatoribus debet, etiam debitores pupillorum uel adultorum ex persona sua respectu officij in iudicium uocare: uel illis hoc facientibus, suum accommodare cõsensum.

II. IDEM. M

SIVE tutor condemnauit, siue ipse cõdemnatus est: pupillo, & in pupillum potius actio iudicati datur: & maximè, si ideo se liti obtulit, quod non posset uel propter infantiã, uel propter absentiam author esse ei ad accipiendum iudicium. & hoc etiam diuus Pius rescripsit: & exinde multis rescriptis declaratum est, in pupillum dandam actionem iudicati semper, tutore condemnato: nisi abstineat. tunc enim nec in tutorem, nec in pupillum dari, nec pignora tutoris accipienda esse, sæpe rescriptũ est. Amplius Marcellus libro uicesimo Digestorum scribit. & si satisdědit tutor, mox abstinuit pupillus: fideiussoribus quoq; eius debere subueniri. sed si pupillus non abstinuit: quemadmodum ipsi, ita & fideiussoribus eius subueniri: maximè, si pro absente pupillo, uel pro infante satisdĕderit.

III. IDEM. I

SI PLVres curatores dati sunt: Pomponius libro sexagesimo octauo ad edictũ scripsit, ratum haberi debere, etiam quod per unum gestum est. nam & in furiosi curatoribus, ne utilitates furiosi impediantur, prętor uni eorum curationem decernet: ratumq; habebit, quod per eum sine dolo malo gestum est. Si parens uel pater, qui in potestate habet, destinauit testamento, quis tutorum tutelam gerat: illum debere gerere prætor putauit. meritoque patris statur uoluntati, qui utique filio rectè prospexit. tantundem prætor facit & de his, quos parens destinauit testamento, aut confirmauit. ut si parens, quem uelit tutelam administrare, declarauit: ille solus administret. cęteri igitur tutores non administrabunt: sed erunt hi, quos uulgo honorarios appellamus. nec quisquam putet ad hos periculum nullum redundare. constat enim hos quoque, excussis prius facultatibus eius, qui gessit, conueniri oportere. dati sunt enim quasi obseruatores actus eius & custodes: imputabiturq; eis quandoque, cur si malè eum conuersari uidebant, suspectum nõ fecerint. Assiduè igitur, & rationẽ ab eo exigere eos oportet, & sollicitè curare, qualiter conuersetur: & si pecunia sit, quæ deponi possit, curare, ut deponat ad prædiorũ cõparationẽ. blandiuntur enim sibi, qui putant honorarios tutores omnino nõ teneri. tenẽtur enim secundũ ea, quæ suprà ostendimus. Quamuis autem ei potissimũ se tutelam cõmissurũ prætor dicat, cui testator delegauit: attamen nonnunquã ab hoc recẽdetur. utputa si pater minus perpenso consilio hoc fecit, fortè minor uiginti quinq; annis: uel eo tẽpore fecit, quo iste tutor bonæ uitę uel frugi uidebatᷣ, deinde postea idẽ cœpit malè cõuersari, ignorãte testatore: uel si cõtemplatione facultatũ eius res ei cõmissa est, quibus postea exutus est. nã & si unum pater tutorem de

derit

A derit,nonnunquam ei adiunguntur curatores.nam Imperator noster cum pātre rescripsit,
cum duos quis libertos suos tutores dedisset,unum rerum Italicarum,alium rerum Africa
narum,curatores eis adiungendos:nec patris uoluntatem secuti sunt. Quod in tutoribus
rescriptum est,& in curatoribus erit obseruādum,quos pater testamento destinauit à præ-
tore confirmandos. Apparet igitur prætori curæ fuisse,ne tutela per plures administretur.
quippe & si pater non destinauerit,quis gerere debeat:attamen id agit,ut per unum admi-
nistretur,sanè enim facilius unus tutor & actiones exercet,& excipit, ne per multos tutela
spargatur. Si nō erit à testatore electus tutor,aut gerere nolet:tūc is geret,cui maior pars
tutorum tutelam decreuerit.prætor igitur iubebit eos conuocari:aut si non coibunt,aut coa
B cti non decernent:caussa cognita ipse statuet,quis tutelam geret.planè si non consentiant
tutores prætori,sed uelint omnes gerere:quia fidem non habeant electo,nec patiuntur, ut
succedanei sint alieni periculi:dicendum est,prætorem permittere eis omnibus gerere.Item
si diuidi inter se tutelam uelint tutores,audiendi sunt:ut distribuatur inter eos administra-
tio uel in partes,uel in regiones:& ita si diuisa fuerit:unusquisq; exceptione submouebitur
pro ea parte,uel regione,quam non administrat.

IIII. IDEM.

ITA autem depositioni pecuniarum locus est,si ea summa corradi possit,ut inde ager cō
parari possit.si enim tam exiguam esse tutelam probabitur,ut ex numo refecto, prædium
puero comparari non possit:depositio cessat.quæ ergo tutelę quantitas depositionem indu
C cat,uideamus.& cum caussa depositionis exprimatur,ut prædia pupillis comparentur: ma
nifestum est,ut ad minimas summas non uideatur pertinere,quibus modus pręfiniri gene
raliter non potest:cum facilius caussa cognita per singulos possit examinari.nec tamen aufe
renda facultas est,etiam minores summas interdum deponi postulare,si suspecti tutores es-
se uideantur. Cessisse autem uidetur tutor,qui quid omnino pupillare attigit, etiam si
modicum:cessantesq; partes eorum,qui solent cessantes cogere administrare.quod si postea,
quàm gessit,tūc se gestu abstinuit:etiam suspecti postulatio succedit.Quod si quis tutelam
mandauerit gerendam,gestaq; fuerit ab eo,cui mandatum est:locus erit tutelæ actioni.ges-
sisse enim uidetur,& qui per alium gessit.quod si non accessit is, cui mandatum est:utili a-
ctione conuenitur. Debitor patris,qui tutelam administrauit filij,tutelæ iudicio tenebi-
D tur etiam ob id,quod patri debuit. Si tutor pupillum suum puberem factum non admo
nuerit,ut sibi curatores peteret:(sacris enim cōstitutionibus hoc facere iubetur,qui tutelam
administrauit)an tutelæ iudicio teneatur?& magis puto,sufficere tutelæ iudicium,quasi con
nexum sit hoc tutelæ officio,quamuis post pubertatem admittatur. Post completum ui-
cesimum quintum annum ętatis,si nondum rationes redditę sunt,nec ad caussam pertinen
tia instrumenta:fidei ac uerecundiæ curatorum conuenit,ut consilio suo cœptam litem per-
ficiant.si igitur cessent in his,quæ constituta sunt, faciendis:magis puto, sufficere negocio-
rum gestorum iudicium,etiam si iam actum sit:si tamen huius rei ratio reddita non est.
Iulianus libro uicesimo primo Digestorum huius speciem proponit.Quidā decedens
filijs suis dederat tutores, & adiecerat, EOS ΑΝΕΚΛΟΓΙΣΤΟΥΣ ESSE VOLO.
E & ait Iulianus tutores,nisi bonam fidem in administratione præstiterint, damnari debe-
re:quamuis testamēto comprehensum sit,ut ἀνεκλόγιστοι essent.sed nec eo nomine ex caus-
sa fideicommissi quicquam consequi debebunt,ut ait Iulianus. & est uera ista sententia,
nemo enim ius publicum remittere potest huiusmodi cautionibus, aut mutare formam
antiquitus constitutam.damnum uero quodcunq; ex tutela quis senserit,& legari & per fi
deicommissu mei relinqui potest. Papinianus libro quinto Respōsorum ita scribit.pater
tutelam filiorum consilio matris geri mandauit,& eo nomine tutores liberauit.non idcirco
minus officium tutorum integrum erit.sed uiris bonis conueniet, salubre consilium ma
tris admittere:tametsi neque liberatio tutoris, neque uoluntas pātris,aut intercessio ma
tris tutoris officium infringat. Vsque adeo autem licet tutoribus pātris præceptum ne-
gligere: ut si pater cauerit, ne quid rei suæ distraheretur, uel ne mancipia, ne uestis, ne

domus

domus,ne aliæ res periculo subiectæ:liceat eis contemnere hanc patris uolnntatem. Ex F quo innotuit tutori,se esse tutorem:scire debet,periculum tutelæ ad eum pertinere. innotescere autem qualiter qualiter sufficit,non utiq; testatò cum conueniri.nam & si citra testationem, scilicet undecunq;,cognouerit:nulla dubitatio est,quin debeat periculum ad ipsum respicere.

V. IDEM.

Hoc autem,quod cognouerit tutor,pupillus probare debet.

VI. IDEM.

Tutor, qui repertorium non fecit,quod uulgo inuentarium appellatur, dolo fecisse uidetur:nisi fortè aliqua necessaria & iustissima caussa allegari possit,cur id factum non sit. Si quis igitur dolo inuentarium non fecerit:in ea conditione est,ut teneatur in id, quod pupilli interest:quod ex iureiurando in litem æstimatur. Nihil itaq; gerere ante inuentarium factum eum oportet:nisi id,quod dilationem nec modicam expectare possit. Si tutor cessauerit in distractione earum rerum,quæ tempore depereunt:suum periculum facit.debuit enim confestim officio suo fungi. Quid si contutores expectauit differentes, uel etiam uolentes se excusare,an ignoscatur ei?& non facilè ignoscetur. Debuit enim partibus suis fungi,non quidem præcipiti festinatione,sed nec moratoria cunctatione. Competet aduersus tutores tutelæ actio,si malè contraxerunt,si prædia non idonea comparauerunt per sordes,aut gratiam. Quid ergo,si neq; sordidè,neq; gratiosè:sed non bonam conditionem elegerint:rectè quis dixerit,solam latam negligentiam eos præstare hac in parte debere. Si post depositionem pecuniæ comparare prædia tutores neglexerunt:incipient in usuras cōueniri.quanquā enim à prætore cogi eos oportet ad comparandum:tamen si cessent,etiam usuris plectendi sunt tarditatis gratia:nisi per eos factum non est,quò minus compararet. G H

Pecuniæ,quàm in usus suos uerterunt,tutores legitimas usuras præstant.sed hoc ita demum,si euidenter doceantur,pecuniam in usus suos uertisse. Cæterum non utique,qui nō fœnerauerit,uel non deposuerit,in suos usus uertit.& ita diuus Seuerus decreuit.doceri igitur debet,in usus suos pecuniam uertisse. Vertisse in suos usus non accipimus eum, qui debitor patris pupilli fuit,deinde ipse sibi non soluit.hic enim eas usuras præstabit, quas patri promiserat. Si tutor pecuniam pupillarem suo nomine fœnerauit:ita demum cogetur usuras,quas percepit,præstare:si suscipiat pupillus cæterorum nominum periculum. Si deponi oporteat pecunias ad prædiorum comparationem:si quidem factum est:usuræ nō current.sin uero factum non est:si quidem nec præceptum est,ut deponantur: pupillares præstabuntur.si præceptum est,& neglectum:de modo usurarum uidendum est. Et solent prætores comminari:ut si non fiat depositio,uel aliquanto tardius fiat,legitimæ usuræ præstentur.si igitur comminatio intercessit:iudex,qui quandoq; cognoscet,decretum prætoris sequetur. Idem solent facere prætores etiam circa eos tutores,qui negant haberi ad alendos pupillos penes se aliquid:ut quidquid constiterit penes eos esse,eius grauissima usura pendatur.& hoc persequi oportere iudicem,palàm est,cum alia etiam pœnæ adiectione.residuarum autem summarum pupillares usuras pendi oportet. Quæ sint autem pupillares usuræ,uidendum est.& apparet hanc esse formam usurarum:ut eius quidem pecuniæ, quam quis in usus suos conuertit,legitimam usuram præstet. Sed & si negauit apud se esse pecuniam,& prætor pronunciauit contra eum:legitimam soluere debebit.uel si moram depositioni fecit,& prætor irrogauit ei legitimas. Sed & si,dum negat aliquam quantitatē penes se esse,pupillis ad onera sua expedienda imposuit necessitatem mutuam pecuniam legitimis usuris accipiēdi:tenebitur in legitimis.item si à debitoribus legitimas exegit. Ex cæteris caussis secundum morem prouinciæ præstabit usuras,aut quicunces,aut trientes,aut si quæ aliæ leuiores in prouincia frequentantur. Vsuræ à tutoribus non statim exiguntur, sed interiecto tempore ad exigendum & ad collocandum duorum mensium: idq; in iudicio tutelæ seruari solet.quod spacium seu laxamentum temporis tribui nō oportet his, qui numos impuberum uel adolescentium in suos usus conuerterunt. Si usuras exactas tutor uel curator usibus suis retinuerit:earum usuras agnoscere eum oportet.sanè enim parui I K

refert.

A refert,utrum fortem pupillarem,an uſuras in uſus ſuos conuerteri. Pecuniæ,quæ in arca
fuit,etiam hæredes tutoris tandiu uſuras præſtabunt,quandiu nõ interpellauerint,ut loco
defuncti curator conſtituatur. Si tutor pro contutore condemnetur: an etiam in uſuras
condemnandus ſit,quæritur: & placet (ut multis reſcriptis continetur, & Papinianus libro
duodecimo Quæſtionum ait) etiam in uſuras eum cõdemnandum, ſi ſuſpectum facere ſu/
perſedit:& quidem eas demum uſuras cogendum præſtare,quas ex ſua etiam adminiſtra/
tione cogeretur. Sciendum eſt,tutorem & poſt officium finitum uſuras debere in diem,
quo tutelã reſtituit. VII. IDEM.

SI TVTElæ agat is,cuius tutela adminiſtrata eſt:dicendum eſt,nonnunquam diem creditę
B pecuniæ exſpectandam:ſi fortè tutor pecunias crediderit pupilli nomine,quarum exigen/
darum dies nondum uenit.ſanè quod ad pecunias attinet:ita demum eſt,ſi potuit & debu/
it credere.cæterum ſi non debuit credere: non exſpectabitur.

VIII. IDEM.

QVOties tutor pecuniam pupillarẽ fœnori dat:ſtipulatio hoc ordine faciẽda eſt. ſtipu/
lari enim debet aut pupillus, aut ſeruus pupilli, quod ſi neque pupillus eius ætatis erit,ut ſti
pulari poſſit, neque ſeruum habebit:tunc ipſe tutor,quiúe in eius poteſtate erit.Quo caſu Iu
lianus ſæpiſſimè ſcripſit,utilẽ actionem pupillo dandam. ſed & ſi abſens ſit pupillus: opor
tere tutorem ſuo nomine ſtipulari. Nequaquam ambigendum eſt, ſi paterfamiliás eum,
pro quo fideiuſſit,tutorem dẽderit filio ſuo: officio tutoris conuenire, ut cum dies pecuniæ
C præterijt,creditori debitum ſoluat.Et ideo ceſſante eo,ſi pupillus ſuæ tutelæ factus, ſolue/
rit ex cauſſa fideiuſſoria:non ſolum mandati,ſed etiam tutelæ agere poterit.hoc enim ei im
putatur.cur pro ſe non ſoluerit. quod ſi in diem debitor fuit iſte tutor: quibuſdam uidetur
non uenire iu tutelæ iudicium,ſi modo is dies poſt tutelam finitam ſuperuenit.quod ſi dies
adhuc durante tutela uenit: putant omnimodo deuolui in tutelæ iudicium. Ego & hoc &
ſuperius ita uerum puto,ſi facultatibus labi tutor cœpit. cęterum ſi idoneus tutor fuerit: ni/
hil uenire in tutelæ iudicium. nec quiſquam putet,nullum effectum hoc habere. namque ſi
quis dixerit in tutelæ iudicium deuolui:& priuilegio locus eſt,& fideiuſſores tenebuntur, ſi
rem ſaluam fóre cautum eſt. Item ſi temporali actione fuit obligatus tutor: dicendum eſt,
locum eſſe in tutelę iudicio,ut perpetua actio ſit. Et generaliter quod aduerſus alium præ/
D ſtare debuit pupillo ſuo, id aduerſus ſe quoque præſtare debet, fortaſſis & plus. aduerſus
alios enim experiri ſine actione non potuit,aduerſus ſe potuit. Sed ſi ſub uſuris grauiori
bus pãtri pupilli pecuniã debuit, quàm ſint pupillares:uidendũ eſt, an ei aliquid imputetur.
Et ſi quidem ſoluit:nihil eſt,quod ei imputetur.potuit enim ſoluere,nec onerare ſe uſuris.
ſi uero non ſoluit:uſuras cogendus eſt agnoſcere,quas à ſe exigere debuit. Sicut autẽ ſol/
uere tutor,quod debet:ita exigere à pupillo,quod ſibi debetur,poteſt:ſi creditor fuit pãtris
pupilli.nã & ſibi ſoluere poteſt,ſi modo fuerit pecunia,unde ſoluat.& ſi uſurę fuerũt grauio
res, quæ ei debebantur, releuabitur eis pupillus: quia tutor ſe potuit liberare, ſicut alijs
quoque ſoluere,& potuit,& debuit.Nec utique neceſſe habet,ſi conueniatur per iudicem, ſem
per ſoluere.tueri enim debet cauſſam pupilli,ſi iuſta eſt.Idcirco quoque, ſi mala cauſſa pupil/
E laris eſt, denunciari uerũ ſibi debet.Denique Imperator Antoninus cũ pãtre ſuo,etiam eos
honoraria imputare pupillo prohibuit,ſi ſuperuacaneam litem inſtituiſſent,cum conueni/
rentur à uero creditore. Nec enim prohibentur tutores bonam fidem agnoſcere. Non
tantum autem ſibi ſoluere tutor,uerum etiam ſibi creditam pecuniam ſcribere(ut Marcel/
lus libro octauo Digeſtorum ſcripſit)ſeque mutua pecunia poterit obligare,ſibi mutuã præ
ſcribendo. Conſtat autem eum, qui ad augumentum dãtur (utputã ad bona materna,
quæ poſtea acceſſerunt,uel ad aliud quod augumentum) adminiſtrare bona priſtina non
ſolere.Si autem ſuſpectum facere priorem tutorẽ ſuperſedit,uel ſatis ab eo exigere, plecte/
tur. Per contrarium autem, qui dãtus eſt ſimpliciter tutor pupillo uel curator,ſi quid po
ſtea augumenti acceſſerit,periculo tenetur:quamuis ſolet ad augumẽtum dãti curator.quæ
res non facit,ut ipſa augumenta nõ pertineant ad curam priorũ ad quos omnis utilitas pu

pupillorum debet pertinere. Siue igitur datus est, cõmunicatur periculum cum prioribus: F siue datus non est, tenetur administrationis, necessitate is qui antea erat datus.

IX. IDEM.

Generaliter quotiescunq; non fit nomine pupilli, quod quiuis paterfaliâs idoneus faceret, non uidetur defendi. siue igitur solutionem, siue iudicium, siue stipulationem detrectat: defendi non uidetur.

X. IDEM.

Circa pupillum, cuius tutor seruus erat pronunciatus, diuus Pius rescripsit: in rebus, quas ex pecunia pupilli seruus compâraucrat: dominum non posse uti prærogatiua deductionis. quod & in curatore obseruandum est. G

XI. PAVLVS.

Cvm plures tutelam gerunt, nulli eorum in contutorem actio pupilli nomine datur. Quæ bona fide à tutore gesta sunt, rata habentur etiam ex rescriptis Traiani & Hadriani. & ideo pupillus rem à tutore legitimè distractam, uindicare non potest. nam & inutile est pupillis, si administratio eorum non seruetur, nemine scilicet emente. nec interest, tutor soluendo fuerit, nec ne: cum si bona fide gesta est, seruanda sit: si mala fide, alienatio non ualeat. Nimium est, tutori licere respectu existimationis pupilli erogare ex bonis eius, quod ex suis non honestissimè fuisset erogaturus. Cum tutor non rebus duntaxat, sed etiam moribus pupilli præponatur: in primis mercedes præceptoribus, nõ quas minimas poterit, sed pro facultate patrimonij, pro dignitate natalium cõstituet: alimenta seruis libertisq;, nonnunquam etiam extraneis (si hoc pupillo expediet) præstabit: solennia munera parentibus, cognatisq; mittet. sed non dabit dôtem sorori pupilli alio patre natæ, etiam si aliter ea nubere non potuit. nam & si honestè, ex liberalitate tamen fit, quæ seruanda arbitrio pupilli est. Si tutor pecuniam pupillarem credere non potuit, quod non erat, cui crederet: pupillo uacabit. H

XII. CAIVS *lib. XIII. ad edictum prouinciale.*

Tvtor secundum dignitatem facultatesq; pupilli modum seruorum æstimare debet, qui circa eum futuri sunt. Non est audiendus tutor, cum dicat ideo cessasse pupillarẽ pecuniam, quod idonea nomina non inueniret: si arguatur, eo tempore suam pecuniam, benè collocasse. In soluendis legatis & fideicommissis attendere debet tutor, ne cui non debitũ soluat. sed nec nuptiale munus matri pupilli uel sorori mittere debet. aliud est, si matri fortè aut sorori pupilli tutor ea, quæ ad uictum necessaria sunt, præstiterit, cum semetipsas sustinere non possent. nam tatum id habendum est. nec enim eadem caussa est eius, quod in eam rem impenditur. & quod muneris legatorumúe nomine erogatur. I

XIII. PAVLVS.

Etiam contutoris factum imputatur collegæ, si potuit & debuit suspectum facere. interdum & sibi debuit satispetere. nam si idoneus subito lapsus sit, nihil collegæ imputari potest.

XIIII. IDEM.

Si tvtor constitutus, quos inuenit debitores, non conuenerit, ac per hoc minus idonei efficiantur: uel intra sex primos menses pupillares pecunias non collocauerit: ipse in debitã pecuniam, & in usuras eius pecuniæ, quam non fœnerauit, conuenitur. K

XV. IDEM.

Cvm quæreret̃ iudicio tutelæ, quæ nomina à tutore facta, agnoscere pupillus deberet: Marcellus putabat, si tutor pecuniam pupilli mutuam dẽdisset, & suo nomine stipulatus esset: posse dici, nomina intêgra pupillo salua esse, deperdita & malè contracta ad tutorẽ pertinere. sed uerius esse putarim: posse tutorem eam condirionem adolescenti deferre, ut id, quod gessisset tutor in cõtrahendis nominibus, aut in totũ agnosceret, aut à toto recederet: ita ut perinde esset, ac si tutor sibi negocium gessisset. Idẽ est & si pupilli nomine credidisset.

XVI. POMPONIVS.

Qvi iussus est ab eo, qui ius iubendi habet, tutelam gerere, si cessat: ex quo iussus est, indemnem pupillum præstare debebit, non ex quo tutor esse cœpit.

A XVII. IVLIANVS.

QVI tutor negocia pupilli gessit:quamuis in nulla re author pupillo fuerit:quin tutelæ iudicio teneatur,dubitari non oportet. Quid enim prohibet,ita patrimonium pupilli compositum esse,ut nihil gerere necesse sit,in quo tutoris authoritas interponi debeat? Ex duobus tutoribus,si cum altero actum fuerit,alter non liberabitur.

XVIII. VLPIANVS lib. II. *Responsorum.*

ACTVS sui rationem tutorem contutori reddere non esse compellendum: sed nisi cum eo administrationem communicet, aut ex fide curam gerat,suspectum postulari posse.

XIX. IDEM.

B TVTOR uel curator,cuius iniusta appellatio pronunciata fuerit,cuiusúe excusatio recepta non sit: ex quo accedere ad administrationem debuit, erit obligatus.

XX. MARCELLVS lib. *singulari Responsorum.*

LVCIVS Titius Caium Seium filiumfamiliâs testamento filio suo tutorē dēdit. Caius Seius sciente & consentiente pātre tutelam administrauit. quæro, an defuncto Caio Seio actio tutelæ aduersus pātrem eius,& in quantum cumpetat? Marcellus respondit, secundū ea,quæ proposita essent, actione de peculio,& de in rem uerso patrem teneri.nec multū uideri in hoc casu facere patris scientiam & consensum ad obligandum eum in solidum:nisi fortè contutore, uel quo alio uolente eum facere suspectum, intercessisset, & quasi in se periculum recepisset.

C XXI. PAVLVS.

TVTOR ad utilitatem pupilli, & nouare,& rem in iudicium deducere potest. donationes autem ab eo factæ pupillo non nocent.

XXII. VLPIANVS.

VVLGO obseruatur,ne tutor caueat ratam rem pupillū habiturū, cum rem in iudicium deducit quid tamen,si dubitetur,an tutor sit,uel an duret tutor, uel an gestus illi commissus sit? æquum est,aduersarium non decipi,idem & in curatore est,ut Iuliaus scribit.

XXIII. PAVLVS.

DECRETO prætoris actor constitui periculo tutoris solet, quoties aut diffusa negocia sunt,aut dignitas,uel ætas, aut ualetudo tutoris id postulat. si tamen nondum fari pupillus D potest, ut procuratorē facere possit, aut absens sit:tunc actor necessariò constituendus est. Si duobus tutela simul gerenda permissa est,uel à parente, uel à contutoribus, uel à magistratibus:benignè accipiendum est etiam uni agere permissum:quia duo simul agere nō possunt.

XXIIII. VLPIANVS.

SI minoris actum fuerit cum tutoribus, adsistentibus curatoribus,&pupillus ob hoc egerit cum curatoribus, & ei sint condemnati in id, quod sua interérat,minoris corū culpa tutores condemnatos non esse:an restitutio aduersus tutores cesset? & Papinianus libro secundo Responsorum ait,nihilomninus posse restitui.& idcirco curatores,si non dum iudicatum fecerint,posse prouocantes per exceptionem doli consequi,ut eis mandentur aduersus tutores actiones.quid tamen si iam fecerunt iudicatum curatores? hoc proderit tutoribus:quoniam nihil minori abest, qui de præda magis, quàm de damno solicitus est: nisi E forte mandare actiones paratus sit curatoribus.

XXV. PAVLVS.

CVM curatore & pro tutore,etiam manente administratione,agi potest.

XXVI. IDEM.

TVTOR,qui tutelam gerit,quantum ad prouidentiam pupillarem,domini loco haberi debet.

XXVII. MARCELLVS.lib. VIII. *Digestorum.*

TVTOR pro pupillo in iudicium uocatus, solenniter cauit. si intra moras puer ad pubertatem peruenit,non est cogendus accipere iudicium. Tutor, qui post pubertatē pupilli negociorum eius administratione abstinuit, usuras præstare non debet, ex quo obtulit

pecuniam.quinctiam iustius uidetur mihi eum,per quem non stetit,quò minus conuentus f restitueret tutelam,ad præstationem usurarum non compelli. VLPIANVS NOTAT. nõ sufficit obtulisse,nisi & deposuit obsignatam tuto in loco.

XXVIII. IDEM lib. X Digestorum.

MAXIMEQ; hæredem tutoris.nam periniquum est,eum fortè,cui post uiginti annos, uel amplius,in mentem uenit,tutelam reposcere: etiam usuras postulare.

XXIX. IDEM.

TVTORIS præcipuum est officium,ne indefensum pupillum relinquat.

XXX. MODESTINVS.lib. VII.πανδεκτῶν.

DIVI Seuerus & Antoninus Augusti Sergio Iuliano. Forma,qua singuli tutores,pro ut quisq; gessit tutelam, nonnunquam insolidum tenentur:duntaxat intra pubertatis tempora locum habet,non etiam si post pubertatem administrauerint. g

XXXI IDEM lib. III. Responsorum.

SINE hærede tutor decessit.quæro an curator pupillo dãtus,cum neq; inuentaria,neq; alia instrumẽta à fideiussore tutoris exhibeant̃,eundẽ possit fideiussorẽ cõuenire ex stipulatione,quanti pupilli interest? Modestinus respondit.in id,in quod tutor conueniri potuit, fideiussorem conueniri posse. Modestinus respondit.damnum, si quod accidit eo, quia cautiones soluti uectigalis inuentæ non sunt:ad tutorem,cuius nulla culpa admissa proponitur,minimè pertinere. Modestinus respondit.tutorẽ eorũ redituum nomine rationem pupillo reddere debere,qui ex fundo bona fide percipi potuerũt. Item respõdit.si minus H à seruo tutor recepit,quam bona fide ex fundo percipi potuit:ex eo, de quo pupillæ sit obstrictus,quantum ex peculio serui seruari possit,eidem tutori proficere debere :scilicet si nõ perdituro seruo administrationem credidit. Interposito curatore,adolescens fundum Titio uendidit.postea agnita fraude,in integrum restitutus,in possessionem induci iussus est. quæro,an cum ex hac uenditione melior factus nõ sit,neq; in rem suam quicquam uersum probetur:precium emptori restituere non debeat? Modestinus respondit. preciũ fundi ab adolescente uenundãti si rationibus eius non profuit,nec quicquam de eo à iudicante de in integrũ restitutione statutum est:emptorem frustra postulare. Idem respõdit.sumptibus uoluptatis caussa ab emptore factis,adolescentem onerandum non esse.quæ tamen ab eodem ædificio ita auferri possunt,ut in facie pristina ædificium esse possit: emptori auferre I permitti oportere. Lucius Titius cohæres & curator sororis suæ cum esset ex ciuitate, in qua usitatum erat, ipsos dominos prædiorum,non conductores,onera annonarum & cõtributionum temporalium sustinere:morem hunc & consuetudinem semper obseruatam secutus,& ipse pro communi & indiuidua hæreditate annonas præstitit.quæro an in rationibus dandis opponi curatori possit,quod non rectè pro parte sororis tales impensas fecerit? Modestinus respondit.id demum curatorem adultæ reputare ex ea caussa,de qua quæritur posse:quod ipsa, si rem suam administraret, erogare compelleretur. Tutores duo post uenditionem pupillarium rerum factam,pecuniam inter se diuiserant.post quam diuisionem alter eorum in exilium actus est,durante tutela.quærebatur,an actore constituto, contutor eius partem pupillaris pecuniæ petere ab eo posset? MODESTINVS. si hoc quæri K tur,an cum tutore relegato,contutor eius tutelę actionẽ exercere possit? respondi.nõ posse.

XXXII. PAVLVS.

A' TVTORIBUS & curatoribus pupillorum eadem diligentia exigenda est circa administrationem rerum pupillarium,quam paterfamiliàs rebus suis ex bona fide prębere debet.

Officium tutorum curatoribus constitutis finem accipit.ideoq; omnia negocia,quæ initia sunt,ad fidem curatorum pertinent:idq; etiam diuus Marcus cum filio suo Commodo rescripsit. Hæredibus quoq; pupillorum electio eadem aduersus tutores,cum quo potissimum consistere uelint,competit:quæ ipsis,quorum tutela administrata fuit. Quemadmodũ principalibus constitutionibus declaratur:sumptuũ,qui bona fide in tutelã, nõ qui in ipsos tutores fiũt,ratio haberi solet:nisi ab eo,qui eũ dat,certum solaciũ ei constitutũ sit.

Ad in-

XXXIII. IVLIVS AQVILA *lib. Responsorum respondit.*

AD instruendam diligentiam iudicantis,& pupillorum utilitatem,admittendum, seruos quoq; eorum interrogari posse.

XXXIIII. PAPINIANVS.

TVTOR siue curator nomina,quæ iustè putat nō esse idonea,à tutore priore uel curatore suscipere quidem cogitur,non tamen exactionem periculo suo facere.

XXXV. IDEM.

INTER tutores diuisa tutela est.æquitas,quæ merum ius compensationis inducit, propter officium & personam agentis tutoris nō differtur. nam diuisio tutelæ,quæ nō iuris,sed
B iurisdictionis est:modum administrationis facit,& inter ipsos locū habet:nec experiri cum pupillo uolentibus obstare debet.

XXXVI. IDEM.

TVTOREM, qui tutelam gerit, Sabinus & Cassius,prout gerit, in singulas res & tempora,uelut ex pluribus caussis obligari putauerunt.secundum quam sententiā sicut seruus institor dominicæ mercis,uel præpositus debitis exigendis,si liber factus in eodē actu perseueret(quamuis tempore seruitutis obligari nō potuerit) præteriti temporis nomine actione negociorū gestorum nō in utiliter conuenitur,earum scilicet rerum, quæ connexā rationem cū his,quæ postea gesta sunt,habuerunt:sic & tutelæ iudicium earum quoq; rerū caussa tenere placuit,quæ post pubertatem administrantur,si posterior actus priori cohæreat,
C neq; diuisus propriam rationem habeat.Inde descendit quæstio,quæ uulgo circa filiumfamiliās tractata est,qui tutor testamento dātus,post tutelā gestam emancipatus,in eodē officio perseuerauit.& secundum Sabini & Cassij sententiam eueniet,ut de eo quidē,quod post emancipationem gestum est,in solidum conueniri possit:de prӕterito autem(siue peculium non sit ademptum,siue ademptum sit)in id,quod facere possit.quod si superioris temporis nomine pātrem de peculio pupillus cōuenire maluerit(annus enim utilis,ex quo tutelæ agi posse cœperit,computabitur,ne capiatur pater,inducta totius tēporis caussa) tempus, quo filiusfamiliās tutelam gessit,comprehendendum erit.

XXXVII. IDEM.

SI PLVRES tutelam non administrauerint,& omnes soluendo sint:utrum quia nullę par
D tes administrationis inueniuntur,electioni locus erit:an ut eiusdem pecunię debitores,excipere debebunt periculi societatem? quod magis ratio suadet. si quidam ex his idonei non sunt:onerabūtur sine dubio cæteri,nec iniquè: cum singulorum contumacia pupillo damnū insolidum dederit.unde quærendum est,an actiones pupillus,qui solus conuenitur,in alterum pro parte scilicet præstare debeat? sed cum propria cuiusq; contumacia puniatur: qua fronte poterit hoc desiderari?

XXXVIII. IDEM.

TVTORES,qui post finem tutelæ per errorem in officio durantes,rerum administrationem retinuerunt:nominum paternorum periculum,quæ post pubertatem adolescētis idonea fuerunt,præstare cogendi non erunt:cum actionem inferre non potuerunt. Curator
E à pātre testamento dātus,impuberis negocijs se per errorem immiscuit.postea à prętore,tutoribus alijs dātis, periculum futuri temporis ille,qui postea nihil gessit,non præstabit.

Qui se negocijs impuberis,non iure tutor dātus,secundum pātris uoluntatem immiscuit: errore comperto tutorem à prætore constitui consultius petet:ne fortè, si rem cœptā deseruerit,fraudis uel culpæ caussa condemnetur.non idem seruatur, si quis ultro negocium alienum gesserit:cum satis abundeq; sit,uel in una specie per amici laborem domino consuli. Hęres institutus,qui non habuit substitutum:prius , quàm hæreditatem adiret,quam impuberi restituere debuit,uita decessit.cum hæreditas in Italia esset,scriptus autem hęres in prouincia uita decessisset:tutores prouincialiū rerum,culpæ nomine condemnādos existimaui: si caussam testamenti non ignorantes,utilitatem impuberis deseruerunt.nam hæreditatis in prouincia fideicommisso restituto, causam quidem iuris expediri potuisse:

rerum autem administrationem ad eos recidere debuisse qui tutelam in Italia suscepissent. F

Aduersus tutorem,qui pupillum hæreditate patris abstinuit, actionem denegari non oportet creditori,qui cum ipso tutore contraxit,quamuis tutor pecuniam in rem impuberis uerteret. Curatores adolescentis mutui periculi gratia cautionem inuicem sibi præbuerunt,& in eam rem pignora dederunt.cum officio deposito soluendo fuissent: irritam cautionẽ esse factam,& pignoris uinculũ solutũ apparuit. Tutor datus aduersus ipsam creationem prouocauit.hæres eius postea uictus,præteriti temporis periculũ pręstabit:quia nõ uidetur leuis culpa,contra iuris authoritatem mandatum tutelæ officium detrectare. Rerum prouincialium tutores in urbe caussa appellationis impuberum agentes:rerum Italicarum curatores,ut impuberibus constituantur,ad officium suum reuocare debent. alioqnin G si prius in prouinciam redierint: dolum aut culpam eorum in ea quoque parte rectè iudex conueniet. Patruus testamento fratris filio tutor datus,cum in Italia domicilium haberet,tam Italicarum rerum,quam prouincialium administrationem suscepit: atq; ita pecuniam ex uenditionibus Romæ refectam in prouinciam traiecit,& in calendarium pupilli conuertit.tutor in locum eius Romæ substitutus,administrationem pecuniæ,quę non pertinet ad tutelam suam,suscipere non cogitur. Curatores testamento, uel tutores inutiliter dati, neq; decreto prætoris confirmati,negocia gesserunt. uice mutua periculum pręstare coguntur:cum officium sponte citra iuris adminiculum inierint: & qui fuit idoneus,decretum prętoris curatores uel tutores constituentis,implorare debuerit. Tutoribus idoneis diẽ functis,uice mutua periculum ad hæredes eorum non redundat,quod non habuit locum officio tutelæ manente. In eum,qui tutelam gerere noluit:post cæteros,qui gesserunt, actionem tutelæ dari placuit.quod tamen ex tutela non peruenit ad eos,qui se negocijs miscuerunt,sed communi negligentia perijt:citra substitutionis ordinem,æqualiter omnium periculum spectat. Tutores,pubere pupillo constituto,litem appellationis inchoatam iussu consulum,ob notitiam rei perfecerunt.cum iudicatum persequi non potuerũt,periculo culpæ non subijciuntur. Ab eo,qui restitutionis auxilio non iuuatur,quęstio culpę tutorum conuentione remitti potest:nec donatum,sed transactum uidetur negligentia tutorum. H

Periculo nominum,quę pater usuris maioribus fecit,adscripto:pupilla quidem actionem calendarij præstare cogitur,exactas autem usuras tutelæ tempore citra ullam compensationem retinet. Adolescens,tutoribus conuentis,à quibus totum seruare non potuit,aduersus curatores,qui tutelam ad se negligentia non transtulerunt,integram actionem retinet. I neq; enim tutelę iudicio consultũ uidetur,quod alterius officij querelã habuit. Tutor qui tutoris idoneũ hæredẽ conuenire pupilli nomine noluit,damni uicarius substituitur:ut is, qui nõ idoneũ tutelæ tempore suspectũ facere supersedit. Tutelæ iudiciũ ideo differri nõ oportet,quod fratris & cohęredis impuberis idem tutelam sustineat. Quod de peculio serui actoris,quem adolescens,postquam res suas administrare cœpit,manumisit,retinuit, aut retinere potuit:in ratione reddenda curatori per iudicem acceptò feretur.

XXXIX. IDEM.

IMPVberi filio centurio curatorem dedit.decreto pretoris non secuto,si nihil curator datus administret:periculo contumaciæ uel negligentiæ non adstringetur. nam priuilegium K militum ad alienam iniuriam porrigi non oportet:nec in alijs circa supremam uoluntatem imperitiæ uenia datur,quàm in bonis militum.filij uero tutela iure patriæ potestatis, non militiæ præmio mandatur.

XL. IDEM.

QVI plures tutores habuit:unum,qui soluendo non fuit,rationem actus sui uetuit reddere.quoniam eius liberatio,quod ex tutela percepit,aut dolo contraxit,non est relicta:cõtutores,qui suspectum facere neglexerunt,ex culpa rectè conueniuntur.tutor enim legatarius ex culpa.quæ testamento remissa est,non tenetur.

XLI. IDEM.

EX PLVribus tutoribus in solidum unum tutorẽ iudex cõdemnauit.in rem suam iudicatus

A catus procurator datus, priuilegium pupilli non habebit, quod nec hæredi pupilli datur. nõ enim caussæ, sed personæ succurritur, quæ meruit præcipuum fauorem.

XLII. PAVLVS. lib. VII. *Quæstionum.*

CVM POST mortem pupilli desinit esse nomen idoneũ, tutor periculo eximitur. Quidam cũ esset fr itris sui filiæ curator, quadringẽta dõtis nomine marito eius se daturũ promisit. quęro, an succurrendũ sit ei, cum postea ære alieno emergente, supra uires patrimonij eius dos promissa sit: quoniam in instrumẽto ita scriptum sit, ILLE PATRVVS ET CVRATOR STIPVLANTI SPOPONDIT: mouet quæstionem, quod non ut de suo dõtem daret, sed cum crederet rationem pupillatem sufficere, promiserit. prætetea & illud hic potest

B tractati: ut si sciens curator non sufficere, promiserit: uel donasse uideatur, uel quoniam dolo fecit, nõ illi succuratur. respondi. curator, cũ officiũ suũ egressus, sponte se obligauit: nõ puto ei à prætore subueniri debere: nõ magis, quàm si creditori pupillæ pecuniam se daturum spopondisset. sed is, de quo tractamus, si nõ donandi animo sed negocij gerendi caussa dõtem promisit: habet mulierẽ obligatã. & poterit dici, etiã manente matrimonio eam teneri (quia habet dõtem) sicut in collatione bonorũ dicitur: uel certè post diuortium, siue exacta sit dos, siue maneat nomen: quia potest efficere, ut ei accepto feratur. Quod si mulier suum curatorem adimplere, eò quod supra uires patrimonij eius in dõtem date promisit, non queat: curatorem quidem in hoc quod superfluum est, per exceptionem releuari, mulierem uero cautionem in maritum exponere debere. quod si quandoq; locupletior constante ma

C trimonio facta fuerit: dõtis reliquum marito soluat.

XLIII. IDEM.

QVI nominibus à curatoribus prioribus susceptis siue tutoribus, nomina agnouerunt: periculum in se transferunt. Sed & si pupillus post pubertatem, rationibus à tutore acceptis, reliquationem eius secutus, usuras acceptauerit: priuilegium suum non amittit in bonis tutoris uenditis. prætor enim priuilegium ei seruare debet.

XLIIII. IDEM.

SI PVPillus alterum ex tutoribus post pubertatem (authoritate curatoris) liberasset: improbè alterum illius nomine conabitur interpellare. idemq; dicemus in duobus magistratibus collegis, quorum alterum respublica conuenit. sed hæc in magistratibus quidam

D tarctant, quasi duo rei eiusdẽ debiti essent omnino: quod non ita est. nam si uterq; idoneus est: electio locum non habet. is autem, qui tempore liberatus est: non ei similis est, qui nihil habet, sed ei qui satisfecit. habet enim, quod obijciat petitori.

XLV. IDEM.

LVCIVS Titius curator Caij Seij tempore curæ fundum Cornelianum locauit Sempronio, qui Sempronius reliqua traxit. pupillus ætate probata, eundem quondam colonũ Sempronium fecit procuratorem. quæro, an ex eo, quod ille, ut procurator egit, omne debitum adolescens agnouisse uideatur, eoq; nomine curatorem suum liberarit. Paulus respondit. non ex eo, quod adultus eum, qui prædia eius coluit, procuratorem habere uoluit: debitum, quod ex conductione reliquatus est, agnouisse eũ uideri. Sempronij, qui ex pollici

E tatione debitor patriæ suæ extiterat, bona respublica iussu præsidis possedit. quorum bonorum magistratus reipublicæ tres curatores constituerunt, qui apud Græcos uocantur ἐπιμεληταί: qui postea inter se sine consensu reipublicæ administrationem bonorum Sempronij diuiserũt. ex quibus quidã, cũ reliqua traherẽt, idonei ipso tẽpore administrationis esse desierunt. postea pupillus hæres Sẽpronij, qui abstentus erat, ab imperatore impetrauit, ut bona paterna ei restituerent. quæro, an ex bonis eorũ, qui idonei sunt, indẽnitati pupilli prospici debeat: cũ indiuiduũ his officium curę à magistratibus iniunctũ sit. Paulus respõdit. si pupillo in curatores bonorũ actiones decerni placuerit: pro eius portione, qui idoneus nõ sit magistratus cõueniri oportere. alia enim caussa est tutorũ, alia eorũ, qui reipub. negocia administrãt. Tutorẽ, qui pecuniã pupillarẽ (quamuis suo nomine) fœnerauit: nõ uideri cõtra constitutiones fecisse, quæ prohibent, pecuniã pupillarẽ in usus suos cõuertere.

Quæsitum est, an eius pecuniæ, qua tutor usus est, post finitam quoq; tutelam in diem iudicij accepti easdem usuras præstare debeat? Paulus respondit. finita administratione, eas usuras debere computari, quæ in tutelæ iudicio computantur. Paulus respondit. propter ea, quæ post pubertatem nulla necessitate cogente, sed ex uoluntate sua tutor administrauit: fideiussorem, qui saluam rem fore cauit non teneri. Tutelæ iudicio tutor conuentus, edidit librum rationum, & secundum eum cōdemnatus, soluit. postea cum à debitoribus paternis, quorum nomina libro rationum non inerant, exigere uellet pupillus decem: prolatæ sunt ab his apochæ tutoris. quæsitum est, utrum aduersus tutorem, an aduersus debitorem actio ei competat? Paulus respondit. si tempore administrandæ tutelæ tutori tutelam gerenti debitores soluissent: liberatos eos ipso iure à puppillo. sed & si cum tutore actū esset: G posse eundem adolescentem propter eam caussam tutelæ experiri, & aduersus exceptionē rei iudicatę doli mali replicatione uti. Cum in testamēto duo tutores dāti essent pupillo, & alter ex his uita defunctus fuisset: in locum eius petente mātre, ex præsidis prouincię præcepto, à magistratibus tutor dātus est, à quo magistratus satis exegerunt rem saluam fōre. tutor testamento dātus, postea dātum suspectum fecit. quæsitum est, in quantum teneatur? Paulus respondit. tutorem testamento dātum pro ea parte cōueniri oportere, pro qua parte administrauit: pro contutoris autem portione prius eos conueniri debere, qui pro eo se obligauerunt, uel magistratus, qui eum dēderunt: tunc si solidū pupillus consequi non potuerit, de officio cōtutoris quærendum, an suspectum facere debuerit: præsertim cum suspectum quoq; eum postulasse dicatur. aliàs quidem cum magistratus plures tutores dant: nō H prius ad eos reuerti pupillus potest, quàm omnes tutores excussi fuerint. in proposito cum unus à magistratibus dātus proponeretur: non est uisum, prius collegam conueniendum, qui & suspectū fecit, & testamento datus est. perindeq; habendos singulos, ac si in testamento in partes dimidias tutores dati essent. Tutoribus concessum est, à debitoribus pupilli pecuniam exigere, ut ipso iure liberentur: non etiā donare, uel etiam deminuendi caussa cū his transigere. & ideo eum, qui minus tutori soluit, à pupillo in reliquum conueniri posse.

XLVI. SCAEVOLA.

TITIVM & Mæuium tutores quis dēdit, & cauit ita. *βούλομαι καὶ παρακαλῶ πάντα γίνεσθαι μετὰ τῆς Μαιβίου τοῦ ἀδελφοῦ μου γνώμης: δίχα αὐτοῦ τὸ γιγνόμενον ἄκυρον ἔσω.*

Titius solus à debitoribus exegit. an liberati essent, quærit. respondi. si & administrationem Mæuio dēdisset, non rectè solutum. I Quatum filio meo diurnnm sufficiat, Mariana & Ianuaria æstimabunt. quæro an contenti esse debent tutores arbitrio mulierum? respōdi sumptum boni uiri arbitrio faciendum. Tutores dati ad res Italicas, instrumenta Romę repererunt debitorum prouincialium. ut pecunia Romæ, aut ubicunq; petitum fuerit, soluatur. quæro, cum neq; debitores in Italia essent, neq; eorum prædia: an hæc exactio ad Italicæ rei tutores pertineat? respondi. si prouincialis contractus esset, non pertinere: respicere tamen ad officium eorum, ne instrumentorum ignorantia contractus eos, ad quos administratio pertinet, lateret. A' mātre datus testamento tutor, cum putatet se tutorem esse, distraxit bona materna & paterna pupillorum & decessit non soluendo. quæritur, an pupillus res possit uindicare? respondi. si manent res pupilli, uindicari ab eo posse. Præfectus K legionis ita testamento cauit. uolo, ut sit in arbitrio tutorum filij mei, si uoluerint huius summæ uncias inferre usurarum nominne, ita ne numi dispergantur. quæro, si apparuerit pecunia fœnerata à tutoribus: iudicio tutelæ uncias usuras, an uero eas, quas stipulati sunt, præstare debeant? respondi. si secundum uoluntatem defuncti elegissent usurarū præstationē, neq; pupilli nomine in fœnus dēdissent: id præstari, quod testator uoluisset. Lucius Titius mutuam pecuniam à tutore accepit, & rem hæreditariam pignori ei dēdit post trienniū iam puberibus his, quorū tutela administrata est, fisco bona defuncti adiudicata sunt: quia mortē eius hæres nō est ultus. quæritur an id nomē pupillus recusare possit? respondit. secundū ea, quę proponunt, id nomē ad onus tutorū nō pertinere. Altero ex duobus fratribus socijs bonorū & negociatiōis defuncto, hęrede filio: tutor patruus uēditis omnibus cōmunis nego-

A negociationis mercibus,& sibi redemptis,negociũ suo nomine exercuit. quæsitum est,utrũ compendium negocij,an usuras pecuniæ præstare debeat? respondi. secundum ea,quæ proponuntur,pupillo usuram, non compendium præstandum. Tutor rerum Italicarum cõuentus à creditore prouinciali,ubi rem pupillus habuit,soluit.quæsitum est,an id tutelæ iudicio reputari potest? respondit.nihil proponi,cur non possit.

XLVII. HERMOGENIANVS *lib.IIII. iuris ἐπιτομῶν.*

INTER bonorum,uentrisq; curatorem,& inter curatorem furiosi, itemq; prodigi,pupilliue magna est differentia: quippe cũ illis quidem planè rerum administratio, duobus autẽ superioribus sola custodia,& rerum,quæ deteriores futuræ sunt, uenditio committatur.

B XLVIII. PAVLVS.

OB FOENUS pupillari pecuniæ per contumaciam non exercitum, aut fundorum omissam cõparationem:tutor,si non ad damnũ resarciendum idoneus est, extra ordinẽ coërcebitur.

XLIX. HERMOGENIANVS *lib.IIII. iuris ἐπιτομῶν.*

SI RES pupillaris incursu latronum pereat: uel argentarius, cui tutor pecuniam dĕdit, cũ fuisset celeberrimus,solidum reddere non possit: nihil eo nomine tutor pręstare cogitur.

L. VENVLEIVS *lib.VI. Stipulationum.*

SI DVO pluresúe tutores tutelam administrent: in fideiussorem quidem in solidum per quemlibet eorum cõmittitur stipulatio.at si inter eos diuisa sit tutela regionibus (quod plerunq; fit)& alius urbica negocia,alius peregrina administret: tunc ex substantia cuiusq;
C rei,aut committi contra fideiussorem stipulationem, aut non committi dicemus. nam licet omnes tutores sint,& tutelam gerant: tamen cum quis de ea re, quæ extra suam regionem erit, experiri uel ad iudicium uocari cœperit: perinde non committitur stipulatio, atque si ei administratio tutelæ permissa non esset. quantum enim facit,in totum denegata:tantundem ualet,si in ea re,de qua agitur,denegata sit.

LI. NERATIVS *lib.III. Membranarum.*

CVRATOR pro minore non tantum dõtem dare debet, sed etiam impendia, quæ ad nuptias facienda sunt.

LII. PAVLVS *lib.III. Decretorum.*

AEMYLius Dexter magistratus sui tempore datis tutoribus, cessauerat in exigenda sa-
D tisdătione.deinde quibusdam excusatis, à sequentibus magistratibus Dexter tutor adsumptus fuerat. creatus conueniebatur in solidum duplici ratione:& quia tutor,& quod cũ magistratus esset,& tutores dĕdisset, satisdationem non exegisset. ex diuerso dictum est. licet sátis exactum non esset:tamen in diem tutelæ finitæ idoneos fuisse tutores, neq; cessationẽ curatorum obesse tutoribus debere. pronunciauit:si in diem finitæ tutelæ idonei permansissent tutores:licet sátis non esset exactum,curatorum esse periculum.si minus: tutorum & magistratuũ.

LIII. TRIPHONINVS *lib.VII. Disputationum.*

NON existimo maximis usuris subijciendum eum, qui à contutoribus suis mutuam pecuniam pupilli accepit, & cauit, certasq; usuras promisit, quas & alij debitores pupillo dependunt:quia hic sibi non consumpsit, nec clam, nec quasi sua pecunia licenter abutitur:&
E nisi his usuris à contutore mutuum ei daretur,aliunde accepisset. & multum refert, palam aperteq; debítorem se,ut extraneum & quemlibet faceret pupillo: an sub administratione tutelæ pupilliq; utilitate,latenter sua commoda pecunia pupilli iuuaret.

LIIII. IDEM *lib.IX. Disputationum.*

TRES tutores pupillo dati sunt. unus tutelam gessit, & soluendo non est. secundus tertio gerendam mandauit.tertius nihil omnino gessit.quæsitum est,quatenus quisq; eorum teneatur? Et tutorum quidem periculum commune est in administratione tutelæ, & in solidum uniuersi tenentur.planè si numerata pecunia pupilli(inter eos distributa)est: non in maiorẽ summã quisq; eorũ,quàm accepit,tenetur. sed si ipsi tutores rem pupilli furati sunt: uideamus,an ea actione,quæ proponitur ex lege duodecim tabularũ aduersus tutorẽ in duplum,singuli in solidũ teneantur:& quamuis unus duplũ pręstiterit, nihilominus etiam alij tenean-

teneantur. nã in alijs furibus eiusdem rei pluribus, non est propterea cæteris pœnæ dempta actio, quod ab uno iam exacta est. sed tutores propter admissam administrationem non tam inuito domino contrectare eam uidentur, quàm perfidè agere. nemo denique dicet unũ tutorem & duplum hac actione præstare, & quasi speciẽ condictionis, aut ipsam rem, aut eius æstimationem. Non solum ergo gessisse tutelam creditur is, qui uel ipse gessit, uel alij gerendam mandauit: sed & qui satis à contutore accepit rem saluam pupillo futuram, eique permisit administrationem totius tutelæ. nec potest se defendere constitutionibus, quæ iubent antè conueniri eum, qui gessit. Inde in in eo, quod nemo gessit, nõ utique eius periculum est, qui quædã gessit, sed cõmuniter omniũ. exigi autem ab eo solo periculũ ob alia, quę non gessit, non oportet: nisi si qua talia sunt, quæ uel consummationẽ cœptorũ ab eo desiderabant, uel ita coniuncta fuerunt, ut separari non deberent. Quod autem dicitur, desijsse soluendo esse uel non esse, & contutores præstare debere: uideamus, qualem intellectum habeat. item utrum sufficiat, nihil deminutum esse de facultatibus contutois, ex quo tempore datus est, sed eandem faciem patrimonij permansisse: an & si nihil post accidit, quod palam faciat deminutionem patrimonij. debeat tamen contutor inquirere fortunas contutoris. sed & hoc & ex personæ qualitate, & ex temporis intercapedine, quo testamentum factum est, usque ad mortem patris aliam æstimationem accipere potest. nam apertè prodigo, uel cuius bona uẽnierant: licet obreptum fuerit prætori, qui decreto eum dẽdit, permittere contutor administrationem non debet: & potuit aliquid pater eorum, post testamentum factum accidens, ignorasse: aut cum destinatũ haberet mutare testamentum, id non fecisse. H

LV. SCAEVOLA.

TVTOR rerum & animalium pupilli uenditionem fecit. sed quædam animalia, emptoribus precium non soluẽtibus, retinuit, & apud se habuit. precium idem rationibus pupilli accepto tulit. ex his aliquot nata sunt. defuncto tutore, hæres eandem tutelam administrauit, & animalia annis pluribus possedit. quæsitum est, an cum is, cuius tutela administrata est, annis quatuordecim ẽsset: iure animalia uindicaret? respondi, secundum ea, quæ proponerentur, pupillum ea uindicare non posse.

LVI. IDEM.

CHIROgraphis debitorum incendio exustis, cum ex inuentario tutores conuenire eos possent ad soluendam pecuniam, aut ad nouationẽ faciendam cogere: cum idem circa proprios debitores propter eundem casum fecissent, & id omisissent circa debitores pupillorũ: an si quid propter hanc eorum cessationem pupilli damni contraxerunt, iudicio tutelæ consequantur? respondi, si adprobatum fuerit, eos tutores hoc per dolum, uel culpam prætermisisse: præstare ab his hoc debere. Ab eo, qui sententia præsidis bonis ademptis relegatus erat, (cum permissu principis appellatio eius recepta sit, quam is, qui pronunciauerat, nõ receperat) fundum emerat pupillus, interueniẽtibus tutoribus: & appellatione iniusta pronunciata, fundus ei ablatus est. quæsitum est, an tutelæ iudicio precium fundi pupillus consequi à tutoribus possit? respondi, si scientes emerunt ab eo, qui in ea caussa etiamnum obnoxius sententiæ priori esset: tutelæ iudicio eos teneri. I

LVII. IDEM. K

QVI negotiationẽ per Pamphilum & Diphilum, prius seruos, postea libertos exercebat: suo testamento eos tutores reliquit, & cauit, ut negociũ eodem modo, quo se uiuo, exerceretur. hi tutelam administrauerunt, non tantum cum impubes patroni filius fuisset, sed etiam post pubertatem eius. sed Diphilus quidem cum incremento negociationis rationes obtulit: Pamphilus autem putauit reddi oportere, non ad incrementum negociationis, sed ad computationem usurarum, ut in tutelæ iudicio soler. quæsitum est. an secundum uoluntatem defuncti, exemplo Diphili, Pamphilus quoque rationem reddere debeat? respondi, debere. CLAVDIVS TRIPHONINVS. quia lucrum facere ex tutela nõ debet. Ex duobus tutoribus pupilli altero defuncto adhuc impubere pupillo: qui supererat, ex persona pupilli sui iudice accepto, consecutus est cum usuris, quantum ex tutela ad tutorem defunctum peruenerat.

A peruenerat quæsitum est.iudicio tutelæ,quo experitur pubes factus,utrum eius tatũ.quod ab initio ex tutelæ ratione peruenerat ad defunctum contutorem,usuræ ueniant: an etiam eius summæ, quæ exortis usuris pupillo aucta,post mortem eius ad superstitem æquè cum sorte translata sit, aut transferri debuit? respondi.si eam pecuniam in se uertisset,omniũ pecuniarum usuras præstandas.quod si pecunia mansisset in rationibus pupilli:præstandum, quod bona fide percepisset,aut percipere potuisset, si fœnori dare (cum potuisset) non neglexisset: cum id,quod ab alio debitore nomine usurarum cum sorte d.tur, ei qui accepit, totum sortis uice fungatur,uel fungi debeat. Testamento dati tutores,quod ruptum uidebatur,cessauerunt in administratione tutelæ: & à præside tutor datus est pupillo. iussi autẽ
B sunt & hi,qui dati erant testamento tutores,tutelam administrare:coniuncto eo,qui à præside datus, cœperat administrare. quæsitum est, ad testamento datos periculum administrationis,utrum ex apertis tabulis,an ex quo iussi sunt,pertineat? respondi. ad eos,de quibus quæreretur, nullum antecedentis temporis periculum pertinere. Pupillo hærede instituto,filiæ ex hæredatæ duo milia numorum aureorum legauit, eosdemq́ tutores utrisq́ dedit.quæsitum est,an cum ex eo die, quo duo milia potuerunt à substantia hæreditatis separari, in nomina collocare neglexerint: usurarum nomine pupillæ tutelæ iudicio teneantur? respondi.teneri. Quæsitum est. an usuræ pupillaris pecuniæ, quas tutores debuerũt, cũ ad curatorẽ transferuntur,in sortem cõputantur, & uniuersæ summæ usuras debere curatores incipiant? respondi.omnis pecuniæ, quæ ad curatores transit, parẽ caussam esse:quia
C omnis sors efficitur. LVIII. IDEM.

Cvm hæreditas patris ære alieno grauaretur, & res in eo statu uideretur,ut pupilla hæreditate paterna abstineret:unus ex tutoribus cum plerisq́ creditoribus ita decidit,ut certa crediti portione contenti essent, acciperentq́.idem curatores iam uiripotenti accepti, cum plerisq́ creditoribus deciderunt quæsitum est. an si aliquis tutorum creditor patris pupillæ solidam pecuniam expensam sibi ex re pupillæ cum usuris fecit: reuocari à curatoribus pupillæ ad portiones eas possit,quas cæteri quoq; creditores acceperunt? respondi.eum tutorem,qui cæteros ad portionem uocaret,eadem parte contentum esse debere.

LIX. POMPONIVS.

Si tvtoris hæres exsecutus est,quæ tutor incohauit,tutelæ etiam eo nomine tenetur.

D LX. IDEM lib.IIII. ἐπιστολῶν.

Apvd Aristonem ita scriptum est,quod culpa tutoris pupillus ex hæreditate desijt possidere:eius æstimatio in petitione hereditatis sine ulla dubitatione fieri debebit ita,si pupillo de hereditate cautũ sit.cautũ aũt esse uidetur,etiã si tutor erit idoneus,à quo seruari possit id,quod pupillus ex litis æstimatione subierat.Sed si tutor soluẽdo nõ est:uidenũd erit, utrũ calamitas pupilli,an detrimentũ petitoris esse debeat:perindeq́ habere debeat,ac si res fortuito casu interijsset:similiterúe atq; ipse pupillus expers culpæ quid ex hæreditate deminuisset,corrupisset,perdidisset. de possessore quoq; furioso quæri potest:si quid, ne in rerum natura esset,per furorem eius accidisset.tu quid putas? POMPONIVS. puto eum uerum dicere.sed quare cunctatus es,si soluendo non sit tutor,cuius damnum esse debeat? cum ali-
E oquin elegantius dici possit: actiones duntaxat, quas haberet cum tutore pupillus, uenditori hæreditatis præstandas esse:sicuti & hæres, uel bonorum possessor, si nihil culpa eius factũ sit: (ueluti si fundo hæreditario ui deiectus sit,aut seruus hæreditarius uulneratus ab aliquo sit sine culpa possessoris)nihil amplius, quàm actiones quas eo nomine habet,præstare debeat. Idẽ dicendũ est,& si per curatorem furiosi culpa uel dolo quid amissum fuerit: quemadmodũ si quid stipulatus tutor uel curator fuisset, aut uẽdidisset hæreditariam rem. impunè autem puto admittendum,quod per furorem alicuius accidit:quomodo si casu aliquo sine facto personæ id accidisset.

DE AVTHORITATE ET CONSENSV tutorum & curatorum. TIT. VIII.

VLPIANVS.



QVANQVAM regula est iuris ciuilis, in rem suam authorem tutorem fieri non posse: tamen potest tutor proprij sui debitoris hæreditatem adeunti pupillo authoritatem accommodare, quamuis per hoc debitor eius efficiatur. prima enim ratio authoritatis ea est, ut hæres fiat: per consequentias contingit, ut debitum subeat. se tamen authore, ab eo stipulari non potest. Et cum quidam authoritatem accõmodaret pupillæ suæ, ut seruo suo stipulãti spóderet: diuus Antoninus Pius rescripsit, iure pupillam nõ teneri: sed in quantum locupletior acta esset, dandam actionem. sed si author fiat, ut filio suo quid tradatur: nulla erit authoritas. euidẽter enim sua authoritate rem adquirit. Tutor si inuitus retentus sit per uim: non ualet, quod agitur: sicuti neq; præsentia corporis sufficit ad authoritatem: ut si somno, aut morbo comitiali occupatus, tacuisset.

II. IDEM.

NVLla enim differentia est, nõ interueniat authoritas tutoris, an perperam adhibeatur.

III. PAVLVS.

ETIAM si non interrogatus tutor author fiat: ualet authoritas eius, cum se probare dicit, id quod agitur. hoc est enim authorem fieri.

IIII. POMPONIVS.

ET si pluribus dãtis tutoribus, unius authoritas sufficiat: tamen si tutor author erit, cui administratio tutelæ concessa non est: id ratum à prætore haberi non debet. & ideo puto uerius esse, quod Ofilio placebat: si eo tutore authore, qui tutelam non gerat, emam à pupillo, sciens alium eius tutelam gerere: dominũ me nõ posse fieri. Item si eo authore emam, qui à tutela fuerit remotus. nec enim id ratum haberi.

V. VLPIANVS.

PVPillus obligari tutori eo authore non potest. planè si plures sint tutores, quorũ unius authoritas sufficiat: dicendum est, alio authore pupillum ei posse obligari: siue mutuam pecuniam ei det, siue stipuletur ab eo. sed & cum solus tutor, mutuam pecuniam pupillo dẽderit, uel ab eo stipuletur: non erit obligatus tutori. naturaliter tamen obligabitur, in quantũ locupletior factus est. nam in pupillum non tantum tutori, uerum & cuiuis alij actionem, in quantum locupletior factus est, dandam, diuus Pius rescripsit. Pupillus uendendo sine tutoris authoritate non obligatur. sed nec emendo, nisi in quantum locupletior factus est.

Item ipse tutor & emptoris & uenditoris officio fungi non potest. sed enim si cõtutorem habeat, cuius authoritas sufficit: procul dubio emere potest. sed si mala fide emptio intercesserit: nullius erit momenti, ideoq; nec usucapere poterit. sanè si suæ ætatis factus, comprobauerit emptionem: contractus ualet. Sed si per interpositã rem pupilli emerit: in ea caussa est, ut emptio nullius momenti sit: quia nõ bona fide uidetur gessisse rem, & ita est rescriptũ à diuo Seuero & Antonino. sanè si quidem emit ipse palam, dẽdit autẽ nomẽ non mala fide simpliciter: (ut solent honestiores non pati nomina sua instrumentis inscribi) ualet emptio. quod si callidè: idem erit, atq; si per interpositam personam emisset. sed & si creditor pupilli distrahat: æquè emere bona fide poterit. Si uero filius tutoris, uel quæ alia persona iuri eius subiecta, emerit: idem erit, ac si ipse emisset.

VI. POMPONIVS.

TVTORES, quibus administratio decreta non est, tanquam extraneos, rectè à pupillo emere placet.

VII. VLPIANVS.

QVOD dicimus, in rem suam autoritatẽ accõmodare tutorem non posse: toties uerũ est, quoties per semetipsum, uel subiectas sibi personas adquiritur ei stipulatio. cæterũ negociũ ei per consequentias geri (ut dictum est) nihil prohibet. Si duo rei sint stipulandi, & alter me authore à pupillo stipuletur, alter altero tutore authore: dicendũ est, stipulationẽ ualere: si tamen authoritas tutoris unius sufficiat. cæterũ si nõ sufficiat dicendum erit, inutilẽ esse stipulationem. Si & pater & filius, qui in potestate eius fuit, tutores fuerunt, & pater est stipulatus filio authore: nullius momẽti erit stipulatio idcirco, quia in rem pãtris author esse filius non potest.

Et si

A VIII. IDEM.

ET si conditionalis contractus cum pupillo fiat, tutor debet purè author fieri. nam authoritas non conditionaliter, sed purè interponenda est, ut conditionalis contractus confirmetur. IX CAIVS lib. XVIII. ad edictum prouinciale.

OBLIGARI ex omni contractu pupillus sine tutoris authoritate non potest: adquirere autem sibi stipulando, & per traditionem accipiendo, etiam sine tutoris authoritate potest. sed credendo obligare sibi non potest: quia sine tutoris authoritate nihil alienare potest. Ex hoc autem, quod pupillus nullam rem sine tutoris authoritate alienare potest: apparet, nec manumittere eum sine tutoris authoritate posse. hoc amplius, licet tutoris authoritate manumittat: debet ex lege Aelia Santia apud consilium caussam probare. Pupillus ex omnibus caussis soluendo sine tutoris authoritate, nihil agit: quia nullum dominium transferre potest. si tamen creditor bona fide pecuniam pupilli consumpserit, liberabitur. Pupillus hæreditatem adire sine tutoris authoritate non potest, quamuis lucrosa sit, nec ullum habeat damnum. sed nec ex senatusconsultò Trebelliano hæreditatem recipere sine tutoris authoritate potest. Tutor statim in ipso negocio præsens debet author fieri: post tempus uero, aut per epistolam interposita eius authoritas, nihil agit. Etiam si non exaudiat tutoris authoritatem is: qui cum pupillo contrahit, scriptis tamen hoc adprobetur: rectè negocium geritur. ueluti si absenti pupillo per epistolam uendam aliquid, aut locem, & is tutoris authoritate consentiat. X. PAVLVS.

C TVTOR, QVI per ualetudinem, uel absentiam, uel aliam iustam caussam author fieri non potuit, non tenetur. XI. CAIVS lib. XVIII. ad edictum prouinciale.

SI AD pupillum aut furiosum bonorum possessio pertineat: expediendarum rerum gratia, & in agnoscenda, & in repudienda bonorum possessione uoluntatem tutoris curatorísque spectari debere placuit: quia si quid contra modum pupilli, furiosiue fecerint, tutelæ curationis ue iudicio tenebuntur.

XII. IVLIANVS. lib. XX. Digestorum.

SI SERVVS communis tuus & Titij à pupilla tua te authore aliquam rem per traditionem acceperit: tota ad Titium pertinebit. MARCELLVS NOTAT. nam quodcunque ad omnes dominos non potest pertinere: id pro solido ad eum, cui adquiri potest, pertinere ueteres comprobauerunt.

D XIII. IDEM lib. XXI. Digestorum.

IMPVBERES tutore authore obligantur, etiam si taceant. nam cum acceperint pecuniam mutuam: quamuis nihil dicant, authoritate tutoris interposita, tenentur. quarè & si non debita pecunia his personis soluta fuerit: quamuis tacuerint, interposita tutoris authoritas sufficit, ut condictione teneantur.

XIIII. IDEM ad Vrseium ferocem.

NON multum interest, non adfuerit tutor, cum negocium contraheretur: an præsens ignorauerit, quale esset, quod contraheretur.

XV. MARTIANVS.

E ACCIPIENTIS & edentis iudicium idem tutor author utrinque fit. sed utrum ita est, si bis author factus est: an & una authoritas sufficiat eo animo, ut ad utrunque pertineat dubitat quidem Pomponius, sed fortiter defenditur, sufficere unam authoritatem.

XVI. PAVLVS.

ETIAM si tutor cæcus factus sit, author fieri potest.

XVII. IDEM.

SI TVTOR pupillo nolit author fieri, non debet eum prætor cogere: primum, quia iniquum est, si non expedit pupillo, authoritatem eum præstare: deinde & si expedit, tutelæ iudicio pupillus hanc iacturam consequitur.

XVIII. IDEM.

POTEST pupillus tutore authore debitorem suum Titio delegare. sed cum tutor debet

pupillo:dicendum est. neq; delegari eum, neque procuratorem aduersus tutorem dāri ipso F
tutore authore posse:quia futurum sit, ut authoritate sua liberetur.

XXIX. IDEM *lib.* XVIII. *Responsorum respondit.*

CVRATOREM etiam impuberi dāri posse:sed ad ea, quę solennitatem iuris desiderant, explicanda, tutore authore opus esse.

XX. SCAEVOLA *lib.* VII. *Responsorum.*

INTER pupillos paternę hæreditatis diuisio facta est, præsente tutore, sed non adsignante instrumento diuisionis, quæsitum est, an ei stari oporteat? Respondi. si tutor author fuisset: non idcirco minus standum esse diuisioni, quod non adsignasset.

XXI. IDEM *lib. singulari quæstionum publicè tractatarum.*

DEFENDENTE tutore, pupillus condemnatus ex contractu patris, accepit curatorem: G
inter quem & creditorem acta facta sunt apud procuratorem Cæsaris infrà scripta. Priscus procurator Cæsaris dixit, faciat iudicata. Nouellius curator dixit, abstineo pupillum. Priscus procurator Cæsaris dixit, responsum habes: scis, quid agere debeas. quæsitum est, an secundum hæc acta adolescens bonis pātris abstentus sit? Respondi. proponi abstentum.

XXII. LABEO *lib.* V. *posteriorum à Iaboleno epitomatorum.*

SI QVID est, quod pupillus agēdo, tutorē suū liberaturus est: id ipso tutore authore agi rectè non potest.

QVANDO EX FACTO TVTORIS VEL CVRAtoris minores agere, uel conueniri possunt. H

TIT. IX.

POMPONIVS.



OB DOLVM malum uel culpam tutoris, Aristo ait, pupillum possessorem condemnandum: sed non puto, quanti actor in litem iuraret. & tamen illud ita est, si rem à tutore pupillus seruare possit.

II. VLPIANVS.

SI TVTOR uel curator pecunia eius, cuius negocia administrat, mutua dāta ipse stipulatus fuerit, uel prædia in nomen suum emerit: utilis actio ei, cuius pecunia fuit, dātur ad rem uindicandam, uel mutuam pecuniam exigendam. I

III. PAPINIANVS.

DOLVS tutorum pupillo, neq; nocere, neq; prodesse debet. quod autem uulgo dicitur, tutoris dolum pupillo non nocere: tunc uerum est, cum ex illius fraude locupletior pupillus factus non est. quarè meritò Sabinus tributoria actione pupillum conueniendum ex dolo tutoris existimauit: scilicet si per iniquam distributionem pupilli rationibus fauit. Quod in depositi quoq; actione dicendū est, item in hæreditatis petitione: si modo, quod tutoris dolo desijt, pupilli rationibus illatum probetur.

IIII. VLPIANVS.

ET SI extrinsecus aliquid tutor dolo amisetit: pupillo nihil nocere oportet.

V. PAPINIANVS.

POST mortem furiosi non dābitur in curatorem, qui negocia gessit, iudicati actio: non K
magis, quàm in tutorem: si modo nullam ex cōsensu post depositum officium nouationem factam, & in curatorem uel tutorem obligationem esse translatam constabit. Tutor, qui pecuniam soluturum se cauit, ad quam pater pupilli cōdemnatus fuerat actionem post tutelam finitam rectè recusat. non idem in eo placuit, qui suo nomine mutuam pecuniam accepit, & iudicatū pro pupillo fecit: nisi fortè creditor ideo cōtraxit, ut in caussam iudicati pecunia transiret.

VI. IDEM.

TVTOR, interposito decreto prætoris, actorem reliquit. secundum eum sententia dicta, iudicati actio ad pupillum non minus transfertur, quàm si tutor obtinuisset.

VII. SCAEVOLA.

TVTORI, q infantē defendit, succurri ī, ut in Pupillū iudicati actio deī. Tutor, qui

A VIII. IDEM.

TVTOR, qui & cohæres pupillo erat, cum conueniretur fidei cõmissi nomine, in solidum ipse cauit. quæsitũ est, an in adultũ pupillũ pro parte danda sit utilis actio? respondit, dandã.

DE SVSPECTIS TVTORIBVS & curatoribus TIT. X.

I. VLPIANVS.

HAEC clausula frequens & per quàm necessaria est. quotidie enim suspecti tutores postulantur. primum igitur tractemus, unde descendat suspecti crimen, &
B apud quos postulari quis possit suspectus tutor uel curator deinde quis, & à quo, & ex quibus caussis remoueatur, deq; pœna suspecti. Sciendum est itaque suspecti crimen è lege duodecim tabularum descendere. Damus autem ius remouendi suspectos tutores Romæ prætoribus: in prouincijs præsidibus earum. an autem apud legatum proconsulis suspectus postulari possit, dubium fuit. sed imperator Antoninus cum diuo Seuero Braduæ Marico proconsuli Africæ rescripsit, posse: quia mandata iurisdictione, totum officium iurisdicundi ad eum transit. ergo & si prætor mandet iurisdictionem: similimodo dicendum est, suspectum posse apud eum postulari, cui mandata est. cum enim sit in prouincia hoc rescriptum: consequens erit dicere etiam eum, cui à prætore mãdata est iurisdictio, posse de suspecto cognoscere. Ostendimus, qui possint de suspecto cognoscere:
C nunc uideamus, qui suspecti fieri possint. & possunt quidem omnes tutores: siue testamentarij sint, siue non sint, sed alterius generis tutores. quare & si legitimus sit tutor, accusari poterit. Quid si patronus? adhuc idem erit dicendum: dummodo meminerimus, patrono parcendum. Consequens est, ut uideamus, qui possint suspectos postulare. & sciendum est, quasi publicam esse hanc actionem. quinimò & mulieres admittuntur: sed hæ solæ, quæ pietate necessitudinis ductæ, ad hoc procedunt: ut pura mater, nutrix quoq; & auia. potest & soror. nam in sororem etiam rescriptum exstat diui Seueri. sed & si qua alia mulier fuerit, quã prætor propensa pietate intellexerit sexus uerecundiam non egredientem, sed pietate productam non sustinere iniuriam pupillorum: admittet eam ad accusationem. Si quis de plebeis, ob facta atrociora in tutela admissa, fuerit apud prætorem accusatus: remittitur ad
D præfectum urbi grauiter puniendus.

II. IDEM.

LIBERTVS quoque, si fraudulenter gessisse tutelam filiorum patroni probetur, ad præfectum urbi remittetur puniendus.

III. IDEM.

TVTOR quoq; contutorem potest suspectum facere: siue duret adhuc tutor, siue iam desierit ipse, contutor autem maneat tutor: & ita diuus Seuerus rescripsit. plus diuus Pius Cæcilio Petino rescripsit, posse & tutorem suspectum remotum, contutores suos suspectos facere. Liberti quoq; pupillorum gratè facient, si tutores uel curatores eorum, malè gerentes rem patronorum uel liberorum patronorum, suspectos fecerint. sed si patronum suum, ut
E suspectum in tutela facere uelint: melius est, libertos ab accusatione repelli: ne in ipsa cognitione grauius aliquid emergat, cum hoc omnibus alijs pateat. Non tantum autem adolescentis curator, sed etiam furiosi, uel prodigi, ut suspectus remoueri potest. sed & si quis curatam uentris bonorumue administrat: non carebit huius criminis metu. Præterea uidendum, an sine accusatione possit suspectus repelli. & magis est, ut repelli debeat: si prætori liqueat ex apertissimis rerum argumentis, suspectum eum esse, quod fauore pupillorum accipiendum est. Nunc uideamus, ex quibus caussis suspecti remoueantur. & sciendum est, aut ob dolum in tutela admissum suspectum licere postulare, si fortè grassatus in tutela sit: aut quod sordidè egerit, uel perniciose pupillo, uel aliquid interceperit ex rebus pupillaribus iã tutor. Quod si quid admisit, antè tamen, quàm tutor esset: (quamuis in bonis pupil-

li uel in tutela)nõ poteſt ſuſpectus tutor poſtulari:quia delictum tutelam præceſſit.proinde f
ſi pupilli ſubſtantiam expilauit,ſed antè,quàm tutor eſſet:accuſari debet expilatæ hæredi/
tatis.ſi minus:furti. Quæri poteſt:ſi tutor fuerit pupilli, idemq; ſit curator confirmatus
adoleſcenti:an poſſit ex delictis tutelæ ſuſpectus poſtulari?& cum poſſit tutelæ à concura/
toribus conueniri:conſequens erit dicere,ceſſare ſuſpecti accuſationem:quia tutelæ agi poſ/
ſit depoſito officio,uel alio ſumpto. Item erit quærendum, ſi proponas aliquem deſiſſe
eſſe tutorem,& rurſum cœpiſſe. utputa uſquæ ad tempus,uel ad conditionem erat datus:
deinde iterum,uel ſuperueniente conditione teſtamentaria,uel etiam à prætore poſtea da/
tus)an ſuſpectus poſſit poſtulari?& quia duæ tutelæ ſunt:ſi eſt,qui eum tutelæ iudicio con/
ueniat:æquiſſimum erit dicere,ceſſare crimen ſuſpecti.ſi autem ipſe tutor eſt ſolus:nunquid g
quia tutelæ ceſſat,remouendus ſit ab hac adminiſtratione, quaſi ſuſpectus ex eo, quod in
aliam malè uerſatus ſit?Ergo & in eo,qui curator ſolus poſt finitam tutelam confirmatus
eſt,idem dici poſt. Quod ſi quis tutor ita datus ſit,QVOAD IN ITALIA ERIT, TVTOR
ESTO.uel,QVOAD TRANS MARE NON IERIT:an poſſit ſuſpectus poſtulari ex eo geſtu,
quem adminiſtrauit antè,quàm trans mare abiſſet?& magis eſt,ut poſtulari poſſit, quaſi
una tutela ſit,habens interualla. Si quis ab futurus reipublicæ cauſſa, deſiderauerit in lo
cum ſuum conſtitui alium tutorem:an reuerſus,ex antè geſto ſuſpectus poſtulari poſſit?&
quia poteſt ex priore geſtu utili actione conueniri, ceſſabit poſtulatio. Si curator uentri
bonisúe datus fraudulenter uerſatus ſit:deinde tutor datus,an poſtulari ſuſpectus propter
fraudes in cura admiſſas poſſit,dubitari poteſt. Et ſiquidem habet contutores:non poterit h
poſtulari,quia conueniri poteſt,ſi non habet:amoueri poterit. Si tutor inimicus pupillo
parentibusúe eius ſit:& generaliter,ſi qua iuſta cauſſa prætorem mouerit,cur non debeat in
ea tutela uerſari:reijcere eum debebit. Seuerus & Antoninus reſcripſerunt Epicurio: tu/
tores,qui res uetitas ſine decreto diſtraxerunt,nihil quidem egiſſe:uerum ſi per fraudem id
fecerunt,remoueri eos oportere. Tutor,qui ad alimenta pupillo præſtanda copiam ſui
non faciet:ſuſpectus eſt,poteritq; remoueri.ſed ſi non latitet,ſed præſens nihil poſſe decer/
ni contendat,quaſi inopi:ſi datis pupillo aduocatis,in mendacio reuincatur:ad præfectum
urbi remittendus eſt. Neq; enim intereſt,id agere quẽquam,ut corrupta fide inquiſitionis,
tutor conſtituatur:an bona fide conſtitutũ,uelut prædonem,bonis alienis incumbere.hic er
go non quaſi ſuſpectus remouebitur,ſed remittetur puniendus ea pœna, qua ſolent affici, i
qui tutelam corruptis miniſterijs prætoris redemerunt. Tutores,qui repertorium non fe/
cerunt:uel pecuniam,neq; ad prædiorum comparationem conferre,neq; deponere peruica
citer perſtant:quoad emptionis occaſio inueniatur,uinculis publicis iubentur contineri, &
inſuper pro ſuſpectis habentur.ſed ſciendum eſt,non omnes hac ſeueritate tractati debere:
ſed utiq; humiliores.cæterum eos,qui ſunt in aliqua dignitate poſiti:nõ opinor uinculis pu
blicis contineri oportere. Is tutor,qui inconſideratè pupillum,uel dolo abſtinuit hæredi/
tate:ſuſpectus poſtulari poteſt. Qui ob ſegnitiem,uel ruſticitatem,uel inertiam, uel ſim/
plicitatem, uel ineptiã remotus fuit:in hac cauſſa eſt,ut integra exiſtimatione tutela uel cu/
ra:abeat.ſed & ſi ob fraudem non remouerit aliquem,ſed alium ei adiunxerit: non erit fa/
moſus:quia non eſt abire tutela iuſſus. k

IIII. IDEM

QVoniam hæ cauſſæ faciunt,ut integra exiſtimatione tutela uel cura quis abeat: decreto igitur debebit cauſa remouendi ſignificari,ut appareat de exiſtimatione.quid ergo,ſi non ſignificauerit cauſſam remotionis decreto ſuo?Papinianus ait,debere dici, hunc integræ eſſe famæ.& uerum eſt. Si prætor ſententia ſua non remouerit tutela,ſed gerere prohibuit:dicendum eſt,magis eſſe,ut & hic deſinat tutor eſſe. Qui nihil geſſerunt, non poſſunt ſuſpecti poſtulari:uerum ob ignauiam,uel negligentiam,uel dolum,(ſi dolo fecerunt) poſſunt remoueri.

V. IDEM

SVSPECTus fieri is quoq;,qui ſatis dederit,uel etiam nunc offerat, poteſt. expedit enim

pupillo

A pupillo rem suam saluam fore, quàm tabulas cautionis habere. nec ferendus est contutor, qui ideo collegam suum suspectum nō fecit, quoniam cautum erat pupillo.

VI. CALLISTRATVS.

QVIA satisdatio propositum tutoris maleuolum non mutat, sed diutius grassandi in re pupillari facultatem præstat.

VII. VLPIANVS.

IMPVberibus quidem non permittitur suspectos facere. adolescentibus planè uolētibus suspectos facere curatores suos, permittitur: dummodo consilio necessarium id faciant. Si non fraus admissa sit, sed lata negligentia: quia ista prope fraudem accedit, remoueri & hūc
B quasi suspectum oportet. Præterea accesserunt quędam species ex epistola Imperatoris nostri & diui Seueri ad Atrium Colonum. nam aduersus eos, qui ne alimenta decernantur sui copiam perseuerant non facere: ut suis rebus careant, præcipitur: reiq; seruandæ caussa pupillus in possessionem mittitur eius, qui suspectus sententia sua factus est: quæq; mora deteriora futura sint, curatore dato, distrahi iubentur. Itēm si quis tutor datus, non compareat: solet edictis euocari, nouissimæq; (si copiam sui non fecerit) ut suspectus remoueri ob hoc ipsum, quod copiam sui non fecit. quod & per raro, & diligenti habita inquisitione, faciendum est.

VIII. IDEM.

SVspectum etiam tutorem esse putamus, qui moribus talis est, ut suspectus sit. enimuero
C tutor, quamuis pauper est, fidelis tamen & diligens, remouendus nō est quasi suspectus.

IX. MODESTINVS.

SI TVtor aliquo uinculo necessitudinis uel adfinitatis pupillo coniunctus sit, uel si patronus pupilli liberti tutelam gerat, & quis eorum tutela remouendus uideatur: optimum factu est, curatorem ei potius adiungi, quàm eundem notata fide & existimatione remoueri.

X. PAPINIANVS.

DECRETO prætoris ut suspectus remotus, periculum futuri temporis non timet. iniquū enim uidetur, remoueri quem tutela uel cura, in futurum autem non esse securum.

XI. IDEM.

POST finitam tutelam cognitio suspecti tutoris, quamuis pridem cœpta, soluitur.

D XII. IVLIANVS. lib. IIII. *ad Minutium.*

NIHIL proponi, cur præscribere curator possit in cognitione suspecti, quò minus religio prætoris à pupillari seruo detegente fraudes instruatur.

DIGESTORVM SEV PANDECTARVM LIBER VICESIMVS-SEPTIMVS.

DE EXCVSATIONIBVS.

TIT. I. G

ΕΡΕΝΝΙΟΣ Μοδεστῖνος Ἰγνατίῳ Δέξτρῳ. συγγράψας σύγγραμμα ὡς ἐμοὶ δοκεῖ χρησιμώτατον ὑπὲρ παραίτησιν ἐπιτροπῆς καὶ κουρατορίας ὀνόμασα τοῦτο σοὶ πέπομφα. ποιήσομαι δὲ ὡς ἂν οἷός τε ὦ τὴν περὶ τούτου διδασκαλίαν σαφῆ ἀφηγούμενος νόμιμα τῇ τῶν ἑλλήνων φωνῇ, εἰ καὶ οἶδα δύσφραστα εἶναι αὐτὰ νομιζόμενα πρὸς τὰς τοιαύτας μεταβολάς, προσθήσω δὲ τῇ τῶν λεγομένων διηγήσει αὐτὰ τὰ τῶν νόμων ῥήματα εἴπου καὶ τούτου δεηθείην, ἵνα τήν τε τῶν λεκτέων καὶ τὴν τῶν ἀναγνωστέων χρῆσιν ἔχοντες, τὸ ὁλόκληρον τοῖς δεομένοις καὶ τὴν ὠφέλειαν παράσχωμεν. λεκτέον τοίνυν πρῶτον, τίνας οὐ δεῖ χειροτονεῖσθαι. ἀπελευθέροις ὀρφανοῖς εὐγενεῖς οὐ δώσουσιν οἱ ἄρχοντες ἐπιτρόπους ἢ κουράτορας, εἰ μὴ παντελῶς ἀχρεία κατὰ τὸν τόπον ἀπελευθέρων ἐστίν. ἀπελευθέροις γὰρ ἀπελευθέρους μόνους δεῖν δίδοσθαι τοὺς ἐκ τοῦ αὐτοῦ τόπου ὄντας, θεῖος Μάρκος ὁρατίων κελεύει. ἐὰν δὲ δοθῇ, θειότατος Σευῆρος τῶν ἀφηλίκων προνοούμενος, ἀπολύθωσιν αὐτὸν εἶναι τῇ ἐπιτροπῇ, ἐὰν μὴ ἐμπλοῦσιμος δικαιολογήσηται, ἀντέγραψεν. οὐκ ἔξεστιν κουρατορεύειν μνηστῆρα μνηστῆς, ὡς ἡ σύγκλητος λέγει, χειροτονηθεὶς δὲ ὁ τοιοῦτος ἀπολυθήσεται. H

II. IDEM. lib. II. Excusationum.

Ἀφίενται ἐπιτροπῆς καὶ κουρατορίας καὶ οἱ ἑβδομήκοντα ἔτη πεπληρωκότες. ὑπερβεβηκέναι δὲ χρὴ τὰ ἑβδομήκοντα ἔτη, ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ ἐν ᾧ χειροτονεῖται, ἢ ἐν ᾧ τῇ κληρονομίᾳ προσέρχεταί τις, ἢ ἐν ᾧ ἡ αἵρεσις ἡ τῇ διαθήκῃ προσγραφεῖσα πεπλήρωται, οὐκ ἐν τῷ τῶν χρόνων τῆς παραιτήσεως. ἡ δὲ ἡλικία δείκνυται ἢ ἐκ παιδογραφιῶν, ἢ ἐξ ἑτέρων ἀποδείξεων νομίμων. ἄφεσιν ἐπιτροπῆς καὶ κουρατορίας καὶ πολυπαιδία. νομίμους δὲ παῖδας εἶναι δεῖ πάντας, κἂν μὴ ὦσιν ἐν ἐξουσίᾳ. δεῖ δὲ ζῶντας εἶναι τοὺς παῖδας ὅτε οἱ πατέρες δίδονται ἐπίτροποι. οἱ γὰρ πρὶν τελευτήσαντες οὐ συναριθμοῦνται. οὔτε πάλιν βλάπτουσιν οἱ μετὰ ταῦτα ἀποθανόντες. καὶ ταῦτά φησι διάταξις τοῦ θειοτάτου Σευήρου. ταῦτα δὲ δοκεῖ μὲν εἰρῆσθαι περὶ τοῦ κατὰ διαθήκας δοθέντος ἐπιτρόπου. ἁρμόζει δὲ ἂν καὶ ἐπὶ παντὸς ἑτέρου. ὁ δὲ ἐν τῇ γαστρὶ ὤν, εἰ καὶ ἐν πολλοῖς μέρεσιν τοῦ νόμου συγκρίνεται τοῖς ἤδη γεγενημένοις, ὅμως οὔτε ἐν τῇ παρούσῃ ζητήσει, οὔτε ἐν ταῖς λοιπαῖς πολιτικαῖς λειτουργείαις συνωφελεῖται τῷ πατρί. καὶ ταῦτα εἴρηται διατάξει τοῦ θειοτάτου Σευήρου. K οὐ μόνον δὲ καὶ υἱοὶ ἄφεσιν ἐπιτροπῆς διδόασιν ἢ θυγατέρες. ἀλλὰ καὶ ἔγγονοι ἐξ υἱῶν ἀρρένων τεχθέντες, ἄρρενές τε καὶ θήλειαι. βοηθοῦσιν δὲ τότε ὁπόταν τοῦ πατρὸς αὐτῶν ἀποθανόντος, τὸν ἐκείνου τόπον πληρώσουσιν πάππῳ. ὅσοι δ᾽ ἂν ὦσιν ἔγγονοι ἐξ ἑνὸς υἱοῦ, αὐτοὶ ὡς ἑνὸς τέκνου ἀριθμοῦνται. ταῦτα δὲ καὶ ἐκ διατάξεων αἳ περὶ τῶν τέκνων διαλέγονται, ἔστιν συναγαγεῖν. οὐδαμοῦ γὰρ οὐκ ἔστιν ῥᾴδιον εὑρεῖν, ὅτι περὶ υἱῶν διαλέγεται διάταξις, ἀλλὰ περὶ τέκνων. ἡ δὲ προσηγορία αὕτη καὶ ἐπὶ τοὺς ἐγγόνους ἐκτείνεται. τὸν δὲ ἀριθμὸν τῶν τέκνων τὸν ὡρισμένον ταῖς διατάξεσιν εἶναι δεῖ ἑκάστῳ τότε ὅτε χειροτονεῖται. οὐχὶ κἂν μετὰ τὸ χειροτονηθῆναι γεννηθῇ, πρὸ τοῦ τὰ δίκαια τῆς ἀφέσεως παρασχέσθαι. οἱ γὰρ μετὰ ταῦτα γεγεννημένοι οὐ βοηθοῦσιν, ὡς διάταξις

A διάταξις φησὶν Σευήρου καὶ Ἀντωνίνου. Ἔτι καὶ οἱ τρεῖς ἔχοντες ἐπιτροπὰς ἢ τρεῖς κουρατίω-
νας ἢ ἀναμεμιγμένας τρεῖς κουρατίωνάς τε καὶ ἐπιτροπάς, καὶ ἔτι μενούσας. τουτέστι μήπω ἐκβάν-
των τὴν ἡλικίαν τῶν ἀφηλίκων, οὗτοι ἀφίενται εἰς τετάρτην ἐπιτροπὴν καὶ κουρατορίαν κα-
λούμενοι. ἀλλὰ μὴν κἂν κουράτωρ τὶς ᾖ μὴ ἀφήλικος ἀλλὰ μαινομένου, εἰς τὸν ἀριθμὸν τῶν κου-
ρατοριῶν καὶ αὕτη ἀπολογισθήσεται ἡ κουρατορία. ὅπερ οὕτως ἔχειν διδάσκει διάταξις Σε-
βήρου καὶ Ἀντωνίνου. λέγει καὶ ὁ κράτιστος Οὐλπιανὸς περὶ τῶν τριῶν ἐπιτροπῶν ταῦτα.

III. VLPIANVS *lib. sing. de officio prætoris tutelaris.*

TRIA onera tutelarum dant excusationem. tria autem onera sic accipienda sunt: ut non
B numerus pupillorum plures tutelas faciat, sed patrimoniorum separatio. & ideo qui tribus
fratribus tutor datus est, qui indiuisum patrimonium habẽt: uel quibusdam tutor quibus-
dam curator: unam tutelam suscepisse creditur.

IIII. MODESTINVS *lib. II. Excusationum.*

Ἔφαμεν τρεῖς ἔχοντας ἐπιτροπὰς, εἰς τετάρτην μὴ καλεῖσθαι. ἐζητήθη τοίνυν ἐάν τις ἐν δύο
ὢν ἐπιτροπαῖς ἔπειτα εἰς ἐπιτροπὴν τρίτην προβληθεὶς ἐκκαλέσηται, καὶ ἔτι μετεώρου οὔσης τῆς
δίκης τῆς ἐπὶ τῇ ἐκκλήτῳ εἰς τετάρτην ἐπιτροπὴν προβληθῇ πρότερον εἰς τὴν τετάρτην δι-
καιολογούμενος μνησθήσεται καὶ τῆς τρίτης, ἢ παντάπασιν παραλείψει ἐκείνην; καὶ εὑρίσκω
ὑπὸ τῶν θειοτάτων Σευήρου καὶ Ἀντωνίνου διατεταγμένον, μὴ δεῖν εἰς τετάρτην προχειρί-
ζεσθαι τὸν ἀπὸ τῆς τρίτης ἔκκλητον πεποιημένον. ἀλλὰ μετεώρου οὔσης τῆς ἐπὶ τῇ τρίτῃ χειροτο-
νίᾳ δικαιολογίας, τὸ ἐκείνης τέλος περιμένειν, ὅρον ἐσόμενον τῇ τετάρτῃ χειροτονίᾳ, ὀρθῷ τῷ
C λόγῳ. εἰ γὰρ τὴν τῇ τάξει τετάρτην ἀποδέξεταί τις, ὡς τῇ δυνάμει τρίτην, ἀδίκου τῆς ἐπὶ τῇ
τρίτῃ ἐκκλήτου ἀποφανθείσης, τέσσαρσι χρείαις ἐνοχληθήσεται παρὰ τοὺς νόμους. ἐὰν πατὴρ
ἐν τρισὶν φροντίσιν ᾖ ἐπιτροπῶν ἢ κουρατοριῶν ὁ υἱὸς αὐτοῦ οὐκ ἐνοχληθήσεται. καὶ τοῦτο οὕτως δια-
τέτακται ὑπὸ τῶν θειοτάτων Σευήρου καὶ Ἀντωνίνου. τοῦτο δὲ καὶ ἐκ τοῦ ἐναντίου ἐστὶν, ὡς δεῖν τὰς
τοῦ υἱοῦ ἐπιτροπὰς αἴτησιν τῷ πατρὶ διδόναι, καὶ πάλιν ἀμφοτέροις τὰς κοινὰς, τουτέστιν μίαν τοῦ
υἱοῦ καὶ δύο τοῦ πατρὸς, ἢ δὲ τὸ ἔμπαλιν. τότε δὲ ταῦτα οὕτως ἔχει, ἐπειδὰν τὸ βάρος ἑνὶ οἴκῳ οὐ-
χὶ διακεχωρισμένοις διαφέρει. γράφει δὲ καὶ Οὐλπιανὸς ὁ κράτιστος ταῦτα.

V. VLPIANVS *lib. sing. de officio prætoris tutelaris.*

TRIA onera in domo una esse sufficit. proinde si pater alicuius, uel filius, uel frater, qui est
D in eiusdem potestate, tria onera sustineat, quæ ad periculum patris sui spectent: quia uolun-
tate eius administrant, omnibus excusatio à tutela competit. sed si non uoluntate patris ad-
ministrent: non prodesse, sæpe rescriptum est.

VI. MODESTINVS *lib. II. Excusationum.*

Ἐὰν δύο ἔχοντι ἐπιτροπὰς ἄλλαι δύο ὁμοῦ ἐπενεχθῶσιν, ἡ τῇ τάξει τρίτη βοηθήσει αὐτῷ εἰς τὴν
ἄφεσιν τῆς τετάρτης. κἂν αὐτοκράτωρ ᾖ τὴν τετάρτην ἐγχειρίσας ἢ τὴν τρίτην. πρὶν μέντοι
γνῶναι τὰ τοῦ αὐτοκράτορος φθάσει προβληθεὶς εἰς ἄλλην. ἐὰν δὲ ἡ τάξις μὴ φαίνηται. ἀλλὰ ἐν
μιᾷ ἡμέρᾳ αἱ δύο χειροτονίαι προτεθῶσιν ἐν διαφόροις χάρταις, οὐχ ὁ χειροτονηθεὶς, ἀλλὰ οἱ
χειροτονήσαντες ἐπιλέξονται ὁποίαν δεῖ αὐτὸν ἀποδέξασθαι. γραμματικοί, σοφισταί, ῥήτορες, ἰατροί,
οἱ περιοδευταὶ καλούμενοι, ὥσπερ τῶν λοιπῶν λειτουργιῶν. οὕτως δὲ καὶ ἀπὸ ἐπιτροπῆς καὶ κουρα-
E τορίας ἀνάπαυσιν ἔχουσιν. ἔστιν δὲ καὶ ὁ ἀριθμὸς ῥητόρων, ἐν ἑκάστῃ πόλει τῶν τὴν ἀλειτουργησί-
αν ἐχόντων, καὶ ὁρισμοί τινὲς προσκείμενοι τῷ νόμῳ, ὅπερ δηλοῦται ἐξ ἐπιστολῆς Ἀντωνίνου τοῦ
εὐσεβοῦς γραφείσης μὲν τῷ κοινῷ τῆς Ἀσίας, παντὶ δὲ τῷ κόσμῳ διαφερούσης, ἧς ἐστιν τὸ κεφάλαιον
τοῦτο ὑποτεταγμένον. αἱ μὲν ἐλάττους πόλεις δύνανται πέντε ἰατροὺς ἀτελεῖς ἔχειν καὶ τρεῖς
σοφιστὰς, καὶ γραμματικοὺς τοὺς ἴσους. αἱ δὲ μείζους πόλεις ἑπτὰ τοὺς θεραπεύοντας, τέσσαρας τοὺς
παιδεύοντας ἑκατέραν παιδείαν. αἱ δὲ μέγισται πόλεις δέκα ἰατροὺς καὶ ῥήτορας πέντε καὶ
γραμματικοὺς τοὺς ἴσους. ὑπὲρ δὲ τοῦτον τὸν ἀριθμὸν οὐδὲ ἡ μεγίστη πόλις τὴν ἀτέλειαν παρέχει. εἰ-
κὸς δὲ τῷ μὲν μεγίστῳ ἀριθμῷ χρῆσθαι τὰς μητροπόλεις τῶν ἐθνῶν. τῷ δευτέρῳ τὰς ἐχού-
σας ἀγορὰς δικῶν. τῷ δὲ τρίτῳ τὰς λοιπάς. τοῦτον τὸν ἀριθμὸν ὑπερβαίνειν μὲν οὐκ ἔστιν. οὔτε ψη-

ψηφίσματι βουλῆς οὔτε ἄλλῃ τινὶ παρευρέσει. ἐλάττους δὲ ἔξεστιν. ἐπειδήπερ ὑπὲρ τῶν πολιτικῶν λει- F
τουργιῶν φαίνεται τὸ τοιοῦτο γινόμενον. καὶ μέντοι οὐκ ἄλλως τὴν ἀλειτουργησίαν ταύτην καρ-
πώσονται, ἐὰν μὴ δόγματι βουλῆς ἐγκαταλέγωσιν τῷ ἀριθμῷ τῷ συγκεχωρημένῳ, καὶ περὶ τὸ
ἔργον ὀλιγώρως μὴ ἔχωσιν. καὶ φιλοσόφους δὲ ἀπολύεσθαι ἐπιτροπῶν Παῦλος γράφει οὕτως.
Philoſophi, oratores, grammatici, qui publicè iuuenibus proſunt, excuſantur à tutelis. nam
& Vlpianus libro quarto de officio procóſulis ita ſcribit. Sed & reprobari medicum poſſe
à republica, quamuis ſemel probatus ſit, Imperator noſter cum patre Lelio Baſſo reſcripſit.
περὶ δὲ τῶν φιλοσόφων ἡ αὐτὴ διάταξις τοῦ Πίου οὕτως λέγει. φιλοσόφων δὲ οὐκ ἐτέθη ἀριθμὸς διὰ
τὸ σπανίους εἶναι τοὺς φιλοσοφοῦντας. οἶμαι δὲ ὅτι οἱ πλούτῳ ὑπερβάλλοντες, ἐθέλοντι παρέξουσιν
τὰς ἀπὸ τῶν χρημάτων ὠφελείας ταῖς πατρίσιν. εἰ δὲ ἀκριβολογοῖντο περὶ τὰς οὐσίας, αὐτόθεν G
ἤδη φανεροὶ γενήσονται μὴ φιλοσοφοῦντες. ἔστιν δὲ καὶ ἐν ταῖς τοῦ βασιλέως Κομμόδου διατάξε-
σιν ἐγγεγραμμένον κεφάλαιον ἐξ ἐπιστολῆς Ἀντωνίνου τοῦ εὐσεβοῦς, ἐν ᾧ δηλοῦται καὶ φιλοσόφους
ἀλειτουργησίαν ἔχειν τῶν λειτουργιῶν. ἔστιν δὲ τὰ ῥήματα ταῦτα. ὁμοίως δὲ τούτοις ἅπασιν ὁ
θειότατος πατήρ μου παρελθὼν εὐθὺς ἐπὶ τὴν ἀρχὴν διατάγματι τὰς ὑπαρχούσας τιμὰς
καὶ ἀτελείας ἐβεβαίωσεν, γράψας φιλοσόφους, ῥήτορας, γραμματικούς, ἰατροὺς ἀτελεῖς εἶναι γυ-
μνασιαρχιῶν, ἀγορανομιῶν, ἱερωσυνῶν, ἐπισταθμιῶν, σιτωνίας, ἐλαιωνίας: καὶ μήτε κρίνειν, μή-
τε πρεσβεύειν, μήτε εἰς στρατείαν καταλέγεσθαι ἄκοντας, μήτε εἰς ἄλλην αὐτοὺς ὑπηρεσίαν
ἐθνικὴν ἤ τινα ἄλλην ἀναγκάζεσθαι. ἔτι κἀκεῖνο εἰδέναι χρὴ ὅτι ὁ ἐν τῇ ἰδίᾳ πατρίδι διδά-
σκων ἢ θεραπεύων τὴν ἀλειτουργησίαν ταύτην ἔχει. ἐὰν γὰρ Κομανεὺς ὢν ἐν Νεοκαισαρείᾳ
σοφιστεύει ἢ θεραπεύει ἢ διδάσκει, παρὰ Κομανεῦσιν ἀλειτουργησίαν οὐκ ἔχει. καὶ τοῦτο οὕτως H
νενομοθέτηται ὑπὸ τῶν θειοτάτων Σεβήρου καὶ Ἀντωνίνου. τοὺς μέντοι ἄγαν ἐπισήμους καὶ
ὑπὲρ τὸν ἀριθμὸν καὶ ἐν ἀλλοτρίᾳ πατρίδι τὰς διατριβὰς ποιουμένους εἶναι ἀλειτουργήτους Παῦ-
λος γράφει λέγων τὸν θειότατον Ἀντωνῖνον τὸν εὐσεβῆ οὕτω κεκελευκέναι. τὸ ἐν Ῥώμῃ θεραπεύον-
τα ἢ σαλαρίῳ ἢ καὶ χωρὶς σαλαρίου ἄφεσιν ἔχειν νενομοθέτηται ὑπὸ τῶν θειοτάτων Σεβήρου
καὶ Ἀντωνίνου, οὕτως ὡσανεὶ ἐτύγχανεν ἐν ἰδίᾳ πατρίδι διδάσκων. αἷς νομοθεσίαις δύναταί τις
ἐκεῖνον προσαγαγεῖν τὸν λόγον, ὅτι κοινῆς οὔσης τε καὶ νομιζομένης πατρίδος τῆς βασιλευού-
σης, εἰκότως ἂν ὡς ἐν ἰδίᾳ πατρίδι χρήσιμον ἑαυτὸν παρέχων ἀλειτουργησίαν καρπώσεται.
νόμων δὲ διδάσκαλοι ἐν ἐπαρχίᾳ διδάσκοντες ἀφίενται. Vlpianus quoque libro ſingulari
de officio prætoris tutelaris ita ſcribit. Athletæ habent quidem à tutela excuſationem, ſed
* Obſoletū in Pādectis. ſi ſacris certaminibus coronati ſunt. ἔθνους ἐθναρχία * οἷον Ἀσιαρχία, Βιθυνιαρχία, Καππα- I
δοκαρχία, παρέχει ἀλειτουργησίαν ἀπὸ ἐπιτροπῶν. τουτέστιν ἕως ἐν ἀρχῇ. Tutela enim non
eſt reipublicæ munus, nec quoad impenſam. ſed ciuile, nec prouinciale uidetur in tutela ad-
miniſtrari. ἀφίενται ἐπιτροπῆς καὶ κουρατορίας στρατηγοὶ τῶν πόλεων. δίδωσιν ἄφεσιν ἐπι-
τροπῆς καὶ κεφαλικὴ ἔχθρα τῷ χειροτονηθέντι γενομένη πρὸς τὸν πατέρα τῶν ὀρφανῶν, ἐκτὸς
εἰ μὴ κατὰ διαθήκας φανείη δοθεὶς ἐπίτροπος, πλὴν εἰ μὴ μετὰ τὸ γραφῆναι τὴν διαθήκην κε-
φαλικὸς ἀγὼν αὐτοῖς πρὸς ἀλλήλους συνέστηκεν, ἢ εἰ μὴ πρεσβυτέρα μὲν ἔστιν τῆς διαθήκης ἡ
ἔχθρα, διὰ τοῦτο δὲ δοκεῖ δεδόσθαι ἐπίτροπος, ἵνα ὑποβληθῇ ἐνοχῇ καὶ πράγμασιν, καὶ τοῦτο
ἐξ ἐπιστολῆς Σεβήρου βασιλέως δείκνυται. ἔτι ἀπολύεται ἐπιτροπῆς ὁπόταν ἀμφισβητήσειν
τις τῷ ὀρφανῷ περὶ τῆς καταστάσεως κινῇ, φαίνεται δὲ τοῦτο μὴ συκοφαντίᾳ ποιῶν, ἀλλ' ἐκ καλῆς
πίστεως, καὶ τοῦτο οἱ θειότατοι Μάρκος καὶ Βῆρος ἐνομοθέτησαν. περὶ τῶν ἀγροίκων καὶ τῶν τα- K
πεινῶν καὶ τῶν ἀγραμμάτων γράφει Παῦλος οὑτωσί. Mediocritas, & ruſticitas interdum
excuſationem præbent ſecundum epiſtolas diuorum Hadriani & Antonini. Eius, qui
ſe neget literas ſcire, excuſatio accipi non debet: ſi modò expers non ſit negotiorum.

VII. VLPIANVS *lib. ſingulari Excuſationum.*

PAVPERTAS ſanè dat excuſationem, ſi quis imparem ſe oneri iniuncto poſſit probare.
idque diuorum fratrum reſcripto continetur.

Αλλὰ

A VIII. MODESTINVS lib. II. Excusationum.

Ἀλλὰ καὶ στρατιῶται οἱ ἐντίμως πληρώσαντες τὸν τῆς στρατείας χρόνον, ἄφεσιν ἔχουσιν ἐπιτροπῶν πρὸς πάντας τοὺς ἰδιώτας. πρὸς δὲ τοὺς παῖδας τῶν τῆς αὐτῆς τάξεως κεκοινωνηκότων καὶ πάντων τῶν πάλαι στρατιωτῶν, ἐντὸς μὲν ἐνιαυτοῦ ἔχουσιν. ὑπὲρ δὲ ἐνιαυτὸν οὐκέτι. τὸ γὰρ ἰσότιμον τῆς στρατείας ἰσχυρότερον ἐνομίσθη τῆς τῶν πάλαι στρατιωτῶν προνομίας, ἐὰν μὴ ἄρα ἄλλα ἔχωσιν δίκαια πρὸς τὴν παραίτησιν ἐπιτροπῆς, οἷον ἀριθμὸν ἐτῶν ἤ τι τοιοῦτο ὁποῖον καὶ τοῖς ἰδιώταις πρὸς ἅπαντα συμβαίνειν εἴωθεν. ταῦτα δὲ περὶ υἱῶν οὐχὶ περὶ ἐκγόνων τῶν πάλαι στρατιωτῶν. ἔκγονοι γὰρ τῶν πάλαι στρατιωτῶν ἐν τῇ αὐτῇ χώρᾳ τῶν λοιπῶν ἰδιωτῶν εἶναι πιστευθήσονται. οἱ μέντοι ἀτίμως ἀπεστρατευμένοι ὅμοιοι τοῖς μηδὲ στρατευ-

B σαμένοις νομίζονται. καὶ διὰ τοῦτο οὔτε αὐτοὶ ἔχουσιν προνομίαν, οὔτε τοῖς τούτων παισὶν πάλαι στρατιῶται ἐπίτροποι δοθέντες καταχειθῶνται. ἴσθι ὅτι δὲ οὐ πληροῦσί τινες τὸν τῆς στρατείας χρόνον, καὶ ὅμως ἔχουσιν ἄφεσιν ἐπιτροπῶν κατὰ τὰ αὐτὰ τοῖς πεπληρωκόσιν. ὁ γὰρ εἰκοσὸν ἔτος τῆς στρατείας ὑπερβὰς ὅμοιος εἶναι πιστεύεται τῷ πληρώσαντι τὸν τῆς στρατείας χρόνον. ὁ δὲ ἐντὸς τούτων τῶν ἐτῶν ἀφεθεὶς οὐκ ἔχει διηνεκῆ ἐπὶ ταῖς ἐπιτροπαῖς ἀλειτουργησίαν, ἀλλὰ πρὸς χρόνον. ὥσπερ καὶ τῶν λοιπῶν πολιτικῶν λειτουργιῶν ἄφεσιν ἔχει. ὁ μὲν γὰρ ἐντὸς πέντε ἐτῶν τῆς στρατείας ἀπολυθεὶς, οὐδεμίαν ἐὰν τῷ ἐκδικήσει ἀλειτουργησίαν. ὁ δὲ μετὰ πέντε, ἕως ἐνιαυτοῦ ἔχει ἀλειτουργησίαν. ὁ δὲ μετὰ ὀκτὼ, διετείας. ὁ δὲ μετὰ δώδεκα, τριετείας. ὁ δὲ μετὰ δεκαέξ, τετραετείας. ὁ δὲ μετὰ εἴκοσι, ὡς προείπομεν, διηνεκῶς ἀπολυθήσεται. ὁ δὲ ἐν τοῖς νυκτοφύλαξιν τοῖς ἐν Ῥώμῃ στρατευσάμενος ἐνιαυτοῦ μόνου ἔχει ἄφεσιν. οὗτοι δὲ δηλα-

C δὴ ἐὰν ἐντίμως ἀπολυθῶσιν, ὥσπερ προείρηται, ἢ διὰ νόσον καλουμένην καυσαρίαν ἄφεσιν λάβωσιν. ἔστιν γὰρ καὶ αὕτη ἔντιμος. ὁ γὰρ ἀτίμου τυχὼν ἀφέσεως οὐκ ἔχει ἀνάπαυσιν. βετερανὸς δὲ εἶναι πιστεύεται οὐ μόνον ὁ λεγεωνάριος, ἀλλὰ καὶ πᾶς παντὸς τρόπου στρατευσάμενος, ἐντίμως δὲ καὶ αὐτοῦ ἀπολυθέντος. καὶ γὰρ λεγεωνάριος τοῦ ἐν τοῖς νυκτοφύλαξιν στρατευομένου παιδὸς ἐπίτροπος γίνεται. ἤδη δὲ καὶ στρατιώτου ἀφήλικος κουράτωρ δοθήσεται ὁ πάλαι στρατιώτης, δηλαδὴ ἐὰν ὁ πατὴρ αὐτοῦ ἀποθάνῃ. ἐὰν δὲ οὕτω ἀπὸ χειρὸς ἀπολυθῶσιν, ὁμοίως καὶ τούτοις πᾶσιν διατάξεις μαρτυροῦσιν. γράφει δὲ καὶ Οὐλπιανὸς οὕτως.

Sed ignominia missi, ab urbicis planè tutelis excusabuntur: quia ingredi urbem eis non licet. Planè si quis in cohortibus urbanis militauit: licet ante uiginti annos mittitur, tamen perpetuam habet à tutelis excusationem. Ἐζητήθη δὲ, πότερον μίαν καθάπαξ ἐπι-

D τροπὴν ἀναδέχονται οἱ πάλαι στρατιῶται, ἢ ἐνὶ καιρῷ οὐ πλέον τοῦ ἅπαξ, παυομένης δὲ τῆς πρώτης ἐπιτροπῆς πάλιν ἀναλήψονται. ἀλλ' ὥσπερ ἐπὶ τῶν ἰδιωτῶν αἱ παυσάμεναι οὐ βοηθήσουσιν τοῖς ἔχουσιν, οὐδὲ εἰς τὰς τρεῖς ψηφίζονται, οὕτως καὶ ἐπὶ τῶν πάλαι στρατιωτῶν οὐκ ὀφελεῖ τὸ γεγενῆσθαι. τοῦτο δὲ καὶ ἐπὶ τῶν κουρατοριῶν ἐστιν νενομοθετημένον, ὡς δηλοῖ θεία διάταξις Σεβήρου τε καὶ Ἀντωνίνου. καὶ οὔπω διαφέρει πῶς δέονται οἱ παῖδες τοῦ συστρατιώτου ἐπιτρόπου ἢ κουράτορος, πότερον ἀπὸ χειρὸς ἀπολυθέντες, ἢ τοῦ πατρὸς ἀποθανόντος. πριμιπιλάριοι ἐκ διατάξεων βασιλέων παραίτησιν ἔχουσι τῶν λοιπῶν ἐπιτροπῶν. πριμιπιλαρίου δὲ υἱῶν ἐπιτροπεύουσιν. πριμιπιλάριοι δὲ οὗτοι νομίζονται οἱ διανύσαντες τὸ πριμίπιλον. ἐὰν δὲ μὴ διανύσας ἀποθάνῃ, τούτου τῶν παίδων πριμιπιλάριος οὐκ ἐπιτροπεύσει.

E IX. VLPIANVS lib. singulari Excusationum.

Si tribunus in cohortibus prætorijs permilitauerit: etiam collegarum filiorum tutela excusabitur beneficio diui Seueri & Imperaroris nostri.

X. MODESTINVS lib. II. Excusationum.

Οὐ μόνον δὲ οἱ τὰς ἀπὸ καλίγας στρατείας καὶ τὰς λοιπὰς πριμιπιλάριοι στρατευσάμενοι, ἀλλὰ καὶ οἱ ὑπὲρ σοῦ χρείας δημοσίας δήμου Ῥωμαίων ἕνεκα ἀποδημήσαντες, ἐνιαυτοῦ ἔχουσιν ἀνάπαυσιν μετὰ τὸ ἐπανελθεῖν. ὁ μέντοι ἐνιαυτὸς οὗτος οὐ μόνον τοῖς πληρώσασιν τὴν συνήθη τῆς

θεῖ τῆς στρατείας καιρὸν ἐν ταῖς λοιπαῖς δημοσίαις χρείαις δίδοται, ἀλλὰ καὶ τοῖς ὁπωσοῦν F
παυσαμένοις ταῖς δημοσίαις χρείαις καὶ ἐπανελθοῦσιν, κἂν ἐλάττονα χρόνον διαλείπωσιν τοῦ
διατεταγμένου. ὡς μέν τοι πρὸ τοῦ ἄρχειν ὑποστροφάς, διὰ τὸ ἄδηλον ἀπέδειξαν ὅτι δημοσίου ἕνεκα
πράγματος ἀπεδήμουν, ταύτας ἐπανελθόντες παραυτίκα ἐπαναλήψονται, οὐδὲν αὐτοῖς βοη-
θοῦντος τοῦ ἐνιαυτοῦ, ὁ γὰρ ἐνιαυτὸς πρὸς τὰς μελλούσας νέας δίδοται, οὐ πρὸς τὰς ἀναληφθῆναι
ὀφειλούσας. ἐνιαυτὸς δὲ συνημμένων ἡμερῶν ἐξετασθήσεται ἐξότου τις ἐπανῆλθεν εὐθείαν ὁδὸν
εὐθυνῶν, ἢ εὐθύνειν γε ὀφείλων, οὐχὶ τὴν ἐκ περιόδων. καὶ οἱ κατὰ διαθήκας δοθέντες ἐπίτρο-
ποι παραιτήσονται κατὰ νόμους τὸν χειρισμὸν τῶν ἐν ἄλλῃ ἐπαρχίᾳ ὄντων κτημάτων. ὃ δηλοῖ ἡ
ὑποτεταγμένη τοῦ θειοτάτου Σευήρου διάταξις. Diui Seuerus & Antoninus Augusti
Valerio. testamento tutor datus, ante præfinitum diem adire præsidem prouinciæ de- G
buisti, & postulare, ut ab administratione earũ rerũ, quæ in alia prouincia erãt, liberareris.

Ὁ πριμίπιλον διανύσας ἐὰν ἐπιτροπὴν δεξάμενος υἱὸς παιδίου πάλιν εἰς τὰς στρα-
τιωτικὰς χρείας ἀναληφθῇ, ἀφεθήσεται τῆς φροντίδος τῆς ἐπιτροπῆς. ὁμοίως καὶ εἰς τὸν τό-
πον ἐκείνου τοῦ ἐπιτρόπου, ὃν μετὰ ταῦτα συνεκάθεδρον ἑαυτῷ τις ἀπήγαγεν, δοθήσεται κουρά-
τωρ ὥς φησιν διάταξις τοῦ θειοτάτου Σευήρου. ἣν ὀρθῶς ἐφαρμόζειν πᾶσι τοῖς ὁμοίοις κεφα-
λαίοις κουράτορα δίδοσθαι δεῖ, εἰς τὸν τόπον τοῦ χρόνου ἀνάλυσιν λαμβανόντων. ἐὰν ἀπε-
λεύθερος δοθῇ ἀφῆλιξ ὑπὸ πατρώνου ἐπίτροπος τοῖς τέκνοις αὐτοῦ, ἢ καὶ ἕτερος οἷος δή-
ποτε ἐλάττων τῶν εἴκοσι πέντε ἐνιαυτῶν, ἕως μὲν ἀφῆλιξ ἐστὶν οὐκ ἐνοχληθήσεται. ἐν τοσούτῳ
δὲ ἕτερος εἰς τόπον αὐτοῦ χειροτονηθήσεται κηδεμών. ὁμοίως ἐστὶν τούτῳ καὶ ὁ νόμιμος ἐπί-
τροπος ἐὰν ἀφῆλιξ ὢν τύχῃ. καὶ γὰρ καὶ εἰς τὸν τόπον τούτου κηδεμὼν ἐν τῷ τέως δοθή- H
σεται. ἐάν τις οὕτως νοσήσῃ ὡς δεῖν αὐτὸν μὴ παντέπασιν ἀφεθῆναι ἐπιτροπῆς, εἰς τὸν τό-
πον αὐτοῦ κουράτωρ δίδοται. ῥαΐσας δὲ πάλιν οὗτος ἀναλήψεται τὴν ἐπιτροπήν. εἰ δὲ καί τις
εἰς μανίαν ἐμπέσῃ, ὅμοιος ἔσται τούτῳ. οὕτω καὶ Οὐλπιανὸς γράφει. Aduersa quoq; uale-
tudo excusat: sed ea, quæ impedimento est, quò minus quis suis rebus superesse possit, ut
Imperator noster cum patre rescripsit.

XI. PAVLVS. *lib. singulari de excusatione tutorum.*

ET NON tantum ne incipiant, sed ab accepta etiam excusari debent.

XII. MODESTINVS *lib. III. Excusationum.* I

IDEM Vlpianus scribit: sed in hoc rescripto adiectum est: solere eos uel ad tempus, uel
in perpetuum excusari, prout ualetudo est, qua adficitur. Furor autem non in totum ex-
cusat, sed efficit, ut curator interim detur. εἰσὶν καὶ ἄλλοι οἳ κἂν ἤδη ὦσιν ἐπίτροποι ἢ κου-
ράτορες, διηνεκῶς λοιπὸν ἀπολύονται τῆς φροντίδος, οἷον οἱ τὴν ἑστίαν ἀλλαχοῦ μεταθεῖναι
τυχόντες ἐξ ἀντιγραφῆς βασιλέως. εἰδότος μὲν αὐτὸν ἐπιτροπεύειν, τὸ δὲ μετοικῆσαι ῥητῶς
αὐτῷ φιλοτιμουμένου, καὶ τούτων ἑκάτερον δηλοῦντος τοῖς γράμμασιν.

XIII. IDEM *lib. IIII. Excusationum.*

Εἰδέναι χρὴ ὅτι οὔτε οἱ χειροτονηθέντες ἐπίτροποι, οὔτε οἱ κατὰ διαθήκην δοθέντες, ἐγκα-
λεῖσθαι ἀνάγκην ἔχειν, ὡς δηλοῖ διάταξις τῶν θειοτάτων Σευήρου καὶ Ἀντωνίνου, τοῦτο δὲ K
παραφυλάττειν δεῖ καὶ ἐπὶ τῶν χειροτονηθέντων κουρατόρων. ἐν ὀλίγοις γὰρ πάνυ διαλάτ-
τουσιν οἱ κουράτορες ἀπὸ τῶν ἐπιτρόπων. κατὰ μέν τοι τῆς ψήφου τῆς ἐκβαλλούσης αὐτοῖς τὰς ἐξ-
κουσατίονας ἄδειαν ἔξουσιν ἐκκαλεῖσθαι. πολλὰ δὲ παραφυλάττειν προσήκει, ἵνα ἐπιτρόπου-
σιν ἐπίτροποι ἢ κουράτορες τὰ δίκαια παρασχέσθαι τῆς ἀφέσεως. δεῖ γὰρ αὐτοὺς ἐμπροθέ-
σμως προσελθεῖν τῷ δικαστῇ. εἰσὶν δὲ αἱ προθεσμίαι αὗται. ὁ μὲν γὰρ ἐν αὐτῇ τῇ πόλει ὢν ὅπου
κεχειροτόνηται, ἢ ἐντὸς ἑκατοστοῦ μιλίου τῆς πόλεως, ἐντὸς πεντήκοντα ἡμερῶν παραιτήσεται, ἢ
μετὰ τοῦτο οὐ συγχωρηθήσεται, ἀλλ' ἕξεται τῆς φροντίδος. κἂν τούτων τι μὴ ποιήσῃ πεφάνθη τῷ ἰδίῳ
κινδύνῳ

A κινδυνεύσῃ αὐτὸν ὀλιγωρεῖν πρὸς τὸ μηδὲ καταλείπεσθαι αὐτῷ τινὰ ὁδὸν πρὸς παραίτησιν. ὁ γὰρ
ὑπὲρ ἑκατὸν μίλια τῆς πόλεως ἀποδημῶν εἴκοσι μίλια ἕξει ἀριθμούμενα αὐτῷ καθ᾽ ἑκάστην
ἡμέραν ἀφ᾽ ἧς ἂν γνῷ. δεῖ δὲ αὐτῷ μηνυθῆναι ὑπὸ τῶν ἀρχόντων καὶ κατὰ πρόσωπον, ἢ ἐπὶ
τῆς οἰκίας. καὶ ἔξωθεν τούτων ἄλλας τριάκοντα ἡμέρας ἔχει πρὸς δικαιολογίαν. τοῦτο δὲ δια-
φέρει καὶ τοῖς κατὰ διαθήκας δοθεῖσιν, ἐάν τε ἐπίτροποι ὦσιν ἐάν τε κουράτορες, οὓς κου-
ράτορας βεβαιοῦσθαι ἔθος ὑπὸ τοῦ ἡγουμένου. ἴδιον δὲ ἐκεῖνο εὑρίσκομεν ἐν τῇ Μάρκου νο-
μοθεσίας ζητήσεως ἄξιον, τῷ μὲν γὰρ ἐν αὐτῇ τῇ πόλει ὄντι ἐν ᾗ κε χειροτονῆται ἢ ἐντὸς ἑκατὸν μιλί-
ων πεντήκοντα ἡμερῶν ἔδωκεν νομοθέτης προθεσμίαν. τῷ δὲ ὑπὲρ ἑκατὸν μίλια διατρίβοντι
κατ᾽ ἑκάστην ἡμέραν δεῖν ἀριθμεῖσθαι εἴκοσι μίλια ἐκέλευσεν, καὶ ἔξωθεν τούτων ἄλλας τριά-
κοντα ἡμέρας προσέθηκεν εἰς δικαιολογίαν. ὅθεν συμβαίνει ἐάν ἤ τις ἀπὸ ἑκατὸν ἑξήκοντα
B μιλίων τὰς διατριβὰς ποιούμενος, τούτῳ εἶναι προθεσμίαν ὀκτὼ καὶ τριάκοντα ἡμερῶν,
ὀκτὼ μὲν τῶν ἑκατὸν ἑξήκοντα μιλίων, ὡς καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν εἴκοσι μιλίων ἀριθμουμένων, τριά-
κοντα δὲ τὰς πρὸς τὴν δικαιολογίαν. ἔσται οὖν ἐν χείρονι τάξει ὁ πόρρωθεν διατρίβων τοῦ
ἐντὸς ἑκατὸν μιλίων ὄντος, ἢ ἐν αὐτῇ τῇ πόλει, εἴγε τούτοις μὲν ἀεὶ πεντήκοντα ἡμέραι
προθεσμίας εἰσίν, ἐκείνοις δὲ ἐλάττους ἀλλ᾽ εἰ καὶ τὰ μάλιστα τὸ ῥητὸν τοῦ νόμου ταύτην ἀ-
ποτελεῖ τὴν διάνοιαν, ὅμως γνώμη τοῦ νομοθέτου ἄλλο βούλεται. οὕτως γὰρ καὶ Κερβίδιος
Σκαιβόλας καὶ Παῦλος καὶ Δομίτιος Οὐλπιανός, οἱ κορυφαῖοι τῶν νομικῶν γράφουσιν, φά-
σκοντες οὕτως δεῖν ταῦτα παραφυλάττειν, ὡς μηδέ ποτε τινὶ ἐλάττω δίδοσθαι τῶν πεν-
τήκοντα ἡμερῶν προθεσμίαν. τότε δὲ μακροτέραν, ὁπόταν ἡ διαρίθμησις τῶν ἐπὶ τῇ ὁδῷ
ἡμερῶν προστιθεμέναις ταῖς τριάκοντα ἡμέραις ἃς πρὸς δικαιολογίαν ὁ νόμος δίδωσιν,
C ὑπερβαίνει τὰς πεντήκοντα ἡμέρας. οἷον ἐάν τινα φῶμεν ἀπὸ τετρακοσίων τεσσαράκοντα
μιλίων διατρίβειν, οὗτος γὰρ τῆς μὲν ὁδοῦ ἕξει ἡμέρας εἴκοσι δύο: πρὸς δικαιολογίαν δὲ
ἄλλας τριάκοντα, παραφυλάξουσιν δὲ αὐτὴν τὴν προθεσμίαν πάντες οἱ ὁπωσοῦν παραι-
τούμενοι τὴν ἐπιτροπὴν καὶ κουρατορείαν, ἢ μέρος γε ταύτης. ἀκόλουθον δέ ἐστιν πιστεύειν, ὅτι
εἰ καὶ τινὶ εἴδει παραιτήσεται ἤ τις χρώμενος, οὐκ ἄλλως ἀκουσθήσεται ἐὰν μὴ φυλάξῃ
τὴν προθεσμίαν, εἰ μὴ ἄρα τῆς ἑτέρας πόλεως πολίτης ἐστίν, οὕτως δὲ ἀπαναγκές ἐστι φυ-
λάττειν τὴν προθεσμίαν ὅτι κἂν δικαιολογησάμενος ἀφεθῇ, μὴ ἐλευθεροῦσθαι αὐτὸν οἱ θεό-
τατοι Σεβῆρος καὶ Ἀντωνῖνος δηλοῦσιν ἐν διατάξει, κελεύσαντες μὴ κρατεῖσθαι τὸν εἰς
τόπον αὐτοῦ χειροτονηθέντα, ὡς οὐκ ἐξὸν δεδομένον εἰς τόπον ὄντος ἐπιτρόπου. ἀπόχρη
δὲ ἐντὸς τῆς προθεσμίας ἐντυχεῖν μόνον. ἐὰν γὰρ μετὰ ταῦτα μὴ ἑκὼν ἀπολειφθῇ, οὐκ ἔ-
D σται παραγράψιμος. διόπερ ἐὰν ἀφοσιώσεως χάριν μόνον ἐντυχῇ μὴ ἐπιμείνῃ δὲ με-
τὰ ταῦτα τῇ δικαιολογίᾳ μετὰ τὴν προθεσμίαν ὑποπεσεῖται τῇ παραγραφῇ καὶ λέ-
γει τοῦτο διάταξις τῶν αὐτοκρατόρων Σεβήρου καὶ Ἀντωνίνου. ἐὰν γάρ τις διὰ νόσον, ἢ δι᾽
ἄλλην ἀνάγκην, οἷον θαλάσσης ἢ χειμῶνος ἢ ἐφόδου λῃστῶν ἤ τινα ἑτέραν παραπλησίαν ἐμ-
προθέσμου μὴ δύνηται ἐντυχεῖν, συγγνώμης τυγχάνειν. οὐ τὴν πίστιν ἤρκει συστῆσαι καὶ
ἐξ αὐτοῦ τοῦ φύσει δικαίου. πλὴν ἀλλὰ καὶ διάταξίς ἐστιν τῶν αὐτοκρατόρων Σεβήρου καὶ
Ἀντωνίνου ταῦτα λέγουσα. εἰδέναι δὲ δεῖ ὅτι οὐκ ἀπόχρη τὸ προσελθεῖν τῷ δικάσοντι, ἀλλὰ
δεῖ αὐτὸν καὶ περὶ τοῦ εἴδους τῆς ἀφέσεως μαρτύρασθαι καὶ εἰ πολλὰ ἔχει πρὸς ἄφεσιν δίκαια,
πάντα ὀνομάζειν. εἰ δὲ μή, ὅμοιός ἐστι τῷ μηδὲ τὴν ἀρχὴν προσεληλυθότι, προσελθὼν
μέν, δικαίων δὲ ἀφέσεως μὴ ὀνομάσας, αἱ δὲ πεντήκοντα ἡμέραι συνημμέναι ψηφίζον-
E ται ἀρχόμεναι ἀπὸ τοῦ καιροῦ τῆς γνώσεως ἐν ᾧ τις ἔγνω ἑαυτὸν δεδόσθαι. χρὴ δὲ μία μαρ-
τύρεσθαι προβήματος, ἢ ἄλλως ἐπὶ ὑπομνημάτων, δύναται δὲ καὶ βιβλίδια ἐπιδοῦναι
χαμᾶθεν. ὡς οἱ αὐτοὶ φασὶν αὐτοκράτορες. ταῦτα περὶ τῶν φυλάσσειν τὴν προθεσμίαν ὀ-
φειλόντων. περὶ δὲ τῶν μὴ ὑποκειμένων ταῖς προθεσμίαις, ἐπισκεψόμεθα. οἱ γὰρ παρανό-
μως δοθέντες ἐπίτροποι τουτέστιν, ἢ ὑφ᾽ ὧν μὴ ἐχρῆν ἢ οἷς μὴ ἐχρῆν, ἢ οὓς μὴ ἐχρῆν, ἢ ὃν
μὴ ἐχρῆν τρόπον, ἐὰν μήτε βεβαιωθῶσιν μήτε ἐφάψωνται τοῦ χειρισμοῦ εἰσὶν ἀνεύθυνοι,
οὐδὲ προοίσει τις αὐτοῖς ὅτι τὰς προθεσμίας οὐκ ἐτήρησαν τῶν παραιτήσεων. οὐδὲ γὰρ ἔ-
χουσιν παραιτήσεως ἀνάγκην. ὡς δείκνυται ἐκ τῶν ὑποτεταγμένων διατάξεων ἃς πα-
ραδείγματος χάριν ὑπέταξα. ἐφαρμόζοιντο δὲ ἂν πᾶσιν.

DIVI Seuerus & Antoninus Augusto Narcisso. Ab auo materno tutor dãtus, ne-
cesse non

cesse non habuisti excusari cum ipso iure non tenearis. & si igitur administrationi te non F
immiscuisti, potes esse securus. Ὁμοίως δὲ καὶ ἐὰν τὸν μὴ ὑποκείμενον τῇ δικαιοδοσίᾳ
χειροτονήσωσιν οἱ ἄρχοντες ἐπίτροπον ἢ κουράτορα, οὐδὲ οὗτος ἀνάγκην ἔχει παραφυλάσ-
σειν τὰς προθεσμίας οἷον τὸν μήτε πολίτην μήτε ἐνοίκον.

XIIII. IDEM libro quinto Excusationum.

Ἀπελεύθερον ἐν τῷ λόγῳ τῶν περὶ ἀφέσεως ἐπιτρόπων καὶ κουρατόρων, εἰδέναι δεῖ.
ὅτι οὐ μόνον τοῦ πατρὸς ἢ τοῦ ὀρφανοῦ ἀλλὰ καὶ μήτηρ νοεῖσθαι χρή. καὶ ὁπόταν δὲ
ζητῶμεν περὶ παίδων πατρὸς εἰδέναι χρή, ὅτι τὴν προσηγορίαν ταύτην οὐκ ἐν τῷ
πρώτῳ βαθμῷ στήσομεν, τουτέστιν υἱὸν καὶ θυγατέρα, ἀλλὰ καὶ ἐγγόνους ἐξ ἑκατέρου καὶ G
τοὺς ἐφεξῆς, ἀλλὰ καὶ ἐὰν δίκαιον χρυσῶν δακτυλίων λάβῃ, ἔτι διασώζει τὴν τῶν ἀπο-
λευθέρων τάξιν ἐν τούτῳ, ὅπερ ἀντέγραψεν θειότατος Ἀντωνῖνος ὁ μέγας. ὁ ἰδίῳ ἀρ-
γυρίῳ ὠνηθεὶς καὶ ἀπελευθερωθεὶς, οὐδαμῶς συγκρίνεται τοῖς λοιποῖς ἀπελευθέροις.
ἐὰν πολλοὶ ἀπελεύθεροι ὦσιν εἷς ἁπάντων τοῖς τέκνοις ἐπίτροπος δοθήσεται, καὶ ἀπὸ τριῶν
ἐπιτροπῶν οὐκ ἀπολυθήσεται.

XV. IDEM libro sexto Excusationum.

Σπάδοντα χειροτονήσουσιν ἐπίτροπον, οὐδεμίαν γὰρ ἔχει παραίτησιν, ὡς δείκνυ-
σιν διάταξις τῶν αὐτοκρατόρων Σεβήρου καὶ Ἀντωνίνου, ὁ τῷ πατρὶ ἐπαγγειλάμενος ἐ-
πιτροπεύειν τῶν παίδων, ἀφεῖσθαι ταύτης τῆς ἐπιτρόπης οὐ δύναται κἂν ἄλλως ἔχῃ H
δίκαια ἀφέσεως. εἰδέναι δεῖ ὅτι ἀξίωμα οὐδενὶ παρέξει παραίτησιν ὅθεν ἐάν τις συγκλη-
τικὸς ἢ ὢν τις ἐπιτροπεύσει καὶ τῶν κατὰ δευτέρας τάξεως ὄντων συγκλητικῶν. ὥσπερ
ἀντέγραψαν οἱ θειότατοι Μάρκος καὶ Κόμμοδος, εἰ δέ τις ἐπίτροπος ἢ κουράτορ ἢ
μὴ συγκλητικοῦ ἢ ἄλλως ἀξιωματικοῦ, εἰ δὲ ὕστερον, γένηται συγκλητικὸς δικαιωθεὶς ἀπολε-
λύται τῆς φροντίδος. εἰ δὲ οἱ ἐπιτροπευόμενοι ἢ κουρατορευόμενοι παρ' αὐτοῦ παῖδες ἦσαν συγ-
κλητικοῦ, οὐκ ἀπολέλυται τῆς ἐπιτροπῆς. ὁμοίως δὲ ὁ κατὰ δευτέρας τάξεως ὢν οὐ παραιτήσεται
ἐπιτροπεύειν καὶ κουρατορεύειν τῶν μειζόνων. μηδὲ λιβραρίους μηδὲ καλκουλάτορας οὓς δι-
αφηριστὰς λέγομεν, ἔχειν ἀλειτουργησίαν λέγουσιν αἱ θεῖαι διατάξεις, ἤδη δὲ καὶ οἱ ἰου-
δαῖοι τῶν μὴ ἰουδαίων ἐπιτροπεύσουσιν, ὥσπερ καὶ τὰ λοιπὰ λειτουργήσουσιν. αἱ γὰρ δια-
τάξεις ἐκείνοις μόνοις ἀνενοχλήτους αὐτοὺς εἶναι κελεύουσιν δι' ὧν ἡ θρησκεία χραίνεσθαι I
δοκεῖ. λογιστεία πόλεως οὐδὲ εἰς ἀριθμὸν μιᾶς ἐπιτροπῆς προχωρεῖ. ἀπελεύθεροι γυναικῶν
συγκλητικῶν, κἂν διοικῶσιν τὰ αὐτῶν πράγματα, οὐκ ἀπολύονται ἐπιτροπῶν. τοῦτο γὰρ
τοῖς τῶν ἀρρένων συγκλητικῶν ἀπελευθέροις μόνοις συγκεχώρηται. ἐὰν ὁ τῆς πόλεως ἄρ-
χων, τουτέστιν στρατηγὸς, διαπιστώσῃς αὐτῷ τῆς χειροτονίας ὑπεύθυνος γένηται καὶ δέῃ
ἐπιτροπῆς, ταύτην οὐ συναριθμήσει ἄλλαις ἐπιτροπαῖς. ὥσπερ οὐδὲ ὁ ἐγγυησάμενος ἐπιτρο-
πὴν, ἀλλ' οὐδὲ οἱ κατὰ τιμὴν ἐπίτροποι γραφέντες. ὁ τέλη μεμισθωμένος παρὰ πόλεως οὐκ ἀ-
φίεται ἐπιτροπῆς. ὁ πολλὰ δίκαια ἔχων, εἴπερ ὧν ἕκαστον καθ' αὑτὸ οὐκ ἔστιν ἰσχυρὸν. εἰ δυ-
νήσεται ἀφεθῆναι ἐζητήθη, οἷον ἑβδομήκοντα μὲν ἐτῶν οὐκ ἔστιν οὐδὲ τρεῖς ἔχει ἐπιτροπὰς οὐ-
δὲ πέντε τέκνα, ἢ ἄλλο τὶ δικαίων ἀφέσεως ἔχει, μέντοι δύο ἐπιτροπὰς καὶ δύο παῖδας
καὶ ἑξήκοντα ὄντων ἐτῶν ἢ ἄλλα τινὰ τοιαῦτα λέγει καθ' αὑτὰ μὲν ἐν τελείῳ τὴν βοήθειαν, K
μὴ παρέχοντα, τῇ δὲ πρὸς ἄλληλα κοινωνίᾳ ὄντα δικαιοφανῆ. ἀλλ' ἔδοξεν τοῦτον μὴ ἀφί-
εσθαι. ὁ λαβὼν ἢ ἔχων ἀλειτουργησίαν πολιτικῶν ἢ δημοσίων, λειτουργιῶν οὗτος ἐπιτρο-
πῆς οὐκ ἀφεθήσεται, ὁ ἀπολυθεὶς ἐπιτροπῆς ἢ κουρατορίας, οὐ πάντως τοῖς ὑπομνήμα-
σιν πρὸς ἄφεσιν ἑτέρας χειροτονίας χρήσεται, ἐὰν μὴ ὑπάρχει αὐτῷ δίκαια ἀφέσεως.
ὁ φάσκων ἑαυτὸν ἄγνωστον εἶναι τῷ πατρὶ ἢ τῇ μητρὶ ὀρφανοῦ, οὐ διὰ τοῦτο ἀφεθήσεται, ἐπει-
δὴ καὶ ὁ τρεῖς ἔχων ἐπιτροπὰς ἢ κουρατορίας, οὐκ ἔχει δίκαιον ἀφέσεως, οἷον ἐάν τις ἐ-
πιδημεύσει ἀναδέξασθαι. ἤδη δὲ καὶ ὁ μετρίου γενόμενος ἐπίτροπος ἐπιτηδεῦσαι δοκεῖ.

ITEM Vlpianus scribit. Si quis inter tres tutelas emancipati filij sui tutelam admi-
nistret: an hoc ei in numerum procedat, scio dubitatum. Inuenio tamen rescriptum, e-
mancipatæ filiæ tutelam numerari inter onera oportere.

Ἐὰν δέ τις

A Ἐὰν δέ τις χειροτονηθῇ ἐπίτροπος ὢν ἐν τῇ τοῦ πατρὸς ἐξουσίᾳ, εἶτα ὁ πατὴρ μὴ βούλοιτο ὑπὲρ αὐτοῦ ἀσφαλίζεσθαι, ἐκέλευσαν οἱ νόμοι καὶ αὐτὸν τὸν πατέρα χειροτονεῖσθαι ἐπίτροπον, ὡς μηδενὶ τρόπῳ διακρούεσθαι τὸ ἐπὶ τῇ ἐπιτροπῇ ἀσφαλές. ὡς δηλοῖ τοῦ θεοῦ Ἀδριανοῦ διάταξις.

Imperator Hadrianus Bitrasio Pollioni legato Lugdunensi. Claudius Marcus (quamuis filiusfamiliâs) si idoneus tutor esse uidebitur, pater autem eius idcirco cauere non uult, ut filium suum tutela eximat, & in hoc artificio perseuerabit: existimo te huic fraudi rectè occursurum, ut & filius, & ipse ad tutelam liberorum Clementis gerendam compellantur.

XVI. IDEM *lib.IIII. Responsorum.*

CAIUS testamento suo Nigidium filio suo tutorem dědit, eundemq; usque ad uicesi-
B mum quintum annum curatorem constituit. quæro, cum liceat Nigidio à curatione etiam citra appellationem se excusare: ex qua die tempora, quæ in excusationibus obseruanda diuus Marcus constituit, computanda sunt: utrum ex die aperti testamenti, an ex quo ad negocia gerenda uocatur, id est, post decimumquartum annum impletum? Modestinus respondit. excusationem à cura tunc necessariam esse, cum decreto prætoris seu præsidis confirmatus curator fuerit.

XVII. CALLISTRATUS *lib.v. edicti monitorij.*

NON tantum magnitudo patrimoniorum ineunda est susceptarum trium tutelarum, eiusq;, quæ suscipienda est: sed etiam ætas pupillorum consideranda est. nam si priorum pupillorum ætas propè pubertatem sit, ita ut tantummodo semestre tempus reliquum fue-
C rit: aut eorum, quorum suscipere tutelam cogitur: non dăbitur excusatio. idq; principalibus constitutionibus cauetur. Iliensibus, & propter inclytam nobilitatem ciuitatis, & propter coniunctionem originis Romanæ, iam antiquitus & senatusconsultis, & constitutionibus principum plenissima immunitas tributa est: ut etiam tutelæ excusationem habeant, scilicet eorum pupillorum, qui Ilienses non sint, idq; diuus Pius rescripsit. Eos, qui in corporibus sunt (ueluti fabrorum) quosq; immunitatem habere dicimus: etiam circa tutelarum extraneorum hominum administrationem habebunt excusationem: nisi si facultates eorum adauctæ fuerint, ut ad cætera quoq; munera publica suscipienda compellantur: idq; principalibus constitutionibus cauetur. Non omnia tamen corpora uel collegia uacationem tutelarum habent, quamuis muneribus municipalibus obstricta non sint, nisi
D nominatim id priuilegium eis indultum sit. Is, qui ædilitate fungitur, potest tutor dări. nam ædilitas inter eos magistratus habetur, qui priuatis muneribus excusati sunt, secundum diui Marci rescriptum. sanè notum est, quod gerentibus honorem uacationem tutelarum concedi placuit. uacare autem eos qui tunc primum uocentur ad suscipiendum officium tutelæ. cæterum eos, qui iam se miscuerunt administrationi: nec tempore quidem magistratus uacare. Domini nauium non uidentur haberi inter priuilegiarios, ut tutelis uacent, idq; diuus Traianus rescripsit. Inquilini castrorum à tutelis excusari solent: nisi eorum, qui & ipsi inquilini sunt, & in eodem castro, eademq; conditione sunt.

XVIII. ULPIANUS.

BELLO amissi ad tutelæ excusationem prosunt. quæsitum est autem, qui sint isti: utrum
E hi, qui in acie sunt interĕpti: an uero omnes omnino, qui per caussam belli parentibus sunt abrepti, in obsidione forte? melius igitur probabitur eos solos, qui in acie amittuntur, prodesse debere, cuiuscunq; sexus uel ætatis sint. hi enim pro republica ceciderunt.

XIX. IDEM.

ILLUD USITAtissimum est: ut his, qui in Italia domicilium habent, administratio rerum prouincialium remittatur.

XX. PAULUS.

SI PUPILLUM patruus contendat exhæredatum esse, & se hæredem scriptum: æquum est tutorem pupillo dări, recepta patrui excusatione. uel si nolit excusationem petere: remoto eo, à tutela ita litem de hæreditate expedire.

XXI. MARTIANUS.

PROPTER litem, quam quis cum pupillo habet, excusare se à tutela non potest: nisi fortè de omnibus bonis, aut plurima parte eorum cõtrouersia sit. Qui se uult excusare: si plures habeat excusationes, & de quibusdam non probauerit: alijs uti intra tempora non prohibetur. Licet dãtus tutor ad uniuersum patrimonium dãtus est: tamen excusare se potest, ne ultra centesimum lapidem tutelam gerat, nisi in eadem prouincia patrimonium pupilli sit. & ideo illarum rerum dãbunt tutores in prouincia præsides eius. Nec senatores ultra centesimum lapidem urbis tutelam gerere coguntur. habenti ergo tutorem tutor dãtur, sed aliarum rerum, non earundem. F

XXII. SCAEVOLA.

GEOMETRAE à tutelis non uacant. hi uero, quibus princeps curam alicuius rei iniunxit, excusantur à tutela, donec curam gerunt. G

XXIII. VLPIANVS.

PROPTER magistratum, quem in municipio quis erat administraturus, tutelæ excusationem non habere respondi. Si in castris merentes non ab eo tutores dentur, qui in castris merebat, excusationem habere respondi.

XXIIII. PAPINIANVS.

NEQVAQVAM credendum est, ei priuilegiũ excusationis ablatum, cui fideicõmissaria libertas soluta est. nam in toto ferè iure manumissor eiusmodi nihil iuris ut patronus aduersus liberti personam consequitur: excepto, quod in ius uocari iniussu prætoris non debet.

XXV. VLPIANVS.

EXCVSARE se tutor per libellos non poterit. H

XXVI. PAVLVS.

MENSORES frumentarios habere ius excusationis, apparet ex rescripto diuorum Marci & Commodi, quod rescripserunt præfecto annonæ.

XXVII. MARTIANVS.

LEGATARIUS, qui rogatus est alij omne legatum restituere, si malit se excusare à tutela: legatum propter fideicommissarium cõsequitur. cui similis est, qui de falso egit, nec obtinuit.

XXVIII. PAPINIANVS.

TVTOR petitus ante decreti diem, si aliquod priuilegium quærit: rectè petitionem institutam excludere non poterit. Quæ tutoribus remunerandæ fidei caussa testamento parentis relinquuntur. post excusationẽ ab hæredibus extraneis quocq; retineri placuit. quod non habebit locum in persona filij, quem pater impuberi frãtri cohæredem & tutorem dẽdit: cum iudicium patris, ut filius, non ut tutor, promeruit. Tutorem per tempus exulare iussum, excusari non oportet: sed per tempus exilij curator in locum ipsius debet dãri. I

XXIX. MARTIANVS.

PLANE si in exilium dãtus sit tutor: potest se excusare, modo in perpetuum dãtus sit. facilius autem exulis ignorantia, qui tutorem suspectum facere non potuit, ueniam habebit.

XXX. PAPINIANVS.

IVRISPERITOS, qui tutelam gerere cœperunt, in consilium principum adsumptos, optimi maximicq; principes nostri constituerunt excusandos: quoniam circa latus eorum agerent, & honor delatus finem certi temporis ac loci non haberet. Cum oriundus ex prouincia, Romæ domicilium haberet: eiusdem curator decreto præsidis ac prætoris constitutus rerum administrationem utrobicq; suscepit. placuit, cum duas curationes administrare non uideri: quod uidelicet unius duo patrimonia non uiderentur. Qui priuilegio subnixus est, frãtris curationem suscipere non cogitur. Patronus impuberi liberto quosdam ex libertis tutores aut curatores testamento dẽdit. quamuis eos idoneos esse constat: nihilominus iure publico poterunt excusari, ne decreto confirmentur. K

XXXI. PAVLVS.

SI IS, qui tres tutelas administrabat, duobus pupillis diuersis decretis dãtus est: & priùs quàm caussas excusationis allegaret, unus ex pupillis, quorum iam tutelam administrarat, decessit: ubi

A decessit: ubi desijt ei competere excusatio, statim tenuit eum prius dectetum, quasi in loco tertiæ tutelæ quarta subroganda. nam ipso iure tutor est, & antè quàm excusetur. Poterit ergo à tutela eius, qui nunc quarto loco inuenitur, excusari. sed cum non sit excusatus, necessariò subeundum est onus illius quoque tutelæ. nec me mouet, quod dicat aliquis: hoc non exigi, an administretur tutela. Hoc enim eò pertinet, ne sit finita administratio. cæterum si periculum sustineat cessationis: puto ei imputandam quoque eam tutelam. Idem euenire potest, si duobus testamentis, cum haberet tres tutelas, tutor datus est. ubi non apertarum tabularum tempus inspici debebit, si quæratur, quæ prior delata sit tutela: sed aditæ hæreditatis, uel conditionis existentis. Illa quoque erit differentia tutelarum, de quibus diximus, si
B tertia & quarta sit delata, licet in quarta prius detetus sit: quod huius, (id est quartæ) ex quo iussus est administrare: illius, ex quo datus est, periculum sustinet. Et eum, qui pupillum bonis paternis abstinuerat, detinendũ in quarta tutela existimaui, quasi deposita illa. Cæterum putarem rectè facturũ prætorem, si etiam unam tutelam sufficere crediderit, si tam diffusa & negotiosa sit, ut pro pluribus cedat. neque igitur fratres & sorores pluriũ loco habẽdi sunt: sed neque fratres, si idẽ patrimoniũ habent, & ratio administrationis pariter redigẽda est. & ex diuerso fratrum diuiso patrimonio duæ tutelæ sunt. Non enim (ut dixi) numerus pupillorum, sed difficultas rationum conficiendarum, & reddendarum consideranda est.

XXXIII. IDEM.

NESENNIUS Apollinaris Iulio Paulo. mater filiũ suũ pupillũ, uel quiuis alius extraneus
C extraneũ æquè pupillũ scripsit hæredem, & Titio legatũ dẽdit, eumque eidem pupillo tutorẽ adscripsit. Titius cõfirmatus excusauit se à tutela. quæro, an legatũ amittat? & si testamento quidem tutor non sit scriptus, legatum tamen acceperit, datusque à prætore tutor excuset se: an æquè repellẽdus sit à legato? & an aliquid intersit, si à patre uel emãcipato pupillo, tutor datus sit, uel puberi curator? Respondi. qui non iure datus uel curator, uel tutor à patre est, confirmatus à prætore excusationis beneficio uti maluit: repellendus est à legato. idque & Scæuolæ nostro placuit. Nam & prætor, qui eum confirmat tutorem, defuncti sequitur iudicium. idem in matris testamento dicendum est. Similis est matri, quiuis extraneus, qui pupillum hæredem instituit, eique & in tutore dando prospicere uoluit: quales sunt alumni nostri. Rectè ergo placuit eum, qui recusat onus, quod testator reliquit: & ab eo, quod pe
D tit, quoque idem dẽdit, repelli debere. Non semper tamen existimo eum, qui onus tutelæ recusauit, repellendum à legato: sed ita demum, si legatum, ei ideo adscriptũ appareat, quod eidem tutelam filiorum iniunxit: non quod alioquin daturus esset, etiam sine tutela. Id apparere poterit, si posueris, testamento legatum adscriptum, codicillis uero postea factis tutorem datum. in hoc enim legato potest dici, non ideo ei relictum, quia & tutorem esse uoluerit testator.

XXXIIII. IDEM.

SED hæc nimium scrupulosa sunt, nec admittenda: nisi euidenter pater expresserit, uelle se dare, etiam si tutelam nõ administrauerit. semper enim legatũ aut antecedit, aut sequitur tutelam.

XXXIIII. IDEM.

EX HIS apparet, non esse his similem eum, quem prætor tutorem dẽdit, cum posset uti
E immunitate. hic enim nihil contra iudicium fecit testatoris. nam quem ille non dẽdit tutorem, cum uoluisse tutelam administrare filij, dicere non possumus.

XXXV. IDEM.

QUID autem, si se non excusauerit, sed administrare noluerit: contentus, quod cæteri idonei sint? & hic poterit conueniri, si ab illis res seruari non potuit. sed hoc non quærendum est, sed contumacia punienda est eius, qui quodammodo se excusauit. multo magis quis dicere debebit indignum iudicio pãtris, qui ut suspectus remotus est à tutela.

XXXVI. IDEM lib. VII. *Responsorum respondit.*

AMICISSIMOS quidem & fidelissimos parentes libertis tutores eligere solere. & ideo ad suscipiendum onus tutelæ etiam honorẽ legati eos persequi. sed cum proponatur is de quo quæritur, in testamento legatum meruisse, & item pupillo substitutus: non est ueri simile,

tunc demum eum teſtatorem ſubſtituere uoluiſſe, ſi & tutelam ſuſcepiſſet: & ideo eum, de quo quæritur, à legato quidem (ſi adhuc uiueret pupillus) repellendum fuiſſe: à ſubſtitutione autem non eſſe ſubmouendum, cum eo caſu etiam ſuſcepta tutela finiretur. Lucius Titius ex tribus filiis incolumibus unum habet emancipatum eius ætatis, ut curatores accipere debeat. quæro. ſi idem Titius pater, petente eodem filio emancipato, curator à prætore dătur: an iure publico uti poſſit, & nihilominus trium filiorum nomine uacationem poſtulare? reſpódi. præmium quidem patri, quod propter numerum liberorum ei competit, denegari non oportet. ſed cum filio ſuo curator petatur: contra naturales ſtimulos facit, ſi tali excuſatione utendum ſibi putauerit.

XXXVII. SCAEVOLA.

QVI TESTamento tutor dătus fuerat, adito prætore dixit, ſe tres liberos habere. adiecit præterea, habenti patruum legitimum tutorem, ſe uicioſè tutorem dătum. prætor ita decreuit: ſi legitimum tutorē habenti tutor dătus es, non eſt tibi neceſſaria excuſatio. quæro. cum nemo patruus impuberi tutor eſſet: an nihilominus tutor remanſerit? reſpondi. ſecundum ea, quæ proponerentur, quamuis iuſtas cauſſas excuſationis haberet, non tamen eſſe excuſatum propter uicium pronunciationis. Item quæro. ſi adquieuiſſet ſententiæ: an ob id, quod non geſſit tutelam, utilis actio in hunc dări debeat? reſpondi. ſi errore potius (quod ſe pro iure trium liberorum, quod allegabat, excuſatum crediderit) quàm malicia ab adminiſtratione ceſſaſſet: utilem actionem dandam.

XXXVIII. PAVLVS.

QVINQuaginta dierū ſpaciū tantūmodo ad conteſtandas excuſationū cauſſas pertinet. peragendo enim negocio ex die nominationis continui quatuor menſes conſtituti ſunt.

XXXIX. TRIPHONINVS.

SICVM ipſe inſtitueret, ut proferret excuſationem, mora contradictionis impeditus eſt, quò minus decreto liberaretur: excuſationem rectè probari.

XL. PAVLVS.

POST ſuſceptam tutelam cæcus, aut mutus, aut ſurdus, aut furioſus, aut ualetudinarius deponere tutelam poteſt. Paupertas, quæ operi & oneri tutelæ impar eſt, ſolet tribuere uacationem.

XLI. HERMOGENIANVS lib. IIII. iuris ἐπιτομῶν.

ADMINISTrantes res principum, ex indulgentia eorum, licet citra codicillos, à tutela, iternęq; cura tempore adminiſtrationis delata, excuſantur. idemq; cuſtoditur in his, qui præfecturam annonæ, uel uigilum gerunt. Eorum, qui reipublicæ cauſſa abſunt, comites, qui ſunt intra ſtatutum numerum, de tutela, quæ abſentibus, uel profecturis delata eſt, excuſantur. nam ſuſceptam antea non deponũt. Qui corporis, item collegii iure excuſantur: à collegarum, filiorumq; eorum tutela nō excuſantur: exceptis his, quibus hoc ſpecialiter tributum eſt.

XLII. PAVLVS.

PLANÈ VLTRA centeſimum miliarium ab urbe filiorum collegarum ſuorum tutelam ſuſcipere non coguntur.

XLIII. HERMOGENIANVS lib. IIII. ἐπιτομῶν.

LIBERTVS ſenatoris, filiorum eius tutelam adminiſtrans, ab aliis tutelis non excuſatur.

XLIIII. TRIPHONINVS lib. XII. *Diſputationum.*

CVM ex oratione diui Marci ingenuus libertino tutor dătus, excuſari debeat: eandē excuſationem competere etiam ei, qui ius annulorū impetraſſet, Imperator noſter cum diuo Seuero patre ſuo reſcripſit. ergo ſi pupillo libertino habēti ius annulorū dătus ſit ingenuus tutor uel curator: conſequens eſt, ut excuſatio eius ob hanc conditionum diuerſitatem non debeat accipi. at ſi antè, quàm pupillus uel pubes minor annis uiginti quinq; ius annulorū acciperet, Lucius Titius ei dătus, ut ingenuus excuſatus fuit: poſt impetratum beneficium denuo idem tutor curatórue dări poterit, exemplo eo, quo placuit & reſcriptum eſt: eum, qui tempore, quod intra annum erat, ex quo reipublicæ cauſſa abeſſe deſierat, excuſatus fuit: præterito eo, ipſum ſuo loco dări poſſe. Et quamuis libertus, qui ſenatori patrono

procurat,

A procurat, excuſationem ab aliorum tutela habeat: iſte tamen, qui ius annulorũ impetrauit, quia in ordinem ingenuorum tranſijt, tali excuſatione uti non poteſt.

XLV. IDEM *lib. XVI. Diſputationum.*

TITIVS FILIIS MEIS, QVOAD REIPVBLICAE CAVSSA NON ABIERIT, TVTOR ESTO. geſſit tutelam ex teſtamento delatam. deinde reipublicæ cauſſa abeſſe cœpit, & deſijt. an quaſi noua tutela nunc delata excuſari debeat, etiam ob abſentiam reipublicę cauſſa: an quia præceſſit teſtamentum abſentiam ob publicam cauſſam, & eſt ab eo iam adminiſtrata tutela, non oporteat eum excuſari, & ſi liberos interea ſuſceperit, aut aliam excuſationem parauerit? & magis eſt, ut hæc una tutela ſit. ideo nec excuſationem ei competere, nec B agi tutelæ ob prius tempus poſſe. ſed ſi ita ſcriptum in teſtamento fuit, TITIVS TVTOR ESTO. CVM REIPVBLICAE CAVSSA ABIERIT, TVTOR NE ESTO. CVM REDIERIT, TVTOR ESTO. quid de excuſatione, aut ob abſentiam reipublicæ cauſſa, aut aliam, quæ poſt obuenerit, dici oporteat, uideamus. Procedit autem & alia quęſtio. teſtamento tutores ex die uel ſub conditione dati, an ſe excuſare ante diem cõditionémue neceſſe habeant? & in primis, an iam dies quinquaginta eis cedant, intra quos neceſſe eſt cauſſas excuſationis exercere? Sed uerum eſt, non ante eſſe tutorem, quàm dies uenerit. nam nec antequam adita ſit hæreditas. quia igitur ex eodem teſtamento iam geſta fuit tutela: & qui excuſatus eſſet aliàs, abſuturus reipublicæ cauſſa, reuerſus continuo cohæret tutelis antè ſuſceptis, etiam intra annum. ſed hic ex ipſo teſtamento deſierat eſſe tutor. & ideo ex ſecunda tutela C excuſare ſe poteſt. Si à prætore detur curator mente capto, aut muto, ſiue uentri: excuſatur iure liberorum. Romæ dãtos tutores eos tantum accipere debemus, qui uel à præfecto urbi, uel à prætore, uel in teſtamento Romæ concepto, uel in continentibus dati ſunt.

Si tanta corporis aut mẽtis ualetudine ab agendis rebus libertus prohibeatur, ut ne ſuis quidem negocijs ſufficiat: neceſſitati erit ſuccurrendum, ne impoſſibile ei iniungatur tutelæ munus, quod obiri à liberto nõ poſſit, niſi cum incõmodo pupilli, & aduerſus utilitatẽ eius.

XLVI. PAPINIANVS.

QVI IN collegijs piſtorum ſunt, à tutelis excuſantur: ſi modo per ſemet piſtrinum exerceant. ſed non alios puto excuſandos, quàm qui intra numerum ſunt. urbici autem piſtores à collegarum quoque filiorum tutelis excuſantur. Sed & hoc genus excuſationis eſt: D ſi quis ſe dicat ibi domicilium non habere, ubi ad tutelam dãtus eſt: ídque Imperator Antoninus cum diuo patre ſignificauit.

VBI PVPILLVS EDVCARI VEL morari debeat, & de alimentis ei præſtandis.

TIT. II.

VLPIANVS.

SOLET prætor frequentiſſime adiri, ut conſtituat, ubi filij uel alantur, uel mo- E rentur: non tantũ in poſthumis, uerum omnino in pueris. & ſolet ex perſona, ex conditione, ex tempore ſtatuere, ubi potius alendus ſit: & nõnunquam à uoluntate patris recedit prætor. Deniq; cum quidam teſtamento ſuo cauiſſet, ut filius apud ſubſtitutum educaretur: Imperator Seuerus reſcripſit, prætorem exiſtimare debere præſentibus cæteris propinquis liberorum. id enim agere prætorem oportet. ut ſine ulla maligna ſuſpitione alatur partus & educetur. Quamuis autem prætor recuſantem apud ſe educari, non polliceatur ſe coacturum: attamen quæſtionis eſt, an debeat etiam inuitum cogere: ut puã libertum, parentem, uel quem alium de adfinibus, cognatis ue? & magis eſt, ut interdum debeat id facere. Certè non malè dicetur, ſi legatarius uel hæres edu-

cationem recuset testamento sibi iniunctam, denegari ei actiones debere exemplo tutoris testamento dati. quod ita demum placuit, si idcirco sit relictum. cæterum si esset relicturus, etiam si educationem recusaturum sciret: non denegabitur ei actio. & ita diuus Seuerus sæpissimè statuit. F

II. IDEM.

OFFICIO iudicis, qui tutelæ cognoscit, congruit, reputationes tutoris non improbas admittere: utputà si dicat impendisse in alimenta pupilli uel disciplinas. Modus autem (siquidem prætor arbitratus est) is seruari debet, quem prætor statuit. Si uero prætor non est aditus: pro modo facultatum pupilli debet arbitrio iudicis æstimari. nec enim permittẽdum est tutori, tantum reputare, quantum dẽdit, si plus æquo dẽderit. Hoc amplius, & si prætor modum alimentis statuit: uerũtamen ultra uires facultatum est, quod decretum est, nec suggessit prætori de statu facultatum: non debet ratio haberi alimentorum omnium: quia si suggessisset, aut deminuerentur iam decreta, aut non tanta decernerentur. Sed si pater statuit alimenta liberis, quos hæredes scripsit: ea præstando tutor reputare poterit: nisi fortè ultra uires facultatum statuerit. tunc enim imputabitur ei, cur non adito prætore desiderarit alimenta minui. G

III. IDEM.

IVS alimentorum decernendorum pupillis prætori competit: ut ipse moderetur, quam summam tutores uel curatores ad alimenta pupillis uel adolescentibus præstare debeant. modum autem patrimonij spectare debet, cum alimenta decernit: & debet statuere tam moderatè, ut non uniuersum reditum patrimonij in alimenta decernat: sed semper ita, ut aliquid ex reditu supersit. Ante oculos habere debet in decernendo etiã mancipia, quæ pupillis deseruiunt: & mercedes pupillorũ, & uestem, & rectum pupilli ætatem etiam contemplari in qua constitutus est, cui alimenta decernuntur. In amplis tamen patrimonijs non cumulus patrimonij, sed quod exhibitioni frugaliter sufficit, modũ alimentis dãbit. Sed si non constat, quis modus facultatum sit: inter tutorem & eum, qui alimenta decerni desiderat, suscipere debet cognitionem: nec temere alimenta decernere, ne in alterutram partem delinquat. prius tamen exigere debet, ut profiteatur tutor, quæ sit penes se summa: & comminari, grauiores se ei usuras infligere eius, quod supra professionẽ apud eum fuerit deprehensum. Item ad institutionem quoq; pupillorum uel adolescentium, item pupillarum, uel earum, quę infra uicesimum annum constitutæ sunt: solet decernere respectu facultatum & ætatis eorum, qui instituuntur. Sed si egeni sint pupilli: de suo eos alere tutor non cõpellitur. & si fortè post decreta alimenta ad egestatem fuerit pupillus perductus: deminui debent, quæ decreta sunt: quemadmodum solent augeri, si quid patrimonio accesserit. H I

IIII. IVLIANVS lib. XXI. *Digestorum.*

QVI filium hæredem instituerat, filiæ dõtis nomine, cum in familia nupsisset, ducenta legauerat, nec quidquam præterea: & tutorem ei Semproniũ dẽdit. is à cognatis & propinquis pupillæ perductus ad magistratus iussus est alimenta pupillæ & mercedes, ut liberalibus artibus institueretur, pupillæ nomine præceptoribus dãre. pubes factus pupillus, puberi iam factæ sorori suæ ducenta legati caussa soluit. quæsitum est, an tutelæ iudicio consequi possit, quod in alimenta pupillæ & mercedes à tutore ex tutela præstitum sit: respondi. existimo, & si citra magistratuum decretum tutor sororem pupilli sui aluerit, & liberalibus artibus instituerit (cum hæc aliter ei contingere non possent) nihil eo nomine tutelæ iudicio pupillo aut substitutis pupilli præstari debere. K

V. VLPIANVS.

SI DISceptetur, ubi morari uel educari pupillũ oporteat: caussa cognita, id prætorẽ statuere oportebit. In caussæ cognitione uitandi sunt, qui pudicitiæ impuberis possunt insidiari.

VI. TRIPHONINVS lib. XI. *Disputationum.*

SI ABSENS sit tutor, & alimenta pupillus desideret: si quidem negligentia, & nimia cessatio in administratione tutoris obijciatur, quæ etiam ex hoc arguatur, quod per absentiã eius deserta derelictaq; sint pupilli negocia: euocatis adfinibus, atq; amicis tutoris, prętor edicto proposito, caussa cognita, etiam absente tutore, uel remouendum eum, qui dignus tali nota

A tali nota uidebitur, decernet, uel adiungendũ curatorẽ: & ita quis datus erit, expediet alimẽ-
ta pupillo. ſi uero neceſſaria abſentia tutoris & improuiſa inciderit, fortè quod ſubitò ad co-
gnitionem principalem profectus, nec rei ſuæ prouidere, nec conſulere pupillo potuerit: &
ſperetur redire, & idoneus ſit tutor, nec expediat alium adiungi, & pupillus alimenta de re
ſua poſtulet: rectè conſtituetur ad hoc ſolum, ut ex re pupilli alimenta expediat.

DE TVTELAE ET RATIONIBVS DISTRAhendis, & utili curationis cauſſa actione.

TIT. III.

B

VLPIANVS.

DE OMNIBVS, quæ tutor fecit, cum facere non deberet: item de his, quæ non
fecit, rationem reddet hoc iudicio: præſtando dolum & culpam, & quantam in
ſuis rebus diligentiam. unde quæritur apud Iulianũ libro uiceſimo primo Di-
geſtorum. ſi tutor pupillo authoritatem ad mortis cauſſa donationem accom-
modauerit: an tutelæ iudicio teneatur? & ait teneri eum. nam ſicuti teſtamẽti factio (inquit)
pupillis conceſſa non eſt: ita ne mortis quidem cauſſa donationes permittendæ ſunt. Sed
& ſi non mortis cauſſa donauerit, tutore authore: idem Iulianus ſcripſit, pleroſq; quidem
putare, non ualere donationem. (ut plerumq; ita eſt) ſed nõnullos caſus poſſe exiſtere, qui-
bus ſine reprehenſione tutor author ſit pupillo ad deminuendum, decreto ſcilicet interue-
C niente: ueluti ſi matri aut ſorori, quæ aliter ſe tueri non poſſunt, tutor alimenta præſtiterit.
nam cum bonæ fidei iudicium ſit: nemo feret (inquit) aut pupillum, aut ſubſtitutum eius
quærentes, quod tam coniunctæ perſonæ alitæ ſint. quinimò per contrarium putat, poſſe
cum tutore agi tutelæ, ſi tale officium prætermiſerit. Officio tutoris incumbit, etiam ratio-
nes actus ſui conficere, & pupillo reddere. Cæterum ſi non fecit, aut ſi factas non exhibet:
hoc nomine iudicio tutelę tenebitur. De ſeruis quoq; interrogationes, ſed & quęſtiones ha-
bendas, & hoc officio iudicis euenire placuit. nam diuus Seuerus decreuit, cum neq; inuen-
taria, neq; rationalia proferuntur: remedio eo uti debere, ut rationes à ſeruis, qui rem geſſe-
runt, proferantur. has rationes ſi mala fide conſcriptas eſſe à ſeruis dicant tutores: etiam in
quæſtione ſerui interrogari poterunt. Præterea ſi matrẽ aluit pupilli tutor: putat Labeo,
D imputare eũ poſſe. ſed eſt uerius, non niſi ſi perquàm egenti dedit, imputare eũ oportere de
largis facultatibus pupilli. utrunq; igitur concurrere oportet, ut & mater egena ſit, & filius
in facultatibus poſitus. Sed ſi munus nuptiale matri pupilli miſerit: non cum pupillo impu-
taturum, Labeo ſcripſit. nec enim tam neceſſaria eſt muneratio iſta. Si pupillis tutores pa-
ter dẽderit, interq; eos & libertũ ſuum, per quem uoluerit tutelam ſuã adminiſtrari: & tuto-
res certam ſummam ei ſtatuerint, quia aliter ſe exhibere no poterat: habendam eius ratio-
nem, quod ſtatutum eſt, Mela exiſtimat. ergo & ſi ex inquiſitione propter rei noticiam fue-
rit d itus tutor, eiq; alimẽta ſtatuerint cõtutores: debebit eorũ ratio haberi: quia iuſta cauſ-
ſa eſt præſtandi. ſed & ſi ſeruis cibaria præſtiterit, uel libertis, ſcilicet rei pupilli neceſſarijs:
dicendum eſt, reputaturum. idemq; eſt, & ſi liberis hominibus: ſi tamen ratio præſtandi iu-
E ſta intercedat. item ſumptus litis tutor reputabit, & uiatica: ſi ex officio neceſſe habuit ali-
quò excurrere uel proficiſci. Nunc tractemus ſi plures tutelam pupilli adminiſtrauerint,
pro qua quiſq; eorum parte conueniendus ſit. & ſi quidem omnes ſimul geſſerunt tutelam,
& omnes ſoluendo ſunt: æquiſſimũ erit, diuidi actionẽ inter eos pro portionibus uirilibus
exemplo fideiuſſorũ. Sed & ſi nõ omnes ſoluẽdo ſint: inter eos, qui ſoluendo ſunt, diuiditur
actio: ſed prout quiſq; ſoluendo eſt, poterunt cõueniri. Et ſi fortè quis ex facto alterius tuto-
ris cõdemnatus præſtitit, uel ex cõmuni geſtu, nec ei mdanatæ ſunt actiones: conſtitutũ eſt
à diuo Pio, & ab Imperatore noſtro, & diuo patre eius, utilem actionẽ tutori aduerſus con-
tutorem dandam. Planè ſi ex dolo cõmuni conuentus, præſtiterit tutor: neq; mandandæ

sunt actiones, neq; utilis actio competit: quia proprij delicti pœnã subijt: quæ res indignũ F
eum fecit, ut à cæteris quid doli participibus consequeretur. nec enim ulla societas est male/
ficiorũ, uel iusta cõmunicatio damni ex maleficio. Vsq; adeo autẽ ad contutores non ue
nitur, si soluendo tutores nõ sint: ut prius ad magistratus, qui eos dederunt, uel ad fideiusso
res ueniatur. & ita Imperator noster Vlpio Proculo rescripsit. quod enim Marcellus libro
octauo Digestorum scripsit, quodq; sæpissimè rescriptum est: quandiu unus ex tutoribus
idoneus sit, nõ posse ad magistratus, qui dederunt, perueniri: sic erit accipiendũ, si non con/
tutor ob hoc conueniatur, quod suspectum facere, uel satis exigere noluit. Hanc actio/
nem etiam in hæredem tutoris competere constat. sed & hæredi pupilli æquè competit, si/
milibusq; personis. Non tantum ante condemnationem, sed etiam post cõdemnationem G
desiderare potest tutor, mandari sibi actiones aduersus contutorem, pro quo condemna/
tus est. Rationibus distrahendis actione non solum hi tenentur tutores, qui legitimi fue/
runt: sed omnes, qui iure tutores sunt, & gerũt tutelam. Considerandum est in hac actio/
ne, utrum precium rei tantum duplicetur, an etiam quod pupilli intersit. & magis esse arbi/
tror, in hac actione quod interest non uenire, sed rei tantum æstimationem. In tutela ex
una obligatione duas actiones esse constat. & ideo siue tutelæ fuerit actum, rationibus di/
strahendis agi non potest: siue contrà, tutelæ actio (quo ad speciem istam) perempta est.
hunc tutorem tamen, qui intercepit pecuniam pupillarem: & furti teneri, Papinianus ait.
qui si etiam furti teneatur: hac actione conuentus, furti actione non liberatur. nec enim ea/
dem est obligatio furti ac tutelæ: ut quis non dicat plures esse actiones eiusdẽ facti, sed plu/ H
res obligationes. nam & tutelæ & furti obligatur. Hanc actionem sciendum est perpetuã
esse, & hæredi similibusq; personis dari ex eo, quod uiuo pupillo captum est: sed in hære/
dem, cæterosq; successores non dabitur, quia pœnalis est. Hæc actio tunc competit, cum &
tutelæ actio, hoc est finita demum tutela.

II. PAVLVS.

ACTIONE rationibus distrahendis nemo tenetur, nisi qui in tutela gerenda rem ex bo/
nis pupilli abstulerit. quod si furandi animo fecit: etiam furti tenetur. Vtraq; autem actio/
ne obligatur, & altera alteram non tollet. sed & condictio ex furtiua caussa competit: per
quam si consecutus fuerit pupillus, quod fuerit ablatum, tollitur hoc iudicium: quia nihil
absit pupillo. Hæc actio licet in duplum sit, in simplo rei persecutionẽ continet, & non to/ I
ta dupli pœna est.

III. POMPONIVS.

SI TVTelæ aut negociorum gestorum agatur, incerto hoc, quantum ab aduersarijs de/
beatur tutori procuratoriúe: arbitratu iudicis cauendum est, quod eo nomine eis absit.

IIII. PAVLVS.

NISI finita tutela sit, tutelæ agi non potest. finitur autem nõ solum pubertate, sed etiam
morte tutoris uel pupilli. Filiumfamiliâs emãcipatum, si tutelam administret, etiam dire/
cto teneri, Iulianus putat. Si adhuc impubes tutelę agat, nihil consumitur. Cum furio/
si curatore non tutelæ, sed negociorum gestorum actio æquè competit, etiam dum negocia
gerit: quia non idem in hac actione, quod in tutelæ actione (dum impubes est is, cuius tute/
la geritur) constitutum est. K

V. VLPIANVS.

SI TVTOR rem sibi depositam à patre pupilli uel commodatam non reddat: non tan/
tum commodati uel depositi, uerum tutelæ quoque tenetur. sed si acceperit pecuniam, ut
reddat: plerisq; placuit, eam pecuniam depositi uel commodati actione repeti, uel condi/
ci posse, quod turpiter accepta sit.

VI. IDEM.

SI FILIusfamiliâs tutelam administrauerit, & liberatus patria potestate dolo aliquid fe/
cerit: an actio tutelæ patrẽ hoc nomine teneat, quæritur: & æquũ est, ut eũ duntaxat dolum
pater præstet, qui commissus sit ante emancipationem filij.

Si pupillus

VII. IDEM.

A SI PVPILLus hæres exstiterit ei, cuius tutelam tutor suus gesserat: ex hæreditaria caussa cum tutore suo habebit actionem. Si tutor in hostium potestatem peruenerit: (quia finita tutela intelligitur) fideiussores, qui pro eo rem saluam fore spoponderint: & si quis exsistat defensor eius, qui paratus est suscipere iudicium tutelæ: uel si quis curator bonis eius constitutus recte conuenietur.

VIII. PAPINIANVS.

QVAMVIS iure postliminij tutelam pristinam possit redintegrare.

IX. VLPIANVS.

B SI TVTOR reipublicæ caussa abesse cœperit, ac per hoc fuerit excusatus, quod reipublicæ caussa aberit: tutelæ iudicio locus est. sed si desierit reipublicæ caussa abesse: cõsequenter desinit & is, qui in locum eius datus est, & tutelæ conueniri poterit. Si duobus impuberibus fratribus tutor datus sit, & alter eorum in legitimam tutelam fratris sui perfectæ ætatis constituti reciderit: eum, qui datus sit, tutorem esse desijsse, Neratius ait. quia igitur desinit: tutelæ actio erit, etiam ex persona impuberis: quamuis si testamento datus fuisset, non desineret esse tutor eius, qui adhuc erat impubes: quia semper legitima tutela testamentariæ cedit. Si testamento sub conditione tutor datus sit, deinde alius medio tempore ex inquisitione: dicendum est, locum esse tutelæ iudicio existente conditione: quia tutor esse desinit. sed si quis testamento usq; ad tempus fuerit datus: idem erit dicendum. & generaliter, quod traditum est, pupillum cum tutore suo agere tutelæ nõ posse: hactenus uerum est, si eadem
C tutela sit. absurdum enim erat à tutore administrationis rationem negociorum pupilli posci, in qua adhuc perseueraret. in qua autem desijt esse tutor, & iterum cœpit: sic ex pristina administratione tutelę debitor est pupillo, quomodo si pecuniam creditam à patre eius accepisset. Quem igitur effectum hæc sententia habeat, uideamus. nam si solus tutor est: utiq; ipse secum non aget. sed uel per specialem curatorem conueniendus est: uel pone eum contutorem habere, qui possit aduersus eum iudicium accipere, ex qua caussa cum eo tutelę agi potest. quinimò & si medio tempore soluendo esse desierit: imputabitur contutoribus, cur non egerint cum eo. Si tutori curator sit adiunctus, quamuis suspecto postulato: non cogetur tutelæ iudicium tutor suscipere: quia tutor manet. Sed & si fuerit tutor confiscatus: aduersus fiscum dandam esse actionem constat ei, qui loco eius tutor datus sit, uel contutoribus eius.
D Cæteræ actiones præter tutelæ, aduersus tutorem competunt, & si adhuc tutelam administrat: ueluti furti, damni iniuriæ, condictio.

X. PAVLVS.

SED non dantur pupillo, dum tutor tutelã gerit. quamuis enim morte tutoris intereat: tamen pupillus cum hærede eius actionem habet: quia sibi soluere debuit.

XI. VLPIANVS.

SI FILIVSFAMILIAS tutelã administrauerit, deinde fuerit emãcipatus: remanere eum tutorem, Iulianus ait. & cum pupillus adoleuerit: agendũ esse cum eo, eius quidem temporis nomine, quod est ante emancipationem, in quantum facere potest: eius uero, quod est post emancipationem, in solidum: cum patre uero, duntaxat de peculio. manere aduersus pu-
E bertatem de peculio actionem. neque enim antè annus cedit, intra quem de peculio actio datur, quàm tutela fuerit finita.

XII. PAVLVS.

FILIVS autem tutor, propter hoc suum factum, cum patre agere nõ potest ante pubertatem: quia nec finita tutela hoc ab eo exigi potest.

XIII. VLPIANVS.

SI TVTOR post pubertatem pupilli negocia administrauerit: in iudicium tutelæ ueniet id tantum: sine quo administratio tutelæ expediri non potest. si uero post pubertatem pupilli is, qui tutor eius fuerat, fundos eius uẽdiderit, mancipia & prædia comparauerit: neq; uenditionis eius, neq; emptionis ratio iudicio tutelæ cõtinebitur. & est uerũ: ea quæ cõnexa sunt

ſunt, uenire in tutelæ actionem. Sed & illud eſt uerũ: ſi cœperit negocia adminiſtrare poſt tutelam finitam, deuolui iudicium tutelæ in negociorũ geſtorum actionem. oportuit enim eum à ſemetipſo tutelam exigere. ſed & ſi quis cum tutelam adminiſtraſſet, idem curator adoleſcenti fuerit datus: dicendum eſt, negociorum geſtorum cum conueniri poſſe.

XIIII. CAIVS.

SI POST pubertatem tempore aliquo (licet breuiſſimo) intermiſerit adminiſtrationem tutor, deinde cœperit gerere: ſine ulla dubitatione tam tutelę, quàm negociorum geſtorum iudicio cum eo agendum eſt.

XV. VLPIANVS.

SI EX duobus tutoribus cum altero quis tranſegiſſet, quamuis ob dolum communem: tranſactio nihil proderit alteri. nec immeritò. cum unuſquiſq; doli ſui pœnã ſuffterat, quod ſi conuentus alter, præſtitiſſet: proficiet id, quod præſtitit, ei, qui conuentus non eſt. licet doli mali ambo rei ſint, tamen ſufficit unum ſatiſfacere: ut in duobus, quibus res commodata eſt, uel depoſita, quibuſq; mandatum eſt.

XVI. IDEM.

SI ADHVC cum tutore ex ſtipulatu agatur, uel cum his, qui pro eo interuenerunt: erit dubitario, an quia tutelæ agi non poteſt, nec ex ſtipulatu agi poſſit. & pleriq; putant, etiam hanc actionem propter eandem utilitatem differendam. Cum curatore pupilli ſiue adoleſcentis agi poterit, & ſi uſq; adhuc cura perſeueret.

XVII. IDEM.

IMPERATORES Seuerus & Antoninus reſcripſerũt in hæc uerba. Cum hoc ipſum quæratur, an aliquid tibi à tutoribus uel curatoribus debeatur: non habet rationem poſtulatio tua, uolentis in ſumptum litis ab his tibi pecuniam ſubminiſtrari.

XVIII. PAPINIANVS.

CVM tutor negocijs impuberis adminiſtratis, pupillum paterna hæreditate abſtineat: bonis patris uenditis, tractari ſolet, utilis actio pupillo relinqui, an creditoribus cōcedi debeat. & probatur actionē inter pupillum & creditores patris eſſe diuidendã: ſcilicet ut quod rationi bonorum per tutorem decrit, creditoribus reddatur: quod autem uel culpa tutoris in officio pupilli perperã abſtenti contractum eſt, puero relinquatur. quæ actio ſine dubio non prius competet, quàm pupillus ad pubertatem peruenerit. ſed illa cōfeſtim creditoribus datur.

XIX. VLPIANVS *lib. II. Reſponſorum reſpondit.*

SI probatum eſt nomen debitoris à nouiſſimo curatore, fruſtra tutorē de eo conueniri.

XX. PAPINIANVS.

ALTERIVS curatoris hæredem minorem, ut in maiore pecunia condemnatum, in integrum reſtitui placuit. ea res materiam litis aduerſus alterum curatorē inſtaurandæ non dãbit, quaſi in minore pecunia condemnatum: ſi nō ſit eius ætatis actor, cui ſubueniri debeat. ſed æquitatis ratione ſuadente, per utilem actionem ei ſubueniri, in quantum alter releuatus eſt, oportet. Non idcirco actio, quæ poſt uiceſimumquintum ætatis annum intra reſtitutionis tempus aduerſus tutorem in minore pecunia tutelæ iudicio condemnatum redditur, inutilis erit: quod adoleſcenti curatores ob eam culpam cōdemnati ſunt. itaq; ſi non iudicatum à curatoribus factum eſt: per doli exceptionem curatores cōſequi poterunt, eam actionem ſibi præſtari.

XXI. IDEM.

CVM pupillus tutelæ actione contra alterũ tutorem tutori, quem iudex in ſolidum condemnauit, ceſſit: quamuis poſtea iudicatum fiat, tamen actio dãta non intercidit: quia pro parte condemnati tutoris, non tutela reddita, ſed nominis precium ſolutum uidetur.

XXII. PAVLVS.

DEFENSOR tutoris condemnatus non auferet priuilegium pupilli. neq; enim ſponte cum eo pupillus contraxit.

XXIII. IDEM *lib. V. Reſponſorum reſpondit.*

CONVENTO hærede tutoris iudicio tutelæ: curatorem eiuſdem, neq; ipſo iure liberatũ uideri,

A uideri, neque exceptionem rei iudicatae ei dandam. idemque in haeredibus magistratuum obseruandum est.

XXIIII. IDEM.

POSTHUMO tutor datus, non nato posthumo, neque tutelae, quia nullus pupillus est: neque protutelae, quia nulla significatio est: neque negociorum gestorum iudicio tenetur, quia administrasse negocia eius, qui natus non esset, non uidetur. & ideo utilis in eum actio dabitur.

XXV. HERMOGENIANVS lib. IIII. iuris ἐπιτομῶν.

NON solum tutelae priuilegiũ datur in bonis tutoris, sed etiã eius, qui pro tutela negociũ gessit, uel ex curatione pupilli pupillęue, furiosi furiosęue debebit, si eo nomine cautũ nõ sit.

B

DE CONTRARIA TVTELAE ET utili actione. TIT. IIII.

I. VLPIANVS.

CONTRARIAM tutelae actionem praetor proposuit, induxitque in usum, ut facilius tutores ad administrationẽ accederẽt, scientes pupillum quoque sibi obligatũ fore ex sua administratione. quanquam enim sine tutoris authoritate pupilli non obligentur, nec in rem suã tutor obligare pupillum possit: attamen receptũ est, ut tutori suo pupillus sine tutoris authoritate ciuiliter obligetur, ex administratione scilicet. etenim prouocandi erant tutores, ut promptius de suo aliquid pro pupillis impenderent: dum scirent se recepturos id, quod impendissent. Haec actio non solum tutori: uerum etiam ei, qui pro tutore negocia gessit, competere debet. Sed & si curator sit, uel pupilli, uel adolescentis, uel furiosi, uel prodigi: dicendum est, etiam his contrarium dandum. idem in curatore quoque uentris probandũ est. quę sententia Sabini fuit existimantis, caeteris quoque curatoribus ex eisdẽ caussis dandum contrariũ. Finito autẽ officio hanc actionem competere dicemus tutori. caeterũ quandiu durat, nõdum cõpetit. Sed si pro curatore negociã gessit, uel curam etiã administrauit: locus erit iudicio etiã statim: quia hoc casu in ipsum quoque statim actio cõpetit. Praeterea si tutelae iudicio conuenietur: reputari potest id, quod in rem pupilli impendit. sic erit arbitrij eius: utrum compensare, an petere uelit sumptus. Quid ergo, si iudex compensationis eius rationem non habuit? an & contrario iudicio experiri possit? & unique potest. sed si reprobata est haec reputatio, & adquieuit: nõ debet iudex contrario iudicio id sarcire. An in hoc iudicio nõ tantum quae pro pupillo uel in rem eius impensa sunt, ueniant: uerum etiam ea quoque quae debebantur aliàs tutori (utputà si quid à patre pupilli debitum fuit) quaeritur? & magis puto, cum integra sit actio tutori, nõ esse in contrariũ iudicium deducendũ. quid tamen, si ideo exspectauit, quia tutor erat, & ideo non exegit? uideamus, an contrario iudicio tutelae indemnitatem consequatur. quod magis probandum est. nam sicuti, quodcunque aliud gessit pro utilitate pupilli, id contrario iudicio consequitur: ita etiã id quod sibi debetur, consequi debet, uel eius securitatẽ. ergo & si ex caussa, quę tempore finitur, obligatio aliqua fuit: tutelę contrarium iudiciũ esse ei opinor. Hanc actionẽ dandam placet, & si tutelae iudicio non agatur. etenim nonnunquã pupillus idcirco agere tutelae nõ uult, quia nihil ei debetur: imò plus in eum impensum est, quàm ei abest. nec impediendus est tutor contrario agere.

C

D

E

II. IVLIANVS. lib. XXI. Digestorum.

LONGE magis dandum est, & si rationibus distrahendis actio intendatur.

III. VLPIANVS.

QVID ergo si plus in eum impendit, quàm est in facultatibus? uideamus, an possit hoc consequi. & Labeo scripsit, posse. sic tamen accipiendum est, si expediat pupillo ita tutelam administrari. caeterum si non expedit: dicendum est, absolui pupillum oportere. neque enim in hoc administrantur tutelae, ut mergantur pupilli. iudex igitur, qui contrario iudicio cognoscit, utilitatem pupilli spectabit, & an tutor ex officio sumptus fecerit. Contrarium iudicium an ad hoc quoque competat, ut quis à pupillo exigat liberationem, uidendum est. & nemo dixerit, in hoc agere quem contrario posse, ut tutelae iudicio liberetur: sed

tantum

tantum de his:quę ei propter tutelam absunt.consequitur autem pecuniam,si quam de suo F
consumpsit,etiam cum usuris:sed uel trientibus,uel his,quæ in regione obseruātur, uel his,
quibus mutuatus est, (si necesse habuit mutuare, ut pupillo ex iusta caussa prorogaret) uel
his,quibus pupillum liberauit,uel quibus caruit tutor,si nimium profuit pupillo pecuniam
esse exsolutam. Planè si fortè tutor aliquid pecuniæ debuit fœnerari, & aliquid ipse pro
pupillo soluit:nec ipse usuras consequitur,nec pupillo pensabit.Quarè & si in usus suos con
uertit,deinde aliquid impendit in rem pupillarem:quam impendit,desinit uertisse, & exin-
de usuras nō præstabit. & si antè impendit in rem pupillarem, mox in usus suos uertit: non
uidebitur uertisse quantitatē, quæ cōcurrit cum quātitate sibi debita,ut eius summæ usuras
præstet. Vsuras utrum tandiu consequetur tutor, quandiu tutor est:an etiā post finitam G
tutelam : an ex mora tantum,uideamus. & magis est, ut quoad ei reddatur pecunia, conse-
quatur:nec enim debet ei sterilis esse pecunia.si tamen fuit in substantia pupilli, unde conse
queretur:dicendum est,non oportere eum usuras à pupillo exigere.quid ergo si de re pupil
lari non potuit sibi soluere, quia erat deposita ad prædiorum comparationem? siquidem
non postulauit à prætore, ut promatur pecunia, uel hoc minus deponatur : sibi imputet. si
uero hoc desiderauit, nec impetrauit:dicendum est, non deperire ei usuras in contrario iu-
dicio. Sufficit tutori benè & diligenter negocia gessisse: & si euentum aduersum habue-
rit,quod gestum est. Iudicio tutelæ cōtrario præstatur & id, quod in rem pupilli uel post
tutelam uersum est,si negocijs tutelę tempore gestis connexum probatur:& quod antè im-
pensum est,siue pro tutore negocia gessit, & postea tutor constitutus est, siue uentri erat cu- H
rator.sed & si non pro tutore negocia gerebat,debet uenire, quod antè impensum est. De-
ducuntur enim in tutelę iudicium sumptus,quoscunq; fecerit in rem pupilli:sic tamen,si bo
na fide fecit. Hanc actionem perpetuam esse palàm est:& hæredi,& in hæredem dări:cæ
terisq; successoribus,ad quos ea res pertinet,& in cos.

IIII. IVLIANVS.

A' TVTELA remotus eo loco haberi debet,quo esset finita tutela. & sicut actiones pa
titur,perinde ac si pupillus pubes factus esset:ita cōtrario iudicio,si quid ei aberit, persequi
debebit. Nihil enim prohibet suspectum tutorem esse: quamuis complura in rem pupilli
impenderit,quæ eum amittere non oportet. V. VLPIANVS.

HAEREDEM tutoris,si eam summam soluerit, in qua obligati pupilli fuerunt,actio- I
nem contrariam aduersus eos habere posse,respondi. VI. PAVLVS.

SI TVTOR pro pupillo se obligauit: habet contrariam actionem & antequam soluat.

DE EO, QVI PRO TVTORE, PRO'VE curatore negocia gessit. TIT. V.

VLPIANVS.

PRO TVtelæ actionem necessariò prętor proposuit.nam cum plerunq; incertum
sit,utrum quis tutor, an uero quasi tutor,pro tutore administrauerit tutelā: id-
circo in utrunq; casum actionem scripsit, ut siue tutor sit, siue non sit,qui gessit:
actione tamen teneatur.solent enim magni errores intercedere,ut discerni faci-
lè nō possit,utrū quis tutor fuerit,& sic gesserit:an uero nō fuerit, pro tutore tamen munere K
functus sit. Pro tutore autē negocia gerit,qui munere tutoris fungitur in re impuberis: si-
ue se putet tutorē,siue sciat nō esse,fingat tamen. Proinde & si seruus,quasi tutor, egerit: di-
uus Seuerus scripsit,dandum in dominū utile iudicium. Cum eo, qui pro tutore negocia
gessit, etiā ante pubertatem agi posse,nulla dubitatio est:quia tutor non est.quarè si quis fi
nita tutela,pro tutore negocia impuberis gessit,tenebitur. sed & si prius pro tutore admini-
strauerit, deinde quasi tutor æquè tenebitur ex eo,quod pro tutore negocia administraue-
rit:q̄uis deuoluat̄ hic gestus in tutelę actionē. Si quis quasi tutor negocia gesserit eius,qui
iā pubes est,neq; tutorē habere potest:pro tutela actio cessat.simili modo & si eius, qui nō-
dū natus est.nā ut pro tutore quis gerat, eā esse personā oportet, cuius ætas recipiat tutorē,

sed erit

A sed erit negociorum gestorum actio. Si curator impuberi à prætore dãtus, negocia gesserit: an quasi pro tutore gesserit, teneatur, quæritur? & est uerius, cessare hãc actionem: quia officio curatoris functus est. Si quis tamen cum tutor non esset, compulsus à prætore uel à præside, dum se putat tutorem, gesserit tutelam: uidendum, an pro tutore teneatur. & magis est, ut quamuis compulsus gessit, teneri tamen debeat: quia animo tutoris gessit, cum tutor non esset. at iste curator, non quasi tutor, sed quasi curator gessit. In protutelæ iudicio usuræ quoque ueniũt. sed utrum solummodo in id, quod gessit, tenebitur: an uero in id etiã, quod gerere debuit? & si quidem omnino non attigerit tutelam: non tenebitur. neque enim attingere debuit, qui tutor non erat. quod si quid gessit: uidendum, an etiam eorum, quæ
B non gessit, teneatur. & hactenus tenebitur, si alius gesturus fuit. sed si congnito, quod tutor non fuit, abstinuit administratione: uideamus, an teneatur, si necessarios pupilli non certiorauit, ut ei tutorem peterent. quod uerius est.

II. CELSVS.

Si is, qui pro tutore negocia gerebat, cum tutor esset: rem pupilli uendidit, nec ea usucapta est: petet eam pupillus, quanquam ei cautum est. non enim est eadem huius, quæ tutoris, rerum pupilli administratio.

III. IABOLENVS.

Qvaero. an is, qui cum tutor testamento dãtus esset, & ipdipsum ignotatet, pro tutore negocia pupilli gessit: quasi tutor, an quasi pro tutore (negocia gessit) teneatur? respondit.
C non puto teneri quasi tutorem: quia scire quoque se tutorem esse debet, ut eo affectu negocia gerat, quo tutor gerere debet.

IIII. POMPONIVS.

Qvi pro tutore negocia gerit, eãdẽ fidem & diligentiã præstabit, quã tutor præstaret.

V. VLPIANVS.

Ei, qvi pro tutore negocia gessit, contrarium iudicinm competit.

QVOD FALSO TVTORE AVTHORE gestum esse dicetur. TIT. VI.

VLPIANVS.

D Hvivs edicti æquitas non est ambigua: ne contrahentes decipiantur, dum falsus tutor adhibetur. Verba autem edicti hæc sunt. QVOD EO AVTHORE, QVI TVTOR NON FVIT. Verbis edicti multa desunt. quid enim, si fuerit tutor: is tamen fuit, qui authoritatem accommodare non potuit: putã furiosus, uel ad aliam regionem dãtus? Sed Pomponius libro tricesimo scripsit, interdum (quamuis tutore gestũ est) non pertinere ad hanc partẽ edicti. quid enim, si duo tutores, alter falsus, alter uerus authoritatem accommodauerit: nonne ualebit, quod gestum est? Item hoc edictum, licet singulariter scriptum sit: si tamen plures interuenerint, qui tutores non erant: locum habere debere, Pomponius libro tricesimo scribit. Idẽ Pomponius scribit, etiã si pro tutore negocia gerens, authoritatem accõmodauerit: nihilominus hoc edictum locum habere: ni
E si forte pretor decreuit, ratum se habiturum id, quod his authoribus gestum est. tunc enim ualebit per prætoris tuitionem, non ipso iure. Ait prætor. SI ID ACTOR IGNORAVIT, DABO IN INTEGRVM RESTITVTIONEM. scienti non subuenit, meritò: quoniam ipse se decepit.

II. PAVLVS.

Si id (inquit) actor ignorauit. Labeo. Et si dictum sit ei, & ex bona fide non crediderit.

III. VLPIANVS.

Plane si is sit, qui auxilio non indiget: scientia ei non nocet. utputã si pupillus cum pupillo egit. nam cum nihil actum sit, scientia ei non nocet.

IIII. IDEM.

Interdvm tamen, & si scientia nocet: tamen restitutio facienda erit, si à prætore compulsus est ad iudicium accipiendum.

V. PAVLVS.

MINORI uigintiquinque annis succurritur, etiam si scierit.

VI. PAVLVS.

PVPILLI scientia computanda non est, tutoris eius computanda est. utique si pupillo cautum sit: melius dicetur, rem suam restitui pupillo debere, quàm incertum cautionis euentum exspectari. quod & Iulianus (si aliàs circumuentus sit pupillus) respondit.

VII. VLPIANVS.

NOVISSIMÈ prætor ait. IN EVM, QVI CVM TVTOR NON ESSET, DOLO MALO AVTHOR FACTVS ESSE DICETVR: IVDICIVM DABO, VT QVANTI EA RES ERIT, IN TANTAM PECVNIAM CONDEMNETVR. Non semper tutor conuenitur, nec sufficit, si sciens author fuit: uerum ita demum, si dolo malo author fuit. quid enim si cõpulsus, aut metuens, ne compelleretur, authoritatem accommodauerit? nõnne debebit esse excusatus? 6

Quod ait prætor, QVANTI EA RES ERIT: magis puto, non pœnam, sed ueritatẽ his uerbis contineri. Pomponius libro tricesimo scripsit, rectè etiam sumptuum in hoc iudicio rationem haberi, quos facturus est actor restitutorio agendo. Si plures sint, qui authores fuerunt: perceptione ab uno facta, & cæteri liberantur, non electione.

VIII. PAVLVS.

ET ideo si nihil, aut non totum seruatum sit: in reliquos non denegandam in id, quod deest, actionem, Sabinus scribit.

IX. VLPIANVS.

HVIVS actionis exemplo Pomponius libro tricesimo scribit, dandam actionem aduersus eum, qui dolo malo adhibuit, ut alius authoraretur inscius. Has in factũ actiones hęredibus quidem competere, cæterisque successoribus: in eos uero non reddi, Labeo scribit, nec in ipsum post annum: quoniam & factum puniunt, & in dolum concipiuntur, & aduersus eas personas, quæ alieno iuri subiectæ sunt noxales erunt. 11

X. CAIVS.

SI CVM falso tutore actum sit, & interea dies actionis exierit, aut res usucapta sit: omnia in commoda perinde sustinere debet, ac si illo tempore uero tutore authore egisset.

XI. VLPIANVS.

FALSVS tutor, qui in contrahendo author minori duodecim uel quatuordecim annis fuerit: tenebitur in factum actione propter dolum malum, cuiuscumque conditionis fuerit, uel sui iuris, uel alieni. Qui enim dolo malo authoritatem accommodauerit: tenebitur hoc edicto. Sed & si quis filiæfamiliàs author factus sit ad cõtrahendũ, tenetur. Idemque iuris est, si ancillæ quis tutore authore crediderit. nam omnibus istis modis propter tutorẽ decipitur is, qui contraxit: quia aliter cum impubere contracturus non fuisset, quàm si tutoris authoritas intercessisset. Iulianus tractat libro uicesimo primo Digestorum: an etiam in pãtrem debeat dãri hęc actio, qui filiam minorem duodecim annis nuptum dẽdit. & magis probat, pãtri ignoscendum esse, si filiam suam maturius in familiam sponsi perducere uoluerit. affectu enim propensiore magis, quàm dolo id uideri fecisse. Quod si intra duodecimum annum hęc decesserit, cum haberet dõtem: putat Iulianus, si dolo malo conuersatus sit is, ad quem dos pertinet: posse maritum doli mali exceptione condicentẽ submouere in casibus, in quibus dõtem uel in totũ, uel in partẽ, si constaret matrimoniũ, fuerat lucraturus. 1

XII. IDEM.

EX EO, quod interrogatus, tutorem se esse respondisset: nulla eum actione teneri. Si tamen cum tutor non esset, responso suo in aliquam captionem adolescentem induxisset: utilem actionem aduersus eum dandam.

DE FIDEIVSSORIBVS, ET NOMINATORIBus, & hæredibus tutorum & curatorum. TIT. VII.

POMPONIVS.

Quamuis

A  VAMVIS hæres tutoris tutor non est: tamen ea, quæ per defunctum inchoata sunt, per hæredem (si legitimæ ætatis, & masculus sit) explicari debēt: in quibus dolus eius admitti potest. Quod penes tutorem fuit, hæres quoque eius reddere debet. quod apud pupillum is reliquerit, si hæres capit: non quidem crimine caret, sed extra tutelam est, & utili actione hoc reddere compellitur.

II. VLPIANVS.

POSTVLARE tutorem uidetur, & qui per alium postulat. item nominare & qui per alium hoc idem facit. III. IDEM.

B ETIAM fideiussorem & hæredes fideiussoris ad eandem rationem usurarum reuocandos esse constat, ad quam & tutor reuocatur.

IIII. IDEM.

CVM ostendimus hæredem quoque tutelæ iudicio posse conueniri: uidendum, an etiam proprius eius dolus, uel propria administratio ueniat in iudicium. & exstat Seruij sententia existimantis, si post mortem tutoris hæres eius negocia pupilli gerere perseuerauerit: aut in arca tutoris pupilli pecuniam inuenerit, & cōsumpserit: uel eam pecuniam, quam tutor stipulatus fuit, exegerit: tutelæ iudicio eum teneri suo nomine. Nam cum permittatur aduersus hæredem ex proprio dolo iurari in litem: apparet eum iudicio tutelæ teneri ex dolo proprio. Negligentia planè propria hæredi non imputabitur. Vsuras quoque eius pecuniæ, quam pupillarem agitauit, præstare debet hæres tutoris. Quantas autem, & cuius temporis usuras præstare debeat, ex bono & æquo constitui ab iudice oportet. Fideiussores C a tutoribus nominati, si præsentes fuerunt, & non contradixerunt, & nomina sua referri in acta publica passi sunt: æquum est, perinde teneri, atque si iure legitimo stipulatio interposita fuisset. eadem caussa uidetur affirmatorum: scilicet quia, cum idoneos esse tutores affirmauerint, fideiussorum uicem sustinent.

V. PAVLVS.

SI CVM fideiussoribus tutoris, ex stipulatione rem saluam fōre, agetur: easdem reputationes habebunt, quas tutor.

VI. PAPINIANVS.

PVPILLVS contra tutores, eorumque fideiussores iudicem accepit. iudice defuncto, priusquàm ad eum iretur, contra solos fideiussores alter iudex dātus est. Officio cognoscentis D conueniet, si tutores soluendo sint, & administratio non dispar (sed communis fuerit:) portionum uirilium admittere rationem ex persona tutorum.

VII. IDEM.

SI FIDEiussores, qui rem saluam fōre pupillo cauerant, ut tutorem adolescens antè conueniret, petierunt: atque ideo stipulanti promiserunt, se reddituros, quod ab eo seruari nō potuisset: placuit inter eos, qui soluendo essent, actionem residui diuidi, quod onus fideiussorum susceptum uideretur. nam & si mandatu plurium pecunia credatur: æquè diuiditur actio. si enim quod est dātū pro alio, soluitur: cur species actionis æquitatem diuisionis excludat? VIII. PAVLVS.

E HAEREDES eius, qui non iure tutor uel curator dātus, administrationi se nō immiscuit: dolum & culpam præstare non debere. Paulus respondit. tale iudicium in hæredem tutoris transferri oportere, quale quidem defunctus susceperit. hoc eo pertinere, ut non excusetur hæres si dicat se instrumenta tutelaria non inuenisse. Nam cum ex omnibus bonę fidei iudicijs propter dolum defuncti hæres teneatur: idem puto seruandum in tutelæ actione. sed constitutionibus subuentum est ignorantiæ hæredum. hoc tamen tunc obseruandum est, cum post mortē tutoris hæres cōueniatur: non si lite contestata tutor decesserit. nam litis contestatione & pœnales actiones transmittuntur ab utraque parte, & temporales perpetuantur.

DE MAGISTRATIBVS CONVENIENDIS, & eorum hæredibus. TIT. VIII.

I. VLPIANVS. F



NORDINEM subsidiaria actio nõ dabitur, sed in magistratus, nec in fideiussores
corum. hi enim rem publicam saluam fore promittunt, non pupilli. proinde
nec nominatores magistratuũ ex hac caussa tenebuntur, sed soli magistratus.
Sed si ordo receperit in se periculum: dici debet, teneri eos, qui præsentes fue-
runt. parui enim refert, nominauerint, uel fideiusserint, an in se periculum receperint. utilis
ergo in eos actio competit. Sed si à magistratibus municipalibus tutor dãtus sit: non uide-
tur per ordinem electus. Neq; prætor, neq; quis alius, cui tutoris dandi ius est, hac actio-
ne tenebitur. Si præses prouinciæ renunciare magistratus tantum de facultatibus tuto-
rum uoluit, ut ipse daret: uideamus an, & quatenus teneantur. & exstat diui Marci rescri- G
ptum, quo uoluit eos, qui præsidi renunciassent, non perinde teneri, atq; si ipsi dedissent:
sed si decepissent, gratia fortè, aut pecunia, falsa renunciantes. Planè si præses prouinciæ sa-
tis eos exigere iussit: non dubitabimus, teneri eos, etiam si præses dederit. Si præses pro-
uinciæ, nominibus ab alio acceptis, ad magistratus municipales remiserit, ut se de nomini-
bus instruant, & exinde instructus, dederit tutores: an exemplo eorum, qui prætorem in-
struunt, debeant magistratus teneri, quæritur? utiq; enim interest, utrum ipsi magistratus
nomina electa dederint præsidi, an ea, quæ ab alio præses accepit, inquisierint. & puto utro
que casu teneri, quatenus dolo uel lata culpa uersati sunt. Non tantũ pupilli, sed etiam suc-
cessores eorum subsidiaria agere possunt. Si curatores fuerunt minus idonei dãti: dicen-
dum est, teneri magistratus oportere, si ex suggestu eorum, uel nominibus ab eis acceptis, H
præses dederit. sed & si ad eos rem serit, ut ipsi darent, uel ut post dationẽ exigerent satisdã-
tionem: periculũ ad eos pertinebit. Magistratibus imputatur, etiam si omnino tutor uel
curator dãtus non sit. sed ita demum tenentur, si moniti nõ dederint. Ideo damnum, quod
impuberes uel adolescentes medio tempore passi sunt, ad eos magistratus pertinere non
ambigitur, qui munere mandato non paruerunt. Sciendum autem est, si magistratus mu
nicipales dãta opera tutelam distulerint in successores suos: uel satisdationem dãta opera
traxerint, quoad successores accipiant: nihil eis prodesse. Diuus Hadrianus rescripsit, etiã
in eum, qui electus esset ad æstimandas tutorũ satisdãtiones actionẽ dandã. Si inter magi
stratus hoc conuenisset, ut alterius tantũ periculo tutores darentur: cõuentiones pupillo non
præiudicare, diuus Hadrianus rescripsit. cõuentione enim duũ uirorum ius publicum muta I
ri non potest. prius enim arbitror cõueniendum eum, qui hoc suscepit: deinde excussis eius
facultatibus, tunc ueniendum ad collegam: quemadmodum si solus dedisset, diceremus
prius eum, deinde colligam aggrediendũ. Si quando desint in ciuitate, ex qua pupilli ori
undi sunt, qui idonei uideantur: officium est magistratuum, exquirere ex uicinis ciuitatibus
honestissimum quenq;, & nomina præsidibus prouinciæ mittere, non ipsos arbitrium dan
di sibi uindicare. Si magistratus ab initio tutorem idoneum dedit, & satis non exegit
non sufficit. quod si satis exegit, & idoneum exegit: quamuis postea facultatibus lapsi sunt
tutores uel fideiussores: nihil est, quod ei, qui dedit, imputetur. Non enim debent magistra
tus futuros casus, & fortunam pupillo præstare. Sed & si satis non exegit, idoneus tamen
tutor eo tempore fuit, quo tutelæ agi potest: sufficit. probatio autem non pupillo incumbit, K
ut doceat fideiussores soluendo non fuisse, cum acciperentur: sed magistratibus, ut doceant
eos soluendo fuisse. Priuilegium in bonis magistratus pupillus non habet, sed cum cæ-
teris creditoribus partem habiturus est. Exigere autem cautionem magistratus sic opor-
tet: ut pupilli seruus aut pupillus ipse (si fari potest, & in præsentiarum est) stipuletur à tuto-
ribus, item fideiussoribus eorum, rem saluam fore pupillo. at si nemo est, qui stipuletur:
seruus publicus stipulari debet rem saluam fore, aut certè ipse magistratus. Planè ubi ser-
uus publicus, uel ipse magistratus stipulatur: dicendum est, utilem actionem pupillo dan-
dam. Si filiusfamiliâs fuerit magistratus, & caueri pupillo non curauerit, aut non idoneè
cautum sit culpa eius: an, & quatenus in patrem eius actio danda sit, quæritur. & ait Iulia-
nus, in patrem de peculio dandam: siue uoluntate eius filius decurio factus sit, siue non. Nã

a & si uoluntate patris magistratum administrauerit: attamen non oportere patrem ultra, quàm de peculio conueniri: quasi rempublicam saluam fore promittat, qui dat uoluntatem, ut filius decurio creetur.

II. IDEM.

PROPONEBATUR duos tutores à magistratibus municipalibus datos cautione non exacta: eorumque alterum inopem decessisse, alterum in solidum conuentum satis pupillo fecisse. Et quærebatur, an tutor iste aduersus magistratum municipalem habere possit aliquam actionem, cum sciret à contutore suo satis non esse exactum? Dicebam, cum à tutore satis pupillo factum sit: neque pupillum ad magistratus redire posse, neque tutorem: cum
b nunquam tutor aduersus magistratus habeat actionem. Senatus enim consultum pupillo subuenit: præsertim cum sit, quod tutori imputetur: scilicet quod satis à contutore non exegit, uel suspectum non fecit, si sciuit (uti proponitur) magistratibus eum non cauisse.

III. IVLIANVS.

QVOD SI tutor ab hac parte culpa uacet: tamen erit iniquum, aduersus magistratus actionem ei dari.

IIII. VLPIANVS.

NON similiter tenentur hæredes magistratuum, ut ipsi tenetur. sed nec hæres tutoris negligentiæ nomine tenetur. Nam magistratus quidem in omne periculum succedit: hæres ipsius, dolo proximæ culpæ succedaneus est.

c V. IVLIANVS.

DVO tutores partiti sunt inter se administrationem tutelæ. alter sine hærede decessit. Quæsitum est, utrum in magistratum, qui non curasset, ut caueretur: an in alterum tutorem actio pupilli dari deberet? Respondi, æquius esse, in alterum tutorem dari quàm in magistratum. debuisse enim eum, cum sciret pupillo cautum non esse, uniuersa negocia curare: & in ea parte, quam alteri tutori commisisset, similem esse, ei qui ad administrationem quorundam negociorum pupilli non accessisset. nam & si aliquam partem negociorum pupilli administrauerit: tenetur etiam ob rem, quam non gessit, cum gerere deberet.

VI. VLPIANVS.

QVOD ad hæredem magistratus pertinet: exstat diui Pij rescriptum, caussa cognita
D debere dari actionem. Nam si magistratus tanta fuit negligentia, ut omnem cautionem omitteret: æquum est, haberi cum loco fideiussoris, ut & hæres eius teneatur. Si uero cauit, & tunc idonei fuerunt, postea uero desierunt: sicut ipse magistratus probè recusaret hanc actionem, ita & hæres multo iustius. nouissimè non aliàs ait in hæredem actionem dandam, quàm si euidenter magistratus cum minus idoneis fideiussoribus contrahunt.

VII. CELSVS.

IN MAGISTRATUS, qui tutorem dederunt, rogo rescribas, utrum pro uirili portione actio danda sit: an optio sit eius, qui pupillus fuit, cum quo potissimum agat? Respondi, si dolo fecerunt magistratus, ut minus pupillo caueretur: in quem uult, actio ei in solidum danda est. si nec culpa eorum, neque dolo malo id factum est: æquius esse existimo, pro portione
E in quemque eorum actionem dari, dum pupillo res salua sit.

VIII. MODESTINVS.

MAGISTRATUS à curatoribus adulti cautionem exegerunt rem saluam fore. ex his alter sine hærede decessit. quæro, an indemnitatem in solidum collega eius præstare debeat? Modestinus respondit, nihil proponi, cur non debeat.

IX. IDEM.

AN IN magistratus actione data, cum usuris sors exigi debeat: an uero usuræ peti non possint, quoniam constitutum est, pœnarum usuras peti non posse, quæsitum est. Et rescriptum est à diuo Seuero & Antonino, usuras peti posse: quoniam eadem in magistratibus actio datur, quæ competit in tutores.

DE REBVS EORVM, QVI SVB TVTELA uel cura sunt, sine decreto non alienandis, uel pignori obligandis. TIT. IX.

VLPIANVS.



IMPERATORIS Seueri oratione prohibiti sunt tutores & curatores prædia rustica uel suburbana distrahere. quæ oratio in senatu recitata est Tertyllo & Clemente consulibus, idibus Iunijs. & sunt uerba eius huiusmodi. PRAETEREA, PATRES CONSCRIPTI, INTERDICAM TVTORIBVS ET CVRATORIBVS, NE PRAEDIA RVSTICA VEL SVBVRBANA DISTRAHANT: NISI, VT ID FIERET, PARENTES TESTAMENTO VEL CODICILLIS CAVERINT. QVOD SI FORTE AES ALIENVM TANTVM ERIT, VT EX REBVS CAETERIS NON POSSIT EXSOLVI: TVNC PRAETOR VRBANVS VIR CLARISSIMVS ADEATVR, QVI PRO SVA RELIGIONE EXISTIMET, QVAE POSSINT ALIENARI, OBLIGARI VE DEBEANT: MANENTE PVPILLO ACTIONE, SI POSTEA POTVERIT PROBARI OBREPTVM ESSE PRAETORI. SI COMMVNIS RES ERIT, ET SOCIVS AD DIVISIONEM PROVOCET: AVT CREDITOR, QVI PIGNORI AGRVM A PARENTE PVPILLI ACCEPIT, IVS EXSEQVATVR: NIHIL NOVANDVM CENSEO. Si defunctus, dum uiueret, res uenales habuerit, testamento tamen non cauerit ut distraherentur: abstinendum erit uenditione. Non enim utique qui ipse uoluerit uendere, idem etiam postea distrahendum putauit. Si minor uiginti quinque annis emerit prædia, ut quoad precium solueretur, essent pignori obligata uenditori: non puto pignus ualere. nam ubi dominium quæsitum est minori: cœpit non posse obligari. 1

II. PAVLVS.

SED hic uidetur illud mouere, quod cũ dominio pignus quæsitũ est, & ab initio obligatio inhæsit. Quod si à fisco emerit: nec dubitatio est, quin ius pignoris saluũ sit. Si igitur talis species in priuato uenditore inciderit: imperiali beneficio opus est, ut rescripto pignus confirmetur.

III. VLPIANVS.

SED si pecunia alterius pupilli alteri pupillo fundus sit comparatus, isque pupillo uel minori traditus sit: an pignoris obligationem possit habere is, cuius pecunia fundus fuit emptus? & magis est, ut saluum sit ius pignoris secundum constitutionem Imperatoris nostri, & diui patris eius, ei pupillo, cuius pecunia comparatus est fundus. Pignori tamẽ rapi, iussu magistratus, uel præsidis, uel alterius potestatis, & distrahi fundus pupillaris potest. Sed & in possessionem mitti rerũ pupillarium à prætore quis potest: & ius pignoris contrahitur, siue legatorum seruandorum caussa, siue damni infecti, & ut procedat, iuberi, & etiam possideri poterit. Hæ enim obligationes siue alienationes locum habent, quando nõ ex tutoris uel curatoris uoluntate id fit, sed ex magistratuũ authoritate. Item quæri potest, si fundus à tutore pupillaris petitus sit, nec restituatur: an litis æstimatio oblata alienationem pariat? & magis est, ut pariat. hæc enim alienatio non sponte tutorum fit. Idemque erit dicendum, & si fundus petitus sit, qui pupilli fuit, & contra pupillũ pronunciatum, tutoresque restituerunt. Nam & hic ualebit alienatio propter rei iudicatæ authoritatẽ. Si ius ἐμφυτευτικὸν (uel ἐμβατευτικὸν) habeat pupillus: uideamus, an distrahi hoc à tutoribus possit. Et magis est, non posse: quamuis ius prædij potius sit. Nec usufructus alienari potest, & si solus fuit usufructus pupilli. An ergo nec hic non utendo amittatur, si tutor caussam præbuerit huius rei? & manifestum est restaurari debere. Sed si proprietatem habeat pupillus, non potest usufructum uel usum alienare, quamuis oratio nihil de usufructu loquat. Simili modo dici potest, nec seruitutẽ imponi posse fundo pupilli uel adolescentis, nec seruitutẽ remitti quod & in fundo dotali placuit. Si lapidicinas uel aliqua metalla pupillus habuerit stypteriæ, uel cuius alterius materiæ: uel si cretæ, argentifodinas, uel quid aliud huic simile.

Quod

A IIII. PAVLVS.

Qvod tamen priuatis liceat possidere.

V. VLPIANVS.

Magis puto ex sententia orationis impediri alienationem. Sed & si salinas habeat pupillus, idem erit dicendum. Si pupillus alienum fundum bona fide emptum possideat: dicendum puto, nec hunc alienare tutores posse. etenim si quasi pupillaris distractus est, uenditio nō ualet. Si pupillo fundus pignoratus sit: an uendere tutores possint? & puto. hunc enim quasi debitoris, hoc est, alienum uendunt. si tamen impetrauerat pupillus uel pater eius, ut iure dominij possideat: consequens erit dicere, non posse distrahi,
B quasi prædium pupillare. Idemque est, & si fuerit ex caussa damni infecti iussus possidere. Si fundus legatus, uel per fideicommissum fuerit relictus Seio, à pupillo hærede instituto: an tutores restituere hunc fundum possint sine authoritate prætoris? & putem, si quidem rem suam legauit, cessare orationem. sin uero de re pupilli: dicendū erit locum esse orationi, nec in cōsulto prætore posse alienari. Si pupillus stipulanti spopōderit: an soluere possit sine prætoris authoritate? & magis est, ne possit. alioquin inuenta erit alienandi ratio. Sed si pater stipulanti fundum spoponderit, successeritque pupillus in stipulatum: fortius dicetur, sine prætoris authoritate posse eum reddere. Idemque, & si iure hæreditario alij successerit, qui erat obligatus. Eadem ratione & si parens fundum uendiderit, uel quis alius, cui pupillus successerit: potest dici, pupillum cetera uenditionis inconsulto prę-
C tore posse perficere. Fundum autem legatum repudiare pupillus sine prætoris authoritate non potest. esse enim & hanc alienationem, cum res sit pupilli, nemo dubitat.

Non passim tutoribus sub obtentu æris alieni permitti debuit uenditio. neque enim est eis uia distractionis tributa. & ideo prætori arbitriū huius rei senatus dedit: cuius officio in primis hoc conuenit, excutere, an aliunde possit pecunia ad extenuandum æs alienum expediri. Quærere ergo debet, an pecuniam pupillus habeat, uel in numerato, uel in nominibus, quæ conueniri possunt, uel in fructibus conditis, uel etiam in redituum spe atque obuentionum. item requirat, num aliæ res sint præter prædia, quæ distrahi possint, ex quorum precio æri alieno satisfieri possit. Si igitur deprehenderit, non posse aliunde exsolui, quàm ex prædiorum distractione: tunc permittet distrahi: si modo urgeat creditor,
D aut usurarum modus carendum ære alieno suadeat. Item prætor æstimare debebit, utrū uendere potius, an obligare permittat. nec non illud uigilanter obseruare, ne plus accipiatur sub obligatione prædiorum fœnoris, quàm opus sit ad soluendum æs alienum. Aut si distrahendum arbitrabitur, ne propter ęs alienum modicum possessio magna distrahatur. sed si sit alia possessio minor, uel minus utilis pupillo: magis eā iubeat distrahi, quàm maiorem & utiliorem. In primis igitur, quoties desideratur ab eo, ut permittat distrahi: requirere debet, qui se instruat de fortunis pupilli, nec nimium tutoribus uel curatoribus credere: qui nonnunquam lucri sui gratia adseuerare prætori solent, necesse esse distrahi possessionem uel obligari. Requirat ergo necessarios pupilli, uel parentes, uel libertos aliquos fideles, uel quem alium, qui noticiam rerum pupillarium habeat: aut si nemo inue-
E nitur, aut suspecti sunt, qui inueniuntur, iubere debet edi rationes. Itemque (si opus sit) pupillarium bonorum aduocatum pupillo dare, qui instruere possit prætoris religionem: an adsentire uenditioni, uel obligationi debeat. Illud quæri potest, si prætor aditus, permiserit distrahi possessionem prouincialem: an ualeat, quod fecit? & putem ualere: si modo tutela Romę agebatur, & hi tutores eam quoque administrationem subierant. Ne tamen titulotenus tutores ære alieno allegato pecunia abutantur, quā mutuā acceperūt: oportebit prætorē curare, ut pecunia accepta creditoribus soluatur, & de hoc decernere: dareque uiatorē, qui ei renūciet, pecuniā istā ad hoc cōuersam, propter quod desiderata est alienatio uel obligatio. Si æs alienū nō interueniat: tutores tamē allegent, expedire hęc prędia uēdi, & alia cōparari, uel certè istis carere: uidendū est, an prętor eis debeat permittere. & magis est, ne possit. Prętori enim nō liberum arbitriū dātū est distrahendi res pupillares

qq 4 sed

fed ita demum, fi æs alienum immineat. proinde & fi permiferit, ære alieno non allega- F
to: confequenter dicemus, nullam effe uenditionem, nullumq; decretum. non enim paf-
fim diftrahi iubere prætori tributum eft: fed ita demum, fi urgeat æs alienum. Ma-
net actio pupillo. fi poftea poterit probari, obreptum effe prætori. Sed uidendum eft, u-
trum in rem, an in perfonam dabimus ei actionē. Et magis eft, ut & in rem dētut, nō tan-
tum in perfonam aduerfus tutores fiue curatores. Communia prædia accipere debe-
mus, fi pro indiuifo communia fint. cæterum fi pro diuifo cōmunia fint: ceffante oratio-
ne, decreto locus erit.

VI. IDEM.

SED SI fortè alius proprietatem fundi habeat, alius ufumfructum: magis eft, ut ceffet G
hæc pars orationis, quæ de diuifione loquitur. nulla enim communio eft.

VII. IDEM.

SI PVPILlorum fint communia prædia, qui diuerfos tutores habēt: uideamus, an alie-
natio locum habere poffit. & cum prouocatio neceffaria fit: puto alienationem impediri.
neuter enim poterit prouocare, fed ambo prouocationem exfpectant. Item fi eofdem tu-
tores habent: multo magis quis impeditam alienationem dicet. Si pupillus dedit res
pignori permiffu prætoris: nonnulla erit dubitatio, an alienatio poffit impediri. Sed dicē-
dum eft, poffe creditorem ius fuum exfequi. Tutius tamen fecerit, fi prius prætorem adie
rit. Si pater uel parens tutor fit alicui ex liberis: an prætor adeundus fit, fi obligare uelit?
& magis eft, ut debeat. pronior tamen effe debet prętor, ad confentiendū patri. Si præ- H
tor tutoribus permiferit uendere, illi obligauerint, uel contrà: an ualeat, quod actum eft?
Et mea fert opinio, eum qui aliud fecit, quàm quod à prætore decretum eft, nihil egiffe.
Quid ergo, fi prætor ita decreuerit, VENDERE OBLIGARE VE PERMITTO: an poffit li
berum arbitrium habere, quid faciat? Et magis eft, ut poffit: dummodo fciamus, præto-
rem non rectè partibus fuis functum. debuit enim ipfe ftatuere & eligere, utrum magis
obligare, an uendere permittat. Si obligauerit rem tutor fine decreto: quamuis obligatio
non ualeat, eft tamen exceptioni doli mali locus: fed tunc demum, cum tutor acceptam
mutuam pecuniam ei foluerit qui fub pignore erat creditor. Item uidendum eft, an &
obligare ei rem poffit. & dicēdum eft, fi eandem fortem acceperit, nec grauioribus ufuris
ualere obligationem, ut ius prioris creditoris ad fequentem tranfeat. I

VIII. IDEM.

QVI NEque tutores funt ipfo iure, neq; curatores, fed pro tutore negocia gerunt, uel
pro curatore: eos non poffe diftrahere res pupillorum uel adolefcentium, nulla dubitatio
eft. Sed fi curator fit furiofi, uel cuius alterius. non adolefcentis: uidendum eft, utrum iu
re uetere ualebit uenditio, an hanc orationem admittemus? Et puto, quia de pupillis prin
ceps loquitur, & coniunctim tutoribus curatores accipiuntur, pertinere. & de cæteris pu-
to ex fententia orationis idem effe dicendum. An obligari communia poffint, quæri-
tur? Sed non puto fine decreto obliganda. Nam quod excipit oratio, ad hoc tantum per-
tinet, ut perimatur communio, non ut augeatur difficultas communionis. K

IX. IDEM.

QVAMuis anteceffor præfidis decreuiffet ea prædia uenundari, quæ tutor pupilli fub-
iecto nomine alterius emptoris, ipfe fibi comparabat: tamen fi fraudem & dolum con-
tra fenatusconfulti authoritatem & fidem tutori cōmiffam deprehendiffet fucceffor eius:
æftimaturum, quatenus tam callidum commentum etiam in exemplum coërceri debeat.

X. IDEM.

ILLIC itè poft fenatusconfultum pupilli uel adolefcentis prædio uenundato. fi eo
nomine apud iudicem tutelę, uel utilis actionis ęftimatio facta eft, eaq; foluta: uindicatio
prædij ex æquitate inhibebitur.

XI. IDEM.

Si præ-

A SI PRædia minoris uigintiquinque annis distrahi desiderentur: caussa cognita præses prouinciæ debet id permittere. Idem seruari oportet, & si furiosi, uel prodigi, uel cuiuscunque alterius prædia curatores uelint distrahere.

XII. MARCELLVS.

NON FIT CONtra senatusconsultum, si cuius tutor creditori pătris pupilli ex soluit, ut eius loco succedat.

XIII. PAVLVS.

SI FVNdus sit sterilis, uel saxosus, uel pestilens: uidendum est, an alienare eum non possit. & imperator Antoninus & diuus păter eius in hæc uerba rescripserunt. Quod alle-
B gastis, infructuosum esse fundum, quem uendere uultis, mouere nos non potest, cum utique pro fructuum modo precium inuenturus sit. Quanquam autẽ neque distrahere, neque obligare tutor pupillare prædium possit: si tamẽ (ut Papinianus libro quinto Responsorum ait) errore lapsus uendiderit, & precium acceptum creditoribus paternis pueri soluerit: quandoque prædium domino cum fructibus uindicanti dŏli exceptio nõ inutiliter opponitur, precium ac medij temporis usuras, quæ creditoribus debentur, nõ offerenti: si ex ceteris facultatibus eius æs alienum solui non potuerit. Ego autem notaui. & si solui potuit: si tamen illæ res saluæ erunt, ex quarum precio æri alieno satisfieri poterat: dicendum esse, adhuc doli exceptionem obstare, si lucrum captet pupillus ex damno alieno.

XIIII. IDEM.

C PAVLVS respondit. & si testamentum patris postea irritum esse apparuerit: tamen tutores pupilli, siue curatores filij nihil contra orationem diuorum principum fecisse uideri, si secundum uoluntatẽ defuncti testamento scriptam, prædium rusticũ pupillare uendiderũt.

DE CVRATORIBVS FVRIOSO, ET ALIIS, extra minores, dandis. TIT. X.

I. VLPIANVS.

LEGE DVOdecim tabularum prodigo interdicitur bonorum suorum administratione. quod moribus quidem ab initio introductum est. sed solent hodiè
D prætores uel præsides, si talem hominem inuenerint, qui neque tempus, nec finẽ expensarum habet, sed bona sua dilacerando & dissipando profundit, curatorem ei dare, exemplo furiosi. & tamdiu erunt ambo in curatione, quàmdiu uel furiosus sanitatem, uel ille sanos mores receperit. Quod si euenerit: ipso iure desinunt esse in potestate curatorum. Curatio autem eius, cui bonis interdicitur, filio negabatur permittenda. sed exstat diui Pij rescriptum, filio potius curationẽ permittendam in patre furioso, si tam probus sit.

II. CAIVS.

SED & ijs dabit proconsul curatores, qui rebus suis superesse non possunt. Nec dubitabit filium quoque patri curatorem dare.

III. VLPIANVS.

E DVM deliberant hæredes instituti adire, bonis à prætore curator datur.

IIII. IDEM.

FVRIOsæ mătris curatio ad filium pertinet. pietas enim parentibus (& si inæqualis est eorum potestas) æqualis debetur.

V. CAIVS

CVRATOR ex senatusconsulto cõstituitur, cum clara persona (ueluti senatoris, uel uxoris eius) in ea caussa sit, ut eius bona uẽnire debeant. Nam ut honestius ex bonis eius, quantum potest, creditoribus soluatur: curator constituitur distrahendorum bonorum gratia, uel à prætore, uel in prouincijs à præside.

VI. VLPIANVS.

OBSERVARE prætorẽ oportebit, ne cui temere citra caussę cognitionem plenissimam,

curatorem

curatorem det:quoniam plerique uel furorem,uel dementiam fingunt, quò magis curatore F accepto,onera ciuilia detrectent.

VII. CAIVS.

CONSILIO & opera curatoris tueri debet non solum patrimonium, sed & corpus ac salus furiosi. Curator dementi dătus,decreto interposito,uti satisdăret,non cauit:& tamen quasdam res de bonis eius,legitimo modo alienauit.si hęredes dementis easdem res uindicent,quas curator alienauit, & exceptio opponetur, SI NON CVRATOR VENDIDERIT: replicatio dari debet. AVT SI SATISDATIONE INTERPOSITA SECVNDVM DECRETVM VENDIDERIT. Quod si precio accepto curator creditores furiosi dimisit: replicatio doli tutos possessores præstabit. Cum dementis curatorem (quia satis non dĕderat,& res malè administrarat) ideo procōsul remouerit à bonis,aliumque loco eius curatorem substituerit:& hic posterior(cum nec ipse satisdĕdisset)egerit cum remoto negociorum gestorum, posteaque hæredes dementis cum eodem negociorum gestorum agant,& is exceptione rei iudicatæ inter se & curatorem utatur:hæredibus replicatio danda erit, AVT SI IS, QVI EGIT, SATIS DEDERAT. Sed an replicatio curatori profutura sit,iudex æstimabit. Nam si curator sequens pecuniam,quam ex condemnatione consecutus fuerat, in rem furiosi uertisset:doli triplicatio obstabit. Quæsitū est,an alteri ex curatoribus furiosi rectè soluatur,uel an unus rem furiosi rectè alienare possit?respōdi.rectè solui. Eum quoque,qui ab altero ex curatoribus fundum furiosi legitimè mercaretur, usucapturum: quia solutio,uĕditio,traditio,facti magis,quàm iuris essent. Ideoque sufficit unius ex curatoribus H persona:quia alter intelligitur consentire.denique si pręsens sit, & uetet solui,uel uenire, uel tradi:neque debitor liberabitur,neque emptor usucapiet.

VIII. IDEM.

BONORUM uentris nomine curatorem dari oportet,eumque rem saluam fore uiri boni arbitratu satisdăre proconsul iubet. Sed hoc si sine inquisitione detur. nam si ex inquisitione cessat satisdătio. IX. NERATIVS.

CVIVS BONIS distrahendis curatores facere senatus permisit, eius bona creditoribus uendere non permisit:quamuis creditores post id beneficium bona uendere mallent. Sicut enim intĕgra re potestas ipsis est,utrum uelint,eligendi:ita cum alterum degerint,ab altero abstinere debent. Multoque magis id seruari æquum est,si factus est curator, I per quem bona distraherentur,& si nondum explicatio eo negocio decessit. Nam & tūc ex intĕgro alius curator faciendus est,neque hæres prioris curatoris onerandus: cum accidere possit,ut negocio uel propter sexus,uel propter ætatis infirmitatem, uel propter dignitatē maiorē minoremue,quę in priore curatore spectata erat,habilis non sit:possint etiam plures hæredes ei existere,neque per omnes id negocium administrari expediat:aut quicque dici possit,cur unus aliquis ex his potissimum onerandus sit.

X. VLPIANVS.

IVLIANUS scribit eos,quibus per prætorem bonis interdictum est,nihil transferre posse ad aliquem:quia in bonis nō habeant,cum eis deminutio sit interdicta. Curator furiosi rem quidem suam quasi furiosi tradere poterit,& dominium transferre: rem uero furio- K si,si quasi suam tradat,dicendum,ut non transferat dominium:quia nō quasi furiosi negocium gerens tradidit.

XI. PAVLVS.

PIGNUS à curatore furiosi datum ualet,si utilitate furiosi exigente id fecit.

XII. MARCELLVS.

AB ADGNATO,uel alio curatore furiosi,rem furiosi dedicari non posse constat. Adgnato enim furiosi non usque quaque competit rerum eius alienatio,sed quatenus negociorū exigit administratio. XIII. PAVLVS.

SAEPE ad alium è lege duodecim tabularum curatio furiosi aut prodigi pertinet, alij prætor administrationem dat:scilicet cum ille legitimus inhabilis ad eam rem uideatur.

Virum

A XIIII. CAIVS.

VIRVM uxori mente captæ curatorem dari non oportet.

XV. PAVLVS

ET mulieri, quę luxuriose uiuit, bonis interdici potest. In curatoris bonis priuilegiũ furioso furiosęue seruatur. prodigus etiam & omnes omnino, etiam si in edicto non sit eorũ mentio, in bonis curatoris decreto priuilegium consequuntur.

XVI. TRIPHONINVS.

SI FVrioso pubeti, quanquam maiori annis uigintiquinq;, curatorem pater testamento dĕderit: eum prætor dare debet, secutus pătris uoluntatem. manet enim ea datio curato-
B ris apud prætorem, ut rescripto diui Marci continetur. His consequens est, ut si prodigo curatorem dĕderit pater: uolũtatem eius sequi debeat prętor, eumq; dare curatorem. Sed utrum omnimodo: an ita, si futurum esset, ut nisi pater aliquid testamento cauisset, prætor ei bonis interdicturus esset: & maximè, si filios habeat iste prodigus? potuit tamen pater & aliâs prouidere nepotibus suis, si eos iussisset hęredes esse. & exhęredasset filium, eiq; quod sufficeret alimentorum nomine, ab eis certũ legasset, addita caussa necessitateq; iudicij sui. aut si non habuerit in potestate nepotes: quoniã emancipato iam filio nati fuissent: sub conditione eos hæredes instituisset, ut emãcipentur à patre prodigo. sed quid si nec ad hæc consensurus esset prodigus? per omnia iudicium testatoris sequendum est: ne quem pater uero consilio prodigum credidit, eum magistratus propter aliquod fortè suum uicium idone
C um putauerit. XVII. CAIVS.

CVRator furiosi nullo modo libertatem præstare potest: quod ea res ex administratione non sit. nam in tradendo ita res furiosi alienat, si ad administrationẽ negociorum pertineat. Et ideo nec si donandi caussa alienet, traditio quidquam ualebit: nisi ex magna utilitate furiosi de cognitione iudicis faciat.

FINIT QVARTA PARS DIGESTORVM SEV PANDECTARVM, *quæ libros octo singulares continet.*

SEQVITVR QVINTA PARS DE TESTAMENTIS.

DIGESTORVM SEV PANDECTARVM LIBER VICESIMVS OCTAVVS.

QVI TESTAMENTVM FACERE POSSINT, & quemadmodum testamenta fiant. TIT. I.

I. VLPIANVS.



ESTAMENTVM est uoluntatis nostræ iusta sententia, de eo quod quis post mortem suam fieri uelit.

II. LABEO.

IN EO, qui testatur, eius temporis, quo testamentum facit, integritas mentis, non corporis sanitas exigenda est.

III. IDEM.

TESTAMENTI factio non priuati, sed publici iuris est.

IIII. CAIVS.

SI QVAERAMVS, an ualeat testamentum: in primis animaduertere debemus, an is, qui fecit testamentum, habuerit testaméti factionem. deinde si habuerit: requiremus, an secundum regulas iuris ciuilis testatus sit.

V. VLPIANVS.

QVA AETATE testamentum uel masculi uel fœminæ facere possint, uideamus. & uerius est, in masculis quidem quartum decimum annū spectandum, in fœminis uero duodecimum completum. utrum autem excessisse debeat quis decimumquartum annum, ut testamentum facere possit: an sufficiat cópleísse? propone aliquem calendis Ianuarijs natum, testamentum ipso natali suo fecisse decimoquarto anno: an ualeat testamentum? dico ualere. plus arbitror, etiam si pridie calendarum fecerit post sextam horam noctis: ualere testamentum. Iam enim complesse uidetur annum quartumdecimum, ut Martiano uidetur.

VI. CAIVS.

QVI IN potestate parentis est, testamenti faciendi ius non habet: adeo, ut quamuis pater ei permittat, nihilomagis tamen iure testari possit. Surdus & mutus testamentum facere non possunt. sed si quis post testamentū factum ualetudine, aut quolibet alio casu mutus aut surdus esse cœperit: ratum nihilominus permanet testamentum.

VII. MARTIANVS.

SI MVTVS aut surdus, ut liceret sibi testamentum facere, à principe impetrauerit: ualet eius testamentum.

VIII. CAIVS.

EIVS, qui apud hostes est, testamentum, quod ibi fecit, non ualet, quamuis redierit. Si cui aqua & igni interdictum sit: eius nec illud testamentum ualet, quod antè fecit, nec id, quod postea. Bona quoq;, quæ tunc habuit, cum damnaretur, publicabuntur: aut si non uideantur lucrosa, creditoribus cócedentur. In insulam deportati in eadem caussa sunt. Sed relegati in insulam, & quibus terra Italica & sua prouincia interdicitur: testamenti faciendi ius retinent. Hi uero, qui ad ferrum, aut ad bestias, aut in metallum damnantur: libertatem perdunt, bonaq; eorum publicantur. unde apparet, amittere eos testamenti factionem.

IX. VLPIANVS.

SI QVIS post accusationem in custodia fuerit defunctus indemnatus: testamentum eius ualebit.

X. PAVLVS.

QVI manus amisit, testamentum facere potest, quamuis scribere non possit.

XI. VLPIANVS.

OBSIDES testari non possunt, nisi eis permittatur.

XII. IVLIANVS.

LEGE Cornelia testamenta eorum, qui in hostium potestate decesserunt, perinde confirmantur:

firmantur:ac si hi, qui ea fecissent, in hostium potestatem non peruenissent:& hæreditas ex his codē modo ad unumquemq; pertinet. Quarè seruus hæres scriptus ab eo, qui in hostiū potestate decesserit:& liber & hæres erit:seu uelit, seu nolit: licet minus propriè necessarius hæres dicatur. Nam & filius eius, qui in hostium potestate decessit, inuitus hæreditati obligatur:quamuis suus hæres dici non possit, qui in potestate morientis non fuit.

XIII. MARTIANVS.

QVI à latronibus capti sunt, cum liberi manent, possunt facere testamentum. Item qui apud exteros legatione funguntur, possunt facere testamentum. Si quis in capitali crimine damnatus appellauerit, & medio tempore pendente appellatione fecerit testamentum, & ita decesserit:ualet eius testamentum.

XIIII. PAVLVS.

QVI TESTAMENTO domini manumissus est, si ignoret dominum decessisse, ad itamq; esse eius hæreditatem:testamentum facere nō potest, licet iam paterfamiliâs, & sui iuris est. nam qui incertus de statu suo est, certam legem testamento dicere non potest. q

XV. VLPIANVS.

DE STATV suo dubitantes uel errantes, testamentum facere non possunt, ut diuus Pius rescripsit.

XVI. POMPONIVS.

FILIVS familiâs, & seruus alienus, & posthumus, & surdus testamenti factionem habere dicuntur. licet enim testamentū facere non possunt: attamen ex testamento sibi uel alijs adquirere possunt. MARCELLVS NOTAT. furiosus quoq; testamenti factionem habet, licet testamentū facere nō possit. ideo autē testamenti factionē habet, quia potest sibi adquirere legatū uel fideicōmissum. nam etiā cōpotibus mentis personales actiones uel ignorantibus adquiruntur. u

XVII. PAVLVS.

IN ADuersa corporis ualetudine mente captus, eo tempōte testamentū facere nō potest.

XVIII. VLPIANVS.

IS CVI lege bonis interdictum est, testamentum facere non potest: & si fecerit, ipso iure non ualet. quod tamen interdictione uetustius habuerit testamentum, hoc ualebit. meritò ergo nec testis ad testamentū adhiberi poterit, cum neq; testamenti factionem habeat.

Si quis ob carmen famosum damnetur:senatusconsulto expressum est, ut intestabilis sit. ergo nec testamentum facere poterit, nec ad testamentum adhiberi testis.

XIX. MODESTINVS.

SI FILIVS familiâs, aut pupillus, aut seruus tabulas testamēti fecerit, signauerit:secundū eas bonorum possessio dari non potest, licet filiusfamiliâs sui iuris, aut pupillus pubes, aut seruus liber factus decesserit:quia nullæ sunt tabulæ testamenti, quas is fecit, qui testamenti faciendi facultatem non habuit. 1

XX. VLPIANVS.

QVI TEstamento hæres instituitur, in eodem testamento testis esse non potest. quod in legatario, & in eo, qui tutor scriptus est, contrà habetur. hi enim testes possunt adhiberi, si aliud eos nihil impediat, utputā si impubes, si in potestate sit testatoris. Potestatis autē uerbum non solum ad liberos, qui sunt in potestate, referendum est: uerumetiam ad eum, quem redemit ab hostibus:quamuis placeat hunc seruum nō esse, sed uinculo quodam retineri, donec preciū soluat. Per contrariū quæri potest, an pater eius, qui de castrēsi peculio potest testari, adhiberi ab eo ad testamentū testis possit: & Marcellus libro decimo Digestorum scripsit, posse. & frater ergo poterit. Quæ autem in testamento diximus super prohibendis testimonijs eorum, qui in potestate sunt:in omnibus testimonijs accipias, ubi aliquid negocij geritur, per quod adquiratur. Nec furiosus quidem testis adhiberi potest, cum compos mentis non sit. sed si habet intermissionem, eo tempore adhiberi potest testimoniū quoq; quod ante furorē consummauit, ualebit:& bonorū possessio ex eo testamento competet. Eum, qui lege repetundarum damnatus est, ad testamentum adhiberi non posse existimo:quoniam in iudicium testis esse uetatur. Mulier testimonium dicere in testamento quidem non poterit: aliâs autem posse testem esse mulierem, argumento est lex Iulia de adulterijs, quę adulterij damnatā testē produci, uel dicere testimoniū uetat. Seruus quoq; x

A quoque meritò ad solennia adhiberi non potest: cum iuris ciuilis communionē non habeat in totum, sed ne prætorij quidem edicti. Et ueteres putauerunt eos, qui propter solennia testamenti adhibeantur, durare debere, donec suprema contestatio peragatur. non tamen intelligentiam sermonis exigimus. hoc enim diuus Marcus Didio Iuliano in teste qui latinè loqui non nouerat, rescripsit. nam si uel sensu percipiat quis, cui rei adhibitus sit, sufficere. sed si testes ibi detenti sint inuiti: putant non ualere testamentum.

XXI. IDEM lib. X. *ad Sabinum*.

HAEREDES palàm ita, ut exaudiri possint, nuncupandi sint. licebit ergo testanti hæredes uel nuncupare, uel scribere. sed si nuncupat, palàm debet. Quid est palam? non utique in
B publicū, sed ut exaudiri possit. exaudiri aūt non ab omnibus, sed à testibus. & si plures fuerint testes adhibiti: sufficit solennē numerū exaudire. Si quid post factum testamentū mutari placuit: omnia ex integro facienda sunt. Quod uero quis obscurius in testamento, uel nuncupat, uel scribit: an post solennia explanari possit, quæritur? utputà Stichum legauit, cum plures haberet, nec declarauit, de quo sentiret: item Titio legauit amico, cum multos Titios amicos haberet: & errauerat in nomine, uel prænomine, uel cognomine, cum in corpore nō errasset: poterit' ne postea declarare, de quo senserit? & puto posse. nihil enim nunc dat, sed dātum significat. Sed & si notam postea adiecerit legato, uel sua uoce, uel literis, uel summam, uel nomen legatarij, quod non scripserat, uel numorum qualitatem: an rectè fecerit? & puto, etiam qualitatem numorum posse postea addi. nam & si adiecta non fuisset;
C utique placeret coniectionem fieri eius, quod reliquit, uel ex uicinis scripturis, uel ex consuetudine patrisfamiliàs, uel regionis. In testamentis, in quibus testes rogati adesse debent, ut testamentum fiat: alterius rei caussa fortè rogatos, ad testandum non esse idoneos placet. quod sic accipiendum est: ut licet ad aliam rem sint rogati, uel collecti: si tamen ante certiorentur, ad testamentum se esse adhibitos: posse eos testimonium suum rectè perhibere. Vno contextu actionis testari oportet. est autem uno contextu nullum alienum actum testamento intermiscere. quod si aliquid pertinens ad testamentum faciet, testamentū non uiciatur.

XXII. IDEM.

AD testium numerum simul adhiberi possumus ego & pater: & plures, qui fuimus in eiusdem potestate. Conditionem testium tunc inspicere debemus, cum signarent, non
D mortis tempore. si igitur tunc, cum signarent, tales fuerunt, ut adhiberi possent: nihil nocet, si quid postea eis contigerit. Si ab ipso testatore annulum accepero, & signauero: testamentum ualet, quasi alieno signauerim. Si signa turbata sunt ab ipso testatore, non uidetur signatum. Si quis ex testibus nomen suum non adscripserit, ueruntamen signauerit; pro eo est, atque si adhibitus non esset. sed & si (ut multi faciunt) adscripserit se, non tamen signauerit: adhuc idem dicemus. Signum autem utrum annullo tantum impresso adhibemus, an uero & si non annulo, uerum alio quodam impresso? uariè enim homines signant. & magis est, ut tantum annulo quis possit signare: dum tamen habeat χαρακτῆρα. Posse & nocte signari testamentum, nulla dubitatio est. Signatas tabulas accipi oportet, & si linteo, quo tabulæ inuolutæ sunt, signa impressa fuerint.

XXIII. IDEM.

E SI testamentum, quod resignauerit testator, iterum signatum fuerit septem testium signis: non erit imperfectum, sed utroque iure ualebit, tam ciuili, quàm prætorio.

XXIIII. FLORENTINVS.

VNVM testamentum pluribus exemplis consignare quis potest, idque interdum necessarium est: si fortè nauigaturus, & secum ferre, & relinquere iudiciorū suorum testationem uelit.

XXV. IABOLENVS.

SI QVIS cum testamentum faceret, hæredibus primis nuncupatis, prius quàm secundos hæredes exprimeret, obmutuisset: magis cœpisse cum testamentū facere, quàm fecisse, Varus Digestorum libro primo Seruium respondisse scripsit. itaque primos hæredes ex eo testamento non futuros. Labeo tunc hoc uerum esse existimat: si constatet, uoluisse plures

 eum, qui

eum, qui testamentum fecisset, hæredes pronunciare. ego nec Seruium puto aliud sensisse. F

XXVI. CAIVS.

CVM LEGE quis intestabilis esse iubetur, eò pertinet, ne eius testimonium recipiatur: & eo amplius ut quidam putant) ne ue ipsi dicatur testimonium.

XXVII. CELSVS.

DOMITIVS Labeo Celso suo S. Quæro, an testium numero habendus sit is, qui cum rogatus est ad testamentum scribendum, idem quoque cum tabulas scripsisset, signauerit. Iuuentius Celsus Rabeoni suo S. Aut nõ intelligo, quid sit, de quo me consulis: aut ualdè stulta est consultatio tua plus enim, quàm ridiculum est, dubitare: an aliquis iure testis adhibitus sit, quoniam idem & tabulas testamenti scripserit. G

XXIII. MODESTINVS.

SERVVS, licet alienus, iussu testatoris testamentum scribere non prohibetur.

XXIX. PAVLVS lib. V. *Responsorum respondit.*

EX EA scriptura, quę ad testamentum faciendum parabatur: si nullo iure testamentum perfectum esset: nec ea, quæ fideicommissorum uerba haberent, peti posse. IDEM respondit. ex his uerbis, ταύτην τε διαθήκην βούλομαι εἶναι κυρίαν ἐπὶ πάσης ἐξουσίας, quæ scripturæ paterfamiliâs addidit: uideri eum uoluisse, omnimodo ualere ea, quæ reliquit, etiam si intestatus decessisset. XXX. IDEM.

SINGULOS testes, qui in testamento adhibentur, proprio chirographo adnotare conuenit, quis, & cuius testamentum signauerit. XXXI. IDEM. H

EIVS bona, qui se Imperatorẽ facturũ hęredẽ esse iactauerit, à fisco occupari nõ possunt.

DE LIBERIS ET POSTHVMIS HAEREDIBVS instituendis, uel exhæredandis, uel præteritis. TIT. II.

I. VLPIANVS.



QVID SIT nominatim exhæredare, uideamus nomen, & pronomen, & cognomen eius dicendum est. an sufficit uel unum ex his? & constat sufficere.

II. IDEM.

NOMINATIM exhæredatus filius & ita uidetur, FILIVS MEVS EXHAERES ESTO, & si nec nomen eius expressum sit: si modo unicus sit. Nam si plures sint filij: benigna interpretatione potius à plerisque respondetur, nullum exhæredatum esse. I

III. IDEM.

ET SI pepercerit filium dicere, ex Seia autem natum dixerit: rectè exhæredat. Et si cum conuicio dixerit, NON NOMINANDVS, uel NON FILIVS MEVS, LATRO, GLADIATOR magis est, ut rectè exhæredatus sit. sed & si ex adulterio natum dixerit. Purè autem filium exhæredari Iulianus putat. qua sententia utimur. Filius inter medias quoque hæredum institutiones rectè exhæredatur, & erit à toto gradu submotus: nisi fortè ab unius persona cum testatore exhæredauerit. Nam si hoc fecit: uitiosa erit exhæredatio, quemadmodum si ita cum exhæredauerit: QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, FILIVS EXHAERES ESTO. Nam (ut Iulianus scribit) huiusmodi exhæredatio uitiosa est: quoniam post aditã hæreditatem uoluit eum submoueri, quod est impossibile. Ante hęredis institutionẽ exhæredatus, ab omnibus gradibus submotus est. Sed etiam inter duos gradus exhæredatus, ab utroque remotus est, secundum Scæuolæ sententiã, quam puto ueram. In eo, qui immiscuit duos gradus, exhæredationẽ ualere, Martianus rectè putat: uel ut si PRIMVS HAERES ESTO EX SEMISSE. SI PRIMVS HAERES NON ERIT, SECVNDVS HAERES ESTO. TERTIVS EX ALIA SEMISSE HAERES ESTO, ET FILIVS EXHAERES ESTO. SI TERTIVS HAERES NON ERIT. QVARTVS HAERES ESTO. Nam ab utroque gradu submotus est. Si ita testatus sit paterfamiliâs, ut à primo quidem gradu filium præteriret, à secundo solo exhæredaret: Sabinus, & Cassius, & Iulianus putant, perempto primo gradu, testamentum ab eo gradu exordium capere, unde filius exhæredatus est. quæ sententia comprobata est. K

Placet

IIII. IDEM.

A PLACET omnem masculum posse posthumum hæredem scribere: siue iam maritus sit, siue nondum uxorem duxerit. Nam & maritus repudiare uxorem potest: & qui non duxit uxorem, postea maritus effici potest. nam & cum maritus posthumum hæredem scribit: nō utiq; is solus posthumus scriptus uidetur, qui ex ea, quam habet uxorē, ei natus est, uel qui tunc in utero est: uerum is quoq;, qui ex quacunq; uxore nascatur.

V. IABOLENVS.

IDEOQ; qui posthumum hæredem instituit, si post testamētum factum mutauit matrimonium: is institutus uidetur, qui ex posteriore matrimonio natus est.

VI. VLPIANVS.

B SED EST quæsitum, an is qui generare facilè non possit, posthumum hæredem possit facere. & scribunt Cassius & Iabolenus, posse. nam & uxorem ducere, & adoptare potest. Spadonem quoq; posse posthumū hæredem scribere, & Labeo, & Cassius scribunt: quoniam nec ætas, nec sterilitas ei rei impedimento est. Sed si castratus sit: Iulianus Proculi opinionem secutus, non putat, posthumum hæredem posse instituere. quo iure utimur. Hermaphroditus planè, si in eo uirilia præualebunt, posthumum hæredem instituere poterit.

VII. PAVLVS.

SI FILIVS eius, qui in potestate est, præteritus sit, & uiuo patre decedat: testamentum non ualet, nec superius rumpetur, & eo iure utimur.

VIII. POMPONIVS.

C SI À PRIMO hærede instituto filium exhæredauero, à secundo autem substituto non exheredauero: & dum id pendet, an prior aditurus sit, filius decesserit: secundum Iuliani sententiam, qua utimur, non erit secundus heres: quasi ab initio inutiliter institutus, cum ab eo filius exhæredatus non sit. sed & si in posthumo filio idem acciderit, ut natus uiuo patre, à quo exhæredatus sit, moriatur: eadem dicenda erunt de substituto: quoniam cum filius natus est, loco eius est, qui superstes est.

IX. PAVLVS.

SI QVIS posthumos, quos per ætatem, aut ualetudinem habere fortè non potest, hæredes instituit: superius testamentum rumpit: quod natura magis in homine, & generandi consuetudo spectanda est, quàm temporale uicium, aut ualetudo, propter quam abdica-
D tur homo à generandi facultate. Sed si ex ea, quæ alij nupta sit, posthumum quis hæredem instituerit: ipso iure non ualet: quod turpis sit institutio. Si filium exhæredauero, nepotemq; ex eo præteriero, & alium hæredem instituero, & superuixerit filius post mortē meam: licet ante aditam hæreditatem decesserit: nō tamen nepotem rupturum testamentum, Iulianus, & Pomponius, & Marcellus aiunt. Diuersumq; est, si in hostiū potestate filius sit, & decesserit in eodem statu. rumpit enim his casibus nepos testamentum: quod moriente auo filius pependerit, nec abscisum testamentum (ut superiore casu) fuerit. Sed & si hæres institutus omiserit hæreditatem, erit legitimus hæres: quoniam hæc uerba, SI INTESTATVS MORITVR, ad id tempus referuntur, quo testamentum destituitur, non qūo moritur.
E Sed si ex ea, quam nefas sit ducere, posthumum hæredem instituero: nō putat rumpi testamentum Pomponius. Sed si per adoptionem sororem factam habeam: potero posthumum ex ea hæredem instituere: quia adoptione soluta, possum eam postea uxorē ducere.

X. POMPONIVS.

COMMODISSIMÈ is, qui nondum natus est, ita hæres instituitur: SIVE VIVO ME, SIVE MORTVO NATVS FVERIT, HAERES ESTO. aut etiam purè, neutrius temporis habita mentione. si alteruter casus omissus fuerit: eo casu, quo omissus est, natus rumpit testamentum: quia ne sub conditione quidem scriptus hæres intelligitur, qui in hunc casum nascitur, qui non est testamento adprehensus.

XI. PAVLVS.

IN SVIS hæredibus euidentius apparet, continuationem dominij eò rem perducere, ut

nulla uideatur hæreditas fuisse: quasi olim hi domini essent, qui etiã uiuo patre quodam/ F
modo domini existimabantur. unde etiam filiusfamiliâs appellatur, sicut paterfamiliâs: so/
la nota hac adiecta, per quam distinguitur genitor ab eo, qui genitus sit. itaq; post mortem
patris non hæreditatem percipere uidentur, sed magis liberam bonorum administratio/
nem consequi. hac ex caussa, licet non sint hæredes instituti, tamen domini sunt. nec obstat,
quod liceat eos exhæredare, quos & occidere licebat.

XII. VLPIANVS.

QVOD DICITVR, filium natum rumpere testamentum: natum accipe, & si ex se/
cto uentre editus sit. nam & hic rumpit testamentum, scilicet si nascatur in potestate. Quid
tamen, si non integrum animal editum sit, cum spiritu tamen? an adhuc testamentum rum/ G
pat? & hoc etiam rumpit.

XIII. IVLIANVS.

SI ITA scriptum sit, SI MIHI FILIVS NATVS FVERIT, EX BESSE HAERES ESTO: EX RELIQVA PARTE VXOR MEA HAERES ESTO. SI VERO MIHI FILIA NATA FVERIT, EX TRIENTE HAERES ESTO: EX RELIQVA PARTE VXOR HAERES ESTO: & filius & filia nati essent: dicendum est, assem distribuendum in septem partes: ut ex his filius quatuor, uxor duas, filia unam partem habeat. Ita enim secundum uoluntatem testantis filius altero tanto amplius habebit, quàm uxor: itẽ uxor altero tanto amplius habebit, quàm filia. Licet enim subtili iuris regulæ conueniat, ruptum fieri testamentum: attamen cum & utroq; nato testator uoluerit uxorẽ aliquid habere: ideo ad huiusmodi sententiam, humanitate suggerente, decursum est. quod etiam Iuuentio Celso apertissimè placuit. H

Regula est iuris ciuilis, qua constitutum est: hæreditatem seruo adimi non posse, propter quam liber & hæres esse iussus sit. itaq; & quãuis dominus ademerit eodẽ testamẽto libertatem: nihilominus & libertatem & hæreditatem habebit. Testamentum, quod hoc modo scribitur, TITIVS POST MORTEM FILII MEI HAERES ESTO, FILIVS EXHAERES ESTO, nullius momenti est: quia filius post mortem suam exhæredatus est. Quarè & contra tabulas paternorũ libertorum huiusmodi filius bonorũ possessionem accipere poterit.

XIIII. AFRICANVS.

SI POSTHVMVS à primo gradu exhæredatus, à secundo præteritus sit: quamuis eo tempore nascatur, quo ad hæredes primo gradu scriptos pertineat hæreditas: secundum tamen gradum uiciari placet ad hoc, ut prætermittentibus institutis, ipse hæres existat. imò & si defuncto eo hæredes instituti omiserint hæreditatem: non posse substitutos adire. Itaq; & si à primo gradu exhæredatus, à secundo præteritus, à tertio exhæredatus sit, & uiuentibus primis & deliberantibus decedat: quæri solet, omittentibus primis aditionem, utrum ad eos, qui tertio gradu scripti sunt, an potius ad legitimos hæredes pertineat hæreditas? quo & ipso casu rectius existimari putauit, ad legitimos eam pertinere. nam & cum duobus hæredibus institutis, & in singulorum locum facta substitutione, à primis exhæredatus posthumus, à secundis præteritus fuerit: si alter ex institutis omiserit: quamuis posthumus excludatur, nõ tamen magis substitutum admitti. Quod uulgò dicitur, eum gradum, à quo filius præteritus sit, non ualere: non usq; quaq; uerum esse. nam si primo gradu hæres institutus sit filius: non debere eum à substitutis exhæredari. Ideoq; si filio & Titio hæredibus institutis, Titius & Mæuius substitutus sit: omittente Titio hæreditatem, Mæuium eam adire posse, quamuis filius ex secundo gradu exhæredatus non sit. Si quis ita scripserit, ILLE QVEM SCIO EX ME NATVM NON ESSE, EXHAERES ESTO: hanc exhẽredationem ita nullius momenti esse ait, si probetur ex eo natus. non enim uideri quasi filium exhæredatum esse: quandoquidem elogium pater, cum filium exhæredare proposuisset, adiecerit, propter quam eum caussam exhẽredaret: probeturq; patrem circa caussam exhæredationis errasse.

I (line 1, marginal letter beside "pore nascatur") K (beside "filius præteritus sit")

XV. VLPIANVS.

IDEM EST, & si ita dixerit, ILLE ILLIVS FILIVS EXHAERES ESTO, patrem ei adulterum per errorem adsignans.

Si filius

A XVI. VLPIANVS.

SI FILIVS hæres institutus sit, omisso posthumo, filioq; substitutus nepos ex eo sit: si interim moriatur filius, posthumo non nato: nepotem tam patri, quàm auo suum hæredem futurum. quod si nemo filio substitutus sit, & solus ipse institutus sit: tunc quia eo tempore, quo is moriatur, certum esse incipit, neminẽ ex eo testamento hæredem fore: ipse filius intestato patri hæres existet. Sicut euenire solet, cum sub ea conditione, quæ in ipsius potestate erit, filius hæres institutus, prius quàm ei pareret, moriatur.

XVII. FLORENTINVS.

FILII etiam hoc modo exhæredantur, FILIVS EXHAERES SIT. FILIVS EXHAERES

B ERIT. XVIII. VLPIANVS.

MVLTI non notæ caussa exhæredant filios, nec ut eis obsint: sed ut eis consulant (utpută impuberibus) eisq; fideicommissam hæreditatem dant.

XIX. PAVLVS.

CVM QVIDAM filiam ex asse heredem scripsisset, filióque, quem in potestate habebat, decem legasset, & adiecisset, IN CAETERA PARTE EXHAERES MIHI ERIT: & quæreretur, an rectè exhæredatus uideretur: Scæuola respondebat, non uideri: & in disputando adijciebat, ideo non ualere, quoniam nec fundi exhæres esse iussus, rectè exhæredaretur: aliámque caussam esse institutionis, quæ benignè acciperetur, exhæredationes autem non esse adiuuandas.

C XX. MODESTINVS.

SVB CONDITIONE filius hæres institutus, si pendente conditione ad rogandum se dederit, necessarius hæres non erit.

XXI. POMPONIVS.

SI FILIVM nominatim exhæredauero, & cum postea hæredem instituero, hæres erit.

XXII. TERENTIVS CLEMENS.

CVM posthumus sub conditione instituitur, si prius, quàm nascatur, conditio exstiterit: non rumpitur testamentum posthumi agnatione.

XXIII. PAPINIANVS.

FILIO, quem pater post emancipationem à se factam iterum adrogauit, exhæredationem antè scriptã nocere dixi. nam in omni ferè iure sic obseruari cõuenit, ut ueri patris adoptiuus filius nunquam intelligatur: ne imagine naturæ ueritas adumbretur: uidelicet, quod non translatus, sed redditus uideretur. nec multum puto referre (quod ad propositum attinet) quod loco nepotis filium exhæredatum pater adrogauit. Si Titius hæres institutus loco nepotis adoptetur: defuncto postea filio, qui pater uidebatur, nepotis successione non rumpitur testamentum ab eo qui hæres inuenitur.

XXIIII. PAVLVS.

POSTHVMA SVB conditione hæres instituta, si pendente conditione, uiuo patre nascatur: rumpit testamentum.

XXV. IDEM.

E TITIVS testamento hæredem instituit, & filium habens, sic exhæredationem posuit: CAETERI OMNES FILII FILIAE'QVAE MEAE EXHAEREDES SVNTO. Paulus respondit. filium rectè exhæredatum uideri. Postea cõsultus, an uideretur exhæredatus, quem pater putasset decessisse? Respondit. filios & filias nominatim exhæredatos proponi: de errore autem patris, qui intercessisse proponeretur, apud iudicem agi oportere. Lucius Titius cum suprema sua ordinaret in ciuitate, & haberet neptem ex filia prægnantem ruri agentem: scripsit id, quod in utero haberet, ex parte hæredem. quæro. cum ipsa die, qua Titius ordinaret testamentum in ciuitate, hora diei sexta, albescente cœlo, ruri sit enixa Mæuia masculũ: an institutio hæredis ualeat, cum quo tempore scriberetur testamentum, iam editus esset partus? PAVLVS: uerba quidẽ testamenti ad eum pronepotem directa uideri, qui post testamentum factum nasceretur: sed si (ut proponitur) eadẽ die, qua testamentum factum est,

factum est, neptis testatoris antè, quàm testamentum scriberetur, enixa esset: licet ignorante testatore, tamen institutionem iure factam uideri respondi. F

XXVI. IDEM.

FILIVSFAMILIÂS miles similiter, ut paganus, nominatim à patre aut hęres scribi, aut exhæredari debet: iam sublato edicto diui Augusti, quo cautum fuerat, ne pater filium militem exhæredaret.

XXVII. IDEM.

POSTHUMUM ex qualibet uidua natum sibi filium hæredem instituere potest.

XXVIII. TRIPHONINVS:

FILIVS à patre, cuius in potestate est, sub conditione, quæ non est in ipsius potestate hæres institutus, & in defectum conditionis exhæredatus, decessit: pendente etiam tum conditione, tam institutionis, quàm exhæredationis. dixi, eum hæredem ab intestato mortuum esse: quia dum uixit, neq; ex testaměto hæres, neq; exhæredatus fuit. hęrede autem scripto ex parte filio, cohæres post mortem filij institui potest. Filiusfamiliâs miles de castrensi peculio fecit testamentum, habens filium in eiusdem potestate. cum militare desijsset, patre eodemq; auo defuncto: quęsitum est, an rumperetur eius testamentũ? Non quidem adoptauit, nec hodie ei natus est filius, nec priore subducto de potestate suo hęrede, ulterior successit in proximum locum: sed tamen in potestate sua habere cœpit, quem non habebat simulq; paterfamilâs factus est, & filius sub eius recidit potestate. ergo rumpetur testamentum. sed si hæres sit institutus, uel exhæredatus iste eius filius, non rumpetur: quia nullo circa eum nouo facto, sed ordine quodam naturali nactus est potestatem. Si quis ex certa uxore natũ scribit hęredě, in periculũ rũpendi testamentũ deducit, ex alia susceptis liberis. G

Si quis eo tempore, quo nondũ eius uxor esse posset, testator natũ ex ea scripsit hęredem: an postea cõtracto licito matrimonio natus, hęres ex testaměto esse possit, quęritur? ueluti si scribas hodie hęredě, qui tibi ex Titia natus erit, quando Titia uel ancilla, uel minor annis uigintiquinq; est, cuius pater tuus tutelã administrauit, aut tutor tu ipse fuisti: posteaq; uxor tibi iusta fuerit, uel libertatem adepta, uel à tempore annorum uigintiquinque, & utilis anni, & rationum allegatione: an natus hęres esse possit? nemo certè dubitabit: ex Titia, quæ tunc propter tenorem ętatis uxor dici non potuit, quando testamentum fiebat: natum, postea ea uxore ducta, hæredem esse posse. Et generaliter, nato post testamentum hęrede scripto, aditus est ad hęreditatem: in qualicunq; statu testamenti faciendi tempore fuit, quę postea testatori ciuiliter nupta est. Quid autem, si filium post testamentum natum ex besse, filiam autem post testamentum natam ex triente scripsit hæredem, nec ullum cohęredem dědit, nec substituit inuicě, nec alium? unus natus solus ex testamento fit hęres. H I

XXIX. SCAEVOLA.

GALLVS sic posse institui posthumos nepotes induxit. SI FILIVS MEVS, VIVO ME, MORIETVR: TVNC SI QVIS MIHI EX EO NEPOS, SIVE QVAE NEPTIS POST MORTEM MEAM IN DECEM MENSIBVS PROXIMIS, QVIBVS FILIVS MEVS MORERETVR, NATVS NATÁ VE ERIT: HAEREDES SVNTO. Quidã rectè admittendũ credunt, etiam si non exprimat de morte filij, sed simpliciter instituat: ut eo casu ualeat, qui ex uerbis concipi possit. Idem credendũ est Gallũ existimasse & de pronepote: ut dicat testator, SI ME VIVO NEPOS DECEDET, TVNC QVI EX EO PRONEPOS & cętera. sed & si uiuo filio, iam mortuo nepote, cuius uxor prægnans esset, testamentum faceret: possit dicere, SI ME VIVO, FILIVS MEVS DECEDET, TVNC QVI PRONEPOS, &c. Num si & filius & nepos niuant, concipere, utrisque se uiuo mortuis, tunc qui pronepos nasceretur, poterit? quod similiter admittendum est: ita sanè, si prius nepos, deinde filius decederet: ne successione testamentum rumperetur. Et quid si tantum in mortis filij casum conciperet, qui deinde aquæ & ignis interdictionem pateretur? quid si nepos, ex quo pronepos institueretur (ut ostendimus) emancipatus esset? Hi enim casus, & omnes, ex quibus suus hæres, post mortem scilicet aui nasceretur, non pertinent ad legem Velleam. Sed ex sententia legis Velleæ (ut hęc omnia admittenda sint) K

ad similitudinem

A ad similitudinem mortis & cæteri casus admittendi sunt. Quid si is, qui filiū apud hostes
habebat, testaretur? quare non induxit, ut si filius antè, quàm ab hostibus rediret, (quam/
uis post mortem patris) decederet: tunc deinde nepos, uel etiam adhuc illis uiuis post mor/
tem scilicet qui nasceretur, non rumperet? nam hic casus ad legem Velleam non pertinet.
melius ergo est, ut in eiusmodi utilitate (præsertim post legem Velleam, quæ multos casus
rumpendi abstulit) interpretatio admittatur, ut instituens nepotem, qui sibi post mortem
suus nasceretur: rectè instituisse uideatur, quibuscunque casibus nepos post mortem natus
suus esset, rumperetque præteritus: atque etiā, si generaliter, QVIDQVID SIBI LIBERORVM
NATVM ERIT POST MORTEM, aut QVICVNQVE NATVS FVERIT, instituit. Si eius,
B qui filium habebat, & nepotem ex eo instituerat, nurus prægnans ab hostibus capta sit, i/
bique uiuo pariat: mox ille post mortem patris atque aui redeat: utrū hic casus ad legem Vel/
leam respiciat, an ad ius antiquum aptandus sit: possitque uel ex iure antiquo, uel ex lege
Vellea institutus non rumpere? quod quærendum est, & si iam mortuo filio, pronepotem
instituat, qui redeat eo mortuo. Sed cum testamentum ab eo non rumpatur: nihil refert,
utrum ex iure antiquo, an ex lege Vellea excludatur. Forsitan addubitet quis in istis casi/
bus, si nepos post testamentū nascatur uiuo patre suo: deinde ex eo concipiatur is, qui mor
tuo patre, deinde auo nascatur: an non potuerit hæres institui, quia pater ipsius non rectè
institutus esset? quod minimè est expauescendum. hic enim suus hæres, & post mortem na
scitur. ergo & sic pronepos admittetur, qui natus erit ex nepote postea uiuo filio, atque si ex
C eo natus esset adoptatus. In omnibus his speciebus illud obseruandū est, ut filius dunta/
xat, qui est in potestate, ex aliqua parte sit hęres institutus. nam frustra exhęredabitur post
mortem suam. quod nō est necesse in eo filio, qui apud hostes est, si ibi decedat. & certè nec
in nepote, & pronepote: quorum (si liberi hæredes instituantur) institutionem nunquam
exigimus: quia possunt præteriri. Nunc de lege Vellea uideamus, quę uoluit uiuis nobis na
tos similiter non rumpere testamentum. & uidetur primum caput ad eos spectare, qui cum
nascerentur, sui hæredes futuri essent. ergo & si filium habeas, & nepotem (nondum natum
tamen) ex eo hæredem instituas: si filius decedat, mox uiuo te nepos nascatur: ex uerbis di/
cendum est, non rumpi testamentum. ut non solum illud primo capite notauerit, si nepos
eo tempore instituatur, quo filius non sit: uerumetiam si uiuo patre. quid enim necesse est
D tempus testamenti faciendi respici, cum satis sit obseruari id tempus, quo nascitur. nam ita
uerba sunt, QVI TESTAMENTVM FACIET, IS OMNEIS VIRILIS SEXVS, QVI EI SVI
HAEREDES FVTVRI ERVNT, &c. Etiam si parente uiuo nascantur, sequente parte suc/
cedentes in locum liberorum, non uult lex rumpere testamentum. & ita interpretandū est:
ut etiam si & filium, & nepotem, & pronepotem habeas: mortuis utrisque, pronepos institu/
tus, succedens in sui hæredis locū, non rūpat. Et benè uerba se habent, SI QVIS EX SVIS
HAEREDIBVS SVVS HAERES ESSE DESIERIT: ad omnes casus pertinentia, quos sup/
plendos in Galli Aquilij sententia diximus. nec solum si nepos uiuo parte decedat, non suc
cedens pronepos auo mortuo rumpat: sed & si superuixerit patri, ac decedat: dummodo
hæres institutus sit, aut exhæredatus. Videndum autem, num posteriore parte, SI QVIS
E EX SVIS HAEREDIBVS SVVS HAERES ESSE DESIERIT, LIBERI EIVS ET CAETERI
IN LOCVM SVORVM SVI HAEREDES SVCCEDVNTO, possit interpretatione induci, ut si
filium apud hostes habens, nepotem ex eo hæredem instituas: non tantum si uiuo te filius
decedat, sed etiam post mortē, antequàm ab hostibus reuersus fuerit, succedendo non rum
pat. nihil enim addidit, quo significaret tempus: nisi (quod audenter licet) possis dicere,
uiuo patre hunc suum hæredem esse desiisse, licet post mortem decedat: quia nec redit,
nec potest redire. Ille casus in difficili est, si filium habeas, & nepotem nondum natū insti
tuas, isque nascatur uiuo patre suo, ac mox pater decedat. non enim suus hæres est tempore,
quo nascitur: nec posteriore alius succedendo prohiberi uidetur rūpere, quàm qui iam na/
tus erat. denique & superiore capite, ut liceat institui nondum natos, qui cum nascerentur,
sui erunt, permittit: posteriore non permittit institui, sed uetat rumpi, néue ob eam rem
minus ratum

minus ratum sit, quod succedit. Porrò procedere debet, ut utiliter sit institutus: quod nullo iure potuit, qui nondum natus erat. Iuliano tamen uidetur, duobus quasi capitibus legis commistis, in hoc quoque inducere legem, ne rumpantur testamenta. Quaeremus tamen (cum recepta est Iuliani sententia) an si nascatur nepos uiuo patre suo, deinde emancipetur, sponte adire possit haereditatem? quod magis probandū est. nam emancipatione suus haeres fieri non potuit. F

XXX. CAIVS.

IN TER cætera, quæ ad ordinanda testamenta necessariò desiderantur, principale ius est de liberis hæredibus instituendis & exhæredandis: ne præteritis istis rumpatur testamentum. nanque filio, qui in potestate est, præterito: inutile est testamentum.

XXXI. PAVLVS.

CVM apud hostes est filius, pater iure facit testamentum, & rectè eum præterit: cum si in potestate esset filius, nihil ualiturum esset testamentum. G

XXXII. MARTIANVS.

SI FILIO emancipato exhæredato, is qui in potestate est, præteritus sit ipse quidē emancipatus & si cōtra tabulas petat, nihil agit: ab intestato autem & suus & emancipatus uenient.

DE INIVSTO, RVPTO, IRRITO, FACTO testamento. TIT. III.

PAPINIANVS.


TESTAMENtum aut non iure factum dicitur, ubi solennia iuris defuerunt: aut nullius est momenti, cum filius, qui fuit in patris potestate, præteritus est: aut rumpitur alio testamento, ex quo hæres existere poterit, uel adgnatione sui hæredis: aut irritum constituitur, non adita hæreditate. H

II. VLPIANVS.

TVNC autem prius testamentum rumpitur, cum posterius ritè perfectum est: nisi si fortè posterius, uel iure militari sit factum, uel in eo scriptus est, qui ab intestato uenire potest. tunc enim & posteriore non perfecto superius rumpitur.

III. IDEM.

POSTHVMI per uirilem sexum descendentes, ad similitudinem filiorum nominatim exhæredandi sunt, ne testamētum adgnascendo rumpant. Posthumos autem dicimus eos, qui post mortem parentis nascuntur. sed & hi, qui post testamentum factum in uita nascuntur. ita demum per legem Velleam rumpere testamentum prohibentur, si nominatim sint exhæredati. unde & ante hæredis institutionem, uel inter medias hæredum institutiones, uel inter gradus exhæredari possunt. nam diuus Marcus decreuit idem in posthumo, quod & in filio seruandum: nec ratio diuersitatis reddi potest. Ex his apparet, aliam caussam esse filiorum superstitum, aliam posthumorū. illi iniustum faciunt, hi rumpunt: illi semper, hi si nascantur, nec inueniant se exhæredatos. Sed & si stante hoc aliud testamentum, à quo posthumus exhæredatus non sit, factum sit: placet, siue post mortem testatoris nascatur, siue uiuo testatore: utrunque ruptum esse, & superius per inferius, & inferius per posthumum. K

Nominatim autem exhæredatus posthumus uidetur: siue ita dixerit, QVICVNQVE MIHI NASCETVR: siue ita, EX SEIA: siue ita, VENTER EXHAERES ESTO. Sed & si dixerit, POSTHVMVS EXHAERES ESTO: natus uel post mortem, uel uiuo testatore, non rumpet.

Licet autem posthumus præteritus adgnascēdo rumpat: tamen interdum euenit, ut pars testamenti rumpatur: utputà si proponas à primo gradu posthumum exhæredatū, à secundo præteritum. nam hic primus gradus ualet, secundus ruptus est.

IIII. IDEM.

DENIQVE & deliberantibus primo gradu scriptis hæredibus: qui secundo gradu scripti sunt hæredes, obtinere hæreditatem non possunt. gradu enim rupto & infirmato, amplius hæreditas inde obtineri non potest.

Nam & si sub

V. IDEM.

A NAM ET SI sub conditione sit hæres institutus quis, à quo posthumus non est exhæredatus: tamen pendente cõditione rumpitur gradus, ut & Iulianus scripsit. sed & si sit ei substitutus quis: tamen deficiente conditione primi gradus, non admittetur substitutus, à quo scilicet posthumus exhæredatus non est. Puto igitur existente quidem conditione primi gradus, posthumo potius locũ fore. post defectũ autẽ conditionis natus posthumus gradum non rumpit: quia nullus est. Rumpendo autem testamentum, sibi locum facere posthumus solet: quamuis filius sequentem gradum, à quo exhæredatus est, patiatur ualere. Sed si à primo gradu præteritus, à secundo exhæredatus sit: si eo tempore nascatur posthumus, quo aliquis ex institutis uixit: totum testamentum ruptum est. nam tollendo primum gradum, sibi locum facit.

B

VI. IDEM.

SI QVIS filio exhæredato, nutu prægnante relicta, decesserit & extraneum sub conditione instituerit: & pendente conditione post mortem patris, uel deliberante hærede instituto de adeunda hæreditate, exhæredatus filius decesserit, & nepos fuerit natus: an rumpat testamentum? & dicemus testamẽtum non rumpi: cum nec exhæredari huiusmodi nepos debuerit ab auo, quem pater præcedebat. Planè si fortè institutus omiserit hæreditatem: hunc auo suo futurum hæredem ab intestato, non dubitatur. utrunq; proprijs rationibus. nam adgnascendo quidem is rumpit, quem nemo præcedebat mortis tempore: ab intestato uero succedit is, ante quem alij non est delata hæreditas. Non fuisse autem filio delatam hæreditatem apparet, cum deliberante instituto decesserit. sed hæc ita, si aui mortis tempore in utero nepos fuit. Cæterùm si postea conceptus fuerit: Marcellus scribit, neq; ut suum, neq; ut nepotem, aut cognatum ad hæreditatem, uel ad bonorum possessionem posse admitti. Sed si pater eius, qui mortis aui tempore in utero fuit, apud hostes erat: nepos iste, patre in eadem caussa decedente, pòst mortem aui succedendo, testamentum rumpet: quia supra scripta persona ei non obstat. nec enim creditur in rebus humanis fuisse, cum in ea caussa decedit: quanquam captiuus reuersus, patris sui iniustum faceret testamentum, in eo præteritus. Siue autem in ciuitate nepos fuit conceptus, siue apud hostes: (quoniam datur & partui postliminium) succedendo testamentum rumpit. Succedendo itaq; sui non rumpunt, si uel instituti fuerint, uel exhæredati ab eo gradu, ad quem hæreditas defertur: scilicet si gradus ille ualeat. Quocunq; autem modo parentes præcedentes in potestate esse desierint: succedentes liberi, si fuerint instituti, uel exhæredati, non rumpent testamentum: siue per captiuitatem, siue per mortem, uel pœnam. Irritum quoq; fit testamentum, quoties ipsi testatori aliquid contingit: utputà si ciuitatem amittat per subitam seruitutem, ab hostibus (uerbi gratia) captus: uel si maior annis uiginti uenundari se passus sit ad precium participandum. Sed & si quis fuerit capite damnatus, uel ad bestias, uel ad gladium, uel alia pœna, quæ uitam adimat: testamentum eius irritum fiet non tunc, cum consumptus est, sed cum sententiã passus est. nam pœnæ seruus efficitur. nisi fortè miles fuit, ex militari delicto dãnatus. nam huic permitti solet testari, ut diuus Hadrianus rescripsit. & credo, quod iure militari testabitur. qua ratione igitur damnato ei testari permittitur? nunquid & si quod ante habuerit factum testamentum, si ei permissum sit testari, ualeat? an uero postea irritum factum, reijciendum est? & si militari iure ei testandum sit: dubitari non oportet, quin si uoluerit id ualere, fecisse id credatur. Eius, qui deportatur, non statim fiet irritum testamentum: sed cum princeps factum comprobauerit. tunc enim & capite minuitur. sed & si de decurione puniendo, uel filio, nepoteúe præses scribendum principi, interlocutus est: non puto statim seruum pœnæ factum, licet in carcere soleant diligentioris custodiæ caussa recipi. nec huius igitur testamentum fiet irritum, prius quàm princeps de eo supplicium sumendum rescripserit. proinde si antè decesserit, utiq; testamentum eius ualebit: nisi mortẽ sibi cõsciuit. nam eorũ, qui mori magis, quàm damnari maluerint ob conscientiã criminis: testamẽta irrita cõstitutiones faciũt, licet in ciuitate decedãt. Quod si quis tedio uitæ, uel ualetudinis

C

b

E

uel ualetudinis aduersæ impatientia, uel iactatione (ut quidam philosophi) mortē sibi conscienerint: in ea caussa sunt, ut testamenta eorum ualeant. Quam distinctionem in militis quoque testamento diuus Hadrianus dedit, epistola ad Pomponium Falconem: ut si quidem ob conscientiam delicti militaris mori maluit, irritum sit eius testamentum: quod si tedio uitæ, uel dolore, ualeat: at si intestatò decesserit, cognatis: aut si non sint, legioni ista sint uindicanda. Hi autem omnes, quorū testamenta irrita damnatione fieri diximus, si prouocauerint, capite non minuūtur. atq; ideo neq; testamenta, quę antea fecerunt, irrita fient: & nunc testari poterunt (hoc enim sæpissimè est constitutū) nec uidebuntur, quasi de statu suo dubitantes, non habere testamenti factionem. sunt enim certi status, nec ipsi de se interim incerti. Quid tamen, si appellationē eius præses non recepit, sed Imperatori scribendo pœnam remoratus est? puto hunc quoq; suū statum interim retinere, nec testamentum irritum fieri. nam (ut est oratione diui Marci expressum) tametsi prouocantis, uel eius, pro quo prouocatur appellatio nō fuerit recepta: pœna tamen sustinenda est, quoad princeps rescripserit ad literas præsidis, & libellum rei cum literis missum: nisi fortè latro manifestus sit, uel seditio prærupta, factioq; cruenta, uel alia iusta caussa, quam mox præses literis excusauerit, morā non recipiat. non pœnæ festinatione, sed præueniendi periculi caussa. tunc enim punire permittitur, deinde scribere. Quid si quis fuerit damnatus illicitè, pœna non sumpta? an testamentū eius irritum fiat? uideamus. utputā decurio ad bestias. an capite minuatur, testamentumq; eius irritum fiat? & non puto: cum sententia eum non tenuerit. ergo & si quis eum, qui non erat iurisdictionis suæ, damnauerit: testamentum eius non erit irritum, quemadmodum est constitutum. sed ne eorum quidem testamenta rata sunt, quorum memoria post mortem damnata est: utputā est ex caussa maiestatis, uel ex alia tali. H

Quatenus tamen diximus, ab hostibus capti testamentum irritum fieri: adijciendum est, postliminio reuersi, uires suas recipere iure postliminij: aut si ibi decedāt, lege Cornelia confirmari. ergo & si quis damnatus capite in integrum indulgentia principis sit restitutus, testamentum eius conualescet. Filijfamiliàs ueterani, sui iuris morte patris facti, testamentum irritum non fieri constat. nam quantum ad testandum de castrensi peculio, pro patrefamiliàs habendus est. & ideò nec emancipatione irritū fieri militis, uel ueterani testamentum uerum est.

VII. VLPIANVS *lib. X. ad Sabinum.*

SI MILES iure ciuili testamentum fecerit: & primo gradu hæredem eum scripserit, quem iure militari poterat: secūdo eum, quem communi iure potest: & post annum missionis decesserit: primus gradus irritus fiet, & à secundo incipiet testamentum. I

VIII. IDEM.

VERVM est, adoptione uel adrogatione filij filiæ'ue testamentum rumpi: quoniam sui hæredis adgnatione solet rumpi. Filia cum emancipatur, uel nepos (quia unà cum emancipatione exeunt de potestate) testamentum non rumpunt.

IX. PAVLVS.

SI PATER ab hostibus capiatur, filio manente in ciuitate: reuerso eo, non rumpitur testamentum.

X. IDEM.

SED nec filius postliminio rediens, rumpit patris testamentum, ut Sabinus existimauit. K

XI. VLPIANVS.

SI BINAE tabulæ proferantur diuersis temporibus factæ, unæ prius, alteræ postea, utræq; tamen septem testium signis signatæ, & apertæ posteriores uacuæ inuentæ sint: superius testamentum non est ruptum, quia sequens nullum est.

XII. IDEM.

POSTHVMVS præteritus, uiuo testatore natus, decessit. licet iuris scrupulositate, nimiaq; subtilitate testamentum ruptum uideatur: attamen si signatum fuerit testamentum, bonorum possessionem secundum tabulas accipere hæres scriptus poterit, remq; obtinebit, ut Imperator noster & diuus Hadrianus rescripserunt. Idcirco legatarij & fideicōmissarij habebunt ea, quæ sibi relicta sunt, securi. Idem & circa iniustum & irritum testamentum erit dicendum.

A dicendum, si bonorum possessio data fuerit ei, qui rem ab intestato auferre possit. Si paganus, qui habebat iam factum testamentum, aliud fecisset, & in eo comprehendisset, fidei se hæredis committere, ut priores tabulæ ualerent: omnimodo prius testamentũ ruptum est. quo rupto: quæri poterit, an uice codicillorũ id ualere debeat, cum & hæc uerba sint fideicommissi? & sine dubio uniuersa, quę illic scripta sunt, in caussa fideicommissi erũt: non solum legata & fideicommissa. sed & libertates & hæredis institutio.

XIII. CAIVS.

POSTHUMORŨ loco sunt & hi, qui in sui hæredis loco succedendo, quasi agnascendo fiunt parentibus sui hæredes. ut ecce si filium, & ex eo nepotẽ neptemúe in potestate habe-B am: quia filius gradu præcedit, is solus iura sui hæredis habet: quamuis nepos quoq; & neptis ex eo in eadem potestate sint. sed si filius meus me uiuo moriatur, aut qualibet ratione exeat de potestate mea: incipit nepos neptisúe in eius loco succedere, & eo modo iura suorum hæredum quasi adgnatione nancisci. ne ergo eo modo rumpat mihi testamentum: sicut ipsum filium, uel hæredem instituere, uel exhæredare nominatim debeo, ne non iure faciam testamentum: ita & nepotem neptemúe ex eo necesse est mihi, uel hæredem instituere, uel exhæredare: ne forte me uiuo mortuo filio, succedendo in locum eius nepos neptisúe, quasi adgnatione rumpant testamentum. idq; lege Iunia Vellea prouisum est.

XIIII. PAVLVS.

C SI ITA facta sit exhæredatio, SI FILIVS NATVS NATAVE ERIT, EXHAERES ESTO: utrisq; natis, rumpitur testamentum.

XV. IABOLENVS.

QVI uxorem prægnantem habebat, in hostium potestatem peruenit. quæro, an nato filio, quo tempore testamentum in ciuitate factum rumpatur? & si filius antè moriatur, quã pater: quæro, an scripti hæredes hæreditatem habituri sint? respondi. non puto dubium esse, quin per legem Corneliam, quæ de confirmandis eorum testamentis, qui in hostiũ potestate decessissent, lata est: nato filio, continuo eius testamentum, qui in hostium potestate sit, rumpatur. sequitur ergo, ut ex eo testamento hæreditas ad neminem pertineat.

XVI. POMPONIVS.

D CVM IN secundo testamento hæredem eum, qui uiuit, instituimus, siue purè, siue sub cõditione: si tamen conditio existere potuerit, licet non exstiterit, superius testamentum erit ruptum. Multum autem inter est, qualis conditio posita fuerit. nam aut in præteritum concepta ponitur, aut in præsens, aut in futurum. In præteritum concepta ponitur, ueluti SI TITIVS CONSVL FVIT. quæ conditio si uera est: ita est institutus hæres, ut superius testamentum rumpatur. tunc enim ex hoc hæres est. si uero Titius cõsul non fuit: superius testamentum non est ruptum. Quod si ad præsens tempus conditio adscripta est, hærede instituto, ueluti SI TITIVS CONSVL EST: eundem exitum habet: ut si sit, possit hæres esse, & superius testamentum rumpatur. si non sit: nec possit hæres esse, nec superius testamentum rumpatur. In futurum autem collatæ conditiones, si possibiles sunt, & existere poterunt: efficiunt, ut superius testamentum rumpatur, etiã si non exstiterint. si uero impossibiles sunt,
E ueluti SI TITIVS DIGITO COELVM TETIGERIT, HAERES ESTO: placet perinde esse, quasi conditio, quæ est impossibilis, adscripta non sit.

XVII. PAPINIANVS.

FILIO præterito, qui fuit in pãtris potestate, neq; libertates competunt, neq; legata præstantur: si præteritus fr. tribus partem hæreditatis aduocauit. quod si bonis se pãtris abstinuit: licet subtilitas iuris refragari uidetur: attamen uoluntas testatoris ex bono & ęquo tuebitur.

XVIII. SCAEVOLA.

SI QVI hæres institutus est, à testatore adrogetur: potest dici, satis ei factum. quia & antè quàm adoptetur, institutio ut in extraneo locum habebat.

XIX. IDEM.

SI EGO & Titius instituti simus, & à nobis posthumus exhæredatus sit, à substitutis no-

stris non sit exhæredatus: Titio defuncto, nec ego quidem adire potero. iam enim propter F instituti personā, à quo posthumus exhæredatus est, in cuius locum substitutus uocatur, à quo posthumus exhæredatus nō est: ruptum est testamentum. Sed si ego & Titius inuicem substituti simus: quamuis quasi in partem substitutionis exhæredatus nō sit: mortuo, uel repudiante Titio, me posse adire puto, & ex asse hæredem esse. In prima tamen specie, & si uiuat Titius: neq; ego sine illo, neq; ipse sine me adire poterit: quia incertum est, an adhuc altero omittente rumpatur testamentum. itaq; simul adire possumus.

XX. IDEM.

LVCIVS Titius integra mente & ualetudine testamentum fecit, uti oportet. postea cum in ualetudinem aduersam incidisset, mente captus tabulas easdem incidit. Quæro, an hæredes his tabulis instituti, adire possint hæreditatem? Respondi. secundum ea, quæ proponerentur, non ideo minus adire posse. G

DE HIS, QVAE IN TESTAMENTO DELENtur, inducuntur, uel inscribuntur. TIT. IIII.

I. VLPIANVS.



QVAE IN testamento legi possunt, ea in consultò deleta & inducta, nihilominus ualent: consultò, non ualent. id uero, quod non iussu domini scriptum, inductum, deletumúe est, pro nihilo est. LEGI autem sic accipiendum: non intelligi, sed oculis perspici, quæ scripta sunt. cæterum si extrinsecus intelliguntur: H non uidebuntur legi posse. sufficit autem, si legibilia sunt in consultò deleta, siue ab ipso, siue ab alio. sed uolentibus inducta accipiendum est, & si perducta sint. quod igitur incautè factum est, pro non facto est, si legi potuit. Et ideo & si nouissimè (ut solet) fuerit adscriptum, LITVRAS (INDVCTIONES, SVPERDVCTIONES IPSE FECI: nō uidebitur referri ad ea, quæ inconsultò contigerunt. proinde & si inconsultò superscripsit induxisse se, manebunt: & si ademit, non erunt adempta. sed si legi nō possunt, quæ inconsultò deleta sunt: dicendum est, non deberi. sed hoc ita demum, si ante consummationem testamenti factum est. Sed consultò quidem deleta petentes exceptione repelluntur: inconsultò uero, non repelluntur, siue legi possunt, siue non possunt: quoniam & si totum testamentum non exstet, constat ualere omnia, quæ in eo scripta sunt. Et siquidem illud concidit testator: denegabuntur actiones. si uero alius, inuito testatore: non benè denegabuntur. Et cum hæreditatis portio adempta est, uel tota hęreditas (si fortè sit substitutus) ademptio iure facta uidebitur: nō quasi adempta (quoniā hęreditas semel dāta adimi facilè non potest) sed quasi nec data Si quis codicillos in testamento cōfirmauit, & codicillis aliquid adscripsit, mox deleuit ita, ut appareat: an debeatur? Et Pomponius scribit, codicillos deletos non ualere. I

II. IDEM.

CANCELlauerat quis testamētum, idq; se propter unum hæredē facere dixerat. postea id testamentum signatum est. quærebatur de uiribus testamenti, deq; portione eius, propter quē se cancellasse dixerat: dicebam. siquidem unius ex hæredibus nomen induxerit: sine dubio cæteram partem testamenti ualere, & ipsi soli denegari actiones. sed & legata ab eo nominatim relicta debebuntur: si uoluntas ea fuit testantis, ut tantum hæredis institutio improbetur. sed si instituti nomen induxit, & substituti reliquit: institutus emolumentum hæreditatis non habebit. sed si omnia nomina induxerit (ut proponitur) adscripserit autem idcirco se id fecisse, quia unum hæredem offensum habuerit: multum interesse arbitror, utrum illum tantum fraudare uoluerit hæreditate, an uero caussa illius totum testamentum infirmare: ut licet unus caussam inductionis præbuerit, uerum omnibus obfuerit. Et siquidem soli ei ademptam uoluit portionem, cæteris nihil nocebit inductio: nō magis, quàm si uolens unum inducere hęredem, inuitus & alium induxerit. Quod si putauerit totum testamentum delendum ob unius malum meritum: omnibus denegabuntur actiones. sed an legatarijs denegari actio debeat, quæstio est. in ambiguo tamen interpretandū K

erit,

A erit,& legata deberi,& cohæredis institutionem non esse infirmandam.

III. MARCELLVS.

PROXIME in cognitione principis cum quidam hæredum nomina induxisset, & bona eius ut caduca à fisco uindicarentur:diu de legatis dubitatum est,& maximè de his,quę ad scripta erant his,quorum institutio fuerat inducta.pleriq; etiã legatarios excludendos existimabant. quod sanè sequendum aiebam,si omnem scripturam testamẽti cancellasset.sed nonnullos opinari,id iure ipso perimi,quod inductum sit:cætera omnia ualitura. quid ergo? num & illud interdum credi potest:cum, qui hæredum nomina induxerat,satis se consecuturũ putasse, ut intestati exitum faceret? sed in re dubia benigniorem interpretationẽ
B sequi,non minus iustum est,quàm tutum. Sententia imperatoris Antonini Augusti Pudente & Pollione consulibus. Cum Valerius Nepos mutata uoluntate incidetit testamentum suum, & hęredum nomina induxerit:hæreditas eius secundum diui pãtris mei constitutionem ad eos,qui scripti fuerunt,pertinere non uidetur.& aduocatus fisci dixit. Vos habetis iudices uestros. Viuius Zeno dixit.rogo domine Imperator,audias me patienter. de legatis quid statues? Antoninus Cæsar dixit.uidetur tibi uoluisse testamentum ualere,qui nomina hæredum induxerit? Cornelius Priscianus aduocatus Leonis dixit,nomina hęredum tantum induxit. Calphurnius Longinus aduocatus Fisci dixit.non potest ullum testamentum ualere,quod hæredem non habet.. Priscianus dixit. manumisit quosdam,& legata dedit. Antoninus cæsar, remotis omnibus,cum deliberasset,& admitti rursus eosdem
C iussisset:dixit.caussa præsens admittere uidetur humaniorem interpretationem: ut ea dun taxat existimemus, Nepotem irrita esse uoluisse,quæ induxit. Nomen serui, quem liberum esse iusserat,induxit. Antoninus rescripsit,liberum cum nihilominus fore.quod uidelicet fauore constituit libertatis.

IIII. PAPINIANVS.

PLVRIBUS tabulis eodem exemplo scriptis,unius testamenti uoluntatem eodem tempore dominus solenniter compleuit. si quasdam tabulas in publico depositas abstulit atq; deleuit:quæ iure gesta sunt(præsertim cum ex cæteris tabulis, quas non abstulit, res gesta declaretur) nõ cõstituentur irrita. PAVLVS notat.sed si,ut intestatus moreretũ,tabulas inci
D dit:& hoc adprobauerint hi,qui ab intestato uenire desiderãt:scriptis aduocabitũ hęreditas.

DE HAEREDIBVS INSTITVENDIS. TIT. V.

I. VLPIANVS.

QVI TESTATUR,ab hæredis institutione plerunq; debet initium facere testamenti.licet etiam ab exhæredatione, quam nominatim facit. nam diuus Traianus rescripsit,posse nominatim etiam ante hæredis institutionem filium exhæredare. Institutum autem hæredem eum quoq; dicimus,qui scriptus non est, sed solummodo nuncupatus. Mutus & surdus rectè hæres institui potest. Qui neque legaturus est quid,neq; quenquam exhæredaturus,quinq; uerbis potest facere testamentum: ut dicat,
E LVCIVS TITIVS MIHI HAERES ESTO. Hęc autem scriptura pertinet ad eum, qui non per scripturam testatur,qui poterit etiam tribus uerbis testari:ut LVCIVS HAERES ESTO. nã & MIHI & TITIVS abundat. Si ex fundo fuisset aliquis solus institutus:ualet institutio, detracta fundi mentione. Sin autem sic scribat, LVCIVS HAERES: licet non adiecerit ESTO, credimus plus nuncupatum, minus scriptum. & si ita, LVCIVS ESTO, tantundem dicimus.ergo & si ita LVCIVS solummodo: Marcellus non insubtiliter non putat hodie hoc procedere. Diuus autem Pius,cum quidam portiones inter hęredes distribuisset ita, ILLE EX PARTE TOTA, ILLE EX TOTA, nec adiecisset, HAERES ESTO: rescripsit ualere institutionẽ. quod & Iulianus scripsit. Item duus Pius rescripsit,ibi VXOR MEA ESTO,institutionem ualere,licet deesset HAERES. Idem Iulianus, ILLVM HAEREDEM ESSE,non putauit ualere:quoniam deesset aliquid. sed & ipsa ualebit, subaudito IVBEO.

II. IDEM.

CIRCA eos,qui ita hæredes instituti sunt,EX PARTIBVS,QVAS ADSCRIPSERO:nō putat Marcellus eos hæredes,nullis adscriptis partibus:quemadmodū si ita essent hæredes instituti,SI EIS PARTES ADSCRIPSERO.sed magis est,ut sic utraq; institutio accipiatur (si uoluntas defuncti non refragatur) ex quibus partibus adscripsero.si minus: ex æquis, quasi duplici facta institutione. quam sententiam Celsus libro decimosexto Digestorum probat:aliter,atq; in illa institutione,EX QVA PARTE ME TITIVS HAEREDEM SCRIPSIT:SEIVS HAERES ESTO. tunc enim,si non est à Titio scriptus, nec Seius ab eo. nec immeritò.hic enim creditur inesse conditio.sed Marcellus hęc similia,licet non rectè,putat.

Potest autem interesse,utrum ita quis scribat,EX HIS PARTIBVS,QVAS ADSCRIPSI, an ADSCRIPSERO:ut superiore modo dicas, nullis adscriptis partibus,nullam esse institutionem:quomodo in illo Marcellus,EX HIS PARTIBVS,EX QVIBVS TESTAMENTO MATRIS SCRIPTI FVERVNT,HAEREDES SVNTO,si intestata mater decesserit,hos non esse institutos. G

III. IDEM.

SERVVS alienus,uel totus,uel pro parte,sine libertate hæres institui potest. Si seruum meum purè hæredem scripsero, sub conditione liberum: differtur institutio in id tempus, quo libertas data est. Si quis ita scripserit,SI TITIVS HAERES ERIT,SEIVS HAERES ESTO:quasi quæuis conditio,exspectatur Titij aditio,ut Seius hæres fiat.& sanè & Iuliano & Tertylliano hoc uidetur. Qui fideicomissam libertatem sub conditione accipit,potest ab hærede purè cum libertate hæres institui, & non exspectata conditione, libertatem & hæreditatem consequitur.eritq; interim necessarius,& existente conditione,uoluntarius hæres efficietur:non ut desinat hæres esse,sed ut ius in eo mutetur successionis. Aperturæ tabularum dilatio necessarij hæredis ius non mutat, ut solemus in substituto impuberi dicere.nam est relatum,si se adrogandū dederit substitutus impuberi defuncto filius:necessariū eum fore. H

IIII. IDEM.

SVVS quoq; hæres sub conditione hæres potest institui.sed excipiendus est filius: quia non sub omni conditione potest institui.& quidem sub ea conditione, quæ est in potestate ipsius,potest.(de hoc enim inter omnes constat) sed utrum ita demum institutio effectum habeat,si paruerit conditioni,an & si non paruerit,& decesserit? Iulianus putat, filium sub huiusmodi conditione institutum,etiam si conditioni non paruerit,submotū esse. & ideo si cohæredem habeat ita institutus: non debere eum exspectare, donec conditioni pareat filius,& si eum pātrem intestatum faceret,non parendo conditioni, procul dubio exspectare deberet.quæ sententia probabilis mihi uidetur,ut sub ea conditione institutus,quæ in arbitrio eius sit,pātrem intestatum non faciat. Puto rectè generaliter definiri:utrum in potestate fuerit conditio,an non fuerit,facti potius esse.potest enim & hæc,SI ALEXANDRIAM PERVENERIT, non esse in arbitrio per hiemis conditionem.potest & esse: si ei,qui à primo miliario Alexandriæ agat,sit interposita. Potest & hæc,SI DECEM TITIO DEDERIT, esse in difficili, si Titius peregrinetur longinquo itinere propter quæ ad generalem definitionem decurrendum est. Sed & si filio sub conditione,quæ in eius potestate est,hærede instituto,nepos sit substitutus,siue extraneus:puto,uiuo filio,non exstaturum hæredē substitutum:post mortem uero exstaturū. nec nessariam substituto filij exhæredationem: cum & si fuerit facta, frustra sit. post mortem enim filij facta est, quam inutilem esse aliàs ostendimus,opinamur igitur filium,si sit institutus sub ea conditione, quæ est in eius potestate,non indigere exhęredatione à sequentibus gradibus.alioquin & cohęrede indigebit. I K

V. MARCELLVS. *apud Iulianum lib. XXIX. Digestorum notat.*

SI EIVSmodi sit conditio,sub qua filius hęres institutus est,ut ultimo uitæ eius tempore certum sit eam existere non posse,& pendente ea decedat: intestato pātri hæres erit. ueluti SI ALEXANDRIAM PERVENERIT, HAERES ESTO. quod si etiam nouissimo tempore impleri potest,ueluti SI DECEM TITIO DEDERIT, HAERES ESTO:contrà puto.

A VI. VLPIANVS.

SED & si in condicione dies sit adiectus, utputà SI CAPITOLIVM INTRA TRIGINTA DIES ASCENDERIT, tantundem potest dici: ut si non paruerit conditioni substitutus, possit admitti, filio repulso. idq; consequens est sententiæ Iuliani & nostræ. Nepotes autem, & deinceps cæteri, qui ex lege Vellea instituti, nō rumpunt testamentum: sub omni conditione institui possunt, & si redigantur ad filij conditionem. Solemus dicere media tempora non nocere. utputà ciuis Romanus scriptus hæres, uiuo testatore factus est peregrinus. mox ad ciuitatem Romanam peruenit. media tempora non nocent. Seruus alienus sub conditione hæres scriptus, traditus est seruo hæreditario. mox usucaptus ab extraneo. non
B est uiciata institutio. Si seruum communem cum libertate dominus hæredem scripserit, & eum redemerit: necessarius efficietur. sed si substitutus sit impuberi, & partem redemerit impubes: necessarius non efficietur, ut Iulianus scribit. Sed si sit cum libertate institutus, an ei libertatis datio codicillis adimi possit, apud Iulianum quæritur. & putat in eum casum quo necessarius fieret, ademptionem non ualere: ne à semetipso ei libertas adimatur. seruus enim hæres institutus, à semetipso libertatem accipit. quæ sententia habet rationem. nam sicut legari sibi non potest, ita nec à se adimi.

VII. IVLIANVS.

SI seruus communis sub conditione hæres institutus, uiuo testatore libertatem consecutus sit: etiam pendente conditione testamentariæ libertatis, adire hæreditatē potest. Item
C siue testator eum alienauerit, siue hæres: post mortem testatoris iussu domini hæreditatem adibit.

VIII. IDEM.

DVO socij quendam seruum communem testamento facto hæredem & liberum esse iusserant. ruina simul oppressi perierant. pleriq; responderunt, hoc casu duobus Orcinum hæredem existere: & id est uerius. sed & si sub eadem cōditione seruum communem uterq; socius liberum hæredemq; esse iussit, eaq; exstitit: idem iuris erit.

IX. VLPIANVS.

QVOTIES uolens alium hæredem scribere, alium scripserit, in corpore hominis errans (ueluti frater meus, patronus meus:) placet neq; eum hæredem esse, qui scriptus est, quoniā uoluntate deficitur: neq; eum, quem uoluit, quoniam scriptus non est. & si in re quis errauerit: (utputà dum uult lancem relinquere, uestem leget) neutrū debebit. hoc siue ipse scripsit,
D siue scribendū dictauit. Sed si nō in corpore errauit, sed in parte (putà cū dictasset ex semisse aliquē scribi, ex quadrante sit scriptus) Celsus libro undecimo Digestorū posse defendi ait, ex semisse hęredē fore: quasi plus nuncupatū sit, minus scriptū. quę sententia rescriptis adiuuatur generalibus. idemq; est, & si ipse testator minus scribat, cū plus uellet adscribere. Sed si maiorē partē adscripserit testamentarius, uel (quod difficilius est probatu) ipse testator: ut pro quadrāte semissem: Proculus putat, ex quadrāte fore hęredē, quoniā insit quadrans in semisse. quam sententiam & Celsus probat. Sed & si quis pro centum ducenta per notam scripsit, idem iuris est. nam & ibi utrunq; scriptū est: & quod uoluit, & quod adiectum est. quæ sententia nō est sine ratione. Tantundē Marcellus tractat & in eo, qui cōditionem de-
E stinans inserere, non addidit. nam & hunc pro non instituto putat. Sed & si conditionē addidit, dum nollet: ea detracta, hæredem futurum: nec nuncupatum uideri, quod contra uoluntatem scriptum est. quam sententiam & ipse & nos probamus. idem tractat, & si testamentarius contra uoluntatem testatoris conditionem detraxit, uel mutauit: hæredem non futurum, sed pro non instituto habendum. Sed si cum primum hæredem ex parte dimidia scribere destinasset, primum & secundum scripsit: solus primus scriptus hæres uidebitur, & solus hæres existet, quasi ex parte dimidia institutus. Si quis nomen hæredis quidem non dixerit, sed indubitali signo eum demonstrauerit, quod penè nihil à nomine distat: (non tamen eo, quod contumeliæ caussa solet addi) ualet institutio. Hæres enim institui, nisi si certus demonstretur, nemo potest. Si quis tamen ita dixerit, VTER EX FRATRIBVS MEIS TITIO ET MAEVIO SEIAM VXOREM DVXERIT, EX DODRANTE I

VTER NON DVXERIT, EX QVADRANTE HAERES ESTO: recte factam institutionem certum est, licet ex qua quis parte incertum est. Planè erit similis institutio, si ita facta fuerit: VTER EX SVPRA SCRIPTIS FRATRIBVS MEIS SEIAM VXOREM DVXERIT, HAERES ESTO. sed & hanc puto institutionem ualere, quasi sub conditione factam. Hæredes iuris successores sunt: & si plures instituantur, diuidi inter eos à testatore ius oportet. quod si non fiat: omnes æqualiter hæredes sunt. Si duo sint hæredes instituti, unus ex parte tertia fundi Corneliani, alter ex besse eiusdem fundi: Celsus expeditissimam Sabini sententiam sequitur, ut detracta fundi mentione, quasi sine partibus hæredes scripti, hæreditate potiantur: si modo uoluntas patrisfamiliâs manifestissimè non refragetur. Si quis ita scripserit, STICHVS LIBER ESTO, ET POSTEA QVAM LIBER ERIT, HAERES ESTO: Labeo, Neratius, Aristo opinantur, detracto uerbo medio POSTEA, simul ei libertatem & hæreditatem competere. quæ sententia mihi quoque uera uidetur. Si quis primum ex triente, secundum ex triente hæredem instituerit: & si secundus hæres non erit, tertium ex besse hæredem scribat: hic secundo repudiante, bessem habebit, non solum iure substitutionis, sed etiam institutionis (id est trientem iure substitutionis, trientem iure institutionis.) Seruus cum libertate hæres institutus, si sit alienatus: iuberi adire ab eo potest, cui alienatus est. sed si redemptus sit à testatore: institutio ualet, & necessarius hæres erit. Si seruus ex die libertatem acceperit, & hæreditatem purè, mox sit alienatus, uel manumissus: uideamus, an institutio ualeat. & quidem si alienatus non sit, potest defendi institutionem ualere: ut ueniente die libertatis, quæ hæreditatem moratur, competente libertate, & hæres necessarius existat. sed si in diem libertas aut hæreditas sub conditione data sit: si conditio post diem aduenientem extiterit, liber & hæres erit. sed & si purè fuerit hæres institutus, libertate in diem data: si sit alienatus, uel manumissus: dici debet, eum posse hęredem existere. sed si non ipse seruus sit alienatus sed usus fructus in eo: æquè institutio ualet, sed differtur in id tempus, quo extinguitur ususfructus.

X. PAVLVS.

SI alterius atque alterius fundi pro æquis partibus hæredes quis instituerit: perinde habebitur, quasi nō adiectis partibus hęredes scripti essent. nec enim facilè ex diuersitate prædiorum portiones inueniuntur. ergo expeditius est, quod Sabinus scribit: perinde habendum, ac si nec fundum, nec partes nominasset.

XI. IABOLENVS.

ATTIVS FVNDI CORNELIANI HAERES ESTO, DVO TITII ILLIVS INSVLAE HAEREDES SVNTO. duo Titij semissem habebunt, Attius item semissem, idque proculo placet. quid tibi uidetur? respondi. uera est Proculi opinio.

XII. PAVLVS.

SI inæqualibus partibus dâtis, ita adijciatur, QVOS EX DISPARIBVS PARTIBVS HAEREDES INSTITVI, AEQVE HAEREDES SVNTO: existimandum est, exæquari eos, scilicet si hoc ante peractum testamentum scriptum sit.

XIII. VLPIANVS.

INterdum hæc adiectio, AEQVE HAEREDES SVNTO, testatoris uoluntatem exprimit: utputà PRIMVS ET FRATRIS MEI FILII AEQVE HAEREDES SVNTO. Nam hæc adiectio declarat omnes ex uirilibus partibus institutos, ut & Labeo scripsit: qua detracta, semissem fratris filij, semissem primus haberet. Paterfamiliâs distribuere hæreditatem in tot partes potest, quot uoluerit: sed solennis assis distributio in duodecim uncias fit. denique si minus distribuit, potestate iuris in hæc reuoluitur: utputà si duos hæredes ex quadrante scripserit. nam hæreditas eius residua accedit, ut ex semissibus uideantur scripti. sed & si alter ex quadrante, alter ex semisse hæredes scripti sunt: qui accedit quadrans, pro partibus hæreditarijs eis adcrescit. sed & si excesserit in diuisione duodecim uncias: æquè pro rata decrescet. utputà me ex duodecim uncijs hæredem, te ex sex scripsit. ego hæreditatis habebo bessem, tu trientē. Sed si duos ex asse hæredes scripserit, alios duos ex duo-

A ex duodecim uncijs: an æquè distributio fiat, apud Labeonem libro quarto Posteriorum quæritur. & putat Labeo, & illos ex semisse, & hos, qui ex duodecim uncijs scripti sunt, ex semisse hæredes fore. cui sententiæ adsentiendum puto. Sed & si duos hæredes ex asse institu erit, tertium autem ex dimidia, & sexta: eodem libro Labeo ait, in uiginti uncias assem diuidendum: octoq; laturum ex dimidia & sexta scriptum, illos duos duodecim. Apud eundem refertur. TITIVS EX PARTE TERTIA: deinde asse expleto, IDEM EX PARTE SEXTA. in quatuordecim uncias hæreditatem diuidendam, Trebatius ait.

XIIII. IABOLENVS.

SI QVIS hæredes ita instituit, TITIVS EX PARTE PRIMA, SEIVS EX PARTE SE-
B CVNDA, MAEVIVS EX PARTE TERTIA, SVLPICIVS EX PARTE QVARTA HAEREDES SVNTO: æquè partes hæreditatis ad institutos pertinebunt: quia testator appellatione numeri, scripturæ magis ordinem, quàm modum partibus imposuisse uidetur.

XV. VLPIANVS.

IVLIANVS quoq; libro tricesimo refert. si quis ita hæredes scripserit, TITIVS EX PARTE DIMIDIA HAERES ESTO, SEIVS EX PARTE DIMIDIA, EX QVA PARTE SEIVM INSTITVI, EX EADEM PARTE SEMPRONIVS HAERES ESTO: dubitari posse, utrum in tres semisses diuidere uoluerit hæreditatem, an uero in unum semissem Seium & Sempronium coniungere. quod est uerius. & ideo coniunctim eos uideri institutos. sic fiet, ut Titius semissem, hi duo quadrantes ferant.

C Idem eodem libro scripsit. si primus ex semisse, secundus ex semisse, si primus heres non erit, tertius ex dodrante substitutus sit: facti quidem quæstionem esse: uerum rectè dici, si quidem primus adierit: æquales partes habituros. si repudiauerit: quindecim partes futuras, ex quibus nouem quidem laturus sit tertius, sex secundus.

XVI. IVLIANVS.

NAM TERTIVM & instituti & substituti personam sustinere: & in tres partes institutū uideri, in sex substitutū. XVII. VLPIANVS.

ITEM (ut Sabinus ait) si cui pars adposita non est. duos putā ex quadrantibus hæredes scripsit, tertium sine parte: quod assi deest, fert. hoc & Labeo. Vnde idem tractat. si duos ex undecim, duos sine parte scripsit: mox unus ex his, qui sine parte fuerunt, repudiauerit:
D utrum omnibus semuncia, an ad solum sine parte scriptum pertineat. & uariat. sed Seruius omnibus adcrescere ait. quam sententiam ueriorem puto. nam (quantum ad ius adcrescendi) non sunt coniuncti, qui sine parte instituuntur. quod & Celsus libro decimosexto Digestorum probat. idem quoque putat, & si expleto asse, duos sine parte hæredes scripserit: neq; hos, neq; illos coniunctos. Sed si asse expleto, alium sine parte hæredem scripserit: is in alium assem ueniet. aliter, atq; si ita scripsisset, expleto asse, EX RELIQVA PARTE HAERES ESTO: quoniam cum nihil reliquum sit, ex nulla parte hæres institutus est. sed si expleto asse, duo sine partibus scribantur: utrum in singulos asses isti duo, an in unū assem coniungantur, quæritur. & putat Labeo, & uerius est, in unū assem uenire. nam si unus sine parte, duo coniunctim sine parte instituantur: non tres trientes fieri Celsus libro decisexto
E scripsit, sed duos semisses. Quod si quis dupondiū distribuit, & tertiū sine parte instituit: hic non in aliū dupondiū, sed in trientē uenit, ut Labeo libro quarto Posteriorū scripsit. sed & Aristo & Paulus scripta Labeonis probauerunt. proq; probabilibus accepit Vlpianus quæ ab eis notata nō sunt. XVIII. PAVLVS lib. I. ad Vitellium.

VITELLIVS SABINVS. Quæsitum est, si plus asse paterfamiliās distribuisset, & aliquē sine parte fecisset hæredem: utrum ne is assem habiturus foret, an id duntaxat, quod ex dupondio deesset? & hanc esse tollerabilissimam sententiam puto: ut eadem ratio in dupondio, omniq; re deinceps, quæ in asse, seruetur. PAVLVS. eadē ratio est in secundo asse, quæ in primo. XIX. VLPIANVS.

EX FACTO etiam agitatum Pomponius & Arrianus referūt. si quis uacua parte relicta, ita instituisset, SI MIHI SEIVS HAERES NON ERIT (quē nō instituerat) SEMPRPONIVS

HAERES ESTO: an hic Seius occupare posset uacantem portionem? & Pegasus quidem F
existimat, ad eam partem admitti, Aristo contrà putat: quia huic pars esset data, quæ nulla esset. quam sententiā & Iabolenus probat, & Pomponius, & Arrianus, & hoc iure utimur.

XX. PAVLVS.

Qvo loco scribatur hæres sine parte, utrum primo, an medio, uel nouissimo, nihil interest. Si iam mortuo quadrans, alij dodrans dātus sit, & alius sine parte scriptus sit: Labeo ait, eum, qui sine parte hæres institutus sit, alterum assem habiturum, & hanc mentem esse testantis: quod & Iulianus probat, & uerum est. Quod si niuus & mortuus ex parte dimidia coniunctim hæredes instituti sunt, ex altera alius: æquas partes eos habituros ait: quia mortui pars pro non scripta habetur. G

XXI. POMPONIVS.

TREBATIVS ait, sic non rectè scribi, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, STICHVS LIBER ET HAERES ESTO: liberum tamen eum Labeo, & hæredem futurum rectè putat. Seruo libertatem purè, hæreditatem sub cōditione dāri posse, uerissimum puto. ut tamē utrunque ex conditione pendeat.

XXII. IVLIANVS.

ET expleta quidem conditione, liber hæresque erit, quocunque loco libertas dāta fuerit: deficiente autem conditione, perinde habebitur, ac si libertas sine hæreditate dāta fuerit.

XXIII. POMPONIVS.

SI QVIS instituatur hęres in diem certum uel incertum: is bonorum possessionem agnoscere potest, & tanquam hæres distrahere hæreditatem. Sed si bonorum possessionem non admittat, sed conditionem trahat, cui facilè parēre possit: ueluti si seruum, quem in potestate habet, manumiserit, nec manumittat: hic prætoris erunt partes, ut imitetur edictum suum illud, quo præfinit tempus, intra quod adeatur hæreditas. Item si conditioni hæres parēre non potuit, quam in sua potestate non habebat: ueluti institutione collata in alterius factum, aut quendam casum, SI ILLE (putā) CONSVL FACTVS FVERIT: tunc postulantibus creditoribus constituit prætor: nisi intra certum tempus hæreditas obtigerit, aditaque fuerit, se bona defuncti à creditoribus possidere, & interim quę urgebunt, per curatores distrahi iussurum. Sed & si sub conditione quis hæres institutus sit, & graue æs alienum sit, quod ex pœna crescit, & maximè si publicum debitum imminet: per curatorem soluendum est æs alienum, sicut cum uenter in possessionem sit, aut pupillus hæres tutorem non habeat. Et quod ait, CAVSSA COGNITA, adiectum est propter eos, qui sine dilatione peregrè essent: uel ægritudine, uel ualetudine ita impedirentur, ut in ius produci non possent, nec tamen defenderentur. H I

XXIIII. CELSVS.

TITIVS ET SEIVS, VTER EORVM VIVET, HAERES MIHI ESTO. existimo, si uterque uiuat, ambo hęredes esse, alteroque mortuo, eum, qui supererit, ex asse hæredē fore.

XXV. VLPIANVS.

QVIA tacita substitutio inesse uidetur institutioni.

XXVI. CELSVS. K

IDQVE & in legato eodem modo relicto senatus censuit.

XXVII. POMPONIVS.

SI TE solum ex parte dimidia purè, ex altera sub conditione hæredem instituero, & substituero tibi, non existente conditione: substitutum ex ea parte hæredem fore, Celsus ait. Sed si te hæredem instituero, & deinde sub conditione eundem te instituam: nihil ualere sequentem institutionem, quæ prius satis plana fuisset. Sed si plures institutiones ex eadem parte sub diuersis cōditionibus fuerint factæ: utra prior conditio exstiterit, id faciet, quod suprà diximus, si purè & sub conditione idem instituatur.

XXVIII. VLPIANVS.

SI ITA quis substitutus sit, TITIVS HAERES ESTO. SI SECVNDVS HAERES NON ERIT,

A ERIT, DEINDE SECVNDVS HAERES ESTO. placet primo gradu Secundū eſſe inſtitutū.

XXIX. POMPONIVS.

Hoc articulo QVISQVE omnes ſignificantur. & ideo Labeo ſcribit, ſi ita ſcriptum ſit,
TITIVS ET SEIVS, QVANTA QVISQVE EORVM EX PARTE HAEREDEM
ME HABVERIT SCRIPTVM, HAERES MIHI ESTO: niſi omnes habeant ſcri-
ptum hæredem teſtatorem, neutrum hæredem poſſe eſſe: quoniam ad omnium factum
ſermo referatur: in quo puto teſtatoris mentem reſpiciendam. ſed humanius eſt, eum qui-
dem, qui teſtatorem ſuum hæredem ſcripſerit, in tantam partem ei hæredem fore: qui au-
tem eum non ſcripſerit, nec ad hæreditatem eius admitti.

B

XXX. VLPIANVS.

Pignori obligatum ſeruum neceſſarium domino poſſe fieri, imperator Seuerus re-
ſcripſit: ita tamen, ſi paratus ſit prius creditori ſatisfacere.

XXXI. CAIVS.

Non minus ſeruos, quàm liberos hæredes inſtituere poſſumus: ſi modo eorum ſcilicet
ſerui ſint, quos ipſos hæredes inſtituere poſſumus: cum teſtamēti factio cum ſeruis, ex per-
ſona dominorum introducta eſt. Hæreditarium ſeruum ante aditam hæreditatem ideo
placuit inſtitui hæredem poſſe: quia creditum eſt, hæreditatem dominam eſſe, & defuncti
locum obtinere. XXXII. IDEM.

Illa inſtitutio, QVOS TITIVS VOLVERIT, ideo uitioſa eſt, quod alieno arbitrio per-
C miſſa eſt. nam ſatis conſtanter ueteres decreuerunt, teſtamentorum iura ipſa per ſe firma
eſſe oportere, non ex alieno arbitrio pendere. Is, qui apud hoſtes eſt, rectè hæres inſtitui-
tur: quia iure poſtliminij omnia iura ciuitatis in perſonam eius in ſuſpenſo retinentur, (uel
non obrumpuntur). itaq; ſi reuerſus fuerit ab hoſtibus, poterit hæreditatem adire. ſeruus
quoq; eius rectè hæres inſtituitur. & ſi reuerſus ſit ab hoſtibus, poteſt eum iubere adire hæ-
reditatem. ſi uero ibi deceſſerit: qui ei hæres exiſtet, poteſt per ſeruum hæres fieri.

XXXIII. IDEM.

Si QVIS ita ſcripſerit, TITIVS EX PARTE DIMIDIA HAERES ESTO: IDEM TITIVS
EX ALTERA PARTE DIMIDIA, SI NAVIS EX ASIA, VENERIT HAERES ESTO: cum
ex pura inſtitutione hæres adierit (quamuis conditio alterius inſtitutionis pendeat) ex aſſe
D fit hæres, ſcilicet etiam conditione deficiente: cum non proſit ei quidquam conditio exiſtēs.
quippe cum non dubitetur, quin ſi quis ex parte dimidia hæres inſtitutus ſit, nec præterea
quiſquam alius, ipſe ex aſſe hæres inſtitutus eſſe uideatur.

XXXIIII. PAPINIANVS.

Haereditas ex die, uel ad diem nō rectè datur, ſed uicio temporis ſublato manet in-
ſtitutio. XXXV. VLPIANVS.

Ex pacto proponebatur quidam duos hæredes ſcripſiſſe, unum rerum prouincia-
lium, Italicarum rerum alterū. & cum merces in Italiam deuehere ſoleret, & pecuniam de-
miſiſſet in prouinciam ad merces comparandas: eaq; cōparatæ eſſent, uel uiuo eo, uel poſt
mortem, nondum tamen in Italiam deuectæ: quærebatur, merces utrum ad eum pertine-
E rent, qui rerum Italicarum hæres ſcriptus erat, an uero ad eum, qui prouincialium? dicebam
receptum eſſe, rerum hæredem inſtitui poſſe, nec eſſe inutilem inſtitutionem: ſed ita, ut of-
ficio iudicis familiæ erciſcundæ cognoſcentis contineatur, ut amplius nihil is, qui ex re inſti
tutus eſt, quàm rem, ex qua hæres ſcriptus eſt, conſequatur. ita igitur res accipitur. (uerbi
gratia) pone duos eſſe hæredes inſtitutos, unū ex fundo Corneliano, alterū ex fundo Libo-
niano: & fundorum alterū quidem facere dodrantē bonorū, alterum quadrantē. erunt qui-
dem hæredes ex æquis partibus, quaſi ſine partibus inſtituti: ueruntamen officio iudicis
continebitur, ut unicuiq; eorū fundus, qui relictus eſt, adiudicetur uel attribuatur. Vnde
ſcio quæſitū, æris alieni onus pro qua parte agnoſci debeat? & refert Papinianus (cuius ſen-
tentiā ipſe quoq; probaui) pro hæreditarijs partibus eos agnoſcere æs alienū debere. (hoc
eſt pro ſemiſſe.) fundos etenim uice præceptionis accipiendos. quare ſi fortè tantum ſit æs
alienum,

alienum,ut nihil detracto eo super esse possit: consequenter dicemus,institutiones istas ex F
re factas, nullius esse momenti, & si fortè Falcidia interueniens, rescissionem esset legato/
rum factura: hic officium iudicis reddit præceptiones istas: ut non plus quisq; eorum habe
at, quàm esset habiturus, si legatum accepisset, uel aliud (uel etiam præceptiones) quod si
fuerit incertum, an Falcidia interuentura sit: rectissimè probatur, officio iudicis cautiones
esse interponendas. Cum hæc ita sint: (hæc enim institutio, de qua quæritur, non est re/
pellenda) & si alius rerum prouincialium, alius rerum Italicarum hæres scriptus fuerit, offi/
cioq; iudicis attribuentur singulis res, quæ adscriptæ sunt: tamen erunt hæredes ex æquis
partibus, quia nulla pars adscripta est. quæ res facit, ut si fortè in alijs facultatibus plus sit
(in Italicis fortè, quàm in prouincialibus) in alijs minus, & æris alieni ratio urgeat: dici opor G
teat imminutionem eandem fieri, quam suprà ostendimus. proinde & si alijs fuerint lega/
ta relicta, contributio admittenda erit. Rerum autem Italicarum uel prouincialium signi/
ficatione quæ res accipiendæ sint, uidendum est. & facit quidem totum uoluntas defuncti.
nam quid senserit, spectandum est. ueruntamen hoc intelligendum erit: rerũ Italicarum si/
gnificatione eas contineri, quas perpetuò quis ibi habuit, aut ita disposuit, ut perpetuo ha/
beret. cæteroquin si in tempore aliquid transtulit in alium locum, non ut ibi haberet, sed ut
denuo ad pristinum locum reuocaret: neq; augebit, quò transtulit: neq; minuet, unde tran/
stulit. utputà de Italico patrimonio quosdam seruos miserat in prouinciam (fortè Galliam)
ad exigendum debitum, uel ad merces comparandas, recursuros, si comparassent. dubium
non est, quin debeat dici, ad Italicum patrimonium eos pertinere debere: & est apud Mu/ H
rium relatum, cum fundus erat legatus, uel cum instrumento, uel cum his, quæ ibi sunt, aga/
sonem enim missum in uillam à patrefamiliâs, non pertinere ad fundi legatum ait: quia nõ
idcirco illò erat missus, ut ubi esset. proinde si seruus missus fuerit in uillam, interim illic fu/
turus (quia dominum offenderat) quasi ad tempus relegatus: responsum est, eum ad uile
legatum non pertinere. quarè ne serui quidem, qui operari in agro cõsueuerunt, qui in alios
agros reuerterentur, quasi ab alio commodati: in ea sunt conditione, ut ad legatum perti/
neant: quia non ita in agro fuerant, ut ei agro uiderentur destinati. quæ res in proposito
quoq; suggerit, ut Italicarum rerum esse credantur eæ res, quas in Italia esse testator uoluit.
Proinde & si pecuniam miserit in prouinciam ad merces comparandas, & needum com/
paratæ sint: dico pecuniam, quæ idcirco missa est, ut pro ea merces in Italiam adueheren/ I
tur, Italico patrimonio adiungendam. nam & si dedisset in prouincia de pecunijs, quas in
Italia exercebat, ituras & redituras: dicendum est, hanc quoq; Italici patrimonij rationem
esse. igitur effici dixi, ut merces quoq; istæ, quæ comparatæ sunt, ut Romam ueherentur:
siue profectæ sint eo uiuo, siue nondum, & siue scit, siue ignorauit: ad eum hæredem perti/
neant, cui Italicæ res sint adscriptæ.

XXXVI. IDEM.

SI QVIS ita scripserit hæredem, EX QVA PARTE CODICILLIS TITIVM HAERE/
DEM SCRIPSERO, HAERES ESTO: etiam si pars in codicillis non fuerit adscripta:
erit tamen hæres, quasi sine parte institutus.

XXXVII. IVLIANVS. K

CVM in testamento ita scibitur, SI FILIVS MEVS ME VIVO MORIETVR, NEPOS
EX EO POST MORTEM MEAM NATVS, HAERES ESTO: duo gradus hæredum sunt.
nullo enim casu uterq; ad hæreditatem admittitur. ex quo apparet, si nepoti Titius substi/
tutus fuerit, & filius patri hæres exstiterit: non posse Titium unà cum filio hæredem esse:
quia non in primum, sed in secundum gradum substituitur. Hæc uerba, PVBLIVS, MAR
CVS, CAIVS INVICEM SVBSTITVTI HAEREDES MIHI SVNTO: sic interpretanda sunt,
ut breuiter uideatur testator tres instituisse hæredes, & inuicẽ eos substituisse: perinde ac si
ita scripsisset, ILLE, ET ILLE, ET ILLE INSTITVTI HAEREDES ET SVBSTITVTI SVN/
TO. Qui tres filios habebat, & ita scripserat, FILII MEI HAEREDES SVNTO, PVBLIVS
FILIVS MEVS EXHAERES ESTO. uideri potest prima parte duos dũtaxat filios hæredes
instituisse. Qui

A XXXVIII. IDEM.

Qui filio impuberi exhæredato Pamphilum legat: eundem post mortem filij ex parte hæredem instituere eodem modo potest, quo is, qui seruum communem Sempronio legatum, eundem post mortem Sempronij ex parte hæredem instituit. Seruus testamento hæres purè scriptus, liber autem iussus esse, si intra calendas decembres decem dĕdisset: si codicillis purè libertatem acceperit: intra calendas quidem, neque liber, neque hæres erit, nisi decem dĕderit: si intra calendas non dĕderit, liber ex codicillis erit. Si quis seruum suum liberum sub conditione, hæredem purè scripsisset, cumque uendidisset pendente conditione: iussu emptoris seruus adire hæreditatem potest: quia & cōstitit institutio, & est,
B qui ius imperandi habet. quod si post defectam conditionem alienatus fuisset: non potest iussu emptoris hæreditatem adire: quia eo tempore ad eum peruenisset, quo iam exstincta institutio, & inutilis fuerat. igitur cum seruus sub conditione liber esse iubetur, & legatum purè accepit: si pendente conditione manumissus, uel alienatus fuerit: legatum habebit, aut domino adquiret, quamuis mortis tempore conditio libertatis exstincta fuerit: si uero post defectum conditionis manumissus, aut alienatus fuerit: legatum ad irritum recidit. Cum uenditor seruum ante traditionem ab emptore pro parte hæredem scriptum, adire iubet: restituere cohæredi serui necesse habet: quia lucrum facere eius serui, quem iure uendidit, non debet. planè non totum, quod adquisierit, restituet: sed pro ea duntaxat parte, qua seruus cohæredem habuerit: id est, partem dimidiam serui, & quartam hæreditatis. MAR-
C CELLVS libro tricesimo Digestorum notat. imò id debet præstari, quod consequi uenditor non potuisset: si prius, quàm adierit seruus partem hæreditatis, distractus esset. quod est uerum. IVLIANVS. Si paterfamiliàs Titium, quem ingenuum esse credebat, hæredē scripserit: eique, si hæres non esset, Sempronium substituerit: deinde Titius, quia seruus fuerat, iussu domini adierit hæreditatem: potest dici Sempronium in partem hæreditatis admitti. nam qui scit aliquem seruum esse, & eum hæredem scribit, & ita substituit, SI STICHVS HAERES NON ERIT, SEMPRONIVS HAERES ESTO: intelligitur tale quid dicere, si Stichus neque ipse hæres erit, neque alium fecerit. atqui si eum, quem liberum putabat, hæredem scripserit hoc sermone, SI HAERES NON ERIT: nihil aliud intelligitur significare, quàm si hæreditatem uel sibi non adquisierit, uel mutata conditione alium hæredem
D non fecerit. quæ adiectio ad eos pertinet, qui patresfamiliarum hæredes scripti, postea in seruitutem deducti fuerint. igitur in hoc casu duo semisses fient: ita, ut alter semis inter eum, qui dominus instituti hæredis fuit, & substitutum æquis portionibus diuidatur.

XXXIX. POMPONIVS.

Et hoc Tyberius Cæsar constituit in persona Parthemij, qui tanquam ingenuus hæres scriptus, adierat hæreditatem, cum esset Cæsaris seruus. nam diuisa hæreditas est inter Tyberium & eum, qui Parthemio substitutus erat, ut refert, Sextus Pompeius.

XL. IVLIANVS.

Qvi soluendo nō erat, duos Apollonios liberos hæredesque esse iusserat. altero ante apertas tabulas testamenti mortuo, non in eleganter defendi poterit, eū qui superer it, libe-
E rum & solum necessarium hæredem fōre. quod si uterque uiuit: institutionē nullius esse momenti propter legem Æliam Santiam, quæ amplius, quàm unum necessarium hæredem fieri uetat. XLI. PAVLVS.

Invicem enim eos sibi obstare.

XLII. ALPHENVS.

Paterfamiliàs testamento duos hæredes instituerat, eosque monumentum facere iusserat in diebus certis. deinde ita scripserat, QVI EORVM NON ITA FECERIT, OMNES EX HAEREDES SVNTO. alter hæres hæreditatem prætermiserat. reliquus hæres consulebat, cū ipse monumentum exstruxisset, nunquid minus hæres esset ob eam rem, quod cohęres eius hæreditatem non adijsset? respondi. neminem ex alterius facto, neque hæreditati alligari, neque exhæredari posse: sed uti quisque cōditionem implesset, quamuis nemo adijsset præterea, tamen eum hæredem esse. Si mæuia

 F

XLIII. IDEM.

SI MAEVIA MATER MEA ET FVLVIA FILIA MEA VIVET, TVNC MIHI LVCIVS TITIVS HAERES ESTO. Seruius respondit. & si testator filiam nunquam habuerit, mater autem superuixerit: tamen Titium hæredem fore: quia id, quod impossibile in testamento scriptum esset, nullam uim haberet.

XLIIII. AFRICANVS.

QVIDAM cum filiumfamiliâs hæredem instituere uellet, ne ad patrem eius ex hæreditate quidquā perueniret, uoluntatem suam exposuit filio. filius cum patris offensam uereretur, petijt à testatore, ne sub conditione, SI A PATRE EMANCIPATVS ESSET, hæredē eum institueret: & impetrauit ab eo, ut amicum suum hæredem institueret. atq; ita testamēto amicus filij, ignotus testatori, hæres institutus est: nec quidquā ab eo petitum est. quærebatur, si ille amicus aut adire nollet, aut aditā hæreditatē nollet restituere: an fidei cōmissum ab eo peti posset, aut aliqua actio aduersus eum esset? & utrū patri, an filio cōpeteret? respondi, etiam si manifestum sit, scriptum hæredem fidem suam interposuisse: non tamen aliter ab eo fidei commissum peti posse, quàm si & ipsum testatorem fidem eius secutum esse probaretur. si tamen cum à filiofamiliâs togaretur amicus, & aditurum se hæreditatem recepisset, & restituturum patrifamiliâs facto: non absurdè dici posse, mandati actionem futuram, & eam actionem patri inutilem fore: quia non sit ex bona fide, id ei restitui, quod testator ad eum peruenire noluerit. sed nec filio uulgarem competituram, uerū utilē: sicuti dare placeret ei, qui cū filiusfamiliâs esset, pro aliquo fideiussisset, ac paterfamiliâs factus soluisset. G H

XLV. IDEM.

SI ITA scriptū fuerit, TITIVS, IMO SEIVS HAERES ESTO. Seium solū hæredē fore respondit. sed & si ita, TITIVS HAERES ESTO, IMO SEIVS HAERES ESTO: idem erit dicendum. Quidā testamento ita hæredes instituit, TITIA FILIA MEA HAERES ESTO. SI QVID MIHI LIBERORVM ME VIVO MORTVO VE NASCETVR: TVNC QVI VIRILIS SEXVS VNVS PLVRES VE NASCENTVR, EX PARTE DIMIDIA ET QVARTA: QVAE FOEMININI SEXVS VNA PLVRES VE NATAE ERVNT, EX QVARTA PARTE MIHI HAEREDES SVNTO. posthumus ei natus est. consulebať, ex quota parte posthumus hęres esset? respondit, eam hæreditatem in septem partes distribuendam. ex his filiam quatuor, posthumum tres habiturū: quia filiæ totus as, posthumo dodrans datus esset: ut quartam portionem amplius filia, quā posthumus, ferre debeat. Ideo si posthuma quoq; nata esset: tantūdem sola filia, quantum uterq; posthumorum, habiturus esset. itaq; in proposito cum as filiæ, dodrans posthumo sit datus: uigintiunam partes fieri: ut filia duodecim, nouem filius habeat. In testamento ita scriptum est. LVCIVS TITIVS EX DVABVS VNCIIS, CAIVS ATTIVS EX PARTE VNA, MAEVIVS EX PARTE VNA, SEIVS EX PARTIBVS DVABVS HAEREDES MIHI SVNTO. consulebatur, quid iuris esset? respondit. hanc scripturam illam interpretationem accipere posse: ut Lucius Titius duas uncias habeat, cæteri autem quasi sine partibus instituti, ex reliquo dextante hæredes sint. quē dextantem ita diuidi oporteat, ut Seius quincuncem, Attius & Mæuius alterum quincuncem habeant. I

XLVI. MARCIANVS. K

HIS VERBIS, TITIVS HAEREDITATIS MEAE DOMINVS ESTO, rectè institutio fit. Illa institutio ualet, FILIVS MEVS IMPIISSIMVS MALE DE ME MERITVS, HAERES ESTO. purè enim hæres instituitur, licet cum maledicto: & omnes huiusmodi institutiones receptæ sunt. Interdum nec cū libertate utiliter seruus à domina hæres instituitur, ut constitutione diuorum Seueri & Antonini significatur, cuius uerba hæc sunt. Seruum adulterij accusatum, non iure testamento manumissum ante sententiam ab ea muliere uideri, quę rea fuerat eiusdem criminis postulata, rationis est. Quarè sequitur, ut in eundem à domina collata institutio, nihil momenti habeat. Si in patre, uel patria, uel alia simili adsumptione falsum scriptum est: dum de eo, qui demonstratus sit, constet: institutio ualet.

XLVII. FLORENTINVS.

Si alie-

A Si alienum seruum liberum & hæredem esse iussi,& is postea meus effectus est: neutrū ualet:quia libertas alieno seruo inutiliter data est. In extraneis hęredibus illud obseruatur,ut sit cum eis testamenti factio:siue ipsi hæredes instituantur,siue hi,qui in potestate eorum sunt.& id tribus temporibus inspicitur.testamenti facti,ut constiterit institutio:& mortis testatoris,ut effectum habeat.hoc amplius,& cum addit hæreditatem,esse debet cum eo testamenti factio:siue purè,siue sub conditione hæres institutus sit.nam ius hæredis eo uel maximè tempore inspiciendum est,quo adquirit hæreditatem:medio autem tempore,inter factum testamentum,& mortem testatoris,uel conditionem institutionis existentem; mutatio iuris hæredi non nocet:quia(ut dixi)tria tantum tempora inspicimus.

B XLVIII. VLPIANVS.

Seruum meum hæredem institutum cum libertate,si uiuus uendidero ei, cum quo testamenti factio non est,posteaq; eum redemero:ex testamento mihi hæres esse poterit.nec medium tempus,quo apud eum fuerit,uiciauit institutionem:quia uerum est,utroq; tempore tam testamenti faciendi, quàm mortis meum fuisse.unde si apud eum remanserit,uiciatur institutio:uel si cum eo testamenti factio est,iussu eius adeundo,adquiret ei hæreditatem. Si in non faciendo impossibilis conditio institutione hæredis sit expressa:secundū omnium sententiam,perinde hæres erit,ac si purè institutus esset. Hæreditas plerunque diuiditur in duodecim uncias,quæ assis appellatione continetur.habent autem & hæ partes propria nomina ab uncia usq; ad assem hæc:sextās,quadrans,triens,quincunx,semis,septunx,bes,dodrans,dextans,deunx.

C XLIX. MARTIANVS.

Talem institutionem quidam ualere non putabant, STICHVS LIBER ESTO. ET SI LIBER ERIT, HAERES ESTO. Sed diuus Marcus rescripsit,hanc institutionem ualere perinde,ac si non esset adiectum, SI LIBER ERIT. Si quis ita scripserit, STICHVS, SI MEVS ERIT, CVM MORIAR, LIBER ET HAERES ESTO:alienatus nō poterit iussu emptoris adire hæreditatem:quamuis,& si non erat hoc expressum,non aliàs liber & hæres fieri poterat,quàm si mãsisset eius.sed si uiuus eum manumiserit: Celsus libro decimosexto Digestorum scribit,fieri hunc hæredem.non enim hunc casum testatorē uoluisse excludere, palàm est.neq; uerba omnino repugnant.nam quamuis seruus eius non est,at certè libertus est.

D L. PAVLVS.

Seruus hæreditarius hæres institui potest:si modo testamenti factio fuit cum defuncto,licet cum hærede instituto non sit.

LI. MARCELLVS.

Lucius Titius Seio & Sempronio ex semissibus hæredibus institutis,& cæteris exhęredatis,inuicē hæredes substituit.deinde legata & libertates dēdit.postea ita subiecit. CORNELIVS, ET SALVSTIVS, ET VARRO AEQVIS PARTIBVS HAEREDES SVNTO, QVOS INVICEM SVBSTITVO.quæro quantum uel priores duo ex semissibus instituti,uel posteriores habere debeant. Marcellus respondit.in obscuro esse, Cornelium,& Salustium, & Varronem primo,an secundo,uel tertio gradu hæredes instituere uoluerit.sed secundum

E scripturam testamenti,quæ proponeretur,alterum assem eis datum uideri.

LII. NERATIVS.

Pater filio impuberi seruum hæredem substituit,liberumq; esse iussit.eum pupillus uendidit Titio.Titius cum iam primo testamēto facto,in secundo testamento liberum hęredemq; esse iussit.superius testamentum Titij ruptum est:quia is seruus ei hæres esse potest.& ut superius testamentum rumpatur,sufficit ita posterius factum esse,ut aliquo casu potuerit ex eo hæres existere.quod ad uim autē eius institutionis pertinet,ita se res habet: ut quamdiu pupillo ex ea substitutione hæres potest esse,ex Titij testamento libertatē hæreditatemq; consequi non possit.si uero pupillus in suam tutelam peruenerit:perinde ex Titij testamento liber hæresq; fit,ac si pupillo substitutus non fuisset.sed si pupillo hæres extitit:propius est,ut Titio quoq;(si uelit)hæres esse possit.

LIII. PAVLVS.

Si is,qui soluendo non est,primo loco Stichum,secundo eum,cui ex fideicommissi caussa libertatem debet,liberum & hæredem instituerit: Neratius secundo loco hæredem scriptum fore ait:quia non uideatur creditorum fraudandorum caussa manumissus. F

LIIII. IDEM.

Potest quis ita hæredem instituere,SI INTRA ANNVM SEPTVAGESIMVM DECESSERO:ILLE MIHI HAERES ESTO.non enim pro parte testatus intelligi debet,sed sub conditione instituisse.

LV. IDEM.

Si is,qui soluendo non est,seruum cum libertate hæredem instituerit,& liberum substituerit:antè incipiendum erit à substituto.lex enim Aelia Sentia ita demum ei, qui in fraudem creditorum hæres institutus est,conseruat libertatem:si nemo alius ex eo testamento hæres esse potest. G

LVI. IDEM.

Nemo dubitat,rectè ita hæredem nuncupari posse,HIC MIHI HAERES ESTO:cum sit coram,qui ostenditur. Qui frater non est,si fraterna charitate diligitur,rectè cum suo nomine sub appellatione fratris hæres instituitur.

LVII. CELSVS.

Si liber homo,cum tibi seruiret,hæres institutus iussu tuo adijt. Trebatius,esse eum hæredem: Labeo,tunc non esse hæredem,si necessitate id fecit,non quod alioquin uellet obligari. Si quis ita hæredem instituerit,TITIVS QVA EX PARTE MIHI SOCIVS EST IN VECTIGALI SALINARVM,PRO EA PARTE MIHI HAERES ESTO:quidam putant, si asse descripto,id adiectum sit:ut maximè socius fuerit,Titium non esse hæredem.sed si qua pars uacua relicta fuerit: ex ea hæredem eum esse.quod totum & ineptum & uitiosum est. quid enim uetat,asse descripto utiliter Titium ex parte fortè quartæ,ex qua socius erat,hæredem institutũ esse? TITIVS HAERES ESTO,SEIVS ET MAEVIVS HAEREDES SVNTO.uerum est,quod Proculo placet:duos semisses esse,quorum alter coniunctim duobus datur. Cum quis ex institutis,qui cum aliquo coniunctim institutus sit, hæres non est: pars eius omnibus proportionibus hæreditarijs adcrescit.neq; refert,primo loco quis institutus,an alicui substitutus hæres sit. Si hæres institutus scribendi testamenti tempore ciuis Romanus fuit,deinde ei aqua & igni interdictum est:hæres fit,si intra illud tempus, quo testator decessit,redierit:aut si sub conditione hæres institutus est,quo tempore conditio exstitit.idem & in legatis,& in bonorum possessionibus. TITIVS EX SEMISSE HAERES ESTO,SEIVS EX QVADRANTE HAERES ESTO. SI TITIVS IN CAPITOLIVM ASCENDERIT,EX ALIO QVADRANTE HAERES ESTO.ante quàm capitolium ascendat,si pro hærede gerat,ex semisse:si capitolium ascendat,ex quadrante hæres erit:nec erit ei necesse pro hærede gerere,quippe iam hæredi. Si ita scriptum fuerit, TITIVS EX PARTE TERTIA,MAEVIVS EX PARTE TERTIA HAEREDES SVNTO.TITIVS,SI INTRA TERTIAS CALENDAS NAVIS EX ASIA VENERIT EX RELIQVA PARTE HAERES ESTO: uideamus,ne Titius statim ex semisse hæres sit.nam duo hæredes instituti sunt.sed Titius aut ex semisse,aut ex besse ita sextans utiq; erit in pendenti.& si conditio exstiterit, ex besse hęres erit:si non exstiterit,ille sextãs Mæuio adcrescet.sed si decesserit Titius antè,quàm cõditio existat,deinde conditio exstiterit:tum ille sextans non Titij hæredi,sed Mæuio adcrescet.nam cum adhuc dubium esset,Titio,an Mæuio is sextans datus esset,Titius decessit: nec potest intelligi datus ei,qui tempore dandi in rerum natura non fuit. Si Attius Titium & Mæuium & Seium æquis partibus hæredes instituit, & Titius interim solus adijt hæreditatem,& Seium hæredem instituit:poterit Seius Titij hæreditatem adire,Attij uel adire,uel omittere.sed Attio,antequàm adeat uel omittat eius hæreditatem,ex semisse hæres erit.si adierit Seius Attij hæreditatem:Titius ex triente duntaxat hæres erit,& per hæreditatem Titij triens duntaxat ad Seium perueniet: alterum trientem ex sua institutione ha- H I K

A ne habebit. quid ergo, si ab Attio Titius & Seius hæredes instituti sint, Titius adierit hæreditatem, Titio Seius hæres exstiterit: potest 'ne Attij hæreditatem omittere? an necessariò ei ex asse est hæres, quippe cum alius nemo hæres institutus est? quoniam & ipse ex aliqua parte iam hæres est: perinde est, quasi unus hæres per Attium institutus sit.

LVIII. CELSVS.

QVI soluendo non erat, seruum primo loco, & alterum seruum secundo loco hæredes scripsit. solus is, qui primo loco scriptus est, hæreditatem capit. nam lege Aelia Santia ita cauetur, ut si duo pluresue ex eadem caussa hæredes scripti sint, uti quisque primus scriptus est, hæres sit.

B

LIX. MODESTINVS.

QVI uolebat filiam exhæredare, sic testamento comprehendit. TE AVTEM FILIAM IDEO EXHAEREDAVI, QVONIAM CONTENTAM TE ESSE DOTE VOLVI. quæro, an efficaciter exhæredata sit? Modestinus respondit. nihil proponi, cur nō esset uoluntate testatoris exhæredata.

LX. IDEM.

IN tempus capiendæ hæreditatis institui hæredem posse, beneuolentiæ est: ueluti LVCIVS TITIVS, CVM CAPERE POTVERIT, HAERES ESTO. idem & in legato. Quoties nō apparet, quis hæres institutus sit: institutio non ualet. quod planè euenire potest, si testator complures amicos eodem nomine habeat, & ad designationem nominis singulari nomine
C utatur. nisi ex alijs apertissimis probationibus fuerit reuelatum, de qua persona testator senserit.

LXI. IABOLENVS.

HAEREDES sine partibus, utrum coniunctim, an separatim scribantur, hoc interest: quod si quis ex coniunctis decesserit, hoc non ad omnes, sed ad reliquos, qui coniuncti erant, pertinet. sin autem ex separatis: ad omnes, qui testamento eodem scripti sunt hæredes, portio eius pertinet.

LXII. IDEM.

EIVS seruum, qui post mortem meam natus erit, hæredem institui posse, Labeo frequenter scribit. idq́ uerum esse manifesto argumento comprobatur: quia seruus hæreditarius, prius quàm adeatur hæreditas, institui hæres potest: quamuis iste testamenti facti
D tempore nullius sit.

LXIII. IDEM.

HAEREDITAS ad Statium Primum nullo iure pertinet, cum institutus hæres non sit: nec quidquam ei prodest, quod ab eo aliquid legatum est, aut libertus ei defuncti testamento commendatus est, ex quo si manumissus non est, seruus est.

LXIIII. POMPONIVS.

SI ita quis hæredes instituerit, TITIVS HAERES ESTO, CAIVS ET MAEVIVS EX AEQVIS PARTIBVS HAEREDES SVNTO: quamuis ET syllaba coniunctionem faciat: si quis tamen ex his decedat, non alteri soli pars adcrescit, sed omnibus hæredibus pro hæreditarijs portionibus: quia non tam coniunxisse, quàm celerius dixisse uidetur.

E

LXV. IDEM.

SI ita scriptū fuerit, TITHASVS, SI IN CAPITOLIVM ASCENDERIT, HAERES ESTO. TITHASVS HAERES ESTO, secunda scriptura potior erit. plenior est enim, quàm prior.

LXVI. IDEM.

SI quis Sempronium hęredem instituerit sub hac conditione, SI TITIVS IN CAPITOLIVM ASCENDERIT: quamuis non aliàs hæres esse possit Sempronius, nisi Titius ascendisset in capitolium, & hoc ipsum in potestate sit repositum Titij: quia tamen scriptura non est expressa uoluntas Titij, erit utilis ea institutio. at quin si quis ita scripserit, SI TITIVS VOLVERIT, SEMPRONIVS HAERES ESTO: non ualet institutio. quædam enim in testamentis si exprimantur, nullum effectum habent: quando si uerbis tegantur, licet eandem significationem habeant, quam haberent expressa: momentum tamen aliquod habeant.

sic enim filij exhæredatio cum eo ualet, si quis hæres exiſtat: & tamen nemo dubitat, quin si F
ita aliquis filium exhæredauerit, TITIVS HAERES ESTO: ET CVM HAERES ERIT TITI-
VS, FILIVS EXHAERES ESTO: nullius momenti ſit exhæredatio.

LXVII. PROCVLVS.

CORNELIVS ET MAEVIVS. VTER EORVM VOLET, HAERES ESTO. uterq; uult. Tre-
batius neutrum fore hæredem, Caſſilius utrunq;, tu cui adſentiris? PROCVLVS. Caſſilio
adſentior. & illam adiectionem, VTER EORVM VOLET, ſuperuacuam puto. id enim, etiam
ea non adiecta, futurum erat: ut uter uellet, hæres eſſet: & uter nollet, hæres non eſſet. quod
si hi ex numero neceſſariorum hęredum eſſent: tum id non fruſtra adiectum eſſe: & non ſo-
lum figuram, ſed uim quoq; conditionis continere. diceremus tamen, ſi uterq; hæres eſſe uel- G
let, utrunq; hæredem eſſe.

LXVIII. PAPINIANVS.

CAPTATORIAS inſtitutiones non eas ſenatus improbauit, quæ mutuis affectionibus iu-
dicia prouocauerunt, ſed quarum conditio confertur ad ſecretum alienæ uoluntatis.

LXIX. PAVLVS.

ILLAE autem inſtitutiones captatoriæ non ſunt: ueluti ſi quis ita hæredem inſtituat,
QVA EX PARTE TITIVS ME HAEREDEM INSTITVIT, EX EA PARTE MAEVIVS HAE-
RES ESTO: quia in præteritum, non in futurum inſtitutio collata eſt. ſed illud quæri poteſt,
an quod ſenatus cenſuit, idem ſeruandum ſit, etiam ſi in aliam perſonam captionem direxe-
rit: ueluti ſi ita ſcripſerit, SI TITIVS MAEVIVM TABVLIS TESTAMENTI SVI HAERE- H
DEM A SE SCRIPTVM OSTENDERIT, PROBAVERIT QVE, HAERES ESTO. quod in
ſententiam ſenatuſconſulti incidere, non eſt dubium.

LXX. TERENTIVS.

SI QVIS ſolidum à lege capere non poſſit, & ex aſſe ſit inſtitutus ab eo, qui ſoluendo
non eſt: Iulianus ex aſſe eum eſſe hæredem reſpondit. legi. enim locum non eſſe in ea hære-
ditate, quæ ſoluendo non eſt.

LXXI. CAIVS.

SVB conditione hærede inſtituto, ſi ſubſtituamus: niſi eádem conditionem repetemus,
purè eum hæredem ſubſtituere, intelligemur.

LXXII. LICINIVS RVFINVS. I

SI quis ita hæres inſtitutus fuerit, EXCEPTO FVNDO, EXCEPTO VSVFRVCTV, HAE-
RES ESTO: perinde erit iure ciuili, atq; ſi ſine ea re hæres inſtitutus eſſet: idq; authoritate
Galli Aquilij factum eſt.

LXXIII. PAPINIANVS.

SI filius ſubſtituatur ei, à quo præteritus eſt: non ut inteſtati patris, ſed ex teſtamento
habebit hæreditatem: quoniam & quolibet alio ſubſtituto, ſi fuiſſet ab eo exhæredatus, in-
de teſtamentum inciperet, ubi filius eſſet exhæredatus.

LXXIIII. IDEM.

SERUUS uxori à marito mortis cauſſa donatus, mariti manet, ut Iuliano quoq; uidetur.
Vnde ſi accipiat libertatē ſimul & hæreditatem, uiro neceſſarius hęres erit: nec ſine liberta- K
te aliquid ei legari poteſt.

LXXV. IDEM.

ASSE toto non diſtributo, ita ſcriptum eſt: QVEM HAEREDEM CODICILLIS FECE-
RO, HAERES ESTO. Titium codicillis hæredem inſtituit. eius quidem inſtitutio ualet ideo,
quod (licet codicillis dari hæreditas non poſſit) tamen hæc teſtamēto data uideatur. ſed hic
tantum ex hæreditate habebit, quantum ex aſſe reſiduum manſit.

LXXVI. IDEM.

QVI non militabat, bonorum maternorum, quæ in Pannonia poſſidebat, libertum hæ-
redem inſtituit: paternorum, quæ habebat in Syria, Titium. iure ſemiſſes ambos habere cō-
ſtitit.

A stitit. sed arbitrum diuidendæ hæreditatis supremam uoluntatem (factis adiudicationibus, & interpositis propter actiones cautionibus) sequi, soluta Falcidia: scilicet ut quod uice mutua præstatur, doli ratione quadranti retinendo cõpensetur. Lucio Titio ex duabus partibus, Publio Mæuio ex quadrante scriptis hęredibus: assem in dodrantem esse diuisum respondi. modum enim duarum partium ex quadrante declarari. quod ueteres numis Titio legatis, numorum specie non demonstrata, cæterorum legatorum cõtẽplatione receperũt.

Filijs hæredibus ex æquis partibus institutis, ac postea fratris filio pro duabus uncijs: unum assem inter omnes uideri factum placuit, & ex eo decem uncias filios accepisse. tunc enim ex altero asse portionem intelligi relictam, cum asse nominatim dato, uel duodecim B uncijs distributis, residua portio non inuenitur. Nihil autem interest, quo loco sine portione quis hæres instituatur, quo magis assis residuum accepisse uideatur. Seius Mæuium ex parte, quam per leges capere potuit, hæredem instituit: ex reliqua Titium. Si Mæuius solidum capere poterit, Titius adiectus aut substitutus hæres non erit.

LXXVII. IDEM.

QVOD si non sit reliqui facta mentio: tantundem in altero asse habebit Titius, quantum Mæuius in primo.

LXXVIII. IDEM.

QVOD si Mæuius nullius capax sit: in totum substitutus admittitur.

LXXIX. PAVLVS.

C CLEMENS patronus testamẽto cauerat, ut si sibi natus filius fuisset, hæres esset: si duo filij, ex æquis partibus hæredes essent: & si duæ filiæ, similiter: si filius & filia, filio duas partes, filiæ tertiam dederat. duobus filijs & filia natis: quærebatur, quemadmodum in proposita specie partes faciemus? Cum filij debeant pares esse, uel etiam singuli duplo plus, quam soror accipere: quinque igitur partes fieri oportet, ut ex his binas masculi, unam fœmina accipiat. Si ita scripserit testator, QVANTA EX PARTE ME A TITIO HAEREDEM INSTITVTVM RECITASSEM, EX EA PARTE SEMPRONIVS MIHI HAERES ESTO: non est captatoria institutio. planè nullo recitato testamento ab ipso testatore, inanis uidebitur institutio, & remota suspitione captatoriæ institutionis.

LXXX. SCAEVOLA.

D SI QVIS ita hæres instituatur, SI LEGITIMVS HAERES VINDICARE NOLIT HAEREDITATEM MEAM: puto deficere conditionem testamenti, illo uindicante.

LXXXI. IDEM.

SI NON lex Aelia Sentia, sed alia lex, uel senatusconsultum, aut etiam constitutio serui libertatem impediat: is necessarius fieri non potest, etiam si non sit soluẽdo testator. Tẽporibus diui Hadriani senatus censuit: si testator, qui cum moreretur, soluendo non fuit, duobus pluribusue libertatem dederit, eique hæreditatem restitui iusserit, & institutus hæres suspectam sibi hæreditatem dixerit: ut adire eam cogatur, & ad libertatem perueniat, qui priore loco scriptus fuerit, eique hęreditas restituatur. idem seruandum & in his, quibus per fideicommissum libertas data fuit. igitur si primo loco scriptus desideret adire hæredita E tem: nulla difficultas erit. nam si posteriores quoque liberos se esse dicent, & restitui hæreditatem desiderent: an soluendo sit hæreditas, & omnibus liberis factis restitui debeat, apud prætorem quæretur absente autem primo, sequens desiderans adire hæreditatem, non est audiendus: quia si primus uelit sibi restitui hæreditatem, præferendus est, & hic seruus futurus est.

LXXXII. PAVLVS.

SI SERVO fidei commissaria libertas data esset, deinde hæres hunc eundem seruum cũ libertate hæredem reliquisset: quæsitũ est, an necessarius fiat hæres? & humanius est, & magis æquitatis ratione subnixum, non fieri necessarium. qui enim etiam inuito defuncto poterat libertatem extorquere: is liber esse iussus. non magnum uidetur beneficium à defuncto consequi: imò nihil commodi sensisse, sed magis debitam sibi accepisse libertatem. idẽ probandum erit & in illo seruo, quem testator ea lege emerat, ut manumitteret: si hæres fue

rit inſtitutus.nam & hic,ſepoſito beneficio teſtatoris,proprio iure poterit ad libertatẽ per- e
uenire ex conſtitutione diui Marci.idem & in eo,qui propria ſua data pecunia emptus eſt ab aliquo.nam & hic poterit ab ipſo teſtatore libertatem extorquere.

LXXXIII. SCAEVOLA.

LVCIVS Titius,qui fratrem habebat,teſtamento ita cauit: TITIVS FRATER MEVS EX ASSE MIHI HAERES ESTO.SI MIHI TITIVS HAERES ESSE NOLVERIT, AVT (QVOD ABOMINOR)PRIVS MORIETVR,QVAM MEAM HAEREDITATEM ADIERIT AVT FILIVM FILIAMVE EX SE NATVM NATAMVE NON HABVERIT:TVNC STICHVS ET PAMPHILVS SERVI MEI LIBERI ET HAEREDES MIHI AEQVIS PARTIBVS SVNTO.quæro,cum Titius hæreditatem adierit,& liberos additæ hæreditatis tempore nõ g
habuerit:an Stichus & Pamphilus ex ſubſtitutione liberi & hæredes eſſe poſſint?item quęro,ſi ex ſubſtitutione,neq; liberi,neq; hæredes eſſe poſſint,an in partem hæreditatis uideantur adiecti?reſpondi.apparet quidem non eam mentem teſtatoris fuiſſe,ut quenquã hæredem adhiberet fratri,quem apertè ex aſſe hæredem inſtituiſſet.igitur ſi frater adijt:Stichus & Pamphilus hæredes non erunt: quod eos amplius noluerit hæredes eſſe,ſi frater prius,quàm hæreditatem adiret,deceſſiſſet,liberis relictis.nam prudens conſilium teſtantis animaduertitur.non enim fratrem ſolum hęredem prætulit ſubſtitutis,ſed etiam eius liberos.

LXXXIIII. MARCELLVS.

IAM dubitari nõ poteſt,ſuos quoq; hæredes ſub hac cõditione inſtitui poſſe,ut ſi uoluiſſent,hæredes eſſent.ſi hæredes nõ eſſent:aliũ,quẽ uiſum eſſet,eis ſubſtituerent. negatumq; h
hoc caſu,neceſſe eſſe ſub cõtraria cõditione filiũ exhæredare:primo quidẽ, quia tunc tantũ id exigeretur,cũ in poteſtate eius nõ eſſet,an patri hęres exiſteret, expectando extrinſecus poſitę cõditionis euentũ.deinde quod & ſi quacunq; poſita cõditione deberet filius ſub contraria conditione exhæredari:in propoſito ne poſſibilis quidẽ reperiri poſſet.certè ſi uerbis exprimeretur,inepta fieret.huic enim cõditioni,SI VOLET,HAERES ESTO:quæ alia uerba contraria cõcipi poſſunt,quàm hæc,SI NOLET HAERES ESSE, EXHAERES ESTO? quod quàm ſit ridiculũ,nulli non patet. Non ab re aũt hoc loco,uelut exceſſus,hic ſubiungetur: ſuis hæredibus ita inſtitutis,(ſi uoluerint hęredes eſſe)non permittendũ amplius abſtinere ſe hæreditate:cũ ea cõditione inſtituti,iã non ut neceſſarij,ſed ſua ſpõte hæredes exſtiterint. ſed & cęteris cõditionibus,quę in ipſorũ ſunt poteſtate,ſi ſui pareant:ius abſtinẽdi adſequi i
non debent.

LXXXV. HERMOGENIANVS.

EX VNCIJS ſex primo hærede inſtituto,ſecundo ex octo:ſi tertius ex reſidua parte,uel nulla portionis facta mẽtione hæres inſtituatur.quinq; uncias hęreditatis tertius habebit. in uigintiquatuor etenim partes hæreditate diſtributa,tertio ratio calculi (ueluti ex decem partibus inſtituto)quinq; uncias adſignauit.

LXXXVI. CAIVS.

ET QVI ſoluendo non eſt,aliquo caſu euenit,ut etiam ſi ſeruus cum libertate hęres exiſtat,prætcrea tamen alius hæres adijciatur:ueluti ſi ſeruo cum libertate hęrede inſtituto,adiectum ſit,SI MIHI STICHVS HAERES ERIT,TVNC TITIVS QVOQVE HAERES ESTO. nam Titius,antè quàm Stichus ex teſtamento hæres exſtiterit,hæres eſſe non poteſt. cum k
aũt ſemel hæres exſtiterit ſeruus:nõ poteſt adiectus efficere,ut qui ſemel hæres exſtitit,deſinat eſſe hæres.

LXXXVII. PAVLVS.

SI ſocius hæres inſtitutus ſit ex aſſe,& ſeruo communi lẽgetur purè ſine libertate: hoc legatum non conſtitit.planè ſub conditione ei utiliter & ſine libertate legabitur: quoniam & proprio ſeruo ab hærede rectè ſub conditione legatur.quarè etiam hæres inſtitui ſine libertate,ut alienus,ſocio hærede ſcripto poterit:quia & proprius cum domino hæres inſtitui poterit.

LXXXVIII. TRIPHONINVS.

TESTAMENTO domini ſeruus ſub conditione cum libertate hæres inſtitutus, pendente adhuc conditione,necem domini detexit,eumq; prætor mereri libertatem decreuit.& ſi poſtea conditio teſtamenti exſtiterit:aliunde liber eſt,id eſt ex præmio,non ex teſtamento.

igitur

a igitur non est necessarius domino hæres.licet autem ei uolenti adire.

LXXXIX. PAVLVS.

IMPERATOREM litis caussa hæredem institui,inuidiosum est.nec enim calumniæ facultatem ex principali maiestate capi oportet.

XC. IDEM *imperialium sententiarum in cognitionibus prolatarum ex libris sex primo:seu Decretorum secundo.*

TACTVMEIUS Androsthenes Tactumeiam Magnam filiam Tactumeij Magni ex asse hæredem instituerat,eiq; patrem eius substituerat. Tactumeio Magno occiso,& rumore perlato,quasi filia quoq; eius mortua:mutauit testamentum, Nouiumq; Rufum hæredem instituit hac præfatione. QVIA HAEREDES, QVOS VOLVI MIHI CONTINGERE, HABERE NON POTVI, NOVIVS RVFVS HAERES ESTO. Tactumeia Magna supplicauit Imperatores nostros: & cognitione suscepta(licet modus institutionibus cōtineretur)quia tamē falsus rumor non solet obesse,ex uoluntate testatoris putauit Imperator ei subueniendum. igitur pronūciauit hæreditatem ad Tactumeiam Magnam pertinere:sed legata ex posteriore testamento eam præstare debere, perinde,ac si in posterioribus tabulis ipsa fuisset hæres scripta.

DE VVLGARI ET PVPILLARI SVBstitutione. TIT. VI.

I. MODESTINVS.



HAEREDES aut instituti dicūtur,aut substituti.instituti primo gradu,substituti secundo uel tertio. hæredis institutio aut duplex est,aut simplex. simplex, ueluti LVCIVS TITIVS HAERES ESTO. SI MIHI LVCIVS TITIVS HAERES NON ERIT: TVNC CAIVS SEIVS HAERES ESTO. duplex ueluti FILIVS MIHI HAERES ESTO. SI HAERES NON ERIT, SIVE ERIT, ET INTRA PVBERTATEM DECESSERIT: TVNC CAIVS SEIVS HAERES ESTO. Substituere liberis tam hæredibus institutis,quàm exhæredatis possumus:& tam eum,quem hæredem nobis instituimus,quàm alterum. Substituere liberis pater non potest,nisi si hæredem sibi instituerit,nam sine hæredis institutione nihil in testamento scriptum ualet.

II. VLPIANVS.

MORIBVS introductum est,ut quis liberis impuberibus testamentum facere possit, donec masculi ad quatuordecim annos perueniant,fœminæ ad duodecim. quod sic erit accipiendum,si sint in potestate.cæterum emancipatis non possumus. planè posthumis possumus. nepotibus etiam possumus,& deinceps, si qui non recasuri sunt in patris potestate. Sed si eos pater præcedat:ita demum substitui eis potest,si hæredes instituti sint, uel exhæredati. ita enim post legem Velleam succedendo,non rumpunt testamentum. nam si principale testamentum ruptum sit,& pupillare euanuit. sed & si extraneum quis impuberem hæredem scripserit,poterit ei substituere:si modo eum in locum nepotis adoptauerit,uel adrogauerit filio præcedente. Quisquis autem impuberi testamentum facit, sibi quoque debet facere. cæterum soli filio non poterit,nisi forte miles sit. adeo autem, nisi sibi quoque fecerit,non ualet:ut nisi adita quoque patris hæreditas sit, pupillare testamentum euanescat. Planè si omissa caussa principalis testamenti,ab intestato possideatur hæreditas: dicendum est,& pupillo substitutum seruandum. Interdum etiam pupillaris testamenti caussa compellendum hæredem institutum adire hæreditatem,ut ex secundis tabulis fideicommissum conualescat:utputà si iam pupillus decessit. cæterum si adhuc uiuat: improbum esse Iulianus existimat eum, qui sollicitus sit de uiui hæreditate. Ergo etiam si minor uigintiquinque annis adeundæ hæreditatis caussa fuerit restitutus: puto proficere secundis tabulis,ut prætor utiles actiones decernat substituto. Prius autem sibi quis debet hæredem scribere, deinde filio substituere, & non conuertere ordinem scripturæ. & hoc Iulianus quoque putat. cæterum si ante filio, deinde sibi testamentum faciat

nõn ualere. quæ sententia rescripto Imperatoris nostri ad Virium Lupum Britaniæ præsidem comprobata est. & meritò. constat enim unum esse testamentum, licet duæ sint hæreditates: usq; adeo, ut quos quis sibi facit necessarios, eosdem etiam filio faciat: & posthumum suum filio impuberi pôssit quis substituere. Sed si quis ita fuerit testatus, SI FILIVS MEVS INTRA DECIMVMQVARTVM ANNVM DECESSERIT, SEIVS HAERES ESTO, & deinde, FILIVS HAERES ESTO: ualet substitutio, licet conuersa scriptura filij testamentũ fecerit. Sed & si ita scripserit, SI FILIVS MEVS MIHI HAERES NON ERIT, SEIVS HAERES ESTO, FILIVS HAERES ESTO: secundo quidẽ gradu Seius scriptus est hæres, & si filius hęres nõ exstiterit, procul dubio Seius ei hæres erit. sed & si exstiterit filius hæres, & intra pubertatẽ defunctus est, Seius admittẽdus rectè uidetur: ut non ordo scripturæ, sed ordo successionis spectetur. Quod igitur dictum est, singulis liberorum substituere licere: ideo adiectum est, ut declaretur, non esse à filij impuberis testamento incipiendum.

III. MODESTINVS.

CVM filio impuberi pater ita substituerit, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, IDEM FILIO INPVBERI HAERES ESTO: placuit, ad hanc substitutionem scriptos tãtummodo admitti. itaq; dominus, cui per seruum hęreditatis portio quæsita fuit: ex substitutione impuberis hæres effici non poterit, si seruus ab eius exierit potestate.

IIII. IDEM.

IAM hoc iure utimur ex diui Marci & Veri constitutione: ut cum pater impuberi filio in alterum casum substituit, in utrunq; casum substituisse intelligatur: siue filius hęres non exstiterit, siue exstiterit, & impubes decesserit. Quod ius ad tertium quoq; genus substitutionis tractum esse uidetur. nam si pater duos filios impuberes hæredes instituat, eosq; inuicem substituat: in utrunq; casum reciprocam substitutionem factam uideri, diuus Pius constituit. Sed si alter pubes, alter impubes, hoc communi uerbo EOSQVE INVICEM SVBSTITVO sibi fuerint substituti: in uulgarem tantummodo casum factam uideri substitutionem, Seuerus & Antoninus constituit. incongruens enim uidebatur, ut in altero duplex esset substitutio, in altero sola uulgaris. Hoc itaq; casu singulis separatim substituere pater debebit: ut si pubes hæres non exstiterit, impubes ei substituatur: si autem impubes hæres exstiterit, & intra pubertatem decesserit: pubes frater in portionem cohęredis substituatur. quo casu in utrunq; euẽtum substitutus uidebitur: ne si uulgari modo impuberi quoq; substituatur, uoluntatis quæstionem relinquat, utrum de una uulgari tantummodo substitutione in utriusq; persona sensisse intelligatur. ita enim in altero utraq; substitutio intelligitur, si uoluntas patentis non refragetur: uel certè euitandæ quæstionis gratia specialiter in utrunq; casum impuberi substituat fratrem, SIVE HAERES NON ERIT, SIVE HAERES ERIT, ET INTRA ANNOS PVBERTATIS DECESSERIT.

V. CAIVS.

SI IN testamento hæredes scripti ita alicubi substituti fuerint, ut si is hæres non esset, quisquis sibi hæres esset, is in partem quoq; deficientis esset hæres: pro qua parte quisq; hæres exstitisset, pro ea parte eũ in portionẽ quoq; deficientis uocari placet: neque interesse, iure institutionis quisque ex maiore parte hæres factus esset, an uero per legẽ alteram alicuius partẽ uindicasset.

VI. HERMOGENIANVS.

SI IS, qui ex bonis testatoris solidum capere non poterat, substitutus sit ab eo impuberi filio eius: solidum ex ea caussa capiet, quasi à pupillo capiat. sed hoc ita interpretari Iulianus noster uidetur: ut ex bonis, quæ testatoris fuerant, amplius capere non possit. quod si pupillo aliquid pręterea adquisitum esset, aut si exhæredato esset substitutus: non impediri cũ capere, quasi à pupillo capiat.

VII. PAPINIANVS.

VERBIS ciuilibus substitutionem post decimumquartum annum ætatis frustra fieri cõuenit. sed qui nõ admittitur, ut substitutus, ut adiectus hæres quandoque non erit: ne fiat cõtra uoluntatẽ, si filius non habeat totum interim, quod ei testamento pater dedit.

VIII. VLPIANVS.

QVI

A Qvi liberis impuberibus ſubſtituit: aut putè, aut ſub conditione ſolet ſubſtituere putè
ſic, SI FILIVS MEVS INTRA PVBERTATEM DECESSERIT, SEIVS HAERES ESTO ſiue
enim Seius iſte hęres inſtitutus ſit, & impuberi ſubſtitutus, ſiue ſolū ſubſtitutus, nullam ha-
bet conditionē. ſub conditione autem inſtitutū ſi ſubſtituat, id eſt, SI MIHI HAERES ERIT:
non aliâs exiſtet hęres ex ſubſtitutione, niſi ex inſtitutione hęres fuerit. cui ſimilis eſt & hęc
ſubſtitutio, QVISQVIS MIHI EX SVPRASCRIPTIS HAERES ERIT. habet enim in ſe ean
dem conditionem. Hæc uerba, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, IDEM IMPVBERI FI-
LIO HAERES ESTO: hunc habent ſenſum, ut ei non omnis, qui patri hęres exſtiterit, ſed is,
qui ex teſtamento hæres exſtiterit, ſubſtitutus uideatur. & ideo neq; pater, qui per filium:
B neq; dominus qui per ſeruum hæres exſtitit, ad ſubſtitutionem admittetur. ſed neq; hęre
dis hæres: quia non ex iudicio ueniunt. partes quoq; eædem ad ſubſtitutos pertinēt, quas
in ipſius patrisfamiliâs habuerunt hęreditare. Labeo quoq; ſcribit, ſi pater filio impube
ri eoſdem, quos ſibi, & te unum præter ea hæredem inſtituit: bonorum filij te dimidium, cæ
terum patris hęredes communiter dimidium ita habere, ut unus ſemis apud te maneat: alte
rius ſemiſſis pro hiſ partibus in hæredes paternos indiuiſio fiat, quibus ex partibus hære-
ditatem paternam haberent. Sed ſi plures ſint ita ſubſtituti, QVISQVIS MIHI EX SV-
PRASCRIPTIS HAERES ERIT: deinde quidam ex illis poſtea, quàm hæredes exſtiterunt
patri, obierint: ſoli ſuperſtites ex ſubſtitutione hęredes exiſtent pro rata partium, ex quibus
inſtituti ſunt: neque quidquam ualebit ex perſona defunctorum. Quos poſſum hæredes
C mihi facere neceſſarios, poſſum & filio: ut ſeruum meum, & fratrem ſuum, quamuis in re-
bus humanis nondum ſit. igitur poſthumus erit fratri hæres neceſſarius. Filio impube-
ri hęredi ex aſſe inſtituto ſubſtitutus quis eſt. exſtitit patri filius hæres. an ſit ſubſtitutus ſe-
parare hæreditates ut filij habeat, patris non habeat? non poteſt ſed aut utriuſque debet
hæreditatem habere, aut neutrius. iuncta enim hæreditas cœpit eſſe. idemq; eſt, & ſi pater
me hæredem ſcripſerit ex parte, filium ex parte, & ego patris hæreditatem repudiauero.
nam neque filij hæreditatem habere poſſum. Si ex aſſe hæres inſtitutus, filio exhere-
dato ſubſtitutus. repudiauerit patris hęreditatem, cum non haberet ſubſtitutum: non
poterit filij adire. nec enim ualet filij teſtamentum, niſi patris fuerit adita hæreditas:
nec ſufficit ad ſecundarum tabularum uim, ſic eſſe factum teſtamentum, ut ex eo adiri hæ-
D reditas poſſit. Ad ſubſtitutos pupillares pertinent, & ſi quæ poſtea pupillis obuene-
rint. neque enim ſuis bonis teſtator ſubſtituit, ſed impuberis: cum & exhæredato ſubſti-
tuere quis poſſit: niſi mihi proponas militem eſſe, qui ſubſtituit hæredem hac mente, ut
ea ſola uelit ad ſubſtitutum pertinere, quæ à ſe ad inſtitutum peruenerunt. In adrogato
autem impubere dicemus ad ſubſtitutum eius ab adrogatore datum non debere pertinere
ea, quæ haberet, ſi adrogatus non eſſet: ſed ea ſola, quæ ei ipſe dedit adrogator. niſi fortè di-
ſtinguamus: ut quartam quidem, quam omnimodo ex reſcripto diui Pij debuit ei relinque
re, ſubſtitutus habere non poſſit: at ſuperfluum habeat. Scæuola tamen libro decimo quæ-
ſtionum putat, uel hoc adrogatori permittendum. quæ ſententia habet rationem. ego eti-
am amplius puto: & ſi quid beneficio adrogatoris adquiſiuit, & hæc ſubſtitutum poſſe ha-
E bere: utputà adrogatoris amicus, uel cognatus ei aliquid reliquit. Nemo inſtitutus & ſi-
bi ſubſtitutus ſine cauſſæ mutatione quicquam proficit. ſed hoc in uno gradu. cæterum ſi
duo ſunt gradus: poteſt dici ualere ſubſtitutionem. Et Iulianus libro triceſimo Digeſto-
rum putat: ſiquidem ſibi ſubſtitutus ſit, cū haberet cohæredem Titium, SI STICHVS HAE-
RES NON ERIT, LIBER ET HAERES ESTO: non ualere ſubſtitutionem. quod ſi ita, SI TI-
TIVS HAERES NON ERIT, TVNC STICHVS LIBER ET HAERES IN EIVS PARTEM
ESTO: duos gradus eſſe, atque ideo repudiante Titio, Stichum liberum & hæredem fore.

IX. PAVLVS.

Si is, qui hæres inſtitutus eſt, filio ſubſtitutus ſit: nihil oberit ei in ſubſtitutione, ſi tunc
capere poſſit, cum filius deceſſit. Contrà quoque poteſt pœnas in teſtamento pupilli pati,
licet in patris paſſus non ſit.

X. PAPINIANVS.

SI FILIVS, qui patri ac postea fratri ex secundis tabulis hæres exstitit, hereditatem patris recuset, fraternam autem retinere malit: audiri debet. iustius enim prætorem facturum existimo, si fratri separationem bonorum patris concesserit. etenim ius dicenti propositum est, liberos oneribus hæreditarijs non sponte susceptis liberare, non inuitos ab hæreditate remouere: præsertim cum remotis secundis tabulis legitimam haberet fratris hæreditatem. itaque legata duntaxat ex secundis tabulis præstari debēt, habita ratione facultatum in Falcidia, nō patris (ut aliâs solet) sed impuberis.

XI. POMPONIVS.

QVO gradu hæres liberis substituatur, nihil interest.

XII. IDEM.

IN pupillari substitutione licet longius tempus comprehensum fuerit, tamen finietur substitutio pubertate.

XIII. PAPINIANVS.

CENTVRIO filio, si intra uicesimum & quintum ætatis annum sine liberis uita decesserit, directò substituit. intra quatuordecim annos etiam propria bona filij substitutus iure communi capiet: post eam autem ætatem ex priuilegio militum, patris duntaxat, cum fructibus inuentis in hæreditate.

XIIII. POMPONIVS.

SI quis eum, quem in testamento suo legauit, rursus à substituto filij liberum esse iusserit: liber erit, quasi legato adempto. nam & in legato & in testamentis nouissima scriptura erit spectanda: sicut in eodem testamento codicillis confirmatis obseruaretur. Si suo testamento perfecto, alia rursus hora pater filio testamentum fecerit, adhibitis legitimis testibus: nihilominus id ualebit, & tamen patris testamentum ratum manebit. Nam & si sibi & filio testamentum pater fecisset, deinde sibi tantum: utrunque superius rumpetur. Sed si secundum testamentum ita fecerit pater, ut sibi hæredem instituat, si uiuo se filius decedat: potest dici, non rumpi superius testamentum: quia secundum non ualet, in quo filius præteritus sit.

XV. IDEM.

SVBSTITUI liberis is etiam potest, qui post mortem eius natus fuerit, cui substitutus hęres fuerit.

XVI. VLPIANVS.

SI seruus communis substitutus sit impuberi cum libertate: siquidem à patrefamiliâs fuerit redemptus: erit impuberi necessarius. si uero ab impubere redemptus sit: non necessarius, sed uoluntarius fit hæres, ut Iulianus libro tricesimo Digestorum scripsit. quod si neque à patre, neque à pupillo fuerit redemptus: æquitatis ratio suggerit, ut ipse precium partis suæ domino offerens, possit & libertatem hæreditatem consequi. Si Titio fuerit legatus seruus: poterit impuberi substitui cum libertate, quemadmodum institui potuit legatarius: & euanescet legatum, existente conditione substitutionis.

XVII. IVLIANVS.

IDEM est, & si post mortem legatarij seruus sit substitutus.

XVIII. VLPIANVS.

PATRIS & filij testamentum pro uno habetur, etiam in iure prætorio. nam (ut Marcellus libro octauo Digestorum scribit) sufficit tabulas esse patris signatas: & si resignatæ sunt filij, septem signa patris sufficiunt. sed & si pater sibi per scripturam, filio per nuncupationem, uel contrà fecerit testamentum, ualebit.

XIX. IDEM.

SI ita quis substituerit, SI FILIVS MEVS INTRA DECIMVM ANNVM DECESSERIT, SEIVS HAERES ESTO: deinde hic ante quartumdecimum annum, post decimum decesserit: magis est, ut non possit bonorum possessionem substitutus petere. non enim uidetur in hunc casum substitutus.

XX. CAIVS.

A Is, qui contra tabulas testamenti patris bonorum possessionem petierit, si fratri impuberi substitutus sit, repellitur, à substitutione.

XXI. PAPINIANVS.

QVI plures hæredes instituit, ita scripsit. EOSQVE OMNES INVICEM SVBSTITVO. post aditam à quibusdam ex his hæreditatem, uno eorum defuncto, si conditio substitutionis exstitit, alio hærede partem suam repudiante, ad superstites tota portio pertinebit: quoniam inuicem in omnem casum singuli substituti uidebuntur. ubi enim quis hæredes instituit, & ita scribit, EOSQVE INVICEM SVBSTITVO: hi substituti uidebuntur, qui hæredes exstiterunt.

XXII. VLPIANVS.

B SI plures sint instituti ex diuersis partibus, & omnes inuicem substituti: plerunque credendum est, ex ijsdem partibus substitutos, ex quibus inuicem instituti sunt. ut si fortè unus ex uncia, secundus ex octo, tertius ex quadrante sit institutus: repudiante tertio, in nouem partes diuidatur quadrans: feratque octo partes, qui ex besse institutus fuerat: unam partem, qui ex uncia. nisi alia fortè mens fuerit testatoris. quod uix credendum est, nisi euidenter fuerit expressum.

XXIII. IVLIANVS.

SI pater impuberes filios inuicem substituerit, & ei, qui nouissimus mortuus fuerit, Titium: respondendum est, solos fratres bonorum possessionem accepturos, & quodammodo duos gradus huius institutionis factos. ut primo fratres inuicem substituerentur. si illi non

C essent tunc Titius uocaretur.

XXIIII. IDEM.

SI pater filium impuberem hæredem scripserit, & ei substituerit, si quis sibi post mortẽ natus fueri: dein de uiuo fratre posthumus natus erit: testamentum rumpetur. post mortem autem fratris uiuo patre natus, solus hæres patri suo existet.

XXV. IDEM.

SI Titius cohæredi suo substitutus fuerit, deinde ei Sempronius: uerius puto, in utrãque partem Sempronium substitutum esse.

XXVI. IDEM.

LEX Cornelia, quę testamenta eorum, qui in hostium potestate decesserunt, cõfirmat:

D non solum ad hæreditatem ipsorum, qui testamenta fecerunt, pertinet: sed ad omnes hæreditates, quæ ad quenque ex eorum testamento pertinere potuissent, si in hostium potestatẽ non peruenissent. qua propter cum pater in hostium potestate decessit, filio impubere relicto in ciuitate, & is intra tempus pubertatis decesserit: hæreditas ad substitutum pertinet, perinde ac si pater in hostium potestatem non peruenisset. sed si pater in ciuitate decessit, filius impubes apud hostes: si quidem mortuo patre filius in hostium potestatem peruenerit: non incommodè dicitur, hæreditatem eius & ea lege ad substitutos pertinere. si uero uiuo patre filius in hostium potestatem peruenerit: non existimo legi Corneliæ locum esse: quia non efficitur per eam, ut is, qui nulla bona in ciuitate reliquit, hæredes habeat. Quarè etiam si pubes filius uiuo patre captus fuerit, deinde mortuo in ciuitate patre, in hostium

E potestate decesserit: patris hæreditas ex lege duodecim tabularum, non filij ex lege Corneliæ, ad adgnatum proximum pertinet.

XXVII. SCAEVOLA

SI pater captus sit ab hostibus, mox filius, & ibi ambo decedant: quamuis prior pater decedat, lex Cornelia ad pupilli substitutionem non pertinebit, nisi reuersus in ciuitate impubes decedat: quoniam & si ambo in ciuitate decessissent, ueniret substitutus.

XXVIII. IVLIANVS.

QVIDAM testamento Proculum ex parte quarta, & Quietum ex parte dimidia & quarta hæredem instituit. deinde Quieto Florum, Proculo Sosiam hæredem substituit, deinde si neque Florus, neque Sosia hæredes essent: tertio gradu ex parte dimidia & quarta coloniam Leptitanorum, ex quarta complures hæredes substituit in plures, quàm tres

uncias

uncias. Quietus hæreditatem adijt. Proculus & Sosia uiuo testatore decesserunt. quæritur, F
quadrans Proculo datus ad Quietum, an ad substitutos tertio gradu pertineat? Respondi,
eam uideri uoluntatem patris familiâs fuisse, ut in tertio gradu scriptos hæredes ita demũ
substitueret, si tota hæreditas uacasset. idq; apparere euidenter ex eo, quod plures, quàm
duodecim uncias inter eos distribuisset. & idcirco partem quartam hęreditatis, de qua quę-
ritur, ad Quietum pertinere.

XXIX. IDEM.

In substitutione filio ita facta, QVISQVIS MIHI EX SVPRA SCRIPTIS HAERES ERIT, IDEM FILIO HARES ESTO: quæritur, quisquis hæres quandoq; fuerit, intelligatur: an quisquis tum hæres erit, cum filius moriatur? placuit prudentibus, si quandoq; hæres fuisset. G quamuis enim uiuo pupillo hæres esse desijsset (fortè ex caussa de inofficioso, quæ pro parte mota est) futurum tamen eum hæredem ex substitutione, creditum est. Non simili modo in hac specie dicendum est: si quis cum filios duos haberet, Caium puberem, Luciũ impuberem, ita filio substituisset: SI LVCIVS FILIVS MEVS IMPVBES DECESSERIT, NEQVAE MIHI CAIVS FILIVS HAERES ERIT, TVNC SEIVS HAERES ESTO. nam ita prudentes hoc interpretati sunt, ut ad impuberi mortẽ conditio substitutionis esset referenda.

XXX. IDEM.

Qvi cũ plures hæredes ex disparibus partibus instituerat, & in his Attiũ si Attius non adiret, cæteros ex ijsdẽ partibus, quibus instituerat: hæredes ei substituerat deinde, si Attius nõ adisset, Titiũ cohæredẽ his, qui substituti sunt, adiecit. quæsitũ est, quã partẽ is, & quã H cęteri habituri essent? Respõdi. Titiũ uirilem, cæteros hæreditarias. ueluti si tres fuissent: Titiũ quartam partẽ Attianæ partis habiturum: reliquarum partium hæreditarias partes. ex quibus instituti erant, reliquos habituros esse. Quod si non solum Titium, sed etiam alios adiecisset hæredes: hos quidem uiriles partes habituros, ueluti si tres (putà) cohęredes fuissent substituti, extranei duo adiecti: hos quintas partes Attianæ partis, reliquos autem cohæredes hæreditarias partes habituros esse.

XXXI. AFRICANVS.

Si mater ita testetur, ut filium impuberem, cum erit annorum quatuordecim, hęredem instituat, eiq; in pupillaribus tabulis, si sibi hęres nõ erit alium substituat: ualet substitutio.

Si filius, & ex eo nepos posthumus ita hęredes instituantur, ut Gallo Aquilio placuit: & I nepoti, si is hęres non erit, Titius substituatur: filio hęrede existente, Titium omnimodo, id est etiam si nepos natus non fuerit, excludi respondit.

XXXII. IDEM.

Ex duobus impuberibus ei, qui supremus moreretur, hæredem substituit. si simul morerentur, utriq; hęredem esse respondit: quia supremus non is demum, qui post aliquem, sed etiam post quem nemo sit, intelligitur. sicut & è contrario proximus non solum is, qui ante aliquem, sed etiam is, ante quem nemo sit, intelligitur. Filium impuberẽ & Titium hæredes instituit. Titio Mæuium substituit. filio, quisquis sibi hæres esset ex suprà scriptis, substituit. Titius omisit hæreditatem. Mæuius adijt. mortuo deinde filio, putat magis ei soli ex substitutione deferri pupilli hæreditatem, qui patris quoq; hæreditatem adierat. K

Etiam si contra tabulas patris bonorum possessio petita sit: substitutio tamen pupillaris ualet, & legata omnibus pręstanda sunt, quæ à substituto data sunt.

XXXIII. IDEM.

Et si contra tabulas patris petita sit à pupillo bonorum possessio: in substitutum tamẽ eius actionem legati dandam esse, ita ut augeantur legata, propterea quod filius extraneis non debuerit. sed & crescere à substituto data legata, si per bonorum possessionem plus ad filium peruenisset: quemadmodum & ipse filius plus exceptis deberet. his consequens esse existimat, ut si impubes ex asse hęres scriptus sit, & per bonorum possessionem semis ei ablatus sit: substitutus in partem legati nomine exoneretur: ut quemadmodum portio, quæ per bonorum possessionem accessit, auget legata: ita & hic, quæ abscessit, minuat.

Potest

A XXXIIII. MARTIANVS.

POTEST quis in testamento plures gradus hæredum facere:utputà SI ILLE HAERES NON ERIT, ILLE ESTO, & deinceps plures:ut nouissimo loco in subsidium uel seruum necessarium hæredem instituat. & uel plures in unius locum possunt substitui, uel unus in plurium,uel singulis singuli,uel inuicem ipsi, qui hæredes instituti sunt.

XXXV. FLORENTINVS.

VEL singulis liberis,uel ei,qui eorum nouissimus morietur,hæres substitui potest singu lis,si nemině eorum intestatò decedere uelit:nouissimo,si ius legitimarum hæreditatum integrum inter eos custodiri uelit.

B XXXVI. PAVLVS.

QVI plures liberos habet,potest quibusdam substituere,nec utiq; necesse habet omni bus:sicuti potest nulli substituere.ergo & ad breue tempus ætatis substituere potest:utputà SI FILIVS MEVS INTRA ANNVM DECIMVM DECESSERIT, TITIVS EI HAERES ESTO. Itaq; & si diuersos substituat post finem ætatis,admittendum erit: ueluti SI INTRA ANNVM DECIMVM DECESSERIT, TITIVS EI HAERES ESTO: SI POST DECIMVM, INTRA DECIMVM QVARTVM, MAEVIVS HAERES ESTO.

Et si à patre institutus,rogatusq; hæreditatem restituere, coactus à fideicommissario adi erit:quamuis cætera,quæ in eodem testamento relicta sunt, per eam aditionem confirmẽtur(ut legata & libertates:) secundas tamen tabulas non oportere resuscitari, destituto iam

C iure ciuili testamento,Serbidius Scæuola noster dicebat.sed pleriq; in diuersa sunt opinione:quia & pupillares tabulæ pars sunt prioris testamenti. quo iure utimur.

XXXVII. IABOLENVS.

CVM ex filio quis duos nepotes impuberes haberet, sed alterum eorum in potestate, alterum non: & uellet utrunq; ex æquis partibus hæredem habere: & si quis ex his impubes decessisset, ad alterum partem eius transferre: ex consilio Labeonis, Ofilij, Cascellij, Trebatij,eum,quem in potestate habebat, solum hæredem fecit: & ab eo alteri dimidiam partem hęreditatis,cum in suam tutelã uenisset,legauit.quod si is, qui in potestate sua esset, impubes decessisset:alterum hęredem ei substituit. Filio impuberi in singulas caussas aliũ & alium hæredem substituere possumus. ueluti ut alius,si sibi nullus filius fuerit:& alius, si

D filius fuerit,& impubes mortuus fuerit,hæres sit. Quidam quatuor hæredes fecerat, & omnibus hæredibus præter unum substituerat.unus ille,cui non erat quisquam substitutus, & ex cęteris alter,uiuo patrefamiliàs decesserat. partem eius, cui nemo erat substitutus, ad substitutum quoq; pertinere,Ofilius & Cascellius responderunt.quorum sentẽtia est uera.

XXXVIII. PAPINIANVS.

CAVSSA cognita impubes adrogatus decesserat. quemadmodum legitimis hæredibus authoritate principali prospicitur uinculo cautionis: ita si fortè substituit naturalis pater impuberi, succurrendum erit substituto. nam & legitimis hæredibus futuris non aliæ, quàm utiles actiones,præstari possunt.

XXXIX. IDEM.

E COHAEREDI substitutus, prius quàm hæreditatem adiret, aut conditio substitutionis existeret,ita decessit.ad substitutum eius(siue ante substitutionem, siue postea substitutus sit)utraq; portio pertinebit:nec intererit,prior substitutus post institutum,an antè decedat.

Ex his uerbis, EOSQVE INVICEM SVBSTITVO, non adeuntis portio scriptis hæredibus pro modo sibi uel alij quæsitæ portionis defertur. Cum filiæ,uel nepoti, qui locum filij tenuit,aut post testamentum cœpit tenere, parens substituit: si quis ex his mortis quoq; tempore non fuit in familia,substitutio pupillaris fit irrita. quod si hæredem filiũ pater rogauerit, si impubes diem suum obierit, Titio hæreditatem suam restituere: legitimum hæredem filij, salua Falcidia, cogendum patris hæreditatem, ut ab impubere fideicommisso post mortem eius dato,restituere placuit:nec aliud seruandum, cum substitutionis conditio pubetem ætatem uerbis precarijs egreditur.quæ ita locum habebunt,si patris

uu testa-

teſtamentum iure ualuit. alioquin ſi non ualuit ea ſcriptura, quam teſtamentum eſſe uoluit: F codicillos non faciet, niſi hoc expreſſum eſt: nec fideicommiſſo propriæ facultates filij tenebuntur. & ideo ſi pater filium exhæredauerit, & ei nihil reliquerit: nullum fideicommiſſum erit. alioquin ſi legata uel fideicommiſſa filius acceperit: intra modum eorum fideicommiſſum hæreditatis à filio datum, circa Falcidiæ rationẽ debebitur. Qui diſcretas portiones cõiunctis pluribus ſeparatim dedit, ac poſt omnẽ inſtitutionis ordinem ita ſcripſit, QVOS HAEREDES MEOS INVICEM SVBSTITVO: coniunctos primo loco uice mutua ſubſtituere uidetur. quibus inſtitutionum partes non agnoſcentibus, cæteros omnes cohæredes admitti. Qui patrem & filium pro parte hæredes inſtituerat, & inuicem ſubſtituerat: reliquis cohæredibus datis, poſt completum aſſem ita ſcripſit, HOS OMNES INVICEM G SVBSTITVO. uoluntatis fuit quæſtio, cõmemoratione omnium patrem & filium ſubſtitutioni cohæredum immiſcuiſſet, an eam ſcripturam ad cæteros tantum tranſtuliſſet. quod magis ueriſimile uidetur propter ſpecialem inter patrem & filium ſubſtitutionem. Cohæres impuberi filio datus, eidemq; ſubſtitutus, legata è ſecundis tabulis relicta perinde præſtabit, ac ſi purè partem, & ſub conditione partem alteram accepiſſet. non idem ſeruabitur in alio ſubſtituto. nam ille Falcidiæ rationem induceret, quaſi planè ſub conditione primis tabulis hæres inſtitutus: tam & ſi maximè cohæres filio datus quadrantem integrum obtineret. nam & cum legatum primis tabulis Titio datur, ſecundis autem tabulis eadem res Sempronio: Sempronius quandoque Titio concurrit. Cum pater impuberi filiæ, quæ nouiſſima diem ſuum obiſſet, tabulas ſecundas feciſſet, & inpubes filia superſtite H ſorore pubere uita deceſſiſſet: irritam eſſe factam ſubſtitutionẽ placuit. in perſona quidem prioris, quia non nouiſſima deceſſit: in alterius uero, quia puberem ætatem compleuit.

Non uideri cum uicio factam ſubſtitutionem his uerbis placuit. ILLE FILIVS MEVS SI (QVOD ABOMINOR) INTRA PVBERTATIS ANNOS DECESSERIT: TVNC IN LOCVM PARTEMVE EIVS TITIVS HAERES ESTO. non magis, quàm ſi poſt demonſtratam conditionem, ſibi hæredem eſſe ſubſtitutum iuſſiſſet. nam & qui certæ rei hæres inſtituitur, cohærede non dato, bonorum omnium hæreditatem obtinet.

XL. IDEM.

QVI duos impuberes filios hæredes reliquerat, ita ſubſtituit, SI AMBO MORTVI ESSENT. deinde pueri poſt mortem patris ſimul perierunt. duæ hæreditates ſubſtituto de- I feruntur. ſed ſi diuerſis temporibus uita decedant: in hæreditate nouiſſimi pueri, eius fratris, qui antè mortuus eſt, hæreditatem ſubſtitutus inueniet. ſed in ratione Falcidiæ pueri prioris hæreditas non ueniet: nec ſubſtitutus amplius, quàm ſex uncias iure teſtamenti deſiderabit: legata quoq;, quæ à ſubſtituto eius filij data ſunt, qui prior inteſtatò deceſſit, ad irritũ recidunt XLI. PAVLVS.

EX FACTO quæritur. qui filiũ habebat mutũ puberem, impetrauit à principe, ut muto ſubſtituere ei liceret, & ſubſtituit Titiũ. mutus duxit uxorẽ poſt mortẽ patris, & naſcitur ei filius. quæro an rumpatur teſtamentum? reſpondi. beneficia quidem principalia ipſi principes ſolent interpretari: uerum uoluntatem principis inſpicientibus, poteſt dici, eatenus id cum tribuere uoluiſſe, quatenus filius eius in eadem ualetudine perſeueraſſet: ut quemad- K modum iure ciuili pubertate finitur pupillare teſtamentum, ita princeps imitatus ſit ius in eo, qui propter infirmitatem non poteſt teſtari. nam & ſi furioſo filio ſubſtituiſſet: diceremus, deſinere ualere teſtamentum, cum reſpuiſſet: quia iam poſſet ſibi teſtamentum facere. & enim iniquum incipit fieri beneficium principis, ſi adhuc id ualere dicamus. auferetur enim teſtamenti factio homini ſanæ mentis. igitur etiam adgnatione ſui hæredis, dicendũ eſt, rumpi ſubſtitutionem: quia nihil intereſt, alium hæredem inſtitueret ipſe filius poſtea, an iure habere cœperit ſuum hæredem. nec enim aut patrem aut principem de hoc caſu cogitaſſe, ueriſimile eſt: ut eum, qui poſtea naſceretur, exhæredaret. nec intereſt, quemadmodum beneficium principale intercedat circa teſtamenti factionem, utrum in perſona unius, an complurium. Item quæro. ſi ita facta proponatur ſubſtitutio, FILIVS MEVS, SI

INTRA

A INTRA DECIMVM ANNVM DECESSERIT, TITIVS HAERES ESTO: SI INTRA DECIMVM QVARTVM, MAEVIVS filiusq; octo annorum decesserit: utrum Titius solus ex substitutione ei hæres erit, an & Mæuius: quia certum est, & intra decem, & intra quatuordecim annos filiũ decessisse? respondi. omne quidẽ spacium, quod est intra pubertatẽ, liberum esse patri ad substituendum filio: sed finis huius pubertatis est. magis autem est, in utróque eorum tempus suum separatim seruari: nisi contraria uoluntas testatoris apertè ostendatur. Lucius Titius, cum haberet filios in potestate, uxorem hæredem scripsit, & ei substituit filios. quæsitum est, an institutio uxoris nullius momenti sit, eò quod ab eo gradu filij non essent exhæredati? respondi. eum gradum, à quo filij præteriti sint, nullius esse
B momenti. & ideo, cum ijdem substituti proponantur: ex testamento eos hæredes exstitisse uideri: scilicet quia non in totum testamentum infirmant filij, sed tantum eum gradum, qui ab initio non ualuit: sicut responsum est, si à primo sit filius præteritus, à secundo exhæredatus. nihil autem interest, qua ratione secundi hæredis institutio ualeat: utrum quia ab eo filius exhæredatus est, an quia ipse filius substitutus est. Iulius Longinus pater eos, quos sibi hæredes instituerat, filijs ita substituit, QVISQVIS SIBI HAERES ESSET. unus ex hæredibus institutis, qui tacitam fidem accommodauerat, ut non capienti partem ex eo, quod acceperat, daret: ad substitutionem impuberis admissus, utrum pro ea parte, pro qua scriptus fuit, ueniat: an uero pro ea, quam cepit, ita ut augeatur eius pars in substitutione? Respondi. qui in fraudem legum fidem accommodat, adeundo hæres efficitur: nec desinet hæ
C res esse, licet res, quæ ita relictæ sunt, auferantur. unde & ex secundis tabulis in tantum hæres esse potest, in quantum scriptus est. satis enim punitus est in eo, in quo fecit contra leges. quin imò & si desineret hæres esse, idem dicerem: quemadmodum intelligendum est in eo, qui cum scriptus esset hæres, postquam adijt hæreditatem, in seruitutem redactus est, & postea libertate donatus: cui permissum est ad substitutionem uenire, quæ ei in testamento fuerat relicta. licet enim hęreditatem ex institutione amisit: tamen ex substitutione istam portionem, quamtum amisit, percepturum.

XLII. IDEM.

EX PVPILLARI testamento superius principale, neq; ex parte, neq; in totum confirmari posse, Martianus scripsit.

D XLIII. IDEM.

LVCIVS Titius legitimum filium & alterum naturalem hæredes instituit, eosq; inuicem substituit. Titius legitimus filius, quem pater anniculum reliquit, post patris mortem impubes decessit, superstite matre & fratre naturali, quem etiam coheredem habebat, quæro, hæreditas eius ad Titium naturalem fratrem ex caussa substitutionis pertineat, an uero ad matrem? Respondi. ad primum casum non existentium hæredum, substitutionem, de qua quæritur, pertinere: non ad sequentem, si quis eorum postea decessisset intra pubertatem: cum in naturalis filij persona duplex substitutio locum habere nõ possit. & ideo ad matrem legitimi filij hęreditas ab intestato pertinet (aliter si eiusdem ætatis liberi instituti, inuicemq; substituti fuissent. tunc enim altero defuncto intra pubertatem eius, successio non ad
E matrem, sed ad substitutum fratrem eius deuoluitur.) Paulus respondit si omnes instituti hæredes omnibus inuicem substituti essent: eius portionem, qui quibusdã defunctis postea portionem suam repudiauit: ad eum solum, qui eo tempore superuixit, ex substitutione pertinere. XLIIII. IDEM.

PATER familiâs, primis tabulis posthumo hærede instituto, secundis sibi uel filio, si intra pubertatem decessisset, Caium Seium fratrem suum substituit deinde Titium Caio Seio, & postea sic dixit. QVOD SI CAIVS SEIVS FRATER MEVS PRIMO LOCO SVBSTITVTVS, HAERES MIHI ERIT, TVNC TITIO FIDEICOMMISSVM RELINQVO. Quæro. cum filius patri hæres exstiterit, eoq; intra pubertatem mortuo, frater testatoris ex substitutione hæres sit: an fideicommissum debeatur, cum ita relictum sit, si Caius Seius frater suus sibi hæres exstitisset? Respondi. defuncti fratrem, qui in utrunque casum substitutus est,

filio impubere defuncto, ea quæ teſtator reliquit, præſtare debere. nec aduerſari hæc uerba, F
QVOD SI CAIVS SEIVS MIHI HAERES ERIT, TVNC DARI VOLO: cũ uerũ ſit, eũ teſtatori
hæredẽ exſtitiſſe. XLV. SCAEVOLA.

Qvi habebat filium & filiam impuberes, inſtituto filio hærede, filiam exhæredauit: & ſi
filius intra pubertatem deceſſiſſet, filiam eidem ſubſtituit. ſed filiæ, ſi antequàm nuberet, de
ceſſiſſet: uxorem ſuam, item ſororem ſuam ſubſtituit: quæro cum filia impubes prior deceſ/
ſerit, deinde frater eius impubes: an filij hæreditas ad uxorem & ſororẽ teſtatoris iure ſub/
ſtitutionis pertineat? Rpondi. ſecundum ea, quæ proponerentur, non pertinere.

XLVI. IDEM.

Servvm communem habemus. hic hæres ſcriptus eſt. & ſi hæres nõ ſit Mæuius illi ſub/ G
ſtitutus eſt. alterius iuſſu dominorũ adijt hæreditatem, alterius non. quæritur, an ſubſtituto
locus ſit, an nõ? & uerius eſt, ſubſtituto locũ eſſe. TITIVS HAERES ESTO. STICHVM MAE/
VIO DO LEGO. STICHVS HAERES ESTO. SI STICHVS HAERES NON ERIT, STICHVS
LIBER HAERES QVE ESTO. in hac quæſtione in primis quærendũ eſt, utrũ unus gradus
ſit, an duo: & an cauſſa mutata ſit ſubſtitutionis, an eadẽ permaneat? & quidẽ in pleriſq; ca/
ſibus quæritur, an ipſe ſibi ſubſtitui poſſit? & reſpondetur. cauſſa inſtitutionis mutata, ſub/
ſtitui poſſe. igitur ſi Titius hæres ſcriptus ſit, & ſi hæres non ſit, idem hæres iuſſus ſit: ſubſti/
tutio nullius momenti erit. ſed ſi ſub conditione quis hæres ſcriptus ſit, purè autẽ ſuſtitutus:
cauſſa immutatur: quoniã poteſt ex inſtitutione deficere conditio, & ſubſtitutio aliquid af/
ferre. ſed ſi exſtiterit conditio: duæ puræ ſunt & ideo nullius momenti erit ſubſtitutio. cõtrà H
ſi purè quis inſtituatur, deinde ſub cõditione ſibi ſubſtituatur: nihil faciet ſubſtitutio condi/
tionalis, nec mutata cauſſa intelligetur: quippe cũ ſi exſtiterit cõditio, duæ puræ ſint inſtitutio/
nes. ſecundũ hæc propoſita quæſtio manifeſtetur. TITIVS HAERES ESTO. STICHVM MAE/
VIO DO LEGO. STICHVS HAERES ESTO. SI STICHVS HAERES NON ERIT, STICHVS
LIBER HAERES QVE ESTO. nos didicimus, quãdo eodẽ teſtamento & legatus ſit Stichus,
& libertatẽ accipiat, præualere libertatẽ: & ſi præualet libertas, nõ deberi legatũ. & ideo iuſſu
legatarij non poſſe adiri hæreditatẽ. ac per hoc uerum eſt, Stichum hæredem non eſſe, & ex
ſequentibus uerbis libertatẽ illi cõpetere: cũ unus gradus uideatur. quid ergo, ſi non adierit
Titius? incipiet ſubſtitutione Stichus liber & hæres eſſe. porrò quandiu non adit iuſſu le/
gatarij, nec ex cauſſa legati intelligitur legatarij eſſe effectus: & ideo certum eſt, illũ hæredẽ I
nõ eſſe: ac per hoc ex his uerbis, SI HAERES NON ERIT STICHVS, LIBER HAERES QVE
ESTO. liber & hæres exiſtet. & hoc autem, quod ſentimus, Iulianus quoq; in libris ſuis pro/
bat. Si pupillus ſubſtitutũ ſibi ſeruũ alienauerit, cumq; emptor liberũ hæredemq; inſti/
tuerit: nunquid iſte in ſubſtitutione habeat ſtatim uniuerſum? & ſi quidẽ pupillus ad puber
tatem peruenerit: neceſſarius ex teſtamento emptoris hæres exiſtit. ſi uero intra puberta/
tem deceſſerit: ex ſubſtitutione quidem liber & hæres fit, & neceſſarius patri pupilli: empto
ri autem uoluntarius hæres exſtitit.

DE CONDITIONIBVS INSTITVTIOnum, TIT. VII.

K

I. VLPIANVS.


VB impoſſibili cõditione, uel alio modo factam inſtitutionẽ, placet nõ uiciari.

II. IDEM.

Si teſtamento cõprehenſum ſit, ILLE SERVVS, SI MEVS ERIT, aut QVI
MEVS ERIT, CVM MORIAR, HAERES ESTO: quatenus accipiatur MEVS,
quæritur? & ſiquidem alienauerit in eo uſumfructum: nihilominus ipſius eſt. ſi uero partẽ
in eo alienauit, an deficiat conditio inſtitutionis, quæritur? & uerius eſt, non defeciſſe condi
tionẽ: niſi euidentiſſimis probationibus teſtatorẽ uoluiſſe apparuerit, pro hac conditione
hæc uerba inſerere, ſi totus ſeruus in dominio eius remanſerit. tũc enim parte alienata cõdi/
tio deficit. Sed ſi duo ſerui ita ſint hæredes inſtituti, PRIMVS ET SECVNDVS, SI MEI
ERVNT,

A ERUNT, CUM MORIAR, LIBERI ET HAEREDES SUNTO, & alter ex his sit alienatus, Cel-
sus rectè putat, sic accipiendũ, atq; si singulos separatim sub eadẽ cõditione heredes institu-
isset.

III. PAULUS.

SI ITA hæres institutus sim, Si decem dedero, & accipere nolit, cui dare iussus sum: pro impleta conditio habetur.

IIII. ULPIANUS.

SI QUI ita sint instituti, SI UNA SOCII BONORUM MEORUM PERMANSERINT US-
QUE AD ANNOS SEDECIM, HAEREDES SUNTO: inutilẽ esse institutionem secundũ uer-
borum significationem, Marcellus ait. Iulianus autem, (quoniam & ante aditam hæredita-
B tem iniri societas potest, quasi rei futuræ) ualere institutionem. quod est uerum. Idem Iu-
lianus scribit eum, qui ita hæres institutus est, SI SERVUM HAEREDITARIUM NON A-
LIENAVERIT, cauentem cohæredi implere conditionem. cæterum si solus hæres scriptus
sit: sub impossibili conditione hæredem institutum uideri. quæ sententia uera est.

V. PAULUS.

SI HAEREDI plures conditiones coniunctim datæ sint: omnibus parendũ est: quia unius loco habentur. sed si disiunctim sint: cuilibet.

VI. ULPIANUS.

SI QUIS ita institutus sit, si monumentum post mortem testatoris in triduo proximo
mortis eius fecisset: cum monumentum in triduo perfici non possit, dicendum erit conditio-
C nem euanescere, quasi impossibilem.

VII. POMPONIUS.

SI QUIS sub conditione hæredes instituisset sic, si inuicem cauissent, se legata eo testa-
mento relicta reddituros: placet remitti eis conditionem: quia ad fraudem legum respice-
ret, quæ uetarent quosdam legata capere. quanquam si cautum esset, in ipsa exactione ex-
ceptione tuendus esset promissor.

VIII. ULPIANUS.

QUAE sub cõditione iurisiurandi relinquuntur, à prætore reprobantur. prouidit enim
ei, qui sub iurisiurandi conditione quid accepit, ne aut omittendo conditionẽ, perderet hæ-
reditatem, legatumúe: aut cogeretur turpiter, accipiẽdo conditionẽ, iurare. uoluit ergo eum,
D cui sub iurisiurandi conditione quid relictum esset, ita capere: ut capiunt hi, quibus nulla ta-
lis iurandi conditio inseritur. & rectè cum enim faciles sint nonnulli hominũ ad iurandum
contemptu religionis, alij per quàm timidi metu diuini numinis usq; ad superstitionem: ne
uel hi, uel illi, aut consequerentur, aut perderent, quod relictum esset, prætor consultissimè
interuenit. etenim potuit is, qui uoluit factum, quod religionis conditione adstringit, sub
conditione faciendi relinquere. ita enim homines aut facientes admitterentur, aut non faci-
entes deficerentur conditione. Hoc edictum etiam ad legata pertinet, non tantum ad hę-
redum institutionem. In fideicommissis quoq; oportebit eos, qui de fideicommisso cogno-
scunt, subsequi prætoris edictum: ea propter, quia uice legatorum funguntur. Et in mortis
caussa donationibus dicẽdum est edicto huic locum esse: si fortè quis cauerit, nisi iurasset se
E aliquid facturum, restituturũ, quod acceperit. oportebit itaq; remitti cautionem. Si quis
sub iurisiurandi conditione, & præterea sub alia sit institutus: hic uidendum est, an remitta-
tur conditio. & magis est, ut remitti iurisiurandi conditio debeat, licet alij conditioni paren-
dum habeat. Sed si sub iurisiurandi conditione sit institutus, aut si decem dederit: hoc est
alternata conditione. ut aut pareat conditioni, aut iuret: illud quidem uidendum, nunquid
remitti ei conditio nõ debeat: quia potest alteri conditioni parendo, esse securus. sed est ue-
rius, remittendam conditionem: ne alia ratione conditio eum altera urgeat ad iusiurandũ.

Quoties hæres iurare iubetur, daturum se aliquid uel facturum, quod non improbũ est:
actiones hæreditarias non aliâs habebit, quàm si dederit uel fecerit id, quod erat iussus iu-
rare. Mortuo autem, uel manumisso Sticho, uiuo testatore: qui ita hæres institutus est, si iu-
rasset se Stichum manumissurum, non uidebitur defectus conditione: quamuis uerum sit,

 compel-

A XVIII. MARTIANVS.

Cvm seruus purè liber, & hæres sub conditione scriptus sit, & si hæres nō exstiterit, legatum acceperit: in legato repetitam uideri conditionem, diuus Pius rescripsit. Hac ratione & Papinianus scribit: cum auia te nepotem sub conditione emancipationis pro parte hæredem instituit, & postea codicillis scriptis hoc amplius ei legauit, quàm quod hæredem eum instituit: repetitam uideri conditionem emancipationis etiam in legato, quamuis in legato nullam, ut in hæreditate, mentionem fecisset.

XIX. IDEM.

Si ita scriptū fuerit, TITIVS HAERES ESTO. SI TITIVS HAERES ERIT. MAEVIVS
B HAERES ESTO: si Titius suspectā adierit hæreditatē: potest Mæuius suo arbitrio adire, & quartā retinere. XX. LABEO.

Mvlier, quæ uiro suo ex dōte promissam pecuniam debebat, uitum hæredem ita instituerat: si eam pecuniam, quam dōti promisisset, neq; petijsset, neq; exegisset. puto, si uir denunciasset cæteris hæredibus, per se non stare, quominus acceptum faceret id, quod ex dote sibi deberetur: statim eum hæredem futurum. quod si solus hæres institutus esset sub tali conditione: nihilominus puto statim eum hæredem futurum: quia ἀδύνατος conditio pro non scripta accipienda est. Si quis hæreditarium seruum iussus est manumittere, & hæres esse: quamuis si manumiserit, nihil agat: tamen hęres erit. uerum est enim eum manumisisse. sed post aditionem libertas seruo data secundum uoluntatem testatoris conualescit.
C. Si quis te hæredem ita instituit, si se hęredem instituisses, aut quid sibi legasses: nihil interest, quo gradu is à te hæres institutus, uel quid ei legatū sit: dūmodo aliquo gradu id fecisse te probes. XXI. CELSVS.

Servvs alienus ita hætes institui potest, CVM LIBER ERIT: proprius autē ita institui non potest. XXII. CAIVS.

Qvia ratio suadet, eum, qui libertatem dare potest, ipsum debere aut præsenti die, aut in diem, aut sub conditione dare libertatem: nec habere facultatem, in casum à quolibet obuenientis libertatis hæredem instituere.

XXIII. MARCELLVS.

Vter ex fratribvs meis consobrinam nostram dvxerit vxorem,
D EX DODRANTE: QVI NON DVXERIT, EX QVADRANTE HAERES ESTO. Et ubi alteri non uult nubere cōsobrina: qui ex his duxit, habebit dodrantem, eritq; alterius quadrans. si neuter eā duxerit uxorē: non quia ipsi ducere noluerūt, sed quia illa nubere noluit: ambo in partes æquales admittūtur. plerunq; enim hęc conditio, SI VXOREM DVXERIT, SI DEDERIT, SI FECERIT, ita accipi oportet, quod per eū nō stet, quò minus ducat, det, aut faciat. XXIIII. PAPINIANVS.

Qvi ex fratribvs meis Titiam consobrinam vxorem dvxerit, ex besse haeres esto: qvi non dvxerit, ex triente haeres esto. uiuo testatore consobrina defuncta, ambo ad hæreditatem uenient, & semisses habebunt: quia uerū est eos hæredes institutos, sed emolumento portionum euentu nuptiarum discretos.

E XXV. MODESTINVS.

Svb conditione hæres seruus institutus, sine iussu domini conditioni parēre nō potest.

XXVI. POMPONIVS.

Si pvpillus sub conditione hæres institutus fuerit: conditioni etiam sine tutoris authoritate parēre potest. idemq; & si legatum ei sub conditione relictum fuerit: quia conditione expleta, pro eo est, quasi purè ei hæreditas uel legatum relictum sit.

XXVII. MODESTINVS.

Qvidam in suo testamento hæredem scripsit sub tali conditione, si reliquias eius in mare abijciat. quærebatur, cum hæres institutus conditioni non paruisset: an expellendus esset ab hæreditate. Modestinus respondit. laudandus est magis, quàm accusandus hæres, qui reliquias testatoris non in mare secundum ipsius uoluntatem abiecit, sed memor humanæ

conditionis sepulturæ tradidit. sed hoc prius inspiciendum est, ne homo, qui conditionem B talem imposuit, neque compos mentis fuerit. igitur si perspicuis rationibus hæc suspitio amoueri potest: nullo modo legitimus hæres de hæreditate controuersiam faciet scripto. Hæredi, quem testamento purè instituit, codicillis adscripsit conditionem. quæro, an ei parere necesse habeat? Modestinus respondit. hæreditas codicillis neque dari, neque adimi potest. porrò in defectum conditionis de ademptione hæreditatis cogitasse intelligitur.

XXVIII. PAPINIANVS.

SI FILIUS sub conditione hæres erit, & nepotes ex eo substituentur: cum non sufficit sub qualibet conditione filium hæredem institui, sed ita demum testamentum ratum est, si conditio fuit in filij potestate: consideremus, nunquid intersit, quæ conditio fuerit adscripta. C utrum quæ moriente filio impleri non potuit: ueluti SI ALEXANDRIAM IERIT FILIVS, HAERES ESTO: isque Romæ decesserit. an uero, quæ potuit etiam extremo uitæ momento impleri: ueluti SI TITIO DECEM DEDERIT FILIVS MEVS, HAERES ESTO: quæ conditio nomine filij per alium impleri potest. nam superior quidem species conditionis admittit uiuo filio nepotes ad hęreditatem: qui si neminem substitutũ haberet, dum moritur, legitimus patri hęres existeret. argumentoque est, quod apud Seruiũ quoque relatum est. quendam enim refert ita hæredem institutum, SI IN CAPITOLIVM ASCENDERIT: & si non ascendisset, legatum ei datum: eumque antè, quàm ascenderet, mortem obijsse. de quo respondit Seruius conditionem morte defecisse. ideoque moriente eo legati diem cessisse. altera uero species conditionis uiuo filio non admittit nepotes ad hæreditatem: quia si substituti nõ essent, intestato auo hæredes existerent. neque enim filius uidetur obstitisse, post cuius mortem patris testamentum destituitur: quemadmodum si exhæredato eodem filio, nepotes (cum filius moreretur) hæredes fuissent instituti.

DE IVRE DELIBERANDI. TIT. VIII.

I. VLPIANVS.

SI SERVVS fuerit hæres institutus: utique non ipsi præstituemus tempus ad deliberandum, sed ei, cuius seruus est: quia pro nullo isti habentur apud prætorem. itemque si plurium seruus sit: utique omnibus dominis præstituemus. Ait prætor, SI TEMPVS AD DELIBERANDVM PETET, DABO. cũ dicit tempus, E nec adiecit diem: sine dubio ostendit, esse in ius dicentis potestate, quem diem præstituat.

II. PAVLVS.

ITAQVE pauciores, quàm centum dies, non sunt dandi.

III. VLPIANVS.

NEC non illud sciendũ est: nonnunquã semel, nonnunquàm sæpius diem ad deliberandũ dandũ esse: dummodo prætori suadeatur tempus, quod primũ aditus præstituerat, non sufficisse.

IIII. IDEM.

SED hoc impetrari non debet, nisi ex magna caussa.

V. IDEM.

ARISTO scribit: non solum creditoribus, sed etiam hæredi instituto prætorem subueni- F re debere, hisque copiam instrumentorum inspiciendorum facere: ut proinde instituere se possint, expediat, nec ne, agnoscere hæreditatem. Si maior sit hæreditas, & deliberat hæres, & res sunt in hæreditate, quæ ex tractu temporis deteriores fiunt: adito prætore potest is, qui deliberat, sine præiudicio eas iustis pretijs uendere. qui possit etiam ea, quæ nimium sumptuosa sint (ueluti iumenta aut uenalicia) item ea, quæ mora deteriora fiant, uendere: quique præterea curaturus sit, ut æs alienum, quod sub pœna, uel in preciosis pignoribus debeatur, soluatur.

VI. CAIVS.

IGITVR siquidem in hæreditate sit uinum, oleum, frumentum, numerata pecunia: inde fieri debebũt impendia. si minus: à debitoribus hæreditarijs exigẽda pecunia. quod si nulli

sint

A sint debitores, aut iudicem prouocent: uenire debent res superuacuæ.

VII. VLPIANVS.

AIT prætor. SI PVPILLI PVPILLÆVE NOMINE POSTVLABITVR TEMPVS AD DELIBERANDVM, AN EXPEDIAT EVM HAEREDITATEM RETINERE, ET HOC DATVM ERIT: SI IVSTA CAVSSA ESSE VIDEBITVR, BONA INTEREA DEMINVI, NISI CAVSSA COGNITA BONI VIRI ARBITRATV, VETABO. Meritò prætor impedit interim deminutionem, quandiu nomine pupilli petitur tempus ad deliberandum. Quid sit autem DEMINVI VETABO, uideamus. his uerbis prætor non tantum alienationem impedit, uerum etiam actiones exerceri non patitur. est enim absurdum ei, cui alienatio inter-
B dicitur, permitti actiones exercere. & ita Labeo scribit. In caussæ autē cognitione hoc uertitur, an iusta caussa sit, ut deminuere prætor permittat. Ergo & funeris caussa deminui permittet, Item eorum, quæ sine piaculo non possunt præteriri. uescendi gratia æquè deminui permittet. sed & ubi urget, ex alijs quoque caussis permittere eum oportet: putà ut ædificia sarciantur, ne agri inculti sint, si qua pecunia sub pœna debetur, ut restituatur, ne pignora distrahātur. ex alijs quoque iustis caussis prætor aditus deminutionem permittit. neque enim sine permissu eius debet deminutio fieri.

VIII. IDEM.

SI QVIS suus hæres postea, quàm se abstinuerit, tunc petat tempus ad deliberandū: uideamus, an impetrare debeat. magisque est, ut ex caussa debeat impetrare, cum nondū bona
C uænierint. IX. PAVLVS.

FILIVS, dum deliberat, alimenta habere debet ex hæreditate.

X. MARCELLVS.

SI PLVRES gradus sint hæredum institutorum: per singulos obseruaturum se ait prætor, id quod de præfiniendo tempore deliberationis edicit: uidelicet ut à primo quoque ad sequētē translata hæreditate, quàm primū inueniat successorē, qui possit defuncti creditoribus respondere. XI. IABOLENVS.

QVI filium libertinum habebat, hæredē eum instituerat, deinde ita scripserat. SI MIHI FILIVS NVLLVS ERIT, QVI IN SVAM TVTELAM VENIAT, TVNC DAMA SERVVS LIBER ESTO. is filius pupillus libertinus erat. quærebatur, si Dama liber esset? Trebatius
D negat: quia filij appellatione libertinus quoque contineretur. Labeo cōtrà: quia eo loco uerū filiū accipi oporteret. Trebatij sententiā probo: si tamen testatorē de hoc filio locutū esse appareat.

DIGESTORVM SEV

PANDECTARVM LIBER VICESIMVS NONVS.

DE MILITARI TESTAMENTO. TIT. I.

VLPIANVS.

E MILITIBVS liberam testamenti factionem primus quidem diuus Iulius Cæsar cōcessit: sed ea cōcessio temporalis erat. postea uero primus diuus Titius dedit. post hoc Domitianus. postea diuus Nerua plenissimā indulgentiam in milites cōtulit, eamque & Traianus secutus est. & exinde mādaris inseri cœpit caput tale. Cum in noticiā meam prolatū sit, subinde testamēta cōmilitonibus relicta proferri, quæ possint in controuersiā deduci, si ad diligentiā legū & obseruantiā reuocentur: secutus animi mei integritudinē erga optimos fidelissimosque cōmilitones, simplicitati eorum consulendum existimaui: ut quoquomodo testati fuissent, rata esset eorū uoluntas. Faciant igitur testamēta, quo modo uolēt: faciant, quo modo poterint: sufficiatque ad bonorū suorū diuisionē faciendā nuda uoluntas

luntas teſtatoris. Miles autẽ appellatur uel à malitia, id eſt duritia, quam pro nobis ſuſtinet: aut à multitudine: aut à malo, quod arcere milites ſolent: aut à græco uerbo χίλιον, unde χιλιασὺς tractũ eſt. nam ita Græci τάγμα, & mille hominum numerũ appellant, quaſi milleſimũ quenque dicas, unde ipſum quoque ducem χιλίαρχον appellant. exercitus autem nomen ab exercitatione traxit. F

II. CAIVS.

De militis teſtamento ideo ſeparatim proconſul edicit: quod optimè nouit, ex conſtitutionibus principalibus propria atq; ſingularia iura in teſtamento eorum obſeruari.

III. VLPIANVS.

Si miles, qui deſtinauerat communi iure teſtari, antè defecerit, quàm teſtaretur: Pomponius dubitat. ſed cur non in milite diuerſum probet? neq; enim qui uoluit iure communi teſtari, ſtatim beneficio militari renunciauit: nec credendus eſt quiſquam genus teſtandi eligere ad impugnanda ſua iudicia. ſed magis utroq; genere uoluiſſe propter fortuitos caſus: quemadmodum pleriq; pagani ſolent, cum teſtamentum faciunt, per ſcripturam adijcere, uelle hoc etiam uice codicillorũ ualere. nec quiſquam dixerit, ſi imperfectum ſit teſtamentũ, codicillos non eſſe. nam ſecundum noſtram ſententiam & diuus Marcus reſcripſit. G

IIII. IDEM.

Ivre militari ſurdum & mutum teſtamentum facere poſſe, ante cauſſariam miſſionem, in numeris manentem, placet.

V. IDEM. H

Milites etiam his, qui hæredes eis exſtiterint, poſſunt ſubſtituere: in his dũtaxat, quæ ſunt in teſtamento eorum conſecuti.

VI. IDEM.

Si miles unum ex fundo hæredem ſcripſerit: creditur, quãtum ad reſiduum patrimonij, inteſtatus deceſſiſſe. miles enim pro parte teſtatus poteſt decedere, & pro parte inteſtatus.

VII. IDEM.

Qvi iure militari teſtatur, & ſi ignorauerit prægnantẽ uxorẽ: uel cum prægnatẽ ſcierit, hoc tamen animo ſit, ut uelit, quiſquis ſibi naſceretur, exhæredẽ eſſe: teſtamentũ non rumpitur.

VIII. MARCELLVS.

Idem eſt, & ſi adrogauerit filium, nepoſue ſucceſſerit in locum filij. I

IX. VLPIANVS.

Idem qve erit dicendum, & ſi nato filio, uiuo ſe, maluit eodem teſtamento durante decedere. nam uidetur iure militari refeciſſe teſtamentum: ut eſt reſcriptum à diuo Pio in eo, qui cum eſſet paganus, fecit teſtamentum, mox militare cœpit. nam hoc quoq; iure militari incipiet ualere, ſi hoc maluit miles.

X. IDEM.

Facere teſtamentum miles in hoſtium poteſtate poſitus nec iure militari poteſt.

XI. IDEM.

Ex militari delicto capite damnatis teſtamentum facere licet, ſuper bonis duntaxat caſtrenſibus. ſed utrum iure militari, an iure communi, quæritur? magis autem eſt, ut iure militari ei teſtandum ſit. nam cum ei quaſi militi tribuatur ius teſtandi: conſequens erit dicere, iure militari ei teſtandum. quod ita intelligi oportet, ſi non ſacramenti fides rupta ſit. Si miles incertus, an ſui iuris ſit, teſtamentum fecerit: in ea conditione eſt teſtamentum eius, ut ualeat. nam & ſi incertus, an pater ſuus uiuat, teſtamentum fecerit: teſtamentũ eius ualebit. K

Si filiusfamiliàs ignorans patrem ſuum deceſſiſſe, de caſtrenſi peculio in militia teſtatus ſit: non pertinebunt ad hæredem eius patris bona ſed ſola caſtrenſia.

XII. PAPINIANVS.

Milites enim ea duntaxat, quæ habent, ſcriptis relinquunt.

XIII. VLPIANVS.

Idem eſt, & ſi de teſtamento mutando cogitauerit: non quia adimere uolebat caſtrenſia bona

A bona hæredi scripto, sed quia de paternis testari uolebat, & alium hæredem scribere. sed si iam ueteranus decessit: uniuersa bona, etiam paterna, ad hæredem pertinere castrensium, Marcellus libro decimo Digestorum scribit. neque enim iam potuit de parte bonorum testari. Deportati, & ferè omnes hi, qui testamenti factionem non habent, à milite hæredes institui possunt. sed si seruum pœnæ hæredem scribat, institutio nō ualebit: licet si mortis tempore in ciuitate inueniatur, institutio incipiat conualescere, quasi nunc data hæreditate. & generaliter in omnibus id poterit dici, quos miles scribit hęredes: ut institutio incipiat uires habere, si mortis tempore talis inueniatur, ut à milite institui potuerit. Si seruum proprium, quem liberum esse credidit, miles hæredem sine libertate instituit: in ea conditione est, ut institutio non ualeat. Cum miles in testamento suo seruo libertatem dederit, B eidemque & à primo & à secundo hæredem per fideicōmissum hæreditatē reliquerit: quamuis & primus hæres, & substitutus, prius quàm adierit hæreditatem, mortem obierit: non debere intestati exitum facere, Imperator noster cum diuo Vero rescripsit. sed perinde habendum esse, ac si eidem seruo libertas simul & hæreditas directo data esset: quæ utraque ad eum peruenire testatorem uoluisse negari non potest.

XIIII. MARCELLVS.

TRACTAbatur, an tale aliquid & in paganorum testamentis indulgendum esset. & placuit nō sine distinctione hoc fieri. sed siquidem uiuo testatore, & sciente decessisset: nihil noui statuendum. si autem ignorante, aut post mortem eius: omnimodo subueniendum.

C XV. VLPIANVS.

IN FRAVdem planè creditorum nec miles amplius, quàm unum necessarium, facere poterit. Sicut autem hæreditatem miles nuda uoluntate dare potest, ita & adimere potest. denique si cancellauerit testamentum suum, uel inciderit: nullius erit momenti. si tamen testamentum cancellauerit, & mox ualere uoluerit: ualebit ex suprema uoluntate. & ideo cum miles induxisset testamentum suum, mox annulo suo signasset: qui super ea re cogniturus erit, considerabit, quo proposito id fecerit. nam si mutatæ uoluntatis eum pœnituisse probabitur: reuocatum testamentum intelligetur. quod si ideo, ne ea, quæ scripta fuerant, legi possint: caussa irriti facti iudicij potior existimabitur. Testamentum ante militiam factum à milite, si in militia decesserit, iure militari ualere, si militis subiūcta uoluntas contra D ria non sit, diuus Pius rescripsit. Si quis se scribat hæredem in testamento militis: non remittitur ei senatusconsulti pœna. Miles & ad tempus hæredem facere potest, & alium post tempus, uel ex conditione, uel in conditionem. Item tam sibi, quàm filio iure militari testamentum facere potest. & soli filio, tametsi sibi non fecerit. quod testamentum ualebit, si forte pater uel in militia, uel intra annum militiæ decessit. Bonorum possessionem ultra tempora edicto determinata, nec militis posse agnosci, Papinianus libro decimoquarto scribit: quia generalis est ista determinatio.

XVI. PAVLVS.

DOTALEM fundum si legauerit miles: non erit ratum legatum propter legem Iuliam.

XVII. CAIVS.

E SI CERtarum rerum hæredes instituerit miles: ueluti alium urbanorum prædiorum, alium rusticorum, alium cæterarum rerum: ualebit institutio: perindeque habebitur, atque si sine partibus hæredes eos instituisset, resque omnes suas per præceptionem cuique legando distribuisset. Iulianus etiam ait. si quis alium castrensium rerum, alium cæterarum scripsisset: quasi duorum hominum duas hęreditates intelligi: ut etiam in æs alienum, quod in castris contractum esset, solus is teneatur, qui castrensium rerum hęres institutus esset: extra castra contracto ære alieno is solus obligetur, qui cæterarum rerum hęres scriptus esset. cui scilicet cōueniens uidetur respondisse, ut ex quaqua caussa debeatur militi: uel huic hæredi, uel illi, ipso iure debeatur. Quod si alterutra pars bonorum æri alieno, quod ex ea caussa pendebit, nō sufficiat: & propter hoc is, qui ex ea parte hęres institutus est, nō adierit: alterum, qui adijsset, cōpellendum esse, aut defendere totam hęreditatem, aut totam creditoribus soluere.

Si co-

Si eodem testamento miles eundem hæredem, deinde exhæredem scripserit: adempta F uidetur hæreditas, cum in paganorum testamento sola exhęredatione hæreditas adimi nõ possit. Si pater à filiofamilias & milite ex castrensi peculio hæres institutus, omissa caussa testamenti aliquid ex peculio possidebit, doloúe malo fecerit, quò minus possideret: dãtur in eum legatorum actio. Si miles testamentum in militia fecerit, codicillos post militiam; & intra annum missionis moriatur: plerisq; placet, in codicillis iuris ciuilis regulam spectari debere, quia non sunt à milite facti. nec ad rem pertinere, quod testamento confirmati sunt. ideoq; in his legatis, quæ testamento data sunt, legi Falcidiæ locum non esse. at in his, quæ codicillis scripta sunt locum esse. G

XVIII. TRIPHONINVS.

Si vero composita utraq; legata, tam quæ testamento, quàm quæ codicillis data sunt, ultra dodrantem sint: quæritur, quatenus minuantur ea, in quibus Falcidia locum habet: commodissimè autem id statuetur, ut ex uniuersitate bonorum in solidum solutis legatis, quæ testamento miles dẽderat: id, quod superérit, pro dodrante & quadrante diuidatur inter hæredes & eos, quibus codicillis legata data sunt. Quid ergo, si consumant uniuersorum bonorum quantitatem legata, quę testamento data sunt: utrum nihil ferent hi, quibus codicillis legatum est: an aliquid: & quoniam si adhuc miles hoc quoq; legasset, contribuerentur omnia, & pro rata ex omnibus decederet ea portio, quam amplius legauerat, quàm in bonis habuerat: nunc quoq; idem fiat deinde constituta quantitate legatorum, quæ codicillis data sunt: ex summa, quæ efficiebatur debita, si æquo iure omnia deberentur, quartam deducent his solis, quibus codicillis legata sunt. quod si post utraq; legata solida computata deprehenderetur. Quod remaneat apud hæredem, nõ tamen sufficiens quartæ eorundem legatorum: quod ei deest, detrahatur his solis, quibus codicillis legata data sunt. H

XIX. VLPIANVS.

Qvaerebatvr, si miles, qui habebat iam factum testamentum, aliud fecisset: & in eo comprehendisset, se fidei hæredis committere, ut priores tabulæ ualerent: quid iuris esset: dicebam. militi licet plura testamenta facere. sed siue semel fecerit, siue separatim: utiq; ualebunt si hoc specialiter expressérit, nec superius per inferius rumpetur, cum & ex parte hæredẽ instituere possit, hoc est ex parte testato & ex parte in testato decedere. quinimò & si codicillos antè fecerat: poterit eos per testamentum sequens cauendo, in potestatem institutionis redigere & efficere directam institutionem, quæ erat precaria. secundum hæc in proposito referebam. si hoc animo fuerit miles, ut ualeret prius factum testamentum: id quod cauit, ualere oportere: ac per hoc effici, ut duo testamenta sint. sed in proposito cum fidei hęredis committatur, ut ualeat prius testamentum: apparet, eum nõ ipso iure ualere uoluisse, sed magis per fideicommissum: id est in caussam fideicommissi, & codicillorum uim prioris testamenti conuertisse. utrum autem totum testamentum in eam caussam conuersum sit, hoc est & hæredis institutio: an uero legata tantum, & fideicõmissa, & libertates, quæritur: sed mihi uidetur non solum cætera præter institutionem hæredis, sed & ipsam institutionem in caussam fideicommissi uertisse: nisi aliud testatorem scripsisse probetur. Si quis à milite hæres ad tempus scriptus sit, & alius ex tempore: quæritur an posterior hęres à priore relicta legata debeat: & arbitror hunc non debere: nisi alia uoluntas militis probetur. I K

XX. IVLIANVS.

Tribvnvs militum si intra dies certos, quàm successor eius in castra uenerat, manens in castris, codicillos fecerit, & ibi decesserit: quoniam desinit militis loco haberi, postquam successor eius in castra uenit: ideo communi iure ciuium Romanorũ codicilli eius æstimandi sunt. Cum aliquis facto testamento militare cœperit: id quoq; testamentũ, quod antè, quàm militare cœpit, fecerat, aliquo casu intelligetur militiæ tempore factũ. ueluti si tabulas inciderit, & legerit testamentum, ac rursus suo signo signauerit. amplius & si aliquid interleuerit, perduxerit, adiecerit, emendauerit. quod si nihil horum inciderit: testamentum eius ad priuilegia militum non pertinebit.

Quod

A XXI. AFRICANVS.

QVOD constitutum est, ut testamentum militiæ tempore factum etiam intra annum post missionem ualeret: quantum ad uerba eius, ad eos duntaxat, qui mitti solent, id beneficium pertinere existimauit. secundum quod neque præfectos, neque tribunos, aut cæteros, qui successoribus exceptis militare desinunt, hoc priuilegium habituros.

XXII. MARTIANVS.

MILES filiusfamiliâs si capite minutus fuerit, uel emancipatus, uel in adoptionem dâtus à patre suo testamentum eius ualet, quasi ex noua uoluntate.

XXIII. TERTYLLIANVS.

B IDEM & si paterfamiliâs miles de castrensibus rebus duntaxat testatus ad togandum se dederit. si uero missus iam hoc fecerit: non ualet testamentum.

XXIIII. FLORENTINVS.

DIVVS Traianus Catilio Seuero ita rescripsit. id priuilegiũ, quod militantibus dâtum est, ut quoquo modo facta ab his testamenta rata sint: sic intelligi debet, ut utique prius constare debeat, testamentum factum esse: quod & sine scriptura, & à non militantibus fieri potest. si ergo miles, de cuius bonis apud te quæritur, conuocatis ad hoc hominibus, ut uoluntatem suam testaretur: ita locutus est, ut declararet, quem uellet sibi hæredem esse, & cui libertatẽ tribueret: potest uideri sine scripto hoc modo esse testatus, & uoluntas eius rata habẽda est. Cęterũ si (ut plerunque sermonibus fieri solet) dixit alicui. EGO TE HAEREDEM FA
C CIO: aut, TIBI BONA MEA RELINQVO: non oportet hoc pro testamento obseruari. nec ullorum magis interest, quàm ipsorũ, quibus hoc priuilegiũ dâtũ est, eiusmodi exemplum non admitti. alioqui non difficulter post mortem alicuius militis testes existerent, qui adfirmarent se audisse dicentem aliquem, relinquere se bona, cui uisum sit: & per hoc iudicia uerra subuerterentur.

XXV. MARCELLVS.

TITIVS prius, quàm tribunus legionis factus esset, testamẽtum fecit: & postea cinctus, manente eodem, defunctus est. quæro, an militis testamentum uideatur esse. Marcellus respondit. testamentum, quod ante tribunatum fecisset (nisi postea, quàm ab eo factum esset, dictum esse probaretur, quod ualere uellet) ad commune ius pertinet. Constitutionibus enim principum non militum testamenta, sed quæ à militibus facta sunt, confirmantur. sed
D plane fecisse testamentum eum interpretandum est: qui se uelle testamentum, quod antè fecerat, ualere aliquo modo declarauit.

XXVI. MARTIANVS.

TESTAmenta eorum, qui ignominiæ caussa sunt missi, statim desinũt militari iure ualere: quod anni spacium testamentis eorum, qui honestam uel caussariam missionem meruerunt, tribuitur. Ius testandi de castrensi peculio, quod filijsfamiliâs militantibus cõcessum est: ad eos, qui ignominiæ caussa sunt missi, nõ pertinet: quod hoc præmij loco merentibus tributum est.

XXVII. PAPINIANVS.

CENTurio secũdo testamento posthumos hęredes instituit, neque substitutos dedit. quibus non additis, ad superius testamentũ se redire testatus est. cætera, quæ in secundo testa-
E mento scripsit, irrita esse placuit: nisi nominatim ea confirmasset, ad priorem uoluntatẽ reuersus.

XXVIII. VLPIANVS.

CVM filiusfamiliâs miles decessisset, filio impubere hærede instituto, eique substituisset in aui potestate manenti, tutoresque dedisset: diui fratres rescripserunt, substitutionem quidem ualere, tutoris autem dâtionem non ualere: quia hęreditati quidem suæ miles, qualem uelit, substitutionem facere potest: ueruntamen alienum ius minuere non potest.

XXIX. MARCELLVS.

SI À milite scriptus hæres, sua sponte adierit hæreditatem, & rogatus totam hæreditatem restituerit: ex Trebelliano transeũt actiones. Miles testamento suo manumittendo, nihil efficit in eo, cuius libertas lege Aelia Santia, uel alia impediatur. Edictum pretoris, quo iusiurandum hæredibus institutis legatarijsque remittitur, locum habet etiãm militum

testamentis,sicut etiam in fideicommissis.idemq́; si turpis esset conditio. Patri,qui in emancipationem ipse manumissor exstitisset, contra tabulas testamenti dandam bonorum possessionẽ partis debitę placet:exceptis his rebus,quas in castris adquisisset,quarum liberam testamenti factionem habet. F

XXX. PAVLVS.

NAM IN bona castrensia non esse dandam contra tabulas filij militis bonorum possessionem,diuus Pius Antoninus rescripsit.

XXXI. MARCELLVS.

SIMILES Titio & Seio seruum legauerit,& eum Titius manumisisset deliberante Seio, moxq́; is legatum omisisset : liberandum fore dico : quia & si hæres seruum alicui legatum interim manumisisset,deinde legatarius repudiasset,liber esset. G

XXXII. MODESTINVS.

SI secundum probabilem uoluntatem militis hæreditas eius nõ adeatur: nec castrenses res heredibus competunt.

XXXIII. TERTYLLIANVS.

SI FILIUSFAMILIÁS miles fecisset testamentum more militiæ, deinde post mortem patris posthumus ei nasceretur:utiq́; rumpitur eius testamentum.uerum si perseuerasset in ea uoluntate,ut uellet adhuc illud testamentum ualere:ualiturum illud,quasi rursum aliud factũ: si modo militaret adhuc eo tempore.quo nasceretur illi posthumus. sed si filiusfamiliás miles fecisset testamentum, deinde postea uiuo eo, & adhuc auo quoq́; superstite , nasceretur ei posthumus:non rumpitur eius testamentũ: quia cum id,quod nasceretur, in potestatem eius non perueniret:non uidetur suus hęres adgnasci.ac ne auo quidem suo hunc nepotem H posthumum, cum uiuo filio nasceretur, suum hæredem protinus adgnasci . & ideo nec aui testamentum rumpi.quoniam licet in potestate aui protinus esse inciperet:tamen antecederet eum filius. secundum quæ filiusfamiliás miles testamentum fecerit, & omiserit posthumum per errorem,quem non uolebat exhęredatum:deinde posthumus post mortem aui, uiuo adhuc filio, id est,patre suo natus fuerit:omnimodo rumpet illius testamentum.sed siquidem pagano iam illo facto natus sit:nec conualescet ruptum. si uerò militante adhuc natus fuerit:rumpetur.deinde si uoluerit ratum illud esse pater:conualescet sic,quasi denuo factum.Sed & si uiuo auo nascatur posthumus:hic non rumpet continuò patris testamentũ. si superuixerit post mortem aui,uiuo adhuc patre:rumpet,quod nouus illi nunc primus hęres adgnascitur.ita tamen,ut nunquam possit duorum simul testamenta rumpere,& aui,& I patris.

XXXIIII. PAPINIANVS.

EIVS militis,qui doloris impatientia,uel tædio uitæ mori maluit: testamentum ualere, uel intestati bona ab his,qui lege uocantur,uindicari,diuus Hadrianus rescripsit. Militia missus intra annum testamẽtum facere cœpit,neq́; perficere potuit. potest dici, solutum ita esse testamentum,quod in militia fecit,si iure militiæ fuit scriptum. alioquin si iure communi ualuit:non esse iure rescissum.nec tamen circa militẽ eadem adhibebitur distinctio. nam quocunq́; modo testamẽtum fecerit, nouissima uoluntate rescindetur : quoniam uoluntas quoq́; militis testamenti est.

XXXV. IDEM.

MILES SI testamentum imperfectum relinquat,scriptura,quæ profertur, perfecti testamenti potestatem obtinet.nam militis testamentum sola perficitur uoluntate:quiq́; plura per dies uarios scribit,sæpe testamentum facere uidetur. K

XXXVI. IDEM.

MILITIS codicillis ad testamentum factis,etiam hæreditas iure uidebitur dari. quarẽ si partem dimidiam hæreditatis codicillis dẽderit:testamento scriptus ex asse hęres partem dimidiam habebit:legata autem testamento dãta cõmuniter debentur . Miles castrensium bonorum & non castrensium diuersis hæredibus institutis , postea castrensium bonorum alios hæredes instituit . prioribus tabulis tantũ,abstulisse uidetur, quantum in posteriores contulerit : nec uidetur mutare , & si prioribus tabulis unus hæres scriptus fuisset . Miles in supremis ordinandis ignarus uxorem esse prægnantem, uentris nõ habuit mentionem. post mortem patris filia nata, ruptum esse testamentum apparuit , neque legata deberi . Si

qua

A qua uero medio tempore scriptus hæres legata soluisset: utilibus actionibus filiæ dátis, ob improuisum casum esse reuocanda: nec institutum (cum bonæfidei possessor fuerit) quod inde seruari potuisset, præstare. Veteranus moriens testamentum iure communi tempore militiæ factum, irritum esse uoluit, & intestatus esse maluit. hæredum institutiones in eodem statu mansisse placuit. legata uerò petentes exceptione doli mali secundum ius commune submoueri placuit: cuius exceptionis uires ex persona petentis æstimantur. alioquin potior est in re pari caussa possessoris. Miles iure communi testatus, postea testamento iure militiæ super bonis omnibus facto, post annum militiæ uita decesserat. prioris testamenti, quod ruptum esse constabat, non redintegrari uires constitit.

XXXVII. PAVLVS.

B Si duobus à milite liberto scriptis hæredibus, alter omiserit hæreditatem: pro ea parte intestatus uidebitur defunctus decessisse: quia miles & pro parte testari potest. & competit patrono ab intestato bonorum possessio: nisi hæc uoluntas defuncti probata fuerit, ut omittente altero, ad alterum uellet totam hæreditatem redire.

XXXVIII. IDEM.

Quod dicitur, si miles intra annum, quàm missus est, decesserit, ualere eius testamentũ, quod iure militari fecerat: uerum est, etiam si post annum conditio institutionis exstiterit, mortuo eo intra annum. & ideo si hæredi filio substituerit: nihil interest, quando filius moriatur, sufficit enim patrem intra annum obijsse. Miles testamentum fecerat. deinde non C ignominiæ caussa missus, rursus cinctus in alia est militia. quærebatur, an testamentũ eius, quod in militia fecerat, ualeret? quæsiui, utrum iure militari, an communi iure testatus esset? & siquidem iure communi testatus esset: nulla dubitatio est, quin ualeat. sed si ut miles fecisset testamẽtum: agitari cœpit, quando adsumptus fuisset, postquam desijt in numeris esse: utrum intra annum, an post annum? cognoui intra annum eum adsumptũ. ergo si cum adhuc iure militari ualeret, rursus eodem iure posset testari: nunquid etiam post annũ eo mortuo testamentum ualeat? me mouebat, quod alia militia esset posterior. sed humanius est dicere, ualere testamentũ, quasi coniuncto munere militiæ. nõ loquor de eo, qui uoluit ualere testamentum etiã adsumptus. hic enim quasi in militia sequenti fecit testamentũ exemplo eius, qui paganus fecit, deinde militare cœpit. XXXIX. IDEM.

D Si filiusfamiliâs miles captus, apud hostes decesserit: dicemus, legẽ Corneliam etiã ad eius testamentũ pertinere. sed quæramus, si pater eius prius in ciuitate decesserit, relicto nepote ex filio: an similiter testamentum patris rumpatur? & dicendum est non rumpi testamentum: quia ex eo tempore, quo captus est, uidetur decessisse.

XL. IDEM.

Lucius Titius miles notario testamentum scribendum notis dictauit, & antè quàm literis perscriberetur, uita defunctus est. quæro, an hæc dictatio ualere possit? respondi. militibus quo modo uolunt, & quo modo possunt, testamentũ facere concessum esse: ita tamen, ut hoc ita subsecutum esse, legitimis probationibus ostendatur. Idem respondit. ex testamento eius, qui iure militari testatus esset: seruum, qui (licet sub cõditione) legatum meruit, E etiam libertatem posse sibi uédicare. Item Lucius Titius miles testamentũ ita fecit, PAMPHILA SERVA MEA EX ASSE MIHI HAERES ESTO. alio deinde capite Sempronio commilitoni suo eandem Pamphilam reliquit: cuius fidei commisit, ut eam manumitteret. quæro, an hæres esset Pamphila, atque si directò accepisset libertatem? Respondi. intelligendum militem, qui ancillam suam hæredem instituerat, ignorasse: posse ex ea institutione etiam libertatem ei competere. & ideo sine caussa postea à commilitone petisse, ut eandẽ manumitteret. Igitur cum ex priore scriptura libera & hæres effecta est: postea nullo præiudicio uoluntati facto, frustra legata est. XLI. TRIPHONINVS.

Miles ita hæredem scribere potest, QVOAD VIVIT TITIVS, HAERES ESTO: POST MORTEM EIVS SEPTICIVS. sed si ita scripserit, TITIVS VSQVE AD ANNOS DECEM HAERES ESTO: nemine substituto, intestati caussa post decem annos locũ habebit. & quia

diximus ex certo tempore,& usq; ad certum tempus milites posse instituere hæredem: his consequens est,ut ante quàm dies ueniat,quo admittatur institutus,intestati hæreditas deferatur:& quod in bonorum possessione ei licet,hoc etiã in temporis spacio (licet non modicũ sit) ex eodem priuilegio competat. Mulier, in quam turpis suspicio cadere potest, nec ex testamento militis aliquid capere potest, ut diuus Hadrianus rescripsit: nec tutorem ei, qui in aliena potestate est,miles dare potest. Si miles exhæredauerit filium, uel sciens eum filium suum esse, silentio prætermiserit:an legatum à substituto ei dari possit, quæsitum est: dixi, non posse, licet ampla legata reliquerit. Exhæredato miles & emancipato filio substituere potest.uerum hoc ius in his exercebitur, quæ ab ipso ad eum, cui substituit, peruenerint:non etiam in his,quæ habuerit,uel postea adquisierit. nam & si filio suo,uiuo adhuc auo,substituit:post adquisitam ei aui hæreditatem nemo diceret ad substitutum pertinere. G

Si militis hæreditas adita nõ fuerit:an substitutio,quam pupillo fecit,ualeat,quæritur: & consequens erit hoc dicere: quia permittitur militem filio facere testamentum, quamuis sibi non fecerit.

XLII. VLPIANVS.

Ex eo tempore quis iure militari incipit posse testari,ex quo in numeros relatus est:antè non.proinde qui nondum in numeris sunt, licet etiã lecti uel tirones sunt, & publicis expensis iter faciunt,nondum milites sunt.debent enim in numeros referri.

XLIII. PAPINIANVS.

Filiusfamiliâs equestri militia exornatus,& in comitatu principum retentus,cingi confestim iussus,testamentum de castrensi peculio facere potest. H

XLIIII. VLPIANVS.

Rescripta principũ ostendũt omnes omnino, qui eius sunt gradus, ut iure militari testari nõ possint:si in hostico deprehẽdantur,& illic decedãt:quomodo uelint, & quomodo possint,testari:siue præses sit prouinciæ,siue quis alius,qui iure militari testari non potest.

DE ADQVIRENDA VEL OMITTENDA hæreditate. TIT. II.

I. PAVLVS.



Qui totam hæreditatem adquirere potest, is pro parte eam scindendo adire non potest. II. VLPIANVS. I

Sed & si quis ex pluribus partibus in eiusdem hæreditate institutus sit:non potest quasdam partes repudiare,quasdam agnoscere.

III. IDEM.

Quamdiu prior hæres institutus hæreditatem adire potest,substitutus non potest.

IIII. IDEM.

Nolle adire hæreditatem non uidetur,qui non potest adire.

V. IDEM.

Mutum,necnon surdum,etiã ita natos,pro hærede gerere,& obligari hæreditati posse constat. Eum,cui lege bonis interdicitur, hæredem institutum, posse adire hæreditatem constat. VI. IDEM. K

Qui in aliena est potestate,nõ potest inuitum hæreditati obligare eum, in cuius est potestate,ne æri alieno pater obligetur.sed in bonorum possessione placuit,ratam haberi posse eam,quam citra uoluntatem agnouit is, qui potestati subiectus est. sed & si legitima hæreditas filio delata sit ex senatusconsulto Orfitiano matris, idem erit probandum. Sed & si non adierit filius,diu tamen possedit pater hæreditatem:credendus est uterq; adisse hæreditatem,ut diuus Pius & Imperator noster rescripserunt. Si is,qui putabat se filiumfamiliâs,patris iussu adierit:cum neq; sibi,neq; ei,qui iussit, quæsisse hæreditatem cõstat:quanquam is,quem pater iussit adire,& decessit,si adierit iam mortuo patre,obliget se hæreditati,ut Iulianus libro tricesimo Digestorũ scripsit. nam & eũ, qui dubitat,utrũ filiusfamiliâs, an paterfamiliâs morte patris factus sit,posse adire hæreditatẽ,magis admittit. Interdum

filiusfami-

A filijfamiliâs & sine aditione adquirent hæreditatem his, in quorum sunt potestate: utputà, si nepos ex filio exhæredato heres sit institutus. patrê enim suum sine aditione faciet heredê, & quidem necessarium. Sed si quis hæres institutus, adoptetur à filio exhæredato: necessarium cum non facit, sed iuberi debet, ut adeat: quoniam mortis tempore in potestate non fuerit. nam per eum quis existere necessarius non potest, qui ipse nô esset exstatutus. Celsus libro decimoquinto Digestorû scripsit, eum qui metu uerborû, uel alio timore coactus, fallens adierit hereditatê: siue liber sit, hæredem non fieri placet: siue seruus sit, dominû hæredem non facere. VII. PAVLVS.

SI QVIS filiumfamiliâs hæredem instituerit, & ita scripserit, SI MIHI TITIVS ISTE FILIVSFAMILIAS HAERES NON ERIT, SEMPRONIVS HAERES ESTO. filio adeunte iussu patris, substitutus excluditur. Si filius prius, quàm sciret se necessariû exstitisse patri heredem, decesserit, relicto filio necessario: permittendû est nepoti abstinere se aui hæreditate: quia & patri eius idem tribueretur. In omni successione, qui eius hæres exstitit, qui Titio hæres fuit, Titio quoque hæres uidetur esse, nec potest Titij omittere hæreditatem.

VIII. VLPIANVS.

MORE nostræ ciuitatis, neque pupillus, neque pupilla, sine tutoris authoritate obligari possunt. hæreditas autem, quin obliget nos æri alieno, etiam si nô sit soluendo, plus quàm manifestum est. de ea autem hæreditate loquimur, in qua non succedunt huiusmodi personæ quasi necessariæ. Impubes, qui in alterius potestate est, si iussu eius adierit hæreditatem, licet consilij capax non fuerit, ei adquirit hæreditatem.

IX. PAVLVS.

PVPILLVS si fari possit, huius tamen ætatis sit, ut caussam adquirendæ hæreditatis non intelligat: quamuis non uideatur scire huiusmodi ætatis puer (neque enim scire, neque discernere talis ætas potest: non magis, quàm furiosus) tamen cum tutoris authoritate hæreditatem adquirere potest. hoc enim fauorabiliter ei præstatur.

X. VLPIANVS.

SI EX asse hæres destinauerit partem habere hæreditatis: uidetur in assem pro hærede gessisse. XI. POMPONIVS.

IMPVBERIBVS liberis omnimodo abstinendi potestas fit: puberibus autê ita, si se bonis non miscuerint. XII. VLPIANVS.

D EI, QVI se non immiscuit hæreditati paternæ: siue maior sit, siue minor: non est necesse prætorem adire, sed sufficit se non immiscuisse hæreditati. & est in semestribus Viuijs Soteri & Victorino rescriptû: non esse necesse pupillis in integrum restitui ex auito cêtractu, quorum pater côstituerat non agnoscere hæreditatê, nec quidquam amouerat, uel pro hærede gesserat. XIII. IDEM.

IS, QVI hæres institutus est, uel cui legitima hæreditas delata est, repudiatione hæreditatem amittit. hoc ita uerum est, si in ea caussa erat hæreditas, ut adiri posset. cæterum heres institutus sub conditione, si ante côditionem existentem repudiauit: nihil egit, qualis qualis fuit conditio, & si in arbitrium collata est. Si quis dubitet, uiuat testator, nec ne: repudiando nihil agit. substitutus quoque similiter, si antè repudiet, quàm hæres institutus decernat de hæreditate: nihil ualebit repudiatio. Neque filiusfamiliâs repudiando sine patre, neque pater sine filio alteri nocet. utrique autem possunt repudiare.

XIIII. PAVLVS.

IDEM est etiam, si legitima hæreditas filijs obuenit.

XV. VLPIANVS.

IS, QVI putat se necessarium, cum sit uoluntarius: non poterit repudiare. nam plus est in opinione, quàm in ueritate.

XVI. IDEM.

ET E contrario, qui se putat necessarium, uoluntarius existere non potest.

XVII. IDEM.

NEC IS, qui non ualere testamentum,aut falsum esse putat,repudiare potest. Sed si certum sit,falsum nō esse,quod falsum dicitur:sicut adeundo adquirit,ita & repudiando amittit hæreditatem. Heres institutus,idemq; legitimus,si quasi institutus repudiauerit:quasi legitimus non amittit hæreditatem.sed si quasi legitimus repudiauit:siquidem scit se hæredem institutum:credendum est utrunq; repudiasse.si ignorat: ad neutrum ei repudiatio nocebit, neq; ad testamentariam,quoniam hanc non repudiauit:neq; ad legitimam,quoniam nondum ei fuerat delata. F

XVIII. PAVLVS.

IS POTEST repudiare,qui & adquirere potest.

XIX. IDEM.

QVI HAEREDITATEM adire, uel bonorū possessionem petere uolet: certus esse debet defunctum esse testatorem. G

XX. VLPIANVS.

PRO HAEREDE gerere uidetur is,qui aliquid facit quasi hæres.& generaliter Iulianus scribit,eum demum pro hærede gerere,qui aliquid quasi hæres gerit. pro hærede autem gerere,non tam esse facti,quàm animi.nam hoc animo esse debet,ut uelit hæres esse.cæterum si quid pietatis, si quid custodiæ caussa fecit, si quid non quasi hæres egit, sed quasi alio iure dominus:apparet,non uideri pro hærede gessisse. & ideo solent testari liberi, qui necessarij existunt,non animo hæredis se gerere,quæ gerunt:sed aut pietatis,aut custodiæ caussa, aut pro suo.utputà patrem sepeliuit,uel iusta ei fecit.si animo hæredis:pro hærede gessit.enimuero si pietatis caussa hoc fecit:nō uidetur pro hærede gessisse. Seruos hæreditarios pauit, iumenta hæreditaria aut pauit,aut distraxit.si hoc ut hæres gessit: pro hærede. at si non ut hæres,sed ut custodiat,aut quia putauit sua,aut dum deliberat, quid fecit, consulens, ut saluæ sint res hæreditariæ, si forte ei non placuerit pro hærede gerere:apparet non uideri pro hærede gessisse.proinde & si fundos,aut ædes locauit,uel fulsit,uel quid aliud fecit,non hoc animo,quasi pro hęrede gereret:sed & dum ei,qui substitutus est,uel ab intestato hęres exstaturus est,prospicit:aut res tempore perituras distraxit:in ea caussa est,ut pro hęrede non gesserit,quia nō hoc animo fuerit. Si quid tamen quasi hęres petat,sed ex his,quæ ad hęredem extraneum non transeunt:uideamus,an oneribus se immerserit hæreditatis. utputà à liberto parentis operas petit,quas hæres extraneus petere non poterat, hic tamen petendo consequi potest,& constat pro hærede eum non gessisse, eum petitio earum etiam creditoribus competat,& maximè futurarū. sed & qui in sepulchrum hæreditariū mortuum intulit,obligari paternis creditoribus non est existimandus,ut Papinianus ait. quæ sententia humanior est, licet Iulianus contrà scripserit. Papinianus scribit, filiū hæredem institutū, qui se bonis paternis abstinuit,uulgò putare quosdam,si à statulibero pecuniam accepit, à crediroribus conueniendum:siue numi peculiares fuerint,siue nō fuerint: quia ex defuncti uoluntate accipitur,quod conditionis implendæ caussa datur. Iulianus autē,& si non abstinuit, idem existimauit. ita demū autē pro hærede gessisse ait Papinianus, si solus hæres sit. cæterum si cohæredem habeat,& cohæres adijt:nō est cogendus(inquit)is,qui accepit à statulibero,actiones creditorum suscipere.nam cum se filius abstinet: idem debebit consequi iure prætorio,quod emancipatus cōsequitur,qui hæreditatem repudiauit.quo facto statuliber filio nominatim pecuniā dare iussus,potuisset & nō hæredi dando ad libertatē peruenire.itaq; tunc pro hærede geri dicendum esse ait:quoties accipit, quod citra nomen, & ius hęredis accipere non poterat. Si sepulchri uiolati filius ageret,quamuis hæreditarij:quia nihil ex bonis patris capit,non uidetur se bonis miscere. hæc enim actio pœnam & uindictam,quàm rei persecutionem continet. H I K

XXI. IDEM.

SI QVIS extraneus rem hęreditariā quasi subripiens,uel expilans tenet: nō pro hærede gerit.nam admissum cōtrariam uoluntatem declarat. Interdum autem animus solus eum adstringet hæreditati:utputā si re non hæreditaria quasi hæres usus sit. sed ita demum pro hærede gerendo adquiret hereditatem,si iam sit delata.cæterū ex quibus causis repudiantē nihil agere diximus:ex ijsdem causis, nec pro hærede gerēdo, quidquā aget. Sciendū est

(ut Iulia-

A (ut Iulianus ſcripſit) ſi quis partem, ex qua inſtitutus eſt, ignorauit: nihil ei nocere, quominus pro hærede gerat. quod & Caſſius probat, ſi conditionem, ſub qua heres inſtitutus eſt, non ignorat: ſi tamen exſtitit conditio, ſub qua inſtitutus eſt. Quid tamen, ſi ignorat conditionem exſtitiſſe? puto poſſe adire hæreditatem: quemadmodum ſi ignoret, an cohæredis, cui ſubſtitutus eſt, repudiatione portio ei delata ſit.

XXII. PAVLVS.

SI IS, ad quem legitima hæreditas pertinet, putauerit defunctum ſeruum ſuum eſſe, & quaſi peculium eius nactus ſit: placet, non obligari eum hæreditati. Idem ergo dicemus (ut ait Pomponius) ſi quaſi liberti ſui, cum is ingenuus eſſet, bona occupauit. nam ut quis pro

B hærede gerendo obſtringat ſe hæreditati: ſcire debet, qua ex cauſſa hæreditas ad eum pertineat. ueluti adgnatus proximus iuſto teſtamento ſcriptus hæres, antequam tabulæ proferantur, cum exiſtimaret ab inteſtato patremfamiliâs mortuum: quamuis omnia pro domino fecerit, hæres tamen non erit. Et idem iuris erit, ſi non iuſto teſtamento ſcriptus hęres, prolatis tabulis, cum putaret iuſtum eſſe: quamuis omnia pro domino adminiſtrauerit, hæreditatem tamen non adquiret.

XXIII. POMPONIVS.

IN REPVDianda hæreditate uel legato, certus eſſe debet de ſuo iure is, qui repudiat.

XXIIII. VLPIANVS.

FVIT quæſtionis, an pro hærede gerere uideatur, qui precium hæreditatis omittendæ

C cauſſa capit. & obtinuit, hunc pro hærede quidem non gerere, qui ideo accepit, ne hęres ſit: in edictum tamen prætoris incidere. ſiue igitur à ſubſtituto hæres accepit, ſiue à legitimo: mortis cauſſa accepiſſe uidetur. Idémque erit, & ſi non accepit, ſed promiſſa ſit ei pecunia. nam & ſtipulando mortis cauſſa capit.

XXV. IDEM.

SI QVIS mihi bona fide ſeruiat ſeruus alienus: iuſſu meo hæreditatẽ adeũdo, nihil promouebit. nec adquiret mihi, ne fructuarius quidem. Seruus municipij, uel collegij, uel decuriæ hæres inſtitutus, manumiſſus, uel alienatus adibit hæreditatem. Si fiſci ſeruus ſit: iuſſu Procuratoris Cæſaris adibit hæreditatem, ut eſt ſæpe reſcriptum. Si quis planè ſeruus fuerit pœnæ effectus, ad gladium, uel ad beſtias, uel in metallum damnatus: ſi fue-

D rit hæres inſtitutus: pro non ſcripto hic habebitur, idq; diuus Pius reſcripſit. Iuſſus eius, qui in poteſtate habet, non eſt ſimilis tutoris authoritati, quæ interponitur perfecto negocio: ſed præcedere debet, ut Caius Caſſius libro ſecundo iuris ciuilis ſcribit. & putat uel per internuncium fieri poſſe, uel per epiſtolam. Sed utrum generaliter quæcunq; tibi hæreditas fuerit delata, an ſpecialiter? & magis placet (ut Caius Caſſius ſcripſit) ſpecialiter debere mandari. Sed an nominatim de uiui hæreditate mandari poſſit, quæritur? ſed ego non puto recipiendum, ut de uiui hæreditate mandetur. Planè ſi rumor fuit Luciũ Titium deceſſiſſe: poterit ei mãdari, ut ſi ſcripſit eum, adeat: & ſi clauſæ adhuc tabulæ ſint, & ſic incertum an filius ſcriptus ſit hæres. Sed quid ſi mandauit, ut hæreditatẽ colligat: an uidetur mandaſſe, ut adeat? quid ſi, ut petat bonorũ poſſeſſionem, aut ut rem hæreditariam diſtrahat?

E aut quid ſi petitã bonorũ poſſeſſionẽ ratam habuit, mox filius adeat hæreditatẽ? uel quid ſi pro hærede gerere mandauit, filius adijt hæreditatem? an iuſſu uideatur adijſſe, dubitari poteſt. imò uerius eſt, ex his omnibus aditionem eſſe introducendam. Pater filio ita ſcripſit. ſcio fili, quod pro tua prudentia inuigilabis hæreditati delatæ tibi à Lucio Titio. puto iuſſu patris adijſſe. quid ſi mandauit, ſi expediat adire, adito: ſi putas expedire, adito? erit iuſſu aditum. Si coram Titio iuſſit adire, ſcilicet arbitrio Lucij Titij: rectè puto iuſſiſſe.

Sed ſi mandauit quaſi ex aſſe inſtituto, & inueniatur ex parte: non puto ex iuſſu adijſſe. quod ſi ex parte iuſſit, poteſt ex aſſe adire: aliter, atq; ſi mandauit, quaſi ab inteſtato, & ex teſtamento adijt. nam non puto quidquam egiſſe. at ſi ex teſtamento mandauit: poterit & ab inteſtato: quoniã nõ fecit deteriorẽ cõditionẽ patris. Idéq; & ſi quaſi inſtituto præcepit, & inueniatur ſubſtitutus, uel cõtrà. ſed ſi mandauit, ut patris adiret, ſi aũt & impuberi ſub-

stitutus: non sufficit iussus. planè si sic mandauit, si qua ex testamento Lucij Titij deferatur F
hæreditas: potest defendi iussu adijsse. Sed si postea, quàm iussit, pœnitentiam egit, prius
quàm adiret: nihil agit adeundo. Item si se adrogandum dederit prius, quàm filius adiret:
non est adquisita hæreditas. XXVI. PAVLVS.

SI EGO & seruus meus, uel filius hæres institutus sim: si iussero filio uel seruo meo adire, statim & ex mea institutione me hæredem esse, Pomponius scribit. idem & Marcellus probat, & Iulianus. XXVII. POMPONIVS.

NEMINEM pro hærede gerere posse, uiuo eo, cuius in bonis gerendum sit, Labeo ait.

XXVIII. VLPIANVS.

ARISTO existimat, prætorem aditum facultatem facere debere hæredi, rationes defuncti ab eo petere, penes quem depositæ sunt, deliberanti de adeunda hæreditate. G

XXIX. POMPONIVS.

QVI HAERES institutus, prohibetur ab eo, qui unà institutus iam hæreditatem adijt: tabulas, literas, rationes inspicere mortui, unde scire posset, an sibi adeunda esset hæreditas non uidetur pro hærede gerere.

XXX. VLPIANVS.

CVM QVIDAM legationis caussa absens filium hæredem institutum non potuisset iubere adire in prouincia agens: diuus Pius rescripsit consulibus, subuenire ei oportere, mortuo filio: eo quod reipublicæ caussa abfuerit. Quod dicitur, PROXIMVS A FILIO POSTHVMO HAERES, DVM MVLIER PRAEGNANS EST, AVT PVTATVR ESSE, ADIRE HAEREDITATEM NON POTEST: SED SI SCIT NON ESSE PRAEGNANTEM, POTEST ACCIPERE PROXIMVS A VENTRE, QVI SVVM HAEREDEM PARITVRVS ESSET: non solum ad testatos hæc uerba, uerum ad intestatos quoque pertinent. & in eo uentre idem accipias, qui legitimum, uel consanguineum pariturus est: quoniam mortis tempore qui in utero est (quantum ad moram faciendam inferioribus, & sibi locum faciendum, si fuerit editus) pro iam nato habetur. Denique & per bonorum possessionem talem prætor uentrem mittit in possessionem. siue igitur putem prægnantem, siue sit re uera prægnans, quæ cum paritura est, qui suus hæres futurus esset: adire hæreditatem non possum: quoniam & in eo est, ut rumpatur testamentum, nisi si proponas uentrem institutũ uel exhæredatum. Quod dicitur SI PVTETVR ESSE PRAEGNANS: sic accipiendum, si dicat se prægnantem. quid ergo, si ipsa non dicat, sed neget: alij dicant prægnantem esse? adhuc adiri hæreditas non potest. (finge obstetrices dicere.) quod si ipse putet solus, si iusta ratione ductus: non potest adire. si secundum multorum opinionem: potest. quid ergo, si prægnans fuit, cum putaret hæres non esse prægnantem, & adijt: mox abortum factum est? procul dubio nihil egit. Toties igitur ei sua præsumptio proficit, quoties concurrit cum ueritate. sed & si ipsa mulier hæres instituta sit quæ se prægnantem fingit, adeundo adquiret hæreditatem. per contrarium non adquiret, si se putet prægnantem, cum non sit. Suum hæredem certum est ex asse hæredem esse, & si putet esse prægnantem mulierem, quæ non est prægnans. Quid si unum in utero habeat, an ex parte dimidia sit hæres: siue institutum posthumum proponas, siue intestatum patrem decessisse? quod & Sextum Pomponium opinatum Tertyllianus libro quarto Quæstionum refert. putat enim, sicut cum uacuo utero suus ex asse hæres est: ita & cum unum gerit, nec per naturã humanæ conditionis alium partum formare potest (quod quidem post certum tempus cõceptionis euenerit) ex parte dimidia & ignorantẽ fore hæredẽ, non ex quarta, ut Iulianus putat. Scientia autem uel opinio, si filiusfamiliàs uel seruus instituti sunt, utrum ipsorũ, an domini uel pãtris accipienda sit? finge patrem putasse prægnantem, filium certum esse. finge & sic adire: an adquirat hæreditatem? puto adquirere. sed contrà, non adquirere. Si certus sum, non esse falsum testamentum, uel irritum, uel ruptum: licet dicatur esse, possum adire hæreditatem.

H

I

K

XXXI. PAVLVS.

HAEREDI cum posthumo instituto, reliquæ partes adcrescunt, quæ posthumo datæ sunt, si certum

A sunt, si certum sit, non esse prægnantem, licet hæres ignoret.

XXXII. VLPIANVS.

HAERES institutus si putet testatorem uiuere: quamuis iam defunctus sit, adire hæreditatem non potest. sed & si scit se hæredem institutum, sed utrum purè, an sub conditione ignoret: non poterit adire hæreditatem, licet purè hæres institutus sit: uel sub conditione, & paruerit conditioni. Sed & si de conditione testatoris incertus sit, paterfamiliâs, an filiusfamiliâs sit: nō poterit adire hæreditatē, & si eius cōditionis sit, ut in ueritate testari poterit.

XXXIII. PAVLVS.

QVOD si dubitet, an apud hostes decesserit, an ciuis Romanus: quoniam utroq; casu B est ius adeundi, & in re est, ut possit adire: dicendum est, posse adire.

XXXIIII. VLPIANVS.

SED si de sua cōditione quis dubitet, an filiusfamiliâs sit: posse eū adquirere hęreditatem iam dictū est. Cur aūt, si suam ignoret cōditionē, adire potest: si testatoris, non potest? illa ratio est: quod qui cōditionē testatoris ignorat, an ualeat testamentū, dubitat: qui suā, de testamento certus est. Sed & si cum esset purè institutus, putauit sub conditione, & impleta cōditione, quā in iectā putat, adijt: an possit adquirere hæreditatē? cōsequens est dicere, hęreditatē posse eum adire: maximè cum hęc suspitio nihil ei obsuerit, nec periculū attulerit. Facilius quis admittet, si quis purè institutus, putauit sub conditione se institutum, conditionemq; impletam, quam in euentum putabat. nam in nullo hæc suspicio obfuit.

C XXXV. IDEM.

SI QVIS heres institutus ex parte, mox Titio substitutus, antè quàm ex caussa substitutionis ei deferatur hæreditas, pro hęrede gesserit: erit hęres ex caussa quoq; substitutionis, quoniam inuito quoq; ei adcrescit portio. idem dico, & si filiusfamiliâs uel seruus iussu domini uel patris adierit hęreditatem, mox emancipatus uel manumissus ex caussa substitutionis adeat. erunt nanq; hęredes. sunt enim appendices pręcedentis institutionis. Si exclusus per cōditionem sibi datam pater, filium iussit adire: dicendum erit, eum non quęsisse suam portionem. Sed si ex duobus filijs unū iusserit, & alium filiū debebit iubere adire.

XXXVI. POMPONIVS.

SI EX sua parte dominus, uel pater adierit: necessarium est iussum, ut filius uel seruus co D hęredes adeant. XXXVII. IDEM.

HAERES in omne ius mortui, non tantum singularum rerum dominium succedit: cum & ea, quę in nominibus sunt, ad hęredem transeant.

XXXVIII. VLPIANVS.

SI DVO sint hęredes necessarij, quorum alter se abstinuit, alter postea, quàm prior abstinuit, se immiscuit: dicendum est, hunc non posse recusare, quò minus tota onera hęreditaria subeat. Qui enim scit aut scire potuit, illo abstinente se oneribus fore implicitū: ea conditione adire uidetur. XXXIX. IDEM.

QVAMDIV potest ex testamento adiri hæreditas, ab intestato non defertur.

XL. IDEM.

E QVAESITVM est, an licet quis paternæ hæreditatis nihil attingat, aliquid tamen propter patris uoluntatem habeat, uel faciat: an creditoribus paternis cogatur respondere (ut putā si impuberi fuerit substitutus.) in qua specie Iulianus libro uicesimosexto Digestorū scripsit: incidere eum in edictum, si se immiscuerit impuberis hæreditati. Nam qui iudicium parentis oppugnauerit, eum non debere ex eadem hæreditate quidquam consequi. Sed Marcellus eleganter distinguit: multum interesse, utrum ex asse fuerit institutus patris testamento, an ex parte. ut si ex parte, potuerit sine metu, remota patris successione, impuberis hæreditatem amplecti.

XLI. IVLIANVS lib. XXVI. *Digestorum.*

FILIVS, qui se paterna hæreditate abstinuit, si exhæredati fratris hęreditati se immiscuerit, & pro hærede gesserit: poterit ex substitutione hæreditatem obtinere.

Iulianus

XLII. VLPIANVS lib. IIII. Disputationum.

IVLIANVS libro uicesimo sexto Digestorum scribit, si pupillus paterna hæreditate se abstinuisset, deinde ei aliquis hæres exstitisset: non esse eum compellendum creditoribus paternis respondere, nisi substitutus ei fuisset. inclinat enim in hoc, ut putet substitutum etiam patris onera subiturum. Quæ sententia à Marcello rectè notata est. impugnat enim utilitatem pupilli, qui ipse saltem potest habere successorem. metu enim onerum patris timidius quis etiam impuberis hæreditatem adibit. alioquin (inquit) & si frater fuit, omissa caussa testamenti ab intestato possidebit hæreditatem, & quidem impunè. nec enim uidetur uoluisse fraudare edictum, qui sibi prospicit, ne oneribus patris pupilli hæreditas implicetur: sed quod in frâtre scripsit, credo ita intelligendum: si non impuberis frater fuit, sed testatoris. cæterum utique si frater à patre frâtri impuberi substitutus sit: sine dubio necessarius hæres existet. Si in societate, quam uiuo pâtre inchoauerat filius, post mortem patris perseuerauerit: Iulianus rectè distinguit, interesse, utrũ rem cœptam sub pâtre perficiat, an nouam inchoauerit. nam si quid nouum in societate inchoauit: non uideri se miscuisse hæreditati pâtris scripsit. Si seruum paternum filius manumiserit: sine dubio miscuisse se paternæ hæreditati uidebitur. Proponebatur filius à patre de castrensi peculio seruos comparasse. eosq; à patre manumittere togatus esse, cum hæres esset ab eo institutus. quærebatur, si se abstinuisset paterna hæreditate, eosq; manumisisset: an miscuisse se paternæ hæreditati uideretur? dicebamus, nisi euidenter quasi hæres manumiserit: non debere eum calumniam pati, quasi se miscuerit hæreditati. H

XLIII. IVLIANVS.

HAERES per seruum hæreditarium eiusdẽ hęreditatis partem, uel id, quod eiusdẽ hæreditatis sit, adquirere non potest.

XLIIII. IDEM.

QVOTIES pupillus pâtri hæres exstitit, & abstinuit se hæreditate: quamuis patris bona sub creditoribus fiant: tamen rata haberi debent, quæcunq; pupillus bona fide gesserit. & ideo ei, qui fundum tutore authore à pupillo emerit, succurrendũ erit: nec interest pupillus soluendo sit nécne.

XLV. IDEM.

ADITIO hæreditatis non est in opera seruili. idcirco si seruus dotalis adierit: actione de dôte eam hæreditatem mulier recuperabit: quamuis ea, quæ ex operis dotalium seruorum adquiruntur, ad uirum pertineant. Et cum quæstus & compendij societas initur: quidquid ex operis suis socius adquisierit, in medium confert. sibi autem quisq; hæreditatem adquirit. Præterea ne fructuarius quidem seruus iussu eius, qui usumfructum in eo habet, adire hæreditatem poterit. Et quod à quibusdam respondetur, si liber homo, qui bona fide mihi seruiebat, propter me hæres institutus erit, posse eum iussu meo adire hæreditatem: potest uerum esse, ut intelligatur non opera sua mihi adquirere, sed ex re mea: sicut in stipulando, & per traditionem accipiendo ex re mea mihi adquirit. I

XLVI. AFRICANVS.

CVM falsum testamentum dicetur, siquidem ipse hæres accusatur: quoniam certus esse debeat, se falsum non fecisse: rectè adibit hæreditatem. sin autem alius arguetur citra conscientiam eius: non potest adire, quasi dubitet, uerum esse testamentum. K

XLVII. IDEM.

QVI seruum suum hæredem institutum adire iusserat, prius quàm ille adiret, furiosus est factus. negauit, rectè seruum aditurũ: quoniam non nisi uoluntate domini adquiri hæreditas potest. furiosi autem uoluntas nulla est.

XLVIII. PAVLVS.

SI QVIS alicui mandauerit, ut si existimauerit, petat sibi bonorũ possessionem: & postquam ille petijt, furere cœperit: nihilominus adquisita est ei bonorum possessio. quod si antè quàm ille petat, is qui mandauit petendam, furere cœperit: dicendum est, non statim ei adquisitam bonorum possessionem. igitur bonorum possessionis petitio ratihabitione debet confirmari.

XLIX. AFRICANVS.

Pupillum

A Pupillũ etiã eo tutore authore, qui tutelã non gerat, hæreditatem adeundo, obligari ait.

L. MODESTINVS.

Si per epistolam seruo pupilli tutor hęreditatẽ adire iusserit: si post scriptam epistolam tutor moriatur, antè quàm ex epistola seruus adiret: nemo dicturus est, obligari postea pupillum hæreditati.

LI. AFRICANVS.

Evm, qui duobus testamentis eiusdem testatoris hæres scribitur: cum dubitet, num posterius falsum sit: ex neutro eorum posse adire hæreditatem placet. Filiusfamiliàs hæres scriptus patrem suum certiorem fecerat, uideri sibi soluendo esse hæreditatem. pater rescripserat, sibi parum idoneam renunciari. itaq; debere eum diligentius explorare, & ita adire, B si idoneam comperisset. filius acceptis literis patris, adijt hæreditatem. dubitatum est, an rectè adijsset. sed probabilius dicetur, quamdiu persuasum ei non sit, soluendo esse hæreditatem: patrem non obligasse. Sed & si quis ita dixerit, SI SOLVENDO HAEREDITAS EST, ADEO HAEREDITATEM: nulla aditio est.

LII.

Cvm hæres institutus esset filius, & haberet patrem furiosum, in cuius erat potestate, interponere se suam beneuolentiam, diuus Pius rescripsit: ut si filiusfamiliàs adierit, perinde habeatur, atq; si paterfamiliàs adisset: permisitq; ei & seruos hæreditaris manumittere.

Qui ex parte hæres institutus est purè, ex parte sub conditione solus: etiã pendente conditione, si adierit hæreditatem, ex asse hæres erit: quia solus hæres futurus est omnimodo, C nisi habeat in conditionalem partem substitutum.

LIII. CAIVS.

Qvi ex duabus partibus hæres institutus fuerit, ex alia purè, ex alia sub conditione: & ex pura institutione adierit, & decesserit, post eaq; conditio exstiterit: ea quoq; pars ad hæredem eius pertinet. Qui semel ex aliqua parte hæres exstitit, deficientium partes etiam inuitus accipit.

LIIII. FLORENTINVS.

Haeres quandoq; hæreditatem adeundo, iam tunc à morte successisse defuncto intelligitur.

LV. MARCELLVS.

Cvm hæreditate patris necessarius hæres se abstinet: conditio cohæredi, siue suo, siue extraneo defertur: ut aut totam agnoscat, aut à toto recedat. & ita se abstinere potest pro- D prer alium, qui per suam personam non poterat. si tamen creditores dicant se contentos esse eius portione: quia non potest exonerari, nisi deferatur cõditio: & alterius parte abstinere se creditores debent, ut eius actiones ei, qui conuenitur, dentur.

LVI. VLPIANVS.

Si is, qui immiscuit se hæreditati, decessisset, deinde alter se abstineret: eadem conditio deferenda est hæredi eius, quæ & ipsi. quod Marcellus ait.

LVII. CAIVS.

Necessarijs hæredibus non solum impuberibus, sed etiam puberibus abstinendi ab hæreditate proconsul potestatem facit: ut quamuis creditoribus hæreditarijs iure ciuili teneantur: tamen in eos actio non dẽtur, si uelint relinquere hæreditatem. Sed impuberibus E quidem, etiam si se immiscuerint hæreditati, præstat abstinendi facultatem: puberibus autem ita si se non immiscuerint. sed tamen & puberibus minoribus uigintiquinque annis, si temere damnosam hęreditatem partẽis appetierint, ex generali edicto, (quod est de minoribus uigintiquinq; annis) succurrit: cum & si extranei damnosam hęreditatem adierint, ex ea parte edicti in intẽgrum eos restituat. Seruis autem necessarijs hæredibus (siue puberes, siue impuberes sint) hoc non permittitur.

LVIII. PAVLVS.

Ex parte hæres institutus seruus, nondum adita hæreditate à cohærede eius, liber & hæres fit necessarius: quia non à cohærede, sed à semetipso accipit libertatem: nisi ita institutus fuerit, CVM MIHI QVIS HAERES ERIT, STICHVS LIBER ET HAERES ESTO.

LIX. NERATIVS.

Qui patri

QVI PATRI hæres exstitit, si idem filio impuberi substitutus est: non potest hæreditatem eius prætermittere. quod sic accipiendum est: si uiuo pupillo mortuus erit, deinde pupillus impubes decesserit. Nam is, qui hæres exstitit, pupillo quoque hæres necessariò erit. nam si ipsum inuitum obligat: coniungi eam paternæ hæreditati, & adcrescendi iure adquiri cuicunque patris hæredi, existimandum est. F

LX. IABOLENVS.

FILIVM emancipatum pater solum hæredem instituerat: & si is hæres non esset, seruum liberum & hæredem esse iusserat. filius tanquam pater demens fuisset, eius bonorum possessionẽ ab intestato petijt, & ita hæreditatem possedit. Labeo ait, si probaretur sana mente patrem testamẽtum fecisse: filium ex testamento patri hæredem esse. hoc falsum puto. nam filius emancipatus cum hæreditatem testamento dãtam ad se pertinere noluit: continuò ea ad substitutum hæredem transijt. nec potest uideri pro hærede gessisse, qui ut hæreditatem omitteret, ex alia parte edicti possessionem bonorum petit. Paulus quoque & Proculus Labeonis sententiam improbant, & in Iaboleni sententia est Marcellus. Si minor annis postea, quàm ex parte hæres exstitit, in integrum restitutus est: diuus Seuerus cõstituit, ut eius partis onus cohæres suscipere non cogatur, sed bonorum possessio creditoribus detur. G

LXI. IDEM.

ANTISTIVS Labeo ait, si ita institutus sit, SI IVRAVERIT, HAERES ESTO: quamuis iurauerit, non tamen eum statim hæredem futurũ, antequam pro hærede aliquid gesserit: quia iurando uoluntatem magis suam declarasse uideatur. Ego puto, satis eum pro hærede gessisse, si ut hæres iurauerit. idem Proculus, eoque iure utimur. Si seruus hęres institutus post iussum domini, antequam audiret, alienatus esset: nouum iussum posterioris domini, non iussum prioris exigitur. H

LXII. MARCELLVS lib. sing. regularum Pomponij notat.

FVRIOSVS adquirere sibi commodum hæreditatis ex testamento non potest: nisi necessarius patri aut domino hæres existat. per alium autem adquiri ei potest: ueluti per seruum, uel eum, quem in potestate habet.

LXIII. IABOLENVS.

SERVVS duorum hæres institutus, & adire iussus, si alterius domini iussu adierit, deinde manumissus fuerit: poterit ipse adeundo ex parte dimidia hæres esse. I

LXIIII. PAVLVS.

ET SI substitutum haberet idem seruus ita, SI HAERES NON ERIT, ILLE HAERES ESTO: substitutus locum non habet.

LXV. VLPIANVS.

SI SERVVS communis uel uni ex dominis, uel pluribus, uel omnibus hæres exstiterit necessarius: nullius eorum hæreditate se poterit abstinere.

LXVI. IDEM.

SERVVS communis ab extero hæres institutus, si iussu unius adierit hæreditatem: non pro maiore parte interim hæredem eũ facit, quàm pro dominica: deinde cæteris socijs non iubentibus, tacito iure partes ei adcrescunt. K

LXVII. PAVLVS.

CVM solus seruus hæres institutus est: sicut licet uno tempore omniũ dominorum iussu adire hæreditatem, ita & separatis temporibus singulorum iussu rectè adibit. nam quod sæpius addit: id non ex testamento, sed ex iure dominorum euenire utilitatis caussa uidetur: ne alterius festinatione, alterius ius lædatur.

LXVIII. VLPIANVS.

QVÀMDIV institutus admitti potest, substituto locus non est: nec antè succedere potest, quàm excluso hærede instituto. eueniet igitur, ut necessarium sit remedium prętoris, & circa denegandas primo actiones, & circa præstituendum tempus substituto: quia intra diem primo præstitutum, neque adire hæreditatem potest, neque pro hærede gerere. Is autem qui tertio

A qui tertio gradu ſcriptus eſt,ſi primo deliberante ſecundus decedat,ipſe poteſt ſuccedere.er
go expectamus in ſingulis,ut prius eis deferatur hæreditas:tunc demum poſtea,quàm de/
lata eſt:expectamus diem pręſtitutum:intra quem niſi aut adeat,aut pro hęrede gerat,de/
negamus ei actiones.

LXIX. PAVLVS.

IN PLVrium hęredum gradibus hoc ſeruandum eſt:ut ſi teſtamentum proferatur,pri/
us à ſcripis incipiatur,deinde tranſitus fiat ad eos,ad quos legitima hæreditas pertinet:eti
amſi idem ſit,ad quem utroꝗ modo pertineat.nam hoc gradatim conſequitur,ut prius ex
teſtamento delatam,deinde legitimam repudiat.Idem iuris eſt in bonorum poſſeſſione:ut
B prius ſcriptus repellat bonorum poſſeſſionem,deinde is,qui ab inteſtato petere poteſt.
Si uero ei,ad quem legitima hæreditas poteſt pertinere,conditio data ſit:nihil conſtitue
re poteſt de legitima,antè quàm dies conſtitutionis tranſeat.& ideo dicendum eſt, & in eo
caſu,ſi reſpondit,neutram hæreditatem ad ſe uelle pertinere:bona defuncti à creditoribus
poſſidenda.

LXX. VLPIANVS.

SI SERuum quis alienum ab hoſtibus redemerit,& hęredem eum cum libertate inſti/
tuerit:magis puto eum fore liberum & neceſſarium hæredem.nam cum ſcribit ei libertatē,
uinculo ſuo reſoluit:& in hoc ſolum redit iure poſtliminij,ut non iterum ſeruus eius fiat,cu/
ius erat,antè quàm caperetur:(hoc enim ſatis impium eſſet.)ſed priſtino domino ſuam æſti
mationem omnimodo offerat,uel maneat ei obligatus,donec precium ſoluat.quod liberta
s fauore introductum eſt. Si quis hac lege emptus ſit , ut intra certum diē manumitta/
r, et cum libertate hæres inſtitutus ſit:an ei ſuccurrendum ſit , ut ſe abſtineat , uideamus.
magiſꝗ eſt,ut donec dies non exſtitit:poſſit ei neceſſarius hæres effici,& non poſſit ſe abſti
nere.ſin autem dies præteritus fuerit:tunc non neceſſarius,ſed uoluntarius hæres efficitur,
& poteſt ſe abſtinere ſecundum exemplum eius,cui fideicommiſſaria libertas ſub conditio
ne debebatur. Si quis dederit numos domino,ut manumittatur:puto huic omnimodo
eſſe ſuccurrēdum. Prætor ait,SI PER EVM EAM VE FACTVM ERIT, QVO QVID EX
EA HAEREDITATE AMOVERETVR.Si quis ſuus ſe dicit retinere hæreditatem nolle , ali/
quid autem ex hæreditate amouerit:abſtinendi beneficium non habebit.non dixit prętor,
SI QVID AMOVERIT,ſed SI PER EVM EAM VE FACTVM ERIT, QVO QVID EX EA
D AMOVERETVR.ſiue ergo ipſe amouerit,ſiue amouendum curauerit:edictum locum habe
bit.amouiſſe eum accipimus,qui quid cælauerit,aut interuerterit,aut conſumpſerit. Ait
prætor,QVO QVID EX EA AMOVERETVR.ſiue autē una res,ſiue plures fuerint amotæ,
edicto locus eſt:ſiue ex ea hęreditate ſint,ſiue ad eam hęreditatem pertineant. Amouere
non uidetur,qui non callido animo,nec maligno rem repoſuit:ne is quidem,qui in re erra
uit,dum putat non eſſe hæreditariam.ſi quis igitur non animo amouendi,nec ut hæredita
ti damnum det,rem abſtulit,ſed dum putat non eſſe hæreditariam:dicendū eſt, eum amo
uiſſe non uideri. Hęc uerba edicti ad eum pertinent,qui aliquid antè amouit,deinde ſe
abſtinuit.cæterum ſi antè ſe abſtinuit,deinde tunc amouit:hic uideamus,an edicto locus ſit
magiſꝗ eſt,ut putem hic Sabini ſententiam admittendam,ſcilicet ut furti potius actione
E creditoribus teneat̃.etenim qui ſemel ſe abſtinuit, quēadmodū ex poſt delicto obligetur.

LXXI. PAVLVS.

SI QVIS hæres ita ſcriptus fuerit,ut intra certum tempus adeat hęreditatem:& ſi non
ita adierit,alius ei ſubſtituatur:prior autem hæres,antè quàm adiret,deceſſerit:nemo dubi
tat,quin ſubſtitutus ultimum diem aditionis expectare non ſoleat.

LXXII. IDEM.

SI QVIS non quaſi hæres,ſed quaſi patroni filius egens à liberto paterno ali uelit:pro/
cul dubio hoc extra cauſſam eſt immiſcendi ſe bonis paternis,& ita rectè Labeo ſcribit.

LXXIII. IDEM.

QVI putat ſe decem dare iuſſum,cum quinꝗ iuſſus ſit.ſi decem dederit:fiet hæres ad/
eundo.at ſi quinꝗ putet ſe iuſſum dare,cum decem dare iuſſus ſit,& det quinꝗ:non implet

 conditionē

conditionem.sed ad aliquid proficit,ut si adimpleuerit reliquum: aliorum quinque datione F
uideatur conditio esse impleta. Qui bona fide seruit,si quasi iussu domini adierit,non obligabitur.Similis est huic statuliber,qui iussus ab hærede adire hæreditatem:post conditionem libertatis existentem,cum hoc ignoraret,adijt. De eo,qui heres institutus ab aliquo dubitat,an libertas ei ex testamento domini obtigerit,cum nesciat conditionem libertatis exstitisse,uel hæreditatem aditam:an adeundo hæres fiat,uidendum est.Iulianus hunc dicit fieri hæredé.

LXXIIII. MARCELLVS.

Ex semisse Titius hæres scriptus est.quadrantis bonorum possessionem per errorem petit.quæro,an nihil actum sit:an uero perinde omnia seruanda sint,ac si quadrans nominatus non sit?respondit.nihil magis actum esse,quàm cũ ex semisse scriptus hæres ex quadrante per errorem adijt hæreditatem. G

LXXV. IABOLENVS.

Si tv ex parte sexta sub conditione institutus fuisses hæres,& omittente partem suam Titio,cui substitutus eras,ex substitutione adisses,deinde conditio iure sextantis exstitisset: quæro,an adire necesse habueris,ne sextans tuus intereat? respondit. nihil interesse,utrum ex substitutione prius adierit,an ex prima institutione:cum ab utraque caussa una aditio sufficiat.sextans itaque,qui sub conditione datus mihi est,ad me solum pertinet. Item si tu sextantis,ex quo institutus esses hæres,omiseris aditionem:nunquid dubitas,quin ex substitutione adeundo,Titianæ partis habiturus partem esses?respondit non dubito,quin si prima institutione adeundo hæres esse possim:in potestate mea sit,quam partem hæreditatis H
aut omittere uelim, aut uindicare.

LXXVI. POMPONIVS.

Illvd dubitari potest,si cum testamento hæres institutus essem ab eo, qui etiam si intestatus decessisset,legitima hæreditas eius ad me pertineret:an per eam simul utranque hæditatem repudiare possim.quod magis est:quoniam antè,quàm testamento hæreditatem repudiauerim,legitima nondum ad me pertinet.unde eodem momento intelligor & ex testamento & legitimam repudiare:sicut si legitimam uelim ad me pertinere,cum sciam testamento mihi relictam:uidebor antè repudiare testamentum,& ita legitimam adquisijsse.

LXXVII. IDEM.

Dvo fratres fuerant,& bona communia habuerant.eorum alter intestatò mortuus,suum hæredem non reliquerat.frater,qui supererat,nolebat ei heres esse.consulebat,num ob eam rem,quod communibus(cum sciret eum mortuum esse)usus esset,hæreditati se alligasset?respondit.nisi eo consilio usus esset,quod uellet se hæredem esse:non adstringi.itaque cauere debere,ne qua in re plus sua parte dominationem interponeret. I

LXXVIII. VLPIANVS.

Placet,quoties adquiritur per aliquem hæreditas,uel quid aliud ei,cuius quis in potestate est:confestim adquiri ei,cuius est in potestate:neque momẽto aliquo subsistere in persona eius,per quem adquiritur:& sic adquiri ei,cui adquiritur.

LXXIX. PAVLVS.

Si solus hæres ex pluribus partibus fuero institutus,unam partem omittere non possum:nec interest,in quibusdam substitutum habeam,nec ne.Idem puto,etiam si alijs mistis hæredibus,ex pluribus partibus hæres institutus sim:quod & hic adeundo unam portionem omnes adquiro,si tamen delatæ sint. Item si seruus meus ex parte hæres institutus sit purè,ex parte sub conditione,dato scilicet coherede:& iussu meo adierit:deinde eo manumisso conditio alterius portionis exstiterit:uerius est,non mihi esse adquisitam illam portionem,sed ipsum comitari. omnia enim paria permanere debent in id tempus,quo alterius portionis conditio exstet,ut adquiratur ei,cui prior portio adquisita est. Ego quidem puto,& si adhuc in potestate sit, iterum adeundum esse,si conditio exstiterit. & illud, quod dicimus,semel adeundum:in eiusdem persona locum habet, non cum per alium adquirenda est hæreditas. K

Toties

A TOTIES uidetur hȩres institutus etiam in caussa substitutionis adijsse, quoties adquirere sibi potuit. nam si mortuus esset: ad hæredem non transferret substitutionem.

LXXXI. TERTYLLIANVS.

SI SERuus eius, qui capere non potest, hæres instituatur: & antè, quàm iussu domini adeat hȩreditatem, manumissus alienatusue sit: & nihil in fraudem legis factum sit: ipse admittitur ad hȩreditatem. sed & si partem capere tantum possit dominus eius: eadem dicenda sunt de parte, quam ille capere nō potest. nihil enim interest, de uniuerso quæratur, quod capere non possit, an de portione.

LXXXII. VLPIANVS.

B SI TOTAM hȩreditatem, aut partem, ex qua quis hæres institutus est, tacitè rogatus sit restituere: apparet nihil ei debere adcrescere, quia rem non uidetur habere.

LXXXIII. PAPINIANVS.

VENTRE præterito, si filius, qui fuit emācipatus, aut exterus hȩres institutus sit: quàm diu rumpi testamentum potest, non defertur ex testamento hæreditas. sed si uacuo uentre mulier fuerit, & incerto eo, filius in familia retentus uita decessit: hæres fuisse intelligitur. emancipatus uero aut exterus non aliter possunt hæreditatem quærere, quàm si nō esse prægnantem sciant. ergo si uentre pleno sit mulier: non ne iniquū erit dicere, interea defunctū filium hæredi suo nihil relinquere? & ideo decreto filio succurrendum est: quia siue frater ei nascatur, siue non nascatur, patri hæres futurus est eadem ratio facit, ut emancipato quoq;
C subueniri debeat, qui alterutro casu rem omnimodo habiturus est.

LXXXIIII. IABOLENVS.

SI METus caussa adeat aliquis hæreditatem: fiet, ut quia inuitus hæres existat, detur abstinendi facultas.

LXXXV. IDEM.

PAMPonius Auitus, cum in Cilicia procuraret, hæres institutus antè uita decesserat, quàm hȩredem se institutum cognosceret. quia bonorum possessionem, quam procurator eius petierat, hæredes Auiti ratam habere non potuerant: ex persona defuncti restitutionē in integrū implorabant, quæ stricto iure non cōpetebat, quia intra diem aditionis Auitus obijsset. diuum tamen Pium contrà constituisse, Mæcianus libris Quæstionū refert in eo,
D qui legationis caussa Romæ erat: & filium, qui matris delatam possessionem absens amiserat, sine respectu eius distinctionis restitutionem in integrum habere. quod & hic humanitatis gratia admittendum est. Rei perduellionis hæreditatem, suspensa cognitione, filius emancipatus, cui de patris innocentia liquet, potest quærere. Pro hærede gessisse filium placuit, qui moriens (comperto matrem suam intestatò uita decessisse) codicillis petit ab hærede suo, ut maternorum bonorum seruum manumitteret, ac sibi parentibusq; suis in possessione matris monumentum exstrueret.

LXXXVI. IDEM.

EVM demum bonis patris se miscere conuenit, qui remoto familiæ uinculo pro hærede gerere uidetur. & ideo filius, qui tāquam ex bonis matris, cuius hæreditatem susceperit, agrū
E ad hȩreditatem patris pertinentem, ut maternum ignorans possedit: abstinendi consilium, quod in bonis patris tenuit, amisisse non uidetur. Pupillis, quos placuit oneribus hæreditarijs esse liberandos, confusas actiones restitui oportet.

LXXXVII. PAVLVS.

GERIT pro hærede, qui animo agnoscit successionem, licet nihil attingat hæreditariū. unde & si domum pignori datam sicut hæreditariam retinuit, cuius possessio qualis qualis fuit in hæreditate: pro hærede gerere uidetur. idemq; est, & si alienam rem ut hæreditariā posse dicet. LXXXVIII.

SI PVpillus se hæreditate abstineat: succurrendum est & fideiussoribus ab eo datis, si ex hæreditario contractu conueniantur.

LXXXIX. PAVLVS lib. XII. *Responsorum respondit.*

PER procuratorem hæreditatem adquiri non posse. Idem respondit, si iussu aui ne/pos patris, qui de castrensi peculio testamentum fecit, hæreditatem adisset: adquisijsse ei ea, de quibus pater testari potest: quia castrensia esse mutatione personę desierunt.

XC. IDEM.

SI IS, qui bonis paternis se abstinuit, per suppositam personam emptoris bona patris mercatus probetur: perinde eum conueniri oportere à creditoribus, atque si bonis paternis se immiscuisset. XCI. IDEM.

FILIVSFAMILIAS duxit uxorem. ea filijs sublatis intestata decessit. filij iussu patris. nõ aui adierunt hęreditatem. quæro, an auo adquisita sit hæreditas? Paulus respondit. secundũ ea, quæ proponerentur, nihil actum esse.

XCII. IDEM.

PATER quoties filio mandat adire, certus esse debet, pro parte, an ex asse: & ex institu/tione, an ex substitutione: & testamento, an ab intestato filius suus hæres existat. Mutus pater uel dominus, filio uel seruo haredibus institutis, magis est, ut si intellectu non careat, nutu iubere possit adire hæreditatem, ut ei iure eius commodum quæri possit. quod facili/us explicari poterit scientia literarum. Mutus seruus, iussu domini pro hærede gerendo, obligat dominum hæreditati.

XCIII. HERMOGENIANVS.

QVI superstitis bona repudiat, post mortem eius adire hæreditatem, item bonorum possessionem petere non prohibetur.

XCIIII. PAVLVS.

RECVSARI hæreditas non tantum uerbis, sed etiam re potest, & alio quouis indicio uoluntatis.

XCV. HERMOGENIANVS.

QVI se pupillum falsò existimans, cum esset pubes, pro hærede gessit: quò minus hęres existat, nihil error talis ei nocebit.

XCVI. PAVLVS.

CLAVDIVS Clodianus facto prius testamento, postea eundem hæredem in alio te/stamento inutiliter facto instituerat, scriptus hæres cum posterius putaret ualere, ex eo adi/re hęreditatem uoluit. sed postea hoc inutile repertum est. Papinianus putabat, repudiasse eum ex priore hæreditatem, ex posteriore autem non posse adire. dicebam, non repudiare eum, qui putabat posterius ualere. pronunciauit Clodianum intestatum decessisse.

XCVII. SCAEVOLA.

QVAE neptis suæ nomine, quam ex Seia habebat, Sempronio tot dotis nomine spo/ponderat, & pro usuris in exhibitionem certam summam prçstabat: decessit relicta Seia fi/lia, & alijs hæredibus, cum quibus Sempronius iudicio egit. condemnati pro portionibus hæreditarijs singuli hæredes (inter quos & Seia) Sempronio cauerunt summam, qua quil/que condemnatus erat, cum ijsdem usuris, quæ ad exhibitionem à testatrice præstabantur. postea excepta Seia filia, cæteri hęredes abstinuerunt hæreditate beneficio principis, & to/ta hęreditas ad Seiam pertinere cœpit. quæro, an in Seiam, quæ sola heres remansit, & o/mnia ut sola hæres gesserat: pro eorum quoque portionibus, qui beneficio principali hære/ditate abstinuerant, utilis actio dari debeat? respondi pro parte eorum, qui abstinuissent actiones solere decerni in eam, quæ adisset, & maluisset intégra hæreditaria onera subire.

XCVIII. POMPONIVS.

ARISTO. in decretis Frontonianis ita refert. cum duæ filiæ patri necessariç hæredes ex/titissent, alteraq; paterna hæreditate abstineret, altera bona paterna uindicaret, totumq; onus suscipere parata esset: Secundum Cassium prætorem, caussa cognita actiones hæredi/tarias utiles daturum, rectè pollicitum ei, quæ ad hæreditatem patris accesserat: denegatu/rumq; ei, quę se abstinuerat.

TESTA/

A TESTAMENTA QVEMADMODVM APERIantur, inſpiciantur, & deſcribantur. TIT. III.

I. PAVLVS.



OMNIBVS, quicunq; deſiderant tabulas teſtamenti inſpicere, uel etiam deſcribere, inſpiciendi deſcribendiq; poteſtatem facturum ſe prætor pollicetur. quod uel ſuo, uel alieno nomine deſideranti tribuere eum, manifeſtum eſt. Ratio autem huius edicti manifeſta eſt. neq; enim ſine iudice tranſigi, neq; apud iudicẽ exquiri ueritas de his controuerſijs, quæ ex teſtamento proficiſcuntur, aliter poteſt, quàm

B inſpectis cognitisq; uerbis teſtamenti. Si quis ſe neget ſigillum ſuum agnoſcere: nõ ideo quidem minus aperiuntur tabulæ, licet aliàs ſuſpectæ fient.

II. VLPIANVS.

TABVLARUM teſtamenti inſtrumentum non eſt unius hominis, hoc eſt hæredis, ſed uniuerſorum, quibus quid illic adſcriptum eſt. quin potius publicum eſt inſtrumentum.

Teſtamentum autem propriè illud dicitur, quod iure perfectum eſt. ſed abuſiuè teſtamenta quoque ea appellamus, quæ falſa ſunt, uel iniuſta, uel irrita, uel rupta itemq; imperfecta ſolemus teſtamenta dicere. ad cauſſam etiam teſtamenti pertinere uidetur id, quodcunq; quaſi ad teſtamentum factum eſt, in quacunq; materia fuerit ſcriptum, quod contineat ſupremam uoluntatem. & tam principales, quàm ſecundæ tabulæ edicto continentur.

C Si plura ſint teſtamenta, quæ quis exhiberi deſideret: uniuerſorum ei facultas facienda eſt. Si dubitetur, utrum uiuat, an deceſſerit is, cuius quis quod ad cauſſam teſtamenti pertinet, inſpici deſcribiq; poſtulat: dicendum eſt, prætorem cauſſa cognita ſtatuere id debere: ut ſi liquerit eum uiuere, non permittat inſpici tabulas: ne ſi ipſam ſcripturam quis inſpiciat, uel ſuggillet, uel quid aliud ex tabulis uelit ſpectare. Inſpectio tabularum etiam lectionẽ earum indicat. Diem autem & conſulem tabularum non patitur prætor deſcribi uel inſpici, idcirco ne quid fiat falſi. nanq; inſpectio materiam falſo fabricando inſtruere poteſt.

Vtrum autem incontinenti poteſtatem inſpiciendi uel deſcribendi præbebit: an deſiderandi tempus dabit ad exhibitionem? & magis eſt, ut dari debeat ſecundum locorum anguſtias ſeu prolixitates. Si quis non negans penes ſe tabulas eſſe, non patiatur inſpici &

D deſcribi: omnimodo ad hoc compelletur. Si tamen neget penes ſe tabulas eſſe: dicẽdum eſt, ad interdictum remitti, quod eſt de tabulis exhibendis.

III. CAIVS.

IPSI tamen hæredi & uindicatio tabularum, ſicut cæterarum hæreditariarum rerum cõpetit: & ob id ad exhibendum quoq; agere poteſt.

IIII. VLPIANVS.

CVM ab initio aperiendæ ſunt tabulæ: prætoris id officium eſt, ut cogat ſignatores conuenire, & ſigilla ſua recognoſcere.

V. PAVLVS.

VEL negare ſe ſignaſſe. publicè enim expedit, ſuprema hominum iudicia exitũ habere.

E VI. VLPIANVS.

SED ſi maior pars ſignatorum fuerit inuenta: poterit ipſis interuenientibus reſignari teſtamentum, & recitari.

VII. CAIVS.

SED ſi quis ex ſignatoribus aberit: mitti debent tabulæ teſtamenti, ubi ipſe ſit, uti agnoſcat. nam reuocari cum agnoſcendi cauſſa, oneroſum eſt: quippe ſæpe cum magna captione à rebus noſtris auocamur: & eſt iniquum, damnoſum cuiq; eſſe officium ſuum, nec ad rem pertinet, unus abſit, an omnes. & ſi fortè omnibus abſentibus, cauſſa aliqua aperire tabulas urgeat: debet proconſul curare, ut interuenientibus optimæ opinionis uiris aperiantur: & poſt deſcriptum & recognitum factum, ab iiſdem, quibus interuenientibus apertæ ſunt, obſignentur: tunc deinde eò mittantur, ubi ipſi ſignatores ſunt, ad inſpicienda ſigilla ſua.

VIII. VLPIANVS. F

PVPILLares tabulas,etiam si non fuerit suprascriptum,ne aperirentur:attamen si seor/sum eas signatas testator reliquerit,prætor eas aperiri.nisi caussa cognita,non patietur.

IX. PAVLVS.

SI MVlier uentris nomine in possessione sit:aperiendæ sunt secundæ tabulæ,ut sciatur, cui demandata sit curatio.

X. VLPIANVS.

SI IN duobus exemplarijs scriptum sit testamentum:alterutro patefacto, apertæ sunt tabulæ. Si sui natura tabulæ patefactæ sunt:apertum uideri testamentum,nõ dubitatur. non enim quærimus,à quo aperiantur. Si tabulæ non compareant uel exustę sint: futurũ G est,ut subueniri legatarijs debeat.idem est & si suppressæ uel occultæ sint.

XI. PAVLVS.

SICVT codicilli pars intelliguntur testamenti,ita secundæ tabulæ principalium tabularum partem obtinere uidentur.

XII. VLPIANVS.

SI QVIS fecerit testamentum & exemplum:exemplo eius quidem aperto,nondum a/pertum est testamentum,quod si authenticum patefactum est:totum apertum est.

SI QVIS OMISSA CAVSSA TESTAMENTI AB intestato,uel alio modo possideat hæreditatem. TIT. IIII. H

I. VLPIANVS.



RAETOR uoluntates defunctorum tuetur,& eorum calliditati occurrit, qui o/missa caussa testamenti ab intestato hæreditatem, partemúe eius possident: ad hoc,ut eos circunueniant,quibus quid ex iudicio defuncti deberi potuit, si non ab intestato possideretur hæreditas:& in eos actionem pollicetur. Et parui re/fert,utrum quis per semetipsum,an per alium adquirere potuit hæreditatem.nam quomo/docunque potuit,si non adquisijt hæreditatem:in ea caussa est,ut incidat in edictum præto ris.Prætermittere autem caussam testamenti uidetur,qui cum possit iubere, noluit id face/re.quid ergo,si seruus eius,cum iuberetur adire hæreditatem,dicto audiens non fuit: sed cõ I pellendus est seruus hoc facere.ideoq; dominus ab intestato ueniens in edictum incidit.sin autem nec certioratus dominus est à seruo,& postea ipse ab intestato possedit hæreditatẽ: non debet incidere in edictum,nisi si fingit ignorantiam. Si proponatur idem & institu/tus & substitutus,& prætermiserit institutionem:an incidat in edictum,quæritur.& nõ pu/to incidere:quasi testator hanc ei dederit facultatem, qui eum substituit. Prætermittere caussam testamenti est,si quis repudiauerit hæreditatem. Qui sunt in potestate,statim hę redes sunt ex testamento:nec quod se abstinere possunt,quidquam facit. quod si postea se immiscuerint:ex testamento uidentur hæredes:nisi abstinuerint quidem se testamento, ue rum ab intestato petierint bonorum possessionem.hic enim incident in edictum. Qui sub conditione institutus hæres potuit parere conditioni,nec paruit,cum conditio talis sit,ut in arbitrio sit hæredis instituti:deinde ab intestato possideat hæreditatem: debebit edicto te/neri,quia eiusmodi cõditio pro pura haberi debet. Nõ quærimus,qui prætermissa caus/sa testamenti ab intestato hæreditatem possident,utrum iure legitimo possideant,an non. nam quoquo iure possideant hæreditatem,uel partem eius,conueniri ex edicto poterunt: utiq; si non ex alia caussa possideant.utputà si quis omisit quidem hæreditatem,sed ex caus/sa fideicommissi possidet,missus in possessionem fideicommissorum seruandorum caussa: uel si proponas eum crediti seruandi caussa uenisse in possessionem.nam nec ex hac caussa legatarijs respondere cogetur.toties igitur edictum prætoris locũ habebit,quoties aut qua/si hæres legitimus possidet,aut quia bonorum possessionem accipit ab intestato, aut si for/te quasi prædo possideat hæreditatem,fingens sibi aliquem titulum ab intestato possessio/nis.

A nis. quocunque enim modo hæreditatem lucrifacturus quis sit, legata præstabit. Sanè interueniēte cautione EVICTA HAEREDITATE LEGATA REDDI: & si nō possideat quis hæreditatem, dolo autem malo fecerit, quò minus possideat: euenict, ut perinde teneatur, atque si hæreditatem adisset. Dolo autem malo fecisse uidetur, quò minus possideat: qui ad alium transtulit possessionem per fraudem, ut legatarij, cæteriq́;, qui quid in testamento acceperunt, careant his, quæ sibi relicta sunt. Sanè quæstionis fuit, utrum is demum dolo malo facere uideretur, quò minus possideret, qui per dolum eam possessionem dimitteret, quam aliquando habuit: an uero is, qui hoc ipsum maliciosè fecit, ne ab initio possidere inciperet? Labeo sibi uideri ait, non minus delinquere eum, qui non incipiat pos-
B sidere: quàm eum, qui desinat. quæ sententia obtinet. Si quis per fraudem omiserit hæreditatem, ut ad legitimum perueniat: legatorum petitione tenebitur.

II. IDEM.

LICET pro hærede gerere non uideatur, qui precio accepto prætermiserit hæreditatē: tamen dandam in eum actionem exemplo eius, qui omissa caussa testamenti ab intestato possidet hęreditatem, diuus Hadrianus rescripsit. proinde legatarijs & fideicommissarijs tenebitur. sed utrum ab eo erit incipiendum, & sic ad hæredem ueniendum: an conuertemus ordinem? mihi uidetur humanior esse hæc sententia, ut possessor hæreditatis prior excutiatur: maximè si lucratiuam habet possessionem.

III. POMPONIVS.

C SI PECUNIAM à substituto acceperis, ut prętermitteres, isq́; adierit: an danda sit legatarijs actio, dubitari potest. & puto: si ipse quoq́; prætermiserit, & quod lege ad se rediret, possederit hęreditatem: in utrunq́; uestrum dandam: ut ei tamen, cui ab utroque legatum sit, in alterutrum detur actio.

IIII. VLPIANVS.

SI QVIS pecuniam non accepit, simpliciter autem omisit caussam testamēti, dum uult præstitum ei, qui substitutus est, uel legitimo: nunquid locus non sit edicto? planè indignandum est, circumuentam uoluntatem defuncti. & ideo si liquidò constiterit, in necem legatoriorum hoc factum: quamuis non pecunia accepta, sed nimia gratia collata: dicendum erit, locum esse utili actioni aduersus eum, qui possidet hæreditatem. & rectè dicetur: ubicunq́;
D quis, dum uult præstitum ei, qui se repudiante uenturus est, non repudiaturus, nisi præstitum uellet, & maximè si ob euertenda iudicia id fecit: aduersus possessorem competere actionem. sic tamen, ut ubi quidem pecunia accepta repudiauit: ibi dicamus eum, qui omisit, conueniendum. ubi uero gratis, in fraudem tamen eorum, quibus quid relictum est: possessorem debere conueniri utili actione. Quanquam de hæredibus instituendis uideatur prætor loqui, attamen etiam ad alios hæc res serpit: ut si sit legatarius, à quo fidei commissum relictum est: & hic id egerit, ut omittatur hæreditas, doloque id fecerit: conueniri debeat. Si quis uendiderit hæreditatem: utique possidere uidetur, non dolo fecisse, quò minus possideat.

V. MARCELLVS.

E EXCVSATUS uidetur patronus, qui institutionem prætermisit: cum aliter esset à liberto scriptus hæres, quàm eum institui oporteret. nam & si seruus eius ex asse institutus fuerit, et per quencunq́; casum non potuerit iussu domini adire hæreditatem: impunè prætermittet ex testamento hæreditatem.

VI. VLPIANVS.

QVIA AVTEM is, qui ab intestato possidet hæreditatem, conueniri potest, si omittat caussam testamenti: quæsitum est, si quasi ex uoluntate prætoris uideatur omisisse, an cogatur præstare? utputà fratrem suum scripsit hæredem, & codicillos fecit ab intestato, petijtq́; à fratre, ut si legitima hæreditas ad eum pertineret, fideicommissa præstaret quibusdam. si igitur omissa caussa testamenti ab intestato possideat hæreditatem: uidendum est, an legatarijs cogatur respondere. & Iulianus libro uicesimo sexto

Digestorum scripsit,cogendum primum legata præstare:mox dimissis legatarijs,si quid su r perfuerit ex dodrante,tunc fideicommissa cogi præstare. cæterum si legata absumant dodrantem:tunc nihil fideicommissarijs præstandum.habere enim integrum quadrantem legitimum hæredem oportet.ordo igitur à Iuliano adhibetur:ut prius legata præstentur,deinde ex superfluo fideicommissa:dummodo quadrans non tangatur.ego puto Iuliani sententiam ita accipiendam,ut si omissa caussa testamenti ab intestato possideat hæreditatem: cogatur omnimodo legata præstare.nec enim utique omittere ei hæreditatem permisit, qui fideicommissa ab eo reliquit intestatò. Planè si nominatim id ei permisit:dicemus eum nô incidere in edictum:quia usus est facultate ea,quam ei testator concessit.quod si non ei concessit specialiter testator omittere:is ordo erit sequendus, quem Iulianus ostendit. q quid deinde dicemus,si ijsdem, & ex testamento legata, & fideicommissa ab intestato fuerint relicta, & præterea alijs fideicommissa: an ordinem illum debeamus facere,quem Iulianus monstrat:an uero contribuemus omnes fideicommissarios,quasi æquales? & magis est,ut ita distinguamus: multum interesse, utrum inciderit in edictum hæres,an non. nam si incidit: preferendi erunt hi, quibus testamenta relicta fuerunt quædam. sin uero non incidit:quia hęc fuit testatoris uoluntas, ut daret ei facultatem & ab intestato succedendi,uel quia alia caussa intercessit,quę(secundum ea,quæ suprà scripta sunt) non offendit edictum:dicendum est, contribui fideicommissa debere, quasi exæquata. Non simpliciter autem prætor pollicitus est se daturum actionem, sed caussa cognita. nam siue inuenerit testatorem huius rei authorem esse, ipsumque permisisse ab intestato succedere,aut si qua alia iusta caussa omittendi interuenerit:utique non dabit actionem in eum legatorum. Item si inuenerit bona ad alium pertinere,non dabit actionem: si modo nulla collusionis suspitio religionem prætoris instruxerit. Si autem is, cui auferri hæreditas potest,aliquid possidebat de hæreditate,& possidere desijt sine dolo malo: magis est, ut desinat conueniri.quod ergo tempus spectabimus, possideat, nec'ne.litis contestatæ tempus spectari debet. Certè si uacantia bona quis possederit,& quadriennium præterierit:indubitanter conueniri poterit ex hac parte edicti:& quia omisit caussam testamenti,& quia ab intestato possedit.& quidem sic,ut præscriptione quadriennij tutus sit. Si patronus ex debita sibi portione hæres scriptus,dato sibi cohærede,ex alia parte omiserit institutionē,quia debita pars eius erat exhausta:omiserit & cohæres:deinde possideat patronus ab intestato r legitimam hæreditatem totam:dādam in eum legatorum actionem. Celsus libro decimosexto Digestorum ait,quæ in Titium competeret:sufficereque patrono, quod integram debitam sibi portionem habeat.hæc autem ita sunt,si cohæres collusit cum patrono.aliter enim non esse patronum cogendum legata præstare.neque enim interdictum est,ut quis omittat hæreditatem,si sine fraude id fiat. Hoc edictum etiam ad contra tabulas bonorū possessionem pertinere,magis dicendum est:scilicet ut is,qui accipiendo contra tabulas bonorum possessionem liberis parentibusque legata præstaret,si omiserit eam bonorum possessionem,& ab intestato possideat hæreditatem:cogatur ea præstare,quæ præstaret,si contra tabulas bonorum possessionem accepisset. Si libertas sub conditione fuerit data, SI DECEM DEDERIT,& omissa caussa testamenti fuerit:non aliter libertas competet, quàm si conditioni paritum sit.

VII. MARCELLVS.

QVIDAM Titium & Mæuium instituit hæredes,& centum Titio legauit.uterque omisso testamento,legitimam adijt hæreditatem.non probè legatorum actionem Titius postulabit.idem est,si utrique legasset.

VIII. VLPIANVS.

SI QVIS sub conditione dandorum decem,uel qua alia,quæ in dando uel in faciendo fuit,hæres institutus,omissa caussa testamenti ab intestato possideat hæreditatem : uidendum est,an huic,in cuius personam cōditio collata est,subueniri debeat.& magis est,ne subueniatur.neque enim legatarius est.

Sed &

A IX. PAVLVS.

SED & si adhuc patendi conditioni tempus habeat, hac parte edicti non tenetur.

X. VLPIANVS.

SI NON solus, sed cum alio possideat hæreditatem is, qui omisit caussam testamenti: rectissimè Iulianus ait (quod & Marcellus probat) dandam in ipsum quoque legatorum utilem actionem. Nec enim adspernari debet, obesse sibi factum hæredis scripti, cui etiã profuerit. hoc autem ita est, nisi si pecuniam accepit is, qui omisit caussam testamenti. tunc enim in solidum tenebitur. Cum substitutis ab institutis legata fuissent relicta, & tam instituti, quàm substituti omissa caussa testamenti possiderent ab intestato hæreditatem: diuus Pi-
B us rescripsit, neque improbè, neque impudenter institutos legata recusare substitutis data. rectè enim recusare in se dari legatorum fideiũe commissorum petitionem substituto: cui liberum fuit adeunti hæreditatem, non fideicommissum petere, sed uniuersa bona obtinere.

Si duo sint hæredes institutus & substitutus, & ambo omissa caussa testamenti ab intestato possideant hæreditatem: quæstionis est, an ambo cogantur legata præstare? & utrum unusquisque ea legata, quę à se relicta sunt: an uero ambo utraque legata cogantur præstare? ego puto, in solidum aduersus singulos legatorum petitionem dandam. Sed utrum eorum, quæ à se legata sunt, an uero etiam eorum, quæ ab altero hærede, uideamus. sed & aliter si proponamus institutum solum possidere hæreditatem. eorum legatorum, quæ sunt à se relicta, an etiam eorum, quæ à substituto relicta sunt, actionem patiatur? Dicendum est,
C ita demum etiam eorum: si dolo substituti perueniat ad institutos hęreditas sine pecunia. nam si pecuniam accepit substitutus: ipse erit conueniendus. Item si solus substitutus possideret, siquidem pecunia accepta institutus omisisset: diceremus institutum suis legatarijs respondere debere, substitutum suis. Si autem sine pecunia: aduersus substitutum daremus actionem. nunc autem, cum ambo possideant, melius dicetur, singulos suis legatarijs respondere debere.

XI. IABOLENVS.

SI AB instituto & substituto eadem res mihi legata sit, & omissa caussa testamenti possideant hæreditatem lege: etiam si ab utróque hærede solidum mihi debetur: tamen ab uno legatum consecutus, ab altero petere non potero. eligere itaque reum potero.

D XII. VLPIANVS.

DE libertatibus quoque in hoc casu quæsitum est, an competant: tam hæ, quæ ab instituto, quàm hæ, quæ à substituto datæ sunt? & magis est, ut competant tam directæ, quàm fideicommissariæ. Hæredem eius, qui omissa caussa testamenti ab intestato possidet hæreditatem, in solidum legatorum actione teneri constat magis est enim, rei persecutionem, quàm pœnam continere: & ideo perpetuam esse. hoc autem ita est, nisi propter dolum defuncti conueniatur hæres tunc enim in id, quod ad eum peruenit, conuenietur.

XIII. CAIVS

ETSI non totam hæreditatem aliquis partemúe eius, ex qua hæres institutus est, ab intestato possideat, sed minimã portiunculam, uel etiã unã aliquam rem: tenetur hoc edicto.

E XIIII. IDEM.

QVAMVIS non propriè pars hæreditatis in una re intelligatur.

XV. IDEM.

NEC id iniquum est: cum ex suo quisque uicio hoc incommodo adficiatur.

XVI. IDEM.

CVM enim hæreditas ab eo quoque peti possit, qui unam aliquam rem hæreditatio nomine possideat: dubitari non oportet, quin uerum sit, quod diximus.

XVII. IDEM.

SI QVIS omissa caussa testamenti omnino eam hæreditatem non possideat: excludun tur legatarij. Nam liberum cuique esse debet, etiam lucrosam hæreditatem omittere, licet eo modo legata libertatesque intercidunt. sed in fideicõmissarijs hæreditatibus id prouisum est,

est,ut si scriptus hæres nolit adire hæreditatem:iussu prætoris adeat,& restituat. quod beneficium his,quibus singulæ res per fideicommissum relictæ sunt, non magis tributum est,quàm legatarijs. F

XVIII. IDEM.

DVO hæredes instituti,si ambo omissa caussa testamenti ab intestato possideant hæreditatem:tunc quia uterque prætorio iure perinde habetur,atque si ex testamento hæreditatẽ adijsset:pro partibus in singulos competit actio. Admonendi sumus: huic, in quem ex hac parte edicti legatorum actio datur,beneficium legis Falcidiæ concedendum.

XIX. IDEM.

PRAETEREA patrono quoque,qui ex asse hæres institutus est,si ab intestato possideat hæreditatem:commodum partis debitæ,quod habiturus foret,si ex testamento adijsset hæreditatem,saluum esse debet. G

XX VLPIANVS.

SI EADEM res diuersis personis ab instituto & substituto fuerit relicta:non uterque, sed qui ab instituto accepit,solus uindicabit.

XXI. IVLIANVS.

SI FILIUS meus à matre sua hæres scriptus fuerit,& ego testamenti caussa omissa bonorum possessionem eiusdem filij nomine petiero:actio legatorum in me dari debebit non secus,ac si ipse hęres scriptus omissa caussa testamenti bonorum possessionem ab intestato accepissem. XXII. IDEM. H

SI IN testamento ita scriptum fuerit, TITIVS HAERES ESTO. ET SI TITIVS HAERES ERIT, MAEVIVS HAERES ESTO: & Titius omissa caussa testamenti hæreditatem legitimam possederit: Mæuio aduersus eum petitio hæreditatis dari non debet pro parte,quam habiturus esset,si testamenti caussa omissa non fuisset. Cum enim omisso testamento hæreditas possidetur:legatorum quidem & libertatum ratio habenda est : quia aliter, quàm ab hęrede,dari non potuerunt.hæreditatis uero,quæ ita data est,rationem habere prætor nõ debet.sua enim culpa testator sub hac conditione hæreditatis partem dedit, quam potuit purè dare. Quarè & si ita scriptum fuisset, TITIVS HAERES ESTO (SEIVS HAERES ESTO) QVISQVIS MIHI EX SVPRASCRIPTIS HAERES ERIT, STICHVS LIBER HAERESQVE ESTO: Et Titius omisso testamento hæreditatem possideat:libertatem Stichi prætor tueri non debet,nec hæreditatis petitionem ei dare. Si quis hoc modo testamentum scripserit, TITIVS HAERES ESTO. SI TITIVS HAERES NON ERIT, MAEVIVS HAERES ESTO. QVISQVIS MIHI EX SVPRASCRIPTIS HAERES ERIT, MAEVIO (SI MIHI HAERES NON ERIT) CENTVM DATO: deinde Titius omisso testamento legitimam hæreditatem possideat:an Mæuio,cuius in potestate fuit,ut ex substitutione adeundo totam hæreditatẽ haberet,legatorum actio dari debeat,quæritur? & placet dari:quia nihil prohibet Mæuium iustam caussam habuisse,propterquam nollet negocijs hæreditarijs implicari. I

XXIII. VLPIANVS.

SI FILIUS,qui mansit in potestate patris,itẽ filia hæredes instituti,præterito fratre emancipato,qui contra tabulas possessionem accipere potuit,ut intestati patris possessionem acceperint:legata omnibus præstabunt:nec dotem suam filia fratri confert,cum ut scripta uideatur hæreditatem habere. K

XXIIII. PAVLVS.

SI DOLO tutoris omiserit pupillus caussam testamenti,& legitimam hæreditatem possideat:danda est legatorum actio in pupillum,sed eatenus,quatenus hæreditas ei adquisita est. quid enim si cum alio possideat hæreditatem? sed hoc & in eo,qui pubes est, plerique putant obseruandum:ut pro qua parte possideat,teneatur : quamuis prætor perinde in eum det actionem,atque si adisset hæreditatem.

XXV. CELSVS.

A C v i seruus ipsius substitutus est, seruum suum adire iussit. si idcirco fecit, ne legata praestaret: utraque praestabit: & quia hęres est, & quia omissa caussa testamenti possidet ex substitutione hæreditatem, salua Falcidia ei seruata.

XXVI. PAPINIANVS.

I v l i a n v s scribit. patrem, qui filiam sibi substitutam iussit adire hæreditatem: legata quæ ab ipso data sunt, ex sententia edicti præstatutum: quoniam filia patri substituatur in casu, non ut arbitrium eligendi relinquatur. Sed si uaria legata supra dodrantem data sunt: eorum prius rationem habendam, quę à filia relicta sunt. non enim carere dolo patrem, qui honore proprio omisso, propter compendium alienam institutionem maluit. denique si filię B pater substitutus adijt hæreditatem: nihil eum dolo facere, Iulianus existimat: quia nemo filiæ patrem contra uotum parentum substituere uidetur, sed ut arbitriū eligendi relinquat.

XXVII. IDEM.

M a t e r secundis tabulis impuberi filio substituta, locum edicto facit, si omisso testamento legitimam hæreditatem filij possideat. idem iuris erit, & si filio hæres data sit & substituta. In sententiam edicti propter legatorum caussam frater incidisse nō uidebitur, qui filium suum substitutum impuberi testamento fratris non emancipauit, sed ab intestato per eum bona possidere cœpit. In eum, qui testamento scriptus hęres non fuit, si fraudis consilio cum hæredibus scriptis participato, legitimam hęreditatem solus possideat: actio legatorum ex sententia prætoris dabitur.

C XXVIII. TERENTIVS CLEMENS.

S i s e ruum hæredem substitutum dominus, qui ipse rogatus fuerat fideicommissum præstare, prius quàm adire iuberet, uendiderit: præstare id debet, cum per precium serui hęreditatis quoque æstimationem consequatur. Institutus hæres, & rogatus restituere hæreditatem, si omissa caussa testamenti legitimam hæreditatem possideat: non dubiè, ut legata cęteraque fideicommissa, ita hæreditatem quoque restituere compellendus est. libertates quoque tam directas, quàm fideicommissarias. sed & si alienos seruos rogatus sit manumittere: utique redimere eos debebit. eam autem decessionem, quam is, qui restituit, passurus fuit: patietur is, cui restituta fuerit hæreditas.

XXIX. VLPIANVS.

D Q v i omissa caussa testamenti ab intestato possidet hęreditatem, seruos ad libertatem perducere debet: ne eis factum noceat eius, qui ex testamento adire noluit: sic tamen, ut habeat libertos.

XXX. HERMOGENIANVS.

Q v i omissa caussa testamenti pro emptore, uel pro dote, uel pro donato, siue alio quolibet titulo, exceptis pro hærede & pro possessore, possidet hæreditatem: à legatarijs & fideicommissarijs non conuenitur.

DE SENATVSCONSVLTO SILANIANO, ET Claudiano, quorum testamenta nec aperiantur. TIT. V.

E

I. VLPIANVS.



C v m aliter nulla domus tuta esse possit, nisi periculo capitis sui, dominis custodiam tā ab domesticis, quàm ab extraneis præstare serui cogātur: ideo senatusconsulta introducta sunt de publica quæstione à familia necatorum habenda.

Domini appellatione continetur, qui habet proprietatem, & si usufructus alienus sit. Qui seruum bona fide possedit, domini appellatione non continebitur: nec qui usumfructum solū habuit. Seruus pignori datus, quod attinet ad debitoris necem, pro omnia habetur, atque si pignori datus non esset. Serui appellatione etiam hi continentur, qui sub conditione legati sunt. nam medio tempore hæredis sunt. nec quod cōditio existēs efficit, ut desināt esse hæredis: facit, ne uideanť interim eius esse. Idemque erit dicendum & in statu-

ſtatu libero. Sed in eo, cui fideicommiſſaria libertas purè debetur, exſtat reſcriptum diui F
Pij ad Iubentium Sabinum: quo oſtenditur, non eſſe feſtinandum ad tormenta eius, cui fi-
deicommiſſaria libertas debetur. & magis eſt, ne puniatur ob hoc, quod ſub eodem tecto
fuit, niſi particeps ſceleris fuit. Domini appellatione & pro parte dominum contineri, di
cendum eſt. Domini appellatione, etiam filiusfamiliâs, cæteriq; liberi, qui in poteſtate
ſunt, continentur. Silanianum enim ſenatuſconſultum non ſolum ad patrēfamiliâs, uerum
ad liberos quoq; pertinet. Quid deinde dicemus, ſi liberi non ſint in poteſtate? Marcellus li
bro duodecimo Digeſtorum dubitat. ego puto plenius accipiendum, ut etiam ad eos libe-
ros pertineat, qui in poteſtate nō ſunt. in eo autem, qui eſt in adoptionem datus, non puta-
mus locum habere ſenatuſconſultum, quamuis in adoptato locum habeat. ſed nec in alu- G
mno occiſo locus eſt ſenatuſconſulto. De matris ſeruis, filio filiaúe occiſis, quæſtio nō ha
betur. Si pater ab hoſtibus captus ſit: quęſtionem de ſeruis habendam & ſupplicium, fi-
lio occiſo, eleganter Scæuola ait quod etiam poſt mortem patris probat, ſi antè quàm ſuus
ei hęres exiſtat, occiſus fuerit. Idem Scæuola ait, conſtantius defendendum, hęrede inſtitu-
to filio, de his quæſtionem habendam & ſupplicium, qui purè legati uel manumiſſi ſunt an
te ad: tam hæreditatem filio occiſo. quamuis enim ſi uiueret, hærede eo exiſtente, ipſius nō
eſſent futuri: attamen ubi deceſſit, quia extinctum legatum & libertas eſt, ſenatuſconſulto
fore locum dicit. Si pater necatus ſit: an de ſeruis filij quæſtio habeatur, ſi fortè in caſtren
ſi peculio ſeruos habuit? & magis eſt, quæſtionem de ſeruis filij habendam, ſuppliciumq;
ſumendum, licet non ſit in poteſtate filius. Si uir aut uxor occiſi eſſe proponantur: de ſer H
uis eorum quæſtio habetur quanquam enim neq; uiri ſerui propriè uxoris dicantur, neq;
uxoris propriè uiri: ſed quia commiſta familia, & una domus eſt: ita iudicandum, atque in
proprijs ſeruis, ſenatus cenſuit. Sed neq; uxore occiſa, neq; marito, de ſeruis soceri quæ-
ſtionem habendam, ſenatus cenſuit. Marcellus autem libro duodecimo Digeſtorum, etiã
in ſoceri ſeruis idem, quod in mariti, rectè dicit. Occiſorum appellatione eos contineri
Labeo ſcribit, qui per uim aut cædem ſunt interfecti: putã iugulatum, ſtrangulatum, præci-
pitatum, uel ſaxo, uel fuſte, uel lapide percuſſum, uel quo alio telo. Quod ſi quis (putá) uene
no, uel etiam quo alio, quod clàm necare ſolet, interemptus ſit: ad ſenatuſconſultum uindi-
cta mortis eius non pertinebit. hoc idcirco: quia toties puniendi ſunt, qui auxilium domi-
no non tulerunt: quoties potuerunt ei aduerſus uim opem ferre, & non tulerunt. cæterum I
quid potuerunt facere aduerſus eos, qui ueneno, uel quo alio modo inſidiabantur? Planè ſi
uenenum per uim infuſum ſit: ſenatuſconſultum locum habet. ubicunq; igitur uis adhibita
eſt, quæ interimere ſolet: ibi dicendum eſt, locum ſenatuſconſulto fore. Quid ergo, ſi domi-
nus ueneno, non per uim necatus eſſe proponatur? impunitum erit factum? nullo modo. li-
cet enim ceſſat ſenatuſconſultum Silanianum. nec quæſtio ſuppliciumq; de his, qui ſub eo-
dem tecto fuerunt, habeatur: tamen ſi qui conſcij, uel factores ſceleris fuerunt, hi demum
ſupplicio afficiuntur: & adiri hæreditas, apeririq; tabulæ etiam ante quæſtionem habitam
poſſunt. Si ſibi manus quis intulit: ſenatuſconſulto quidem Silaniano locus non eſt, ſed
mors eius uindicatur: ſcilicet ut ſi in conſpectu ſeruorum hoc fecit, potueruntq; eum in ſe ſæ
uientem prohibere pœna adficiantur: ſi uero non potuerunt, liberentur. Si quis non me- K
tu criminis imminentis, ſed tędio uitæ, uel impatientia doloris ſibi manus intulit: eius teſta-
mentum aperiri, & recitari, mortis caſus nō impedit. Item illud ſciendum eſt: niſi conſtet
aliquem eſſe occiſum, non haberi de familia quæſtionem. liquere igitur debet, ſcelere inter-
emptum, ut ſenatuſconſulto locus ſit. quæſtionem autem ſic accipimus, non tormenta tan-
tum, ſed omnem inquiſitionem & defenſionem mortis. Hoc autem ſenatuſconſultū eos
quidem, qui ſub eodem tecto fuerunt, omnimodo punit. eos uero, qui non ſub eodem te-
cto, ſed in eadem regione fuerunt: non aliter, niſi conſcij fuiſſent. eodem autem tecto quali-
ter accipiatur, uideamus: utrum intra eoſdem parietes, an & ultra, uel etiam intra eandem
diętam, uel cubiculum, uel eandem domum, uel eoſdem hortos, uel totam uillam. & ait Se-
xtus, ſic eſſe ſępe iudicatum: ut quicunque eò loci fuerunt, unde uocem exaudire potuerunt:
hi

A hi puniantur:quasi sub eodem tecto fuerint:licet alij ualidioris uocis sint,alij exiguioris,nec
omnes undiq; exaudiri possint.iuxta hoc tamen uidetur & diuus Hadrianus rescripsisse in
hæc uerba. Serui, quoties dominis suis auxilium ferre possunt, non debent eorum saluti
suam anteponere.potuisse autem ancillam,quę in eodem conclaui cum domina sua fuerat,
auxilium rei ferre,si non corpore suo, at certè uoce plorantem, ut hi, qui in domo fuerant,
aut uicini, audirent:hoc ipsum manifestum est ex eo, quod dixit percussorem sibi mortem
minatum,si proclamasset.ultimum itaq; supplicium pati debet uel hæc: ne cæteri serui cre/
dant,in periculo dominorum sibi quenq; consulere debere. Hoc rescriptum multa conti/
net.nam ei non parcit,quæ in eodem conclaui fuit:& ei,quæ timuit morti, non ignoscit: &
B quod uel uoce oporteat seruos dominis auxilium ferre, ostendit. Si quis in uilla agens,
occisus sit: plus quàm iniquum est (si fortè diffusa latè prædia habeat) de omnibus, qui in
ea regione fuerunt,seruis & quæstionem haberi, & suppliciū sumi. sufficiet ergo in eos, qui
cum ipso,qui occisus dicitur,fuerunt:quiq; suspitione cædis,aut cōscientia attingi uidebun
tur:quæstionem haberi. Cum dominus in itinere est occisus: de his,qui unà cum eo fue/
runt,cum occideretur,uel cum unà fuissent,profugerunt: supplicium sumendum est. quod
si cum domino nemo fuit,cum occideretur: cessant ista senatusconsulta. Impubes seruus,
uel ancilla nondum uiri potens,non in eadem caussa erunt.ætas enim excusationem mere/
tur. Impuberi autem utrum in supplicio tantum parcimus, an uero etiam in quæstione?
& magis est,ut de impubere nec quæstio habeatur.& aliâs solet hoc in usu obseruari,ut im/
C puberes non torqueantur. terreri tantum solent, & habena uel ferula cædi. Excu/
santur autem serui,qui auxilium tulerunt sine dolo malo.nam si finxit se quis auxilium fer/
re,uel ditis gratia tulit:nihil hoc commentum ei proderit. Tulisse autem auxilium non tan/
tum is uidetur,qui seruauit dominum,hoc est, qui potuit ita opem ferre, ut saluus esset do/
minus:uerum is quoq;,qui quidquid potuit,fecit, tametsi dominus interfectus est.ueluti si
quis exclamauit,ut ad auxilium conueniretur:aut terruit aggressores, atque si quis turbam
cōuocaret:aut si corpus suum obiecit,uel aliâs corpore suo auxilium tulit. Non tamen sem/
per,qui clamore usus est,auxilium tulisse uidetur. quid enim, si cum posset manu depellere
à domino periculum, ille clamorem inanem elegit? plectendus utiq; erit. Quid si uulne/
rati sint serui, cum protegerent dominum? dicendum est,parci eis debere: nisi aut ipsi sibi
D uulnera ista fecerunt dăta opera,ne punirentur:aut talia uulnera isti acceperunt, ut possent
nihilominus opem ferre,si uoluissent. Si dominus mortifere uulneratus superuixerit,nec
de quoq; seruorū suorū cōquestus sit:etiā si sub eodē tecto fuerūt,tamen parcendū illis erit.

II. CALLISTRATVS.

DIVVS Marcus Commodus Pisoni rescripsit in hæc uerba. Cum constiterit apud te,
Piso charissime, Iulium Donatum postea, quàm cōterritus aduentu latronum profugerat
uillam suam,uulneratum esse, mox testamento facto purgasse officium seruorum suorum:
nec pietas (pro seruis) nec sollicitudo hęredis obtinere debet,ut ad pœnam uocentur,quos
absoluit dominus ipse.

III. VLPIANVS.

SI QVIS ingrauescente ualetudine affectus,opem ferre domino non potuit: subuenien/
E dum est ei. Si quis moriens dixisset, à seruo uim mortis sibi illatam esse:dicendū est, non
esse credendum domino,si moriens hoc dixit,nisi potuerit & probari. Si maritus uxorem
noctu intra cubiculum secum cubantem necauerit, uel uxor maritum: serui pœna senatus/
consulti liberabuntur.Sed si exaudissent,& opē non tulissent:plectendi erunt,non tantum
si proprij essent mulieris, sed etiam si mariti. si tamē maritus in adulterio deprehensam oc/
cidat:quia ignoscitur ei,dicendum est,non tantum mariti, sed etiam uxoris seruos liberan/
dos, si iustum dolorē exsequenti domino non restiterunt. Si cum omnes domini aggres/
suram paterentur,uni seruus opem tulit:an sit excusandus, an uero (quia omnibus non tu/
lit) plectendus? & magis est, si quidem omnibus ferre potuit: quamuis quibusdam opem
tulerit,supplicio afficiendum.si uero simul omnibus non potuit:excusandum,quia quibus/
dam opem tulerit.Nam illud durū est dicere: si cum duobus auxiliū ferre non possit, eligat

alteri esse auxilio: electione crimen cum cōtraxisse. quare & si seruus mulieris marito domino magis auxilio fuit, quàm dominæ, uel contrà: dicendum est, ignosci debere. Subueni- f
tur eis, qui eo tempore, quo dominus dominaue occisa est, clusi ita fuerunt sine dolo malo, ut erumpere succurrendi caussa, aut comprehendendi eos, qui cædem fecerunt, non potuerint. nec interest, à quo clusi continebuntur. sic tamen, si non dāta opera uoluerint se ita includi, ne opem ferre possent. Clusos accipere debemus, & si sunt uincti: si tamen ita uincti, ut omnino erumpere uincula, & auxilio esse non potuerunt. Ignoscitur etiam his, qui ætate defecti sunt. surdus quoque inter imbecillos numerandus est, aut inter eos, qui sub eodem recto non sunt: quia ut illi per spaciū, ita hic per morbū nihil audit. Cæcus quoque ueniā mereri debet. mutum simili modo excipimus: sed ibi, ubi uocis tantū auxiliū superfuit. furiosos excipi nequaquā dubium est. Si quis eorū seruū seruámue ex ea familia, qui eius facinoris noxius erit, receperit, uel celauerit sciens dolo malo: in ea caussa est, ac si lege, quæ de sicariis lata est, facinoris noxius fuerit. Si ex stipulatu seruus debeatur, & cædem domini arguerit, & pro præmio liber esse iussus sit: ex stipulatu actio stipulatori non dātur. nam & si supplicio affectus fuisset, non dāretur. quod si sub eodem tecto nō fuit: ex stipulatu actio in æstimationem serui utilis erit creditori. Vtrum autem is solus uideatur uindicasse uel arguisse, qui ad hoc prosilit ultro: an etiā is, qui cum accusaretur, ipse detorsit in aliū crimē? & magis est, ut ille hoc præmio dignus sit, qui ultro ad accusationem prosilit. Hi quoque, qui non poterunt aliâs ad libertatem peruenire: (utputā, si hac lege distractus erat quis, ne manumitteretur) poterunt propter hoc, quod in commune utile est, ad libertatem peruenire. h

De his quoque seruis, qui testamento manumissi sunt, perinde atque de seruis suppliciū sumendum est. De his, qui antè, quàm testamentum occisi occisǽue aperiretur, profugissent, posteaque aperto testamento liberi scripti inuenirentur: perinde, atque de seruis quæstio habenda, suppliciūque sumendū est. Nam est æquissimū, dominorū ultioni non obstare indulgentiam ipsorū: quam quo quisque plenioré est expertus, eo grauioré sceleris sui pœnam merebitur. Quod ad caussam testaméti pertinet, si quod relictū erit ab eo, qui occisus esse dicetur: id ne quis sciens dolo malo aperiendū, recitandū describendūue curet, edicto cauetur: prius, quàm de eius familia quæstio ex senatusconsulto habita, suppliciumque de noxiis sumptū fuerit. Aperire aūt hic ille uidetur, qui naturaliter aperit: siue sint signatæ siue non sint ligatæ, sed tantū naturaliter clausæ. Aperire accipere debemus prohibitos nos, uel palā, uel secretò. omnis enim apertura prohibita est. Si quis ignorans occisum, aperuerit: non i
debet hoc edicto teneri. Et si sciens, non tamen dolo aperuerit, æquè non tenebitur: si fortè per imperitiam, uel per rusticitatē ignarus edicti prætoris uel senatusconsulti aperuit. Si quis tabulas quidem non aperuerit naturaliter, linum autem inciderit excusatus erit: quia dolo caret, qui ipsas tabulas non aperuerit. Si autem non totum testamentum, sed pars eius aperta sit: dicendum est, in edictum incidisse eum, qui aperuit. parui enim refert utrum totum, an partem aperuerit. Si quis codicillos aperuit, testamentum non aperuit: in edictum incidit. nam & codicilli ad caussam testamenti pertinent. item siue iure ualeat id, quod apertum est, siue non ualeat: attamen edicto locus est. Eadem seruanda sunt de his, quæ ad caussam substitutionis pertinent, si pupillus pupillǽue occisus occisǽue esse dicetur.

Si alius aperuit, alius recitauit, alius descripsit: omnes in edictum incident, qui singula eorum fecerunt. Non tantum ex testamento, sed etiam ab intestato hæreditas ad hoc edictum pertinet: ut ne quis adeat, bonorúmue possessionem petat, antè quàm quæstio de familia habeatur: ne hæres propter compendium suum familiæ facinus occultaret. Eleganter Scæuola ait: ut quis ad hæredē suum utiles actiones transmittat, si fortè ante aditionem decessit: exploratum esse debere, idcirco eum non adisse quod senatusconsulto edictoque terrebatur. Si conditioni intra diem ex die mortis præstitutam parere iussi, ignorantia non paruerunt: si idcirco ignoratum est, quia metu senatusconsulti aperiri tabulæ non potuerunt: succurritur eis ad implendam cōditionem. sed si aliud impedimentū sit in non adeunda hæreditate, quàm aperiendarum tabularum, & senatusconsulti: nihil prodesse impedimentum

A mentum senatusconsulti, si & aliud hic fuit: ueluti si prægnans uxor occisi fuit, uel etiam putabatur, & propterea adire hæreditatem institutus non potuerit.

IIII. PAPINIANVS.

QVI posthumos hæredes instituerat, non natis posthumis uxorem secundo loco scripsit hæredem. cum à familia diceretur necatus, uxor diem suum obierat. hæredes mulieris actiones ex constitutione sibi dari postulabant. eos ita demum audiendos esse respondi: si mulier, quam in utero nihil gestare constabat, propter senatusconsultum hæreditatem adire noluit. alioquin prægnante ea defuncta, nullam iniuriæ quærelam interuenisse.

V. VLPIANVS. lib. L. *ad edictum.*

B NECESSARIOS hæredes puto edicto comprehendi, si se misceant hæreditati. nec bonorum possessionem peti prætor permittit. & ego puto ad omnes bonorum possessiones hoc edictum pertinere. Non aliàs bona publicantur, quàm si constabit esse occisum patremfamiliás, & hæredem ante quæstionem de familia habitam, suppliciumque sumptum, adisse hæreditatem. Vbi quis incuria necatus est, uel medici insidijs: adiri quidem hæreditas potest, sed hæredi defensio mortis incumbit.

VI. PAVLVS.

ET SI certus sit percussor: tamen habenda est quæstio, ut cædis mandator inueniatur. utique autem ipse maximè quæstioni dabitur, quamuis & cæteri puniantur. Quamuis aliàs in caput domini serui non torquentur: rectè tamen fiet quæstio, etiam si hæredem accuset: C siue extraneus hæres, siue ex suis sit. si unus ex dominis non compareat: quærendum est de casu eius per seruos, quos communes habuerunt. Magis enim de salute aut ultione domini non comparentis, quàm in caput præsentis torquebuntur. Si appetitus sit, nec occisus dominus: nihil senatusconsulto cauetur. ipse enim in familiam suam potest animaduertere.

VII. IDEM.

ET IN libertos extra ordinarium auxilium habebit.

VIII. IDEM.

SENATVSconsulto Silaniano cauetur: si pœnę obnoxius seruus uenisset, quandocunque animaduersum in eum esset, ut uenditor precium præstaret: ne emptori iniuriam fecisse uideretur senatusconsultum. Si filiusfamiliás, qui in castrensi peculio testatus est, occisus sit: omni modo id defendendum est, ut ex quibus casibus ad fiscum patrisfamiliás bona perti-D nent: his casibus & huius peculium potius, quàm ad hæredes, qui deliquerunt in adeundo, aut similiter ulti non sunt.

IX. CAIVS.

CVM fisco caduca bona defuncti addicuntur propter inultam mortem in eum legatorum actio datur, & libertates ratæ sunt eorum scilicet, qui senatusconsulto excipiuntur.

X. PAVLVS.

SI EXHAEREdatus filius, antequam adiretur patris hæreditas, occisus sit: ex euentu inspicietur, ut si adita fuerit hæreditas, quasi alieni fuisse uideantur. Si uero irritum testamentum factũ sit: quia ipsius essent, si uiueret: omnia perinde agũtur, ac si dominus esset. Sub E diuo Traiano cõstitutũ est: de his etiã libertis, quos uiuus manumiserat, quæstionẽ haberi.

XI. TRIPHONINVS.

IDE'M QVE erit & de his, qui ius annulorum petierant.

XII. PAVLVS.

SI SERVVS à testatore occiso legatus sit, & prætor pro præmio statuerit liberum eum esse: dicendum est non impediri libertatem.

XIII. VENVLEIVS SATVRNINVS.

IN COGNITIONE aperti aduersus senatuscotisultum testamenti eius, qui à familia sua occisus dicatur: quinquennij tempus constitutum est senatuscõsulto, Tauro & Lepido consulibus. quod tamen ad extraneos pertinet. Nanque eos, qui parricidij pœna teneri possunt, semper accusare permittitur eodem senatusconsulto.

XIIII. CAIVS.

Excipiuntur eodem senatusconsulto Silaniano impuberes serui. Trebius autē Germanus legatus etiam de impubere sumi iussit suppliciū,& tamen non sine ratione. nam is puer nec multum à pubertate aberat, & ad pedes domini cubuerat, cum occideretur, nec postea cædem eius prodiderat. ut enim opem ferre eum non potuisse constabat, ita silentium præstitisse, etiam postea certum erat: & bis duntaxat impuberibus senatusconsulto parci credebat, qui tantum sub eodem tecto fuissent. qui uero ministri, uel participes cædis fuissent, & eius ætatis (quanquam nondum puberis) ut rei intellectum capere possent: his non magis in cæde domini, quàm in nulla alia caussa parci oportere. F

XV. MARTIANVS.

Si sequens gradus ultus fuerit necem testatoris: an prior hæreditas ad illum transferatur? & ait Papinianus, non esse hoc. nam pœna illius, huius præmium esse non debet. G

Cum ex parte hæredi instituto legatum quoq; erat, & in ulciscenda morte cessauerat: diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, tam hæreditatis portionem, quàm legatum ei auferendum: hæredibus autem, qui in ulciscenda morte defuncti cessauerant, tam testamento, quàm ab intestato auferuntur bona: fortè & si quasi patronus uenit, quamuis hic suo iure admittatur.

XVI. MARCELLVS.

Domino à familia occiso, seruus communis necem eius detexit fauore libertatis. liber quidem fieri debet: precij autem partem sibi contingentem socium consequi oportet.

XVII. MODESTINVS.

Prius de se familia torquenda est: & si confiteatur, tunc interrogetur, quo mandante flagicium admissum sit. H

XVIII. IDEM.

Et de inofficioso testamento queri idem, & mortem uindicare defuncti non prohibetur. idq; Paulus respondit.

XIX. IDEM.

Cum dominus occiditur, auxilium ei familia ferre debet, & armis, & manu, & clamoribus, & obiectu corporis. quod si, cum posset, non tulerit: meritò de ea supplicium sumitur.

XX. PAPINIANVS.

Haeres, qui ueneni caussam persequitur, res hæreditarias urgentes ordinare, saluis probationum indicijs, non prohibetur. I

XXI. IDEM.

Propter ueneni quæstionem tempus petendæ possessionis non profertur: cum eo quoq; suspenso crimine, rectè petatur. aliud senatui placuit, cum à familia dominus necatus dicitur: seruorum uidelicet caussa, quorum libertatem quęstionis habendæ gratia negligi necesse esset. Neptis, quæ possessionem auiæ petierat, mortem eius (interfectam sciens) non defenderat. fideicommissum, quod auia ex alio testamento nepti debuit, in restituendis fisco bonis non esse deducendum placuit. dolus enim hæredis punitus est. si autem negligentia mulier emolumentum bonorum amiserit: fideicommissum esse retinendum, intē grato iure debiti, rationis est. Præsidis iniquitate reis illatæ cædis absolutis: hæredibus, qui non perfunctoriè debitum officium impleuerant (quamuis non prouocassent) hæreditatem auferri non oportere uisum est. K

XXII. PAVLVS.

Caius Seius cum languesceret, questus est se ueneno occidi à seruo suo, & sic exspirauit. cum hæres exstitisset Lucia Titia soror, & mortem eius exsequi neglexisset, & ipsa post annum decimum decessisset: exstitit, qui bona nunciaret Caij Seij. Quæro, an morte Titiæ exstinctum sit crimen? Paulus respondit. caussam, de qua quæritur, (cum sit pecuniaria) morte ingratæ hæredis exstinctam non uideri.

XXIII. METIANVS.

Si ante, quàm pateficret testatorem occisum, tabulæ testamenti apertæ essent, deinde innotuisset id admissum esse: caussa cognita, puto compellendum institutum adire hæreditatem, quam

A ditatem, quam suspectam diceret, & ex Trebelliano senatusconsulto restituere.

XXIIII. VLPIANVS.

Si qvis quasi suspectam hæreditatem coactus adijt, non tenetur edicto.

XXV. CAIVS.

Lege Cornelia cauetur de præmio accusatoris, qui requisiuit & renunciauit eos seruos, qui ex ea familia ante quæstionem fugerint: ut in singulos seruos, quos conuicerit, quinque aureos ex bonis occisi, aut si inde redigi ea quantitas non possit, ex publico accipiat. Quod præmium non in omnes seruos, qui sub eodem tecto locoue fuerint, sed in eos solos, qui cædem admisissent, accusatori tribuitur. Præterea cauetur: ut de his, qui antè quæstionē ha-
B bitam fugerint, si aperto testamento liberi scripti inueniantur, lege de sicarijs iudicium fiat: ita ut ex uinculis caussam dicant, & cōuicti perinde, ac serui, puniantur: & ei, qui conuicerit, deni aurei præmij nomine dentur ex bonis damnati. Ex hoc edicto actio proficiscitur contra eum, qui aduersus edictum prætoris tabulas testamenti aperuisse, uel quid aliud fecisse dicetur. nam (ut ex suprà dictis apparet) plura sunt, propter quæ pœna edicti constituta est. Palàm est autem, popularem actionem esse, cuius pœna in centum aureos ex bonis damnati extenditur: & inde partem dimidiam ei cuius opera conuictus erit, præmij nomine se dàturum prætor pollicetur: partem in publicum redacturum.

XXVI. SCAEVOLA.

Fidei commissum, quod ex testamento fratris patruelis Caius Seius Titio debebat, ab
C hæredibus Seij Titius accepit. quæsitum est, cum necem Caij Seij hæredes eius non uindicauerint: an nihilominus hæredes ut indignos accusare possit ob id, quod necem eius non uindicauerint: nec obsit ei, quod ab ijsdem fideicommissum ex testamento fratris patruelis consecutus sit? Respondi. nihil proponi, cur obstet.

XXVII. CALLISTRATVS.

Si de pluribus hæredibus, quibusdam inuitis aut ignorātibus, apertum erit testamentum non amittunt portiones suas, qui culpa carent.

SI QVIS ALIQVEM TESTARI PROHIBUERIT, UEL COĒGERIT. TIT. VI.

D I. VLPIANVS.

Qvi dolo captat hæreditatem legitimam, uel ex testamento, prohibuit testamentarium introire, uolente eo facere testamentum, uel mutare: diuus Hadrianus constituit, denegari ei debere actiones: denegatisq́ ei actionibus, fisco locum fore. Si dominus dolo fecerit, ne testamentum mutaretur, in quo seruus eius scriptus erat: quamuis manumissus adierit hæreditatem, actiones ei denegantur: cum & liberis eius, si quid fuerit dātum, denegari debeat, & si non fuerint in potestate. Sed si legatum ei relictum sit, idq́ restituere sit rogatus: consequens erit dicere, admitti eum ad legatum, quod non ipse habiturus esset, sed ad alium sit translaturus. Si plures hæredes instituti sint, & omnes dolo fecerint, quò minus testamētum mutaretur: dicendum est, actiones omnibus denegari quia omnes dolo fecerunt.

E II. PAVLVS.

Si qvis dolo malo fecerit, ut testes non ueniant, & per hoc deficiat facultas testamenti faciendi: denegandæ sunt actiones ei, qui dolo fecit: siue legitimus hæres sit, siue priore testamento scriptus. Fratris autem factum fratri non nocet. Si fidei eius, qui dolum admisit, commissum est, ut hæreditatem restitueret: ea hæreditas caduca cum suis oneribus fiet: ut commodum legis Falcidiæ fiscus sentiat, dodrantis autem fideicommissarius.

III. PAPINIANVS.

Virvm, qui non per uim, nec dolum, quò minus uxor contra eum mutata uoluntate codicillos faceret, intercesserat: sed (ut fieri adsolet) offensam ægræ mulieris maritali sermone placauerat: in crimen nō incidisse respondi: nec ei, quod testamento fuerat dātū, auferendū.

DE IVRE CODICILLORVM. TIT. VII.

I. VLPIANVS.


SAEPISSIME rescriptum & constitutum est: eum, qui testamentum facere opinatus est, nec uoluit quasi codicillos id ualere: uideri nec codicillos fecisse. Ideoque quod in illo testaměto scriptum est, licet quasi in codicillis poterit ualere, tamen non debetur.

II. IVLIANVS.

SI EI, qui post testamentum factum, & antè codicillos scriptos natus esset, codicillis per fideicommissum aliquid daretur: utile est. quod si ei, qui post testamentum factum, & antè quàm codicilli scriberentur, mortuus esset, dătum esset: pro non scripto habetur. Codicil- G
lorum ius singulare est. unde quæcunque in his scribentur: perinde habentur, ac si in testamento scripta essent. Ideoque seruo, qui testamenti facti tempore testatoris fuit, & codicillorum tempore alienus, non rectè libertas directa dătur. Et contrà, si cum testamentũ fiebat, alienus esset, codicillorum tempore testatoris: intelligitur alieno seruo libertas dăta. & ideo licet directæ libertates deficiunt, attamen ad fideicõmissarias eundum est. Furiosus non intelligitur codicillos facere: quia nec aliud quidquam agere intelligitur, cum per omnia & in omnibus absentis uel quiescentis loco habeatur. Hæreditas testaměto inutiliter dăta, non potest codicillis quasi hæreditas cõfirmari: sed ex fideicommisso petitur, salua ratione legis Falcidiæ.

III. IDEM.

SI QVIS cum testamentum nullum habebat, codicillis fideicommissa hoc modo dědit, H
QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, BONORVMVE POSSESSOR, EIVS FIDEICOMMITTO: fideicommissa præstari debent: quia paterfamiliás, qui testamenti factionem habet, & codicillos facit, perinde haberi debet, ac si omnes hæredes eius essent, ad quos legitima eius hæreditas uel bonorum possessio peruentura est. Sed & si post codicillos factos natus quis esset proximus adgnatus, uel suus hæres: fideicommissum præstari debebit. intelligitur enim is quoque hæres scriptus. unde non perinde habendus est, ac si rupisset hos codicillos.

Testamento facto, etiam si codicilli in eo confirmati non essent, uires tamen ex eo capient. Denique si hæreditas ex testaměto adita non fuisset: fideicommissum ex huiusmodi codicillis nullius erit momenti.

IIII. IDEM.

EVM, qui codicillorum tempore soluendo sit, rectè libertatem dăre placuit: quamuis te- I
stamenti facti tempore soluendo non fuerit.

V. PAPINIANVS.

ANTE tabulas testamenti codicilli facti non aliter ualent, quàm si testamento, quod postea factum est, uel codicillis confirmentur, aut uoluntas eorum quocunque indicio retineatur. sed non seruabuntur ea, de quibus aliter defunctus nouissimè iudicauit.

VI. MARCIANVS.

DIVVS Seuerus & Antoninus rescripserunt. nihil egisse mătrem, quæ cum purè liberos suos hæredes instituerit, conditionem emancipationis codicillis adiecit: quia neque conditionem hæredi instituto codicillis adijcere, neque substituere directò potest. Codicillos etiam plures quis facere potest: & ipsius manu neque scribi, neque signari necesse est. Licet in con- K
firmatione codicillorum paterfamiliás adiecerit, ut non aliás ualere uelit, quàm sua manu signatos & subscriptos: tamen ualent facti ab eo codicilli, licet neque ab eo signati, neque manu eius scripti fuerint. nam ea, quæ postea geruntur, prioribus derogant. Codicillos is demum facere potest, qui & testamentum facere potest. Si post testamentũ factum mortuo codicillis quis legauerit, licet testamento confirmatis: pro non scripto legatum est.

VII. IDEM.

QVAEDAM non referuntur ad confirmationem codicillorum: ueluti si antè captiuitatem quis codicillos confirmauerit, & in captiuitate codicillos scribat. nam non ualent. idem est, si aliquo modo ius testamenti faciendi habere desierit. præterea in illis, quæ non iuris, sed facti sunt: non est perinde habendum, quod codicillis scribitur, atque si, ubi confirmantur, scriptum

A mantur,ſcriptum fuiſſet.ueluti ſi ita in codicillis ſcriptum erit, VESTEM, QVAE MEA EST: codicillorum tempus ſpectandum, non quo confirmantur. item ſi ita, SI TITIVS VIVVS EST, uel SI TOT ANNORVM EST, codicillis legauit Seio:tempus codicillorum, non quo tempore fit teſtamentum, ſpectandum.

VIII. PAVLVS.

CONFICIVNTVR codicilli quatuor modis. aut enim in futurum confirmantur, aut in præteritum, aut per fideicommiſſum teſtamento facto, aut ſine teſtamento. ſed ideo fideicommiſſa dari poſſunt ab inteſtato ſuccedentibus: quoniam creditur paterfamiliâs ſponte ſua his relinquere legitimam hęreditatem. Codicilli toties ualent, quoties quis teſtamentum B quoq; facere potuit:nō tamen hoc ita intelligemus, ut exigamus potuiſſe eum eo tempore, quo ſcribit eos codicillos, teſtamentum facere:(quid enim, ſi ſufficientium teſtium facultatē non habuit)?ſed ſi iure teſtamēti factionem habuit. Si poſt factum teſtamentum codicillos quis confirmauerit, deinde adrogandum ſe præbuerit,& ibi codicillos fecerit, atq; ita emancipatus deceſſerit: quæritur, an ex codicillis legata debeātur? nam nec teſtamentum ualet:& eo tempore eos fecit, quo teſtamenti factionem non habuit: nec ſimilis eſt muto, qui rectè codicillos confirmauerit. licet enim is teſtamentum facere non poſſit: tamen teſtamentum, quod antè fecerat, in eodem ſtatu eſt. huius autem teſtamentum ſublatum eſt,& de alienis quodammodo rebus teſtatur. ſed dicemus codicillos ualere. nam & ſi poſthumus natus ruperit teſtamentum,& deceſſerit: nihilominus codicilli ualent. Si miles teſtamētum C quidem ante militiam, ſed codicillos in militia fecerit: an iure militari ualeant codicilli, quæritur? quoniam teſtamentum iure cōmuni ualet, niſi militiæ tempore reſignauerit, uel quædam adiecerit: certè codicilli militiæ tempore facti non debent referri ad teſtamentū, ſed iure militari ualent. Si ei ſeruo, qui teſtamēto legatū acceperit, libertas codicillis detur: utile legatum eſſe dicemus, quaſi ab initio conſtiterit legatum. Si quis certi generis codicillos confirmauerit, putā QVOS NOVISSIMOS FECERO: nō utiq; ſtatim quę codicillis dantur, cōſiſtere uidebūtur, quandiu alij quoq; fieri poſſint:& ideo ſi alij poſtea fiant: legata in prioribus data non ualebunt.

IX. MARTIANVS.

ARISTO negauit ualere codicillos ab eo factos, qui paterfamiliâs, nec ne eſſet, ignoraſſet. VLPIANVS notat: niſi ueteranus fuit. tunc enim & teſtamentum ualebit.

X. PAPINIANVS.

D QVOD per manus traditum eſt, codicillis hæreditatem dari non poſſe, rationem illam habet, ne per codicillos, qui ex teſtamento ualent, ipſum teſtamentum, quod uires per inſtitutionem hæredum accipit, confirmari uideretur.

XI. IDEM.

QVI graui utero uxorem eſſe ignorabat, codicillis ad filium ſcriptis libertates dedit. nata poſt mortem patris filia, cum de ea nihil patrem ſenſiſſe conſtitiſſet: placuit libertates à ſolo filio præſtari poſſe.

XII. IDEM.

REDEMPTIS à ſorore partibus.

XIII. IDEM.

E ILLVD ſine dubio dici nō poteſt, etiam filiam manumittere cogendam: cum ab ea nihil pater petierit,& iure ſuo hæres exſtiterit. Tractari ſolet de eo, qui cum tabellas teſtamenti non feciſſet, codicillis ita ſcripſit, TITIVM HAEREDEM ESSE VOLO. ſed multum intereſt, utrum fideicommiſſariam hæreditatem à legitimo per hanc ſcripturam, quam codicillorum inſtar habere uoluit, reliquerit: an uerò teſtamentum facere ſe exiſtimauerit. nam hoc caſu nihil à legitimo peti poterit. Voluntatis autē quæſtio ex ſcripto plerunq; declarabitur. nam ſi forte à Titio legata reliquit,& ſubſtitutum adſcripſit, ſi hæres non exſtitiſſet: ſine dubio non codicillos, ſed teſtamentum facere uoluiſſe intelligetur.

XIIII. SCAEVOLA.

QVIDAM referunt (quantum reperio) apud Iulianum Sabini & Caſſij & Proculi expoſitam eſſe in quæſtione huiuſmodi controuerſiam. an legata, quæ poſtea, quàm inſtituti

mortem obierint, codicillis adscripta uel adempta sunt, à substitutis debeantur: (id est, an perinde datio & ademptio etiam hoc tempore codicillis facta ualeat, ac si in testamento facta esset:) quod Sabinum & Cassium respondisse aiunt, Proculo dissentiente, nimirum autem Sabini & Cassij collectio, quam & ipsi reddunt, illa est. quod codicilli pro parte testamenti habeantur, obseruationemque & legem iuris inde traditam seruent. ego autem ausim sententiam Proculi uerissimam dicere. ut enim nullius momenti est legatum, quod datum est ei, qui tempore codicillorum in rebus humanis non est, licet testamenti tempore fuerit: (esse enim debet, cui detur: deinde sic quæri, an datū consistat: ut non antè iuris ratio, quàm persona quærenda sit) ita in proposito, quod post hæredis obitū, codicillis legatum uel ademptum est, nullius momenti est: quia hæres, ad quem sermonem conferat, in rebus humanis non est, eaque ademptio & datio nunc uana efficitur. Hæc in eo hærede, qui ex asse institutus erit, dato substituto: ita, ut ab instituto codicilli confirmarentur. Quod si duo instituti sint substitutis datis, unusque eorum decesserit: utilia uidentur legata. sed circa cohæredem erit tractatus, nunquid totum legatū debeat, si QVISQVIS MIHI HAERES ERIT legatum erit: an uerò non, quia sit substitutus hæres, qui partem faciat, licet ipse non debeat: idem etiam potest circa nomina expressa tractari. multoque magis solum cohęredem totum debere puto: quia is adiunctus sit, qui etiam tunc cum adiungebatur, in rebus humanis nō erat. XV. PAVLVS lib. XI. *Quæstionum.*

SED cum ea testatoris uoluntas fuerit, ut ex uniuersa hæreditate legata erogarentur: dicendum, scriptis hæredibus profuturam doli exceptionem, si amplius, quàm hæreditaria portio, petatur. XVI. AFRICANVS.

AB intestato factis codicillis, relicta etiam postea natus intestati successor deb ebit. quicunque enim ab intestato successerit, locum habent codicilli. nam unus casus est: nec interest, qui succedat, dum intestato succedat. ad testamentum autem, quod quoquo tempore fecerit, pertinēt codicilli. & (ut manifestius dicam) intestato patrefamiliás mortuo, nihil desiderant codicilli, sed uicem testamenti exhibent. testamento autem facto ius eius sequuntur.

XVII. PAVLVS.

LITERAE, quibus hæreditas promittitur, uel animi affectus exprimitur, codicillorum uim non obtinent.

XVIII. CELSVS.

PLOTIANA Celso suo salutem. Lucius Titius his uerbis ita cauit. SI QVID TABVLARVM, ALIVD'VE EIVS GENERIS AD HOC TESTAMENTVM PERTINENS, RELIQVERO: ITA VALERE VOLO. quæro, an codicilli, qui ante hoc testamentum scripti sunt, debeant rati esse: Iubentius Celsus Plotianæ salutem. hæc uerba, SI QVID AD HOC TESTAMENTVM PERTINENS RELIQVERO. VALERE VOLO: etiam ea, quę ante testamentum scripta sunt, comprehendere uidentur.

XIX. MARTIAVS.

IS, QVI unum filium habebat, cum codicillos ad eum scripsisset: decessit intestatus: hærede eo relicto, quem postea procreauit. adgnatione sui hæredis nemo dixerit codicillos euanuisse. igitur si nihil tum de posthumis sperauit: codicilli nō euanescent, & quæ relicta sunt, pro parte dimidia filius, ad quem codicillus factus est, soluere compelletur, non etiā posthumus. sed & si codicillos reliquisset duobus superstitibus filijs decedēs, cum putaret alterum ex his prius decessisse: simili modo dici potest, omnia perinde debere filium, ad quem scripti sunt codicilli, atque si solus hæres exstitisset patri. VLPIANVS notat. imò dūtaxat partem debet. eorum tamen, quæ pro parte præstari non possunt, nihil omnino pręstandum: quoniam ille non fuerit filio ablaturus, nisi solum putaret successorem sibi futurum.

XX. PAVLVS.

SI PALàm hæres nuncupatus sit, legata autem in tabulas collata fuerint: Iulianus ait, tabulas testamenti non intelligi, quibus hęres scriptus non est: quodque magis codicilli, quàm testamentum existimandæ sint. & hoc puto rectius dici.

Digestorum

A DIGESTORVM SEV PANDECTARVM LIBER TRICESIMVS.

DE LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS LIB. I.



ER OMNIA EXAEQVATA SVNT LEGATA FIDEICOMMISSIS. II. VLPIANVS.

B S CIENDUM est eos demum fideicommissum posse relinquere, qui testandi ius habent. III. IDEM.

HAEC verba testatoris, QVISQVIS MIHI EX SVPRASCRIPTIS HAERES ERIT, aut SI HAERES ERIT SEIVS, uel SI HAEREDITATEM ADIERIT: subiectum legatum uel fideicōmissum non faciunt conditionale. IIII. IDEM.

SI QVIS in fundi uocabulo errauit, & Cornelianum pro Semproniano nominauit: debebitur Sempronianus. sed si in corpore errauit: non debebitur. Quod si quis cum uult uestem legare, supellectilem adscribit, dum putat supellectilis appellatione uestem contineri. Pomponius scribit uestem non deberi: quemadmodum si quis putet auri appellatione C electrum, uel aurichalcum contineri, uel (quod stultius) uestis appellatione etiam argentum contineri. rerum enim uocabula immutabilia esse, hominum mutabilia. Si quis hæredes instituerit, & ita legauerit, QVISQVIS MIHI GALLICANARVM RERVM HAERES ERIT, DAMNAS ESTO DARE: ab omnibus hæredibus uideri legatum, quādo ad omnes eos res Gallicanæ pertinent. V. PAVLVS.

SERVI electione legata, semel duntaxat optare possumus. Labeo ait. cum certa res aut persona legatur ita, QVI MEVS ERIT, CVM MORIAR, HAERES DATO, & communis sit, totum deberi. Trebatium uerò respondisse, partem deberi, Cassius scripsit. quod & uerius est. Cum fundus cōmunis legatus sit non adiecta portione, sed MEVM nominauerit: portionem deberi constat. VI. IVLIANVS.

D STICHVM, QVI MEVS ERIT, CVM MORIAR, HAERES MEVS DATO. magis conditionem legato iniecisse, quàm demonstrare uoluisse patrēfamiliās apparet, eo quod si demonstrandi caussa hæc oratio poneretur, ita concepta esset, STICHVM, QVI MEVS EST, non, QVI MEVS ERIT. sed conditio talis accipi debet, quatenus meus erit: ut si totum alienauerit, legatum extinguatur: si partem, pro ea parte deceatur, quæ testatoris mortis tempore fuerit. VII. PAVLVS.

LEGATVM seruo delatum dominus potest repudiare. VIII. POMPONIVS.

SI EX toto fundo legato testator partē alienasset: reliquā dūtaxat partem deberi placet: quia & si adiecisset aliquid ei fundo, augmentū legatario cederet. Si ita scriptū sit, LVCIVS TITIVS HAERES MEVS, AVT MAEVIVS HAERES MEVS DECEM SEIO DATO. cum E utro uelit, Seius aget: ut si cum uno actum sit, & solutū, alter liberetur: quasi duo rei promittendi in solidum obligati fuissent, quid ergo, si ab altero partem petierit? liberū ei erit ab alterutro reliquum petere. idem erit, & si alter partem soluerit. Si ita legatum sit, LECTICARIOS OCTO, AVT PRO HIS IN HOMINES SINGVLOS CERTAM PECVNIAM, VTRVM LEGATARIVS VOLET: non potest legatarius partem seruorum uindicare, pro parte nummos petere: quia unum in alterutra caussa legatū est, quemadmodū & si olei pondo quinquaginta, aut in singulas libras certum æs legatum sit: nec aliter obseruantibus, etiā uno homine legato, diuisio cōcedatur. nec interest, diuisa ea summa, an iuncta ponatur. certè octo seruis legatis, aut pro hominibus certa pecunia legata, non posse inuitum heredem partem pecuniæ, partem mancipiorum debere constat.

Id quod

IX. IDEM.

ID, QVOD apud hostes est, legari non posse, Octauenus scripsit, & postliminiũ iure cõsistere. X. PAVLVS. F

IVLIAnus nec à filiofamiliás sine iussu patris optari posse, nec ante aditam hæreditatem putat. quod est uerum. XI. PAPINIANVS.

CVM filiofamiliás uel seruo alieno legatum uel hereditas datur, fideicommitti patri uel domino potest: ac tum demum ex persona ipsorum fideicommissum uires capit, cum ipsis, per quos commodum hæreditatis uel legati patri dominoúe quæritur, fideicommissum relinquitur. deniq; Iulianus non insubtili ratione motus: patrem, cuius filius heres institutus esset, extero quidẽ habita ratione legis Falcidiæ restituere hereditatem respõdit: quoniã ex persona filij teneretur. ipsi uerò filio, nõ admissa Falcidia: quia ex persona sua sibi filius obligari non posset, ac pater non ut hæres, sed ut pater rogari uideretur. & ideo si filio rogatus sit pater post mortem suam, quod ad se peruenit ex legato uel hæreditate filio relictis, restituere: isq; uiuo patre decedat: omnimodo patrem id retenturũ, quoniam fideicommissum ex persona patris sui uires acceperit XII. POMPONIVS. G

SI mihi & tibi eadẽ res legata fuerit, deinde die legati cedente hæres tibi exstitero, liberum mihi esse Labeo ait, ex meo legato, an ex eo, quod tibi hæres sim, adquiram, & si uoluero eam rem ex meo legato ad me pertinere, ut tota mea sit: ex hæreditario legato petere eã me posse, Proculus ait. Si quis seruos, quos Gadibus haberet, eo testamẽto, quod Romæ morans fecerat, triduo, quo mortuus fuerit, hæredem dare mihi damnauerit: ratum esse legatũ, & angustias temporis nihil legato nocere. Regula iuris ciuilis est, quæ efficit, ut quibus ipsis legare possumus, eorum quoq; seruis legare possimus. In legatis nouissimæ scripturæ ualent: quia & mutari caussa præcedentis legati, uel die, uel conditione, uel in totum ademptione potest. sed & si sub alia, uel alia conditione legatum ademptum est: nouissima ademptio spectanda est. Interdum tamen in legatis non posterior, sed præcedens scriptura ualet. nam si ita scripsero, QVOD TITIO INFRA LEGAVERO, ID NEQVE DO, NEQVE LEGO. quod infrà legatũ erit, non ualebit. nam & cum sermonem, quo præsentia legata data in diem proferuntur, ad postea quoq; scripta legata pertinere placuit. uoluntas ergo facit, ut in testamento scriptum ualeat. XIII. IDEM. H

CVM incertus homo legatus tibi esset, heres Stichũ seruo tuo tradidit. Neratius respondit, si uoluntate domini tradidit, uel ratũ hoc dominus habuit: perinde eum liberatũ atq; si Stichus legatus esset. XIIII. VLPIANVS. I

SI ITA sit adscriptum, SI CVI BIS LEGAVERO, SEMEL EI HAERES DATO, VEL SEMEL DEBEATVR, & eidem duas quantitates adscripserit, uel duos fundos: an utrunq; debeatur? & ait Aristo, unum uideri legatum. nam quod ademptum est, nec datum uidetur, secundum Celsi & Marcelli sententiam, quæ uera est. Sed Papinianus libro decimonono Quæstionum ait. & si post legata sæpius adscripta idem hæc subijciat semel præstari uelle, & hoc ante impletum testamẽtum fecerit: ipso iure uideri cætera legata adempta. sed quod magis erit ademptum? non enim apparet. & ait, posse dici, exiguius esse præstandum.

XV. PAVLVS.

QVI quartam partem bonorum legare uoluit, dimidiam scripsit. Proculus rectè ait, posse defendi quartam legatam: quia inesset dimidiæ. idem erit, & si quinquaginta uoluit legare, & centum scripta sint. quinquaginta enim debebuntur. Sed & si plus legare uoluit, & minus scripsit: ualebit legatum. Si quis unam summam filiabus legauerit, ut etiã de posthuma sentiret: si ea non est nata, superstiti solidum debebitur. K

XVI. POMPONIVS.

SI DVOBVS coniunctim res legata sit: quamnis alter in rerum natura non fuerit, alteri deberi solam partem. & hoc puto uerũ esse. Hæres, adiecto ei nomine cuiusdam, qui hæres non sit, dare damnatus: totum legatum debet. nam & si duos ex hæredibus suis nominatim quis damnasset, & alter hæreditatem non adisset. qui adisset, totum deberet: si pars eius, qui

A eius, qui non adiisset, ad eum, qui adiisset, perueniret. Si Titio & posthumis legatum sit: non nato posthumo totum Titius uindicabit. sed & si testator Titio & posthumis uiriles partes dari uoluerit, uel etiã id expresserit: totum legatũ Titio debetur nõ nato posthumo.

XVII. VLPIANVS.

QVI filiabus legauit, si mentionem aliqua parte testamenti posthumæ fecit: uidetur in filiarum legato & de posthuma sensisse. Si quis ita legauerit, SI QVA FILIA MIHI GIGNITVR, EI HAERES MEVS CENTVM DATO: pluribus natis, uidetur singulis tantundẽ legasse. quod ita accipiendum: nisi euidens sit contraria sententia testatoris. Si uni ex hæredibus fuerit legatum: hoc deberi ei officio iudicis familiæ erciscundæ, manifestum est. sed B & si abstinuerit se hæreditate, consequi eum hoc legatum posse constat.

XVIII. IVLIANVS.

ET QVidem totum legatũ petere potest: quamuis à semetipso inutiliter ei legatũ fuisset.

XIX. VLPIANVS.

LEGATA inutiliter data, Papinianus putat libris Quæstionum cõfirmari per repetitionem postea fortè in codicillis factam, HOC AMPLIVS EI HAERES MEVS DATO: & diuersum esse in illa scriptura, QVAS PECVNIAS LEGAVI, QVIBVS DIES ADPOSITVS NON EST, ANNVA, BIMA, TRIMA DIE HAERES MEVS DARE DAMNAS ESTO. non enim hoc egisse testatorẽ, ut confirmaret, quæ inutilia essent: sed ut diem utilibus prorogaret.

Idem eodem loco & in substituto impuberi scribit: ut si fuerit ab impubere inutiliter legatum, substitutus hoc debeat: si hoc amplius legatum ab eo sit relictum aliquid, nec ille patri C hæres extiterit, aut impubes decesserit. In legato pluribus relicto, si partes adiectæ non sunt, æquè seruantur.

XX. POMPONIVS.

QVI duos seruos habebat, si unum ex his legasset, ut non intelligeretur, quem legasset: legatarij est electio.

XXI. VLPIANVS.

GREGE legato, & quæ postea accedunt, ad legatarium pertinent.

XXII. POMPONIVS.

SI GREGE legato aliqua pecora uiuo testatore mortua essent, in eorumq; locum alia essent substituta: eundem gregem uideri. & si deminutum ex eo grege pecus esset, & uel unus bos superesset: eum uindicari posse, quamuis grex desijsset esse: quemadmodum insula D legata si combusta esset, area posset uindicari.

XXIII. PAVLVS.

SI quis bonorũ partem legauerit (ut hodie fit:) sine fructibus restituitur, nisi mora hæredis intercesserit.

XXIIII. POMPONIVS.

QVOD in rerum natura adhuc non sit, legari posse: ueluti QVIDQVID ILLAM ANCILLAM PEPERISSE CONSTITERIT, uel ita, EX VINO, QVOD IN FVNDO MEO NATVM ERIT, VEL FOETV, TANTVM DATO. Si usumfructum habeam, eumq; legauerim: nisi postea proprietatem eius nactus sim, inutile legatum est. Si quis post testamentum factum fundi Titiani legato partem aliquam adiecerit, quam fundo Titiano destinaret: id quod adiectum est, exigi à legatario potest. & similis est caussa alluuionis: maximè si ex alio agro, qui fuit eius, cum testamentum faceret, eam partem adiecit. quod si post testamẽtum E factum ex fundo Titiano aliquid detraxit, & alij fundo adiecit: uidendum est, utrum ne etiam quoq; partem legatarius petiturus sit: an hoc minus, quasi fundi Titiani esse desierit, cum nostra destinatione fundorum nomina & domus, non natura constituantur? & magis est, ut quod alij destinatum est, ademptum esse uideatur. Et si nauem legauero, & specialiter eam adscripsero, eamq; per partes totam refecero, carina eadem manente: nihilominus rectè à legatario uindicabitur.

XXV. PAVLVS.

A FILIO hærede etiam purè patri legari potest: nec interest, an die legati cedente in patris potestate sit. igitur & si iussu patris adita sit hæreditas, imputabitur ei in Falcidiam.

XXVI. POMPONIVS.

Non am-

NON AMplius legatorũ nomine ad quenq́ pertinere uidetur, quàm quod deducto eo, quod explendæ cõditionis caussa datũ esset, superest. Si certũ corpus hæres dare damnatus sit:nec fecerit,quò minus ibi, ubi id esset,traderetur:si id postea sine dolo & culpa hæredis perierit:deterior fit legatarij conditio. Cum bonorum parte legata dubiũ esset, utrum rerum partes,an æstimatio deberetur: Sabinus quidem & Cassius æstimationem, Proculus & Nerua rerum partes esse legatas existimauerunt, sed oportet hæredi succurri, ut ipse eligat:siue rerum partes,siue æstimationem dare maluerit. In his tamen rebus partem dare hæres conceditur,quæ sine damno diuidi possunt.sin autem uel naturaliter indiuisæ sint, uel sine damno diuisio earum fieri non possit:æstimatio ab hærede omnimodo præstanda est.

XXVII. PAVLVS.

POTEST etiam hæres, uel paucioribus, uel in una re relictam partem legatario dare, in quam uel legatarius consenserit, uel iudex existimauerit:nec necesse habet legatarius, in omnibus rebus uindicare portionem.

XXVIII. VLPIANVS.

SI CREditori meo,tutus aduersus eum exceptione,id quod ei debeo,legem:utile legatũ est, quia remissa ei exceptio uidetur. Sic & Aristo ait: id, quod honoraria actione mihi debetur,si legetur mihi,legatum ualere:quia ciuilis mihi datur actio pro honoraria. Marcellus libro uicesimo octauo Quæstionũ putat,rem, quam ex stipulatu mihi debes, si mihi legaueris:utile esse legatum,ut neq́ Falcidia hoc minuat.

XXIX. PAVLVS.

SIN AVtem neq́ modo, neq́ tempore,neq́ conditione, neq́ loco debitum differatur: inutile est legatum. XXX. VLPIANVS.

TALIS scriptura, QVAS PECVNIAS LEGAVI, QVIBVS DIES AD[illegible]VS NON EST, EAS HAERES MEVS ANNVA BIMA, TRIMA DIE DATO, ad corpora legata non pertinet:sed ad ea,quę pondere,numero, mensura continentur:& ad ea tantum legata pertinet, quibus dies non est adpositus. proinde si fortè purè legatũ est:ex hac adie[illegible]ione prorogabitur. quod si fortè centũ mihi legata sint præsentia: utrum annua bima trima die dabuntur, an uerò pręsentia? & ait Seruius & Labeo, in pręsens deberi.quamuis igitur superuacua sit hæc adiectio,quantum ad uim & effectum legati pertinet:tamen ad hoc proficiet, ut præsente die legatum debeatur.sed & si in annos singulos, aut singulos menses sit legatũ relictum,cessabit ea scriptura:quia hoc legatum & initium & finem habet.sed & si sub conditione sit legatum relictum,potest dici cessare annuam adiectionem:quia dies incertus appellatur conditio.cui congruit,quod Trebatius existimat:si cui legetur, quando annorum uiginti erit:uulgarem hanc clausulam cessare.Item si legetur pecunia,quæ in arca est,uel uinum,quod in apothecis est:dicendum est,cessare clausulam:quoniam quoties species legatur,cessare dicimus.hanc autem scripturam nõ solum ad pręcedentia legata, sed ad uniuersa,quæ tastamento adscripta sunt, extendi Gallus Aquilius, Ofilius, Trebatius responderunt,idq́ uerum est. XXXI PAVLVS.

SED etiam ad ea,quæ codicillis confirmatis postea legata fuerint, hæc clausula pertinet.

XXXII. VLPIANVS.

SI QVIS à filio pupillo hærede instituto, cum is in tutelam suam uenisset, pecuniam legauerit,& à substituto hærede legata repetierit: impubere filio mortuo, secundus hæres legatum non debebit.quod ita uerum esse tam Sextus, quàm Pomponius putat, si repetitio legatorum ad eum modum concepta sit: QVAE A FILIO MEO LEGAVI, QVAE'QVE EVM DARE IVSSI, SI MIHI HAERES ESSET: ID HAERES MEVS IISDEM DIEBVS DATO.sed si ita repetita fuerint, LEGATA, QVAE À FILIO MEO LEGAVI, HAERES MEVS DATO:purè repetita uidebũtur legata, dũtaxat mõstratione eorũ facta. igitur & hoc ipsum legatũ, de quo quęritur, pręsens debebit. Si quis plures Stichos habẽs, Stichũ legauerit: si nõ apparet, de quo Sticho senserit: quẽ (hęres) elegerit, debet pręstari. Si parti ciuitatis a[illegible] [illegible] reipublicæ spectet:sine dubio debebitur.

Si plu-

A XXXIII. PAVLVS.

Si plvribus eadem res legata fuerit, siquidem coniunctim: etiam si alter uindicet, alter
ex testamento agat: non plus, quàm partē habebit is, qui ex testamento aget. quod si sepa/
ratim: siquidem euidentissimè apparuerit, ademptione à priore legatario facta, ad secundū
legatarium testatorem conuolasse: solum posteriorem ad legatum peruenire placet. sin au/
tem hoc minimè apparere potest: pro uirili portione ad legatum omnes uenire: scilicet nisi
ipse testator ex scriptura manifestissimus esset, utrunque eorum solidum accipere uoluisse.
tunc ei uni precium, alij ipsa res adsignatur: electione rei uel precij seruanda ei, qui prior de
legato siue fideicommisso litem contestatus est: ita tamen, ut non habeat licentiam altero
B electo ad alterum transire.

XXXIIII. VLPIANVS.

Plane ubi transferre uoluit legatum in nouissimum: priori non debebitur, tametsi no/
uissimus talis sit, in cuius persona legatum non constitit. at si coniuncti disiunctiq; commi/
sti sint: coniuncti unius personæ potestate funguntur. Si eadem res sæpius legetur in eo/
dem testamento, amplius quàm semel peti non potest: sufficitq; uel rem consequi, uel rei
æstimationem. sed si duorum testamentis mihi eadem res legata est: bis petere potero, ut ex
altero testamento rem consequar, ex altero æstimationem. Sed si non corpus sit legatum,
sed quantitas eadem in eodem testamento sæpius: diuus Pius rescripsit, tunc sæpius præ/
standam summam, si euidentissimis probationibus ostendatur, testatorem multiplicare le/
C gatum uoluisse. idemq; & in fideicommisso constituitur. eiusq; rei ratio euidens est: quod
eadem res sæpius præstari non potest, eadem summa uolente testatore multiplicari potest.
sed hoc ita erit accipiendum, si non certum numorum corpus sit sæpius relictum: utputà
centum, quæ in arca habet, sepius legauit. tunc enim fundo legato esse comparandum cre/
do. Sed si pondus auri uel argenti sæpius sit relictum: Papinianus respondit, magis summę
legato comparandum. meritò: quoniā non species certa relicta uideatur. proinde & si quid
aliud est, quod pondere, numero, mensura cōtinetur, sępius relictum: idem erit dicendum.
Quod si rem emissem mihi legatā: usq; ad precium, quod mihi abest, competet mihi ex
testamento actio. & multo magis hoc dicendum est, si duobus testamentis mihi eadem res
legata sit: si alter me restituere rogauerit, uel ipsam rem, uel aliud pro ea: aut sub conditione
D legasset dandi quid pro ea. nam hactenus mihi abesse res uidetur, quatenus sum præstatu/
rus. Si coniunctim res legetur, constat partes ab initio fieri nec solum hi partem faciunt,
in quorum persona constitit legatum: uerum hi quoq;, in quorum persona nō constitit le/
gatum: utputà si Titio & seruo proprio sine libertate. Sed & si in pupillari testamento lega/
uerit alij eādem, quam mihi in suo testamento legauit: Iulianus scribit, concursu partes nos
habere. interim igitur partem habebit is, cui in suo testamento legauit. Si duobus sit lega
tum, quorum alter hæres institutus sit: à semetipso ei legatū inutiliter uidetur. ideoq; quod
ei à se legatum est, ad collegatarium pertinebit. Inde dicitur, si duo sint hęredes, unus ex un
cia, alter ex undecim uncijs, & eis fundus legatus sit: unciarium hæredē undecim partes in
fundo habiturum, cohæredem unciam. Planè si alter ex legatarijs hæres exstiterit hæredi, à
E quo legatū erat relictum: non ideo minus partem collegatario faciet. retinet enim pro parte
legatū. Si ita Titio legetur, FVNDVM SEIANVM, VEL VSVMFRVCTVM EIVS SIBI HA/
BETO: duo esse legata, & in arbitrio eius esse, an uelit usumfructum uindicare. Sed & si quis
ita lēget Titio, FVNDVM DO LEGO, VT EVM PRO PARTE HABEAT: mihi uidetur pos/
se dici, partem habiturum. uideri enim fundi appellatione non totum fundum, sed partem
appellasse. nam & pars fundi fundus rectè appellatur.

XXXV. PAVLVS.

Si alienvm hominem hæres dare damnatus sit, & hic à domino manumissus sit:
nihil ex hoc legato debetur.

XXXVI. POMPONIVS.

Titiae textores meos omnes, praeter qvàm qvos hoc testa/

MENTO ALII LEGAVI, LEGO. PLOTIAE VERNAS MEOS OMNES, PRAETER QVAM F
QVOS ALII LEGAVI, LEGO. cum essent quidam uernæ ijdem & textores: Labeo ait, quoniam nec quos Titiæ textores nō legauerit, aliter apparere possit, quàm si cognitum fuerit, quos eorum Plotiæ legauerit: nec quos Plotiæ uernas nō legauerit, intelligi possit: neutrius legato exceptos esse eos, de quibus quæritur. & ideo communes ambobus esse. hoc enim iuris esse, & si neutrius legati nomine quidquam esset exceptum. quod si hoc modo esset legatum, TEXTORES OMNES, PRAETER VERNAS: & rursus VERNAS OMNES, PRAETER TEXTORES. qui & uernæ & textores sunt, neutri fuisse legatos. Nihil differt, utrū ita legetur, TITIO ET MAEVIO: an ita, TITIO CVM MAEVIO. utrobiq; enim coniunctim legatum uidetur. Si alteri Stichum hæres dedit, quem duobus dare damnatus fuerat: & antequam interpellarentur ab altero, Stichus mortuus est: hæres non tenetur: quia nihil per eum factum intelligitur. G

XXXVII. VLPIANVS.

LEGATO generaliter relicto, ueluti hominis: Caius Cassius scribit, id esse obseruandū, ne uel optimus uel pessimus accipiatur. quæ sententia rescripto Imperatoris nostri & diui Seueri iuuatur: qui rescripserunt, homine legato, actorē non posse eligi. Si de certo fundo sensit testator, nec appareat, de quo cogitauit: electio hæredis erit, quem uelit dare. at si appareat: ipse fundus uindicabitur. sed & si lancem legauerit, nec appareat, quam: æquè electio est hæredis, quam uelit dare.

XXXVIII. POMPONIVS. H

LEGATARIUS pro parte adquirere, pro parte repudiare legatum non potest, hæredes eius possunt: ut alter eorum partem suam adquirat, alter repudiet. Si legatum nobis relictum constituerimus nolle ad nos pertinere: pro eo erit, quasi ne legatū quidem sit. & ideo dicemus, nec confusas seruitutes: si fortè mihi prædium legatum prædio meo debuerit seruitutes. sed & intégra furti actio manebit, si seruus legatus sit, cuius nomine furti agere poterit legatarius.

XXXIX. PAVLVS.

CVM seruus legatus in fuga, uel longinquo absens, exigatur: operā præstare debet hæres, ut eam rem requirat & præstet. & ita Iulianus scribit. an uero & sumptum in hanc rem facere hæres debeat, Africanus apud Iulianum quærit. putatq; sumptum præstandum. quod & ego arbitror sequendum. Fructus autem hi deducuntur in petitionem, nō quos hæres percepit, sed quos legatarius percipere potuit. & idem in operis seruorum, uel uecturis iumentorum, uel naulis nauium dicendum. quod in fructibus dicitur, hoc & in pensionibus urbanorum ædificiorum intelligendum erit. in usurarum autem quantite mos regionis erit sequendus. iudex igitur usurarum modum æstimabit & statuet. ipsius quoq; rei interitum post moram, sicut in stipulatione: item partus ancillarum: & si seruus fuerit legatus, & uel hæreditas, uel legatum, uel aliud per eum adquisitum sit: hæres præstare debet. I

Si Titius rem à me emisset, & eandem mihi legasset, antè quàm ei traderem: mox ei tradidero, & precium recepero: uidetur quidem is prima facie rem mihi meam legasse, & ideo legatum non consistere: sed ex empto actione liberatus, utiq; per legatum rem uindicare potero, quam tradidi. sed si nondum erat solutum mihi precium: Iulianus scribit, ex uendito quidem me acturum, ut precium consequar: ex testamento uero, ut rem, quam uendidi & tradidi, recipiam. Idem subiungit. si precium quidem mihi erat solutum, rem autem nondum tradideram: ex testamento me agentem liberationem cōsequi. Idem Iulianus scribit. si fundum testator, quem ab alio emerat, mihi legauit: hæredem cogendum mihi actionem ex empto præstare: scilicet si nondum res tradita fuerit, uel defuncto, uel hæredi. Si quis alicui legauerit, licere lapidem cædere: quæsitum est, an etiam ad hæredem hoc legatū transeat: & Marcellus negat ad hæredem hoc legatum trasmitti: nisi nomen hæredis adiectum legato fuerit. Hæres cogitur legati prædij soluere præteritum uectigal, uel tributum, uel solarium, uel cloacarium, uel pro aquæ forma. Scio ex facto tractatū, cum quidam duos fundos eiusdem nominis habēs, legasset fundum Cornelianū, & esset alter præcij maioris, K

alter

A alter minoris,& hæres diceret minorem legatum,legatarius maiorē.uulgo fatebatur, utiq; minorē eum legasse,si maiorē nō esse doceret legatarius. Constat etiam res alienas legari posse: utiq; si parari possint:etiā si difficilis earū paratio sit.si uero Salustianos hortos, qui sunt Augusti,uel fundū Albanum,qui principalibus usibus deseruit,legauerit quis: furiosi est,talia legata testamento adscribere.Item campum Martium, aut forum Romanum,uel ædem sacram legari non posse constat.sed & ea prædia Cæsaris, quæ in formam patrimonij redacta,sub procuratore patrimonij sunt,si legentur:nec æstimatio eorū debet præstari: quoniam commercium eorum,nisi iussu principis, non est,cum distrahi non soleant.

XL. IDEM.

B SED si res aliena,cuius commercium legatarius non habet:ei,cui ius possidendi non est, per fideicommissum relinquatur:puto æstimationem deberi.

XLI. IDEM.

CAETERA igitur, præter hæc, uideamus.& quidem corpora legari omnia,& iura,& seruitutes possunt.sed ea,quæ ædibus iuncta sunt, legari non possunt: quia hæc legari non posse,senatus censuit Auiola & Pansa consulibus. Tractari tamen poterit, & quādo marmora uel columnæ fuerint separatæ ab ædibus,an legatum conualescat? & siquidem ab initio non constitit legatum:ex post facto non conualesceet,quemadmodum nec res mea legata mihi,si post testamentum factum fuerit alienata:quia uires ab initio legatum nō habuit. sed si sub conditione legetur:poterit legatum ualere, si existentis conditionis tempore mea
C non sit,uel ædibus iuncta non sit:secundum eos, qui & emi rem meam sub conditione, & promitti mihi stipulanti,& legari posse aiunt. purum igitur legatum Catoniana regula impediet,conditionale non:quia ad conditionalia Catoniana non pertinet. Item quæri potest,si quis binas ædes habens alteras legauerit,& ex alteris aliquid iunctum,ei,cui ædes legauerit:an legatum ualeat? mouet quæstionem, quod ex senatusconsulto & constitutionibus licet nobis ex ædibus nostris in alias ædes transferre,possessoribus earum futuris. (id est non distracturis.)& ita Imperator noster & diuus Seuerus rescripserunt. nunquid ergo & legari ei possit,cui aliam domum leget? sed negandum erit:quia cum legatum est,non est possessor futurus. Si duobus domum legauerit Sempronianam, & ex ea alteri eorū marmora ad exstructionem domus Seianæ,quam ei legauerat:non malē agitabitur,an ualeat,
D quia dominus est utriusq; legatarius. & quid si quis domum deductis marmoribus legauerit,quæ uoluit hæredem habere ad exstruēdam domum, quam retinebat in hæreditate? sed melius dicetur,in utroq; detractionem non ualere:legatum tamen ualebit,ut æstimatio eorum præstetur. Sed & si quis ad opus reipublicæ faciendum legauit, puto ualere legatum.nam & Papinianus libro undecimo Responsorum refert. Imperatorē nostrum & diuum Seuerum constituisse:eos,qui reipublicæ ad opus promiserunt, posse quid detrahere ex ædibus suis urbanis atq; rusticis, eoq; ad id opus uti:quia hi quoq; nō promercij caussa id haberent.Sed uideamus,utrum ei soli ciuitati legari possit,in cuius territorio est:an & de alia ciuitate in aliam transferri possit? & puto,non esse permittendum:quanquam constitutum sit,ut de domo,quam aliquis habet,ei permittatur in domum alterius ciuitatis trasfer-
E re. Hoc senatusconsultum non tantum ad urbem, sed & ad alias ciuitates pertinet. sed & diuorum fratrum est rescriptum ad libellum Plocriani & Epitychani, ob debitum publicū desiderantiū,ut sibi distrahere permitteretur: qui eis distrahendi ius denegauerunt. Hoc senatusconsultum non tantum ad ædes,sed & ad balnea,uel aliud quod ædificium,uel porticus in edibus, uel tabernas, uel popinas extenditur. Item prohibentur hæc legari, quæ non aliâs præstari possunt,quàm ut ædibus detrahantur,uel subducantur,id est marmora, uel columnæ.idem & in tegulis,tignis,& ostijs senatus cēsuit.sed & in bibliothecis parietibus inhærentibus.sed si cancelli,uel uela sint:legari poterunt. nō tamen fistulæ uel castella. sed & automataria, & cantari, per quos aquæ saliūt, poterunt legari:maximè si impositicij sint.quid ergo in statuis dicēdum? siquidem inhærent parietibus:nō licebit.si uero aliâs existant: dubitari potest. uerum enimuero mens senatusconsulti plenius accipienda est: ut si

quæ ibi fuerint perpetuo, quasi portio ædium: distrahi non possint. proinde dicendum est, F nec tabulas ædiũ adfixas & parietibus adiunctas, uel singula sigilla adæquata legari posse.

Sed si parauit quędam testator quasi translaturus in aliam domum, & hæc legauit: dubitari poterit, an ualeat. & puto ualere. sed si ea, quæ legauit, ædibus iunxit: exstinctum erit legatum. sed si hæres ea iunxit, puto non exstingui.

XLII. IDEM.

SIVE sciuit, siue ignorauit.

XLIII. IDEM.

SENATVS enim ea, quæ sunt ædium, legari non permisit. hæc autem mortis tempore ædium non fuerunt. hæres ergo æstimationem præstabit. sed si detraxerit, ut præstet: pœnis erit locus, quamuis non ut uendat detraxit, sed ut exsoluat. Marcellus etiam scribit. si maritus diætam in uxoris hortis, quos in dotem acceperat, fecerit: posse eum hæc detrahere, quæ usui eius futura sint, sine mulieris tamen damno: neq; hoc ei senatusconsultum futurum impedimento. ergo si non est ei obfuturum, quò minus detrahat: dici oportebit, posse eum hæc legare, quæ detrahere potest. Legatum in aliena uoluntate poni potest, in hæredis nõ potest. Qui ab hostibus redemptus erit, legari sibi poterit: & proficiet legatum ad liberationem uinculi pignoris, quod in eo habuit, qui redemit. G

XLIIII. IDEM.

SERVVM filij sui castrẽsis peculij legare pater potest: & si uiuo patre mortuus sit filius, & apud patrem peculium remanserit: constitit legatum. cum enim filius iure suo non utitur: retro creditur pater dominium in seruo peculiari habuisse. Si quis rem sibi legatam ignorans adhuc legauerit, postea cognouerit, & uoluerit ad se pertinere: legatũ ualebit: quia ubi legatarius nõ repudiauit, retro ipsius fuisse uidetur res, ex quo adita hęreditas est. si uero repudiauerit: retro uidetur repudiata fuisse hęredis. Si pocula quis legauerit, & massa facta sit, uel cõtrà: itẽ si lana lẽgetur, & uestimentũ ex ea fiat: Iulianus lib. tricesimosecundo Digestorũ scripsit, legatũ in omnibus cõsistere suprascriptis, & deberi, quod exstat. quã sententiã puto ueram: si modo nõ mutauerit testator uoluntatem. sed & si lancem legauit, & massam fecit, mox poculũ: debebitur poculũ, durãte scilicet uolũtate. Si areæ legatæ domus imposita sit: debebitur legatario, nisi testator mutauerit uolũtatem. Eum, qui chirographũ lẽgat, debitum legare, non solum tabulas, argumento est uenditio. nam si chirographa ueneunt: nomen uenisse uidetur. sed & si nomẽ legetur: benignè id, quod debetur, accipiendum est, ut actiones aduersus debitorem credãtur. Si idem seruus & legatus & liber esse iussus sit: interdum procedere solum legatum poterit. utputã si in fraudem creditoris data erit libertas: uel si is sit seruus, qui in perpetuam seruitutem uenierit. idem erit, uel si seruus est fortè pignori datus. Si statuliberum hæres legauerit: expediet hæredi ipsum statuliberum præstare magis, quàm æstimationem. etenim æstimationem ueram præstabit. ipsum uero si dederit: existente conditione, nullum sentiet damnum. iam enim æstimatio liberi hominis ab eo postea non petitur. Si duos fundos habens testator, alterius mihi usumfructũ, alterum Titio lẽget. aditum mihi legatarius non debebit, sed hæres cogetur redimere aditũ, & præstare. H I K

XLV. POMPONIVS.

SI A' substituto pupilli ancillas tibi legassem, easq; tu à pupillo emisses, & antè quàm scires tibi legatas esse, alienasses: utile legatum esse, Neratius, & Aristo, & Ofilius probant.

Hæres seruum generaliter dare damnatus, sanũ esse eum, promittere non debet: sed furtis & noxijs solutum esse, promittere debebit: quia ita dare debet, ut eum habere liceat. sanitas autem serui ad proprietatem eius non pertinet. sed ob id, quod furtum fecit seruus, aut noxã nocuit: euenit, quò minus eũ habere domino liceat: sicut ob id, quod obligatus est fundus, accidere possit, ut eum habere domino non liceat. Si uero certus homo legatus est: talis dari debet, qualis est.

XLVI. IDEM.

QVAE de legato dicta sunt, eadem transferre licebit ad eum, qui uel Stichum, uel hominẽ dare promiserit. Cum

A XLVII. VLPIANVS.

Cvm res legata est, siquidem propria fuerit testatoris, & copiam eius habet hæres: moram facere non debet, sed eam præstare (absque mora. qua intercedente, usuras & omnem utilitatem præstandam, Sabinus ait.) Sed si res alibi sit, quàm ubi petitur: primum quidem constat, ibi esse præstandam, ubi relicta est: nisi alibi testator uoluerit. nam si alibi uoluit: ibi præstanda est, ubi testator uoluit, uel ubi uerisimile est, eum uoluisse. & ita iulianus scribit, tam in proprijs, quàm in alienis legatis. Sed si alibi relicta est, aliò autem ab hærede translata dolo malo: nisi ibi præstetur, ubi petitur, hæres condemnabitur doli sui nomine. cæterum si sine dolo: ibi præstabitur, quò transtulit. Sed si id petatur, quod pondere, numero, mensura continetur: siquidem certum corpus legatum est, ueluti frumentum ex illo horreo, uel uinum ex apotheca illa: ibi præstabitur, ubi relictum est: nisi alia mens fuerit testatis. sin uero non fuerit certa species: ibi erit præstandum, ubi petitur. Itaque si Stichus sit legatus, & culpa hæredis non compareat: debebit æstimationem eius præstare. sed si culpa eius nulla interuenerit: cauere hæres debebit de restitutione serui, non æstimationem præstare. (idem & in alijs in rem actionibus Iulianus putat.) Sed & si alienus seruus in fuga sit sine culpa hæredis, idem dici potest. nam & in alieno culpa admitti potest. cauebit autem sic, ut si fuerit adprehensus, aut ipse, aut æstimatio præstetur. quod & in seruo ab hostibus capto constat. Sed si Stichus aut Pamphilus legetur, & alter ex his uel in fuga sit, uel apud hostes: dicendum erit præsentem præstari, aut absentis æstimationem. toties enim hæredi electio est committenda, quoties moram non est facturus legatario. qua ratione placuit, & si alter decesserit, alterum omnimodo præstandum, uel fortassis mortui precium. sed si ambo sint in fuga: non ita cauendū, ut si in potestatem ambo redierint, sed si uel alter: & uel ipsum, uel absentis æstimationem præstandam. item si res aliena uel hæreditaria sine culpa hæredis perierit, uel non compareat: nihil amplius, quàm cauere eum oportebit. sed si culpa hæredis res perierit: statim damnandus est. Culpa autem qualiter sit æstimanda, uideamus. an non solum ea, quæ dolo proxima, uerum etiam quæ leuis est? aut nunquid & diligentia quoque exigenda est ab hærede? quod uerius est. Item si fundus chasmate perierit: Labeo ait, utique æstimationem non deberi. quod ita uerum est, si non post morā factam id euenerit. potuit enim eum acceptum legatarius uendere.

D XLVIII. POMPONIVS.

Si hæredis seruus rem legatam ignorantæ domino subtraxisset, & uendidisset: ait Atilicinus, in factum dandam actionem: ut uel noxæ seruum dederet dominus, uel ex peculio præstaret, quod ex uenditione eius rei haberet. Si unus ex hæredibus seruum legatum occidisset: omnino mihi non placet, cohæredem teneri, cuius culpa factum non est, ne res in rerum natura sit.

XLIX. VLPIANVS.

Si cui legetur, CVM QVATVORDECIM ANNORVM ERIT: utimur certo iure, ut tūc sit quatuordecim annorum, cum impleuerit. & ita Imperatorem decreuisse Martianus scripsit. Et cum sic relictū est, CVM AD QVATVORDECIM ANNOS PERVENERIT, ANNVA BIMA TRIMA DIE, & decem & septē annorū mortis tempore inueniatur, præsens legatum erit. proinde si quindecim annorum: consequenter dicemus, post biennium deberi. si sedecim: post annum. si menses desint ad septimum decimum annum: residuis mensibus. hæc ita, si putans minorem esse quatuordecim annorum, cum iam excessisset, sic legauit. Si uero scit: triennium ad legati præstationem ex die testamenti facti numerabimus. Hoc autem legatum & cōditionale est, & in diem. cōditionale est tamdiu, quamdiu decimus quartus annus sit completus: postea in diem. & ideo si quidem antè decimumquartum annum decesserit: ad hæredem nihil transit. cæterum postea: ad hæredem transfertur. quod si testamenti facti tempore minor quatuordecim annis filius inueniatur: puto tempus ANNVA BIMA TRIMA DIE. præstationis ex die completi decimiquarti anni statim cedere: nisi euidens alia mens probaretur testatoris aliud sentientis. Si Titio decem, quæ ego debeo, le-

gauero:& rogauero eadem creditori præstare: fideicommissum quidem in creditoris perso na non ualet, quia nihil eius interest: hæres uero potest cum legatario agere, quia ipsius interest creditori solui, ne eum cōueniat. ergo propter hoc ualebit legatum. Sed & si testator decem mihi sub fideiussore debuit: fideicommissi petitio non solum hæredi, sed & fideiusso ri competit. interest enim eius, solui mihi, quàm ipsum conuentum mandati actionē intendere. nec interest, soluendo sit, nec ne. Iulianus quærit, si fideiussor creditori legasset, quod ei deberet, an legatum ualeret? & ait, creditoris quidem nihil interesse: uerum debitorē habere ex testamento actionem. interest enim ipsius, liberari: quippe conueniri à fideiussoris hærede nō poterit. quod si idem fideiussor Titio leget, & fidei eius commiserit, ut creditori soluat: & debitor, & fideiussoris hęres agere cum Titio ex caussa fideicōmissi poterunt: quia utriusque interest legatarium soluere. Meminisse autem oportet: eum, qui damnatur, fundum uendere: nō gratis damnari hoc facere, sed solum ut uendat uero precio. quod si certo precio sit damnatus facere: necesse habebit tanti uendere, quanti damnatus est. G

L. IDEM.

SI SERVVS plurium sit: pro dominij portione legatū ei relictū adquiret. Si hæreditatis iudex contrà hæredē pronunciauerit non agentē caussam, uel lusoriè agentē: nihil hoc nocebit legatarijs. quid ergo si per iniuriā fuerit pronunciatū, non tamen prouocauerit? iniuria ei facta non nocebit legatarijs, ut & Sabinus significat. si tamen secundū substitutū pronunciet: an ille legatarijs teneatur, uideamus. & cum ius facit hæc pronunciatio, quod attinet ad ipsius personam: nunquid legatarijs teneatur? nec enim tam improbè caussari potest, secundū se iudicatū per gratiā. respōdebit igitur & legatarijs, ut creditoribus. Si quis ante quæstionē de familia habitā adierit hæreditatē, uel necem testatoris non defenderit: legatorum persecutio aduersus fiscū locū habet. quid tamen si fiscus bona non agnoscat? ex necessitate redundabit onus legatorū ad hæredē. sed si subiecit delatorē sibi, ut eius hæreditas adiudicaretur, & oneribus careret, uel minus plenè defendit caussam: non se exonerat exēplo eius, qui collusoriè de hæreditate litigauit. Si numerus numorū legatus sit, neque appareat, quales sint legati: an omnia ipsius patrisfamiliās consuetudo, deinde regionis, in qua uersatus est, exquirenda est. sed & mens patrisfamiliās, & legatarij dignitas, & charitas, & necessitudo. item earum, quæ præcedunt, uel quæ sequuntur, summarum scripta sunt spectanda. H I

LI. PAPINIANVS.

SED si certos numos, ueluti QVOS IN ARCA HABEO, aut certam lancem legauerit: nō numerata pecunia, sed ipsa corpora numorum, uel rei legatæ continentur: neque permutationem recipiunt, & exemplo cuiuslibet corporis æstimanda sunt.

LII. PAVLVS.

SI CVI serui omnes cum peculio legati sint: etiam hi serui debentur, qui nullum peculiū habent. Si à filio impubere sub conditione legatum sit, & filius hæres exstiterit, deinde mortuus sit: potest dici patremfamiliās, qui à filio sub cōditione legauit, & à substituto purè repetijt: statim uoluisse à substituto dari, si filius pendente conditione decessisset.

LIII. VLPIANVS.

QVID ergo si maiorem quantitatem à substituto reliquit? quod excedit: hoc erit, quod à substituto relictū est. quod uero cōcurrit cum summa superioribus tabulis inscripta: inde debebitur. sed & si repetierit legatum cum alio: fortè fundum mihi legauerat ab impubere, & repetijt hunc ab impuberis hærede mihi & Seio: repetitio hoc efficiet, ut pars mihi debeatur. Si quis duos hæredes scripserit, & damnauerit unumquenque solidam rem legatario præstare: idem est, atque si duobus testamentis legatum esset. nam & si mihi & filio uel seruo meo esset eodem testamento legatum: sine dubio ualeret legatum utriusque ut & Marcellus apud Iulianum adijcit. Si hæres hominem legatum occidit ob facinus: sine dubio dicendum erit, eum ex testamento non teneri. sed si noxæ dēderit, an teneatur, quia potest redimere? & puto teneri. sed si animal legatum occiderit: puto teneri, non ut carnem præstet, uel cætera: sed ut præstet precium, quanti esset, si uiueret. Item si ædes legatas ob damnum infectum K

A fectum possideri passus est: puto eum teneri. debuit enim repromittere. Sed si mortuum intulit, fecitque locum legatum religiosum: siquidem patremfamiliàs intulit, cum aliò inferre non posset, uel tam oportunè non haberet: ex testamento non tenebitur. an uero teneatur, ut precium loci præstet? & siquidē ipse paterfamiliàs illò inferri uoluit: ex testamento nō tenebitur. quod si hæres intulit suo arbitrio: debebit præstare, si sit in hæreditate, unde preciū præstetur. testator enim, qui legauit, uel aliò uoluit inferri, uel precium loci legatario offerri. Item si seruum non ipse occidit, sed compulit ad maleficiū, ut ab alio occideretur, uel supplicio afficeretur: æquissimum erit precium eum præstare. quod si sua mala mente ad hoc processit: cessabit æstimatio. Seruus legatus si ab hostibus captus sit sine dolo hæredis:
B non præstabitur. si dolo: præstabitur.

LIIII. POMPONIVS.

TVRPIA legata, quæ denotandi magis legatarij gratia scribuntur: odio scribentis pro non scriptis habentur. Si Titiæ legatum relictum esset, si arbitratu Seij nupsisset, & uiuo testatore Seius decessisset, & ea nupsisset: legatum ei debebitur. Sed & si serui mors impediisset manumissionem, cum tibi legatum esset, si eum manumisisses: nihilominus debetur tibi legatum: quia per te non stetit, quò minus perueniat ad libertatem. Si pars hæredū nominata sit in legando: uiriles partes hæredes debent. si uero omnes: hæreditarias.

LV. IDEM.

NEMO potest in testamento suo cauere, ne leges in suo testamento locum habeant: quia
C nec tempore, aut loco, aut conditione finiri obligatio hæredis legatorum nomine potest.

LVI. IDEM.

SI LEGATI serui nomine stipuletur legatarius, fugitiuū eum non esse præstati: nihil ueniet in eam stipulationem: quia qualis est, talis ex testamento præstari debet, nec ullum in legato damnum facere intelligitur.

LVII. VLPIANVS.

SI RES obligata per fideicommissum fuerit relicta: siquidem scit eam testator obligatā, ab hærede luenda est: nisi si alio animo fuerit. si nesciat: à fideicommissario: nisi si uel hanc, uel aliam rem relicturus fuisset, si scisset obligatam, uel potest aliquid esse superfluum exsoluto ære alieno. Quod si testator eo animo fuit, ut quanquam liberandorum prædiorum
D onus ad hæredes suos pertinere noluerit, non tamen utique apertè de his liberandis senserit: poterit fideicommissarius per doli exceptionem à creditoribus, qui hypothecaria secū agerent, consequi, ut actiones sibi exhiberentur. quod quanquam suo tempore non fecerit: tamen per iurisdictionem præsidis prouinciæ id ei præstabitur.

LVIII. PAPINIANVS.

DOMVS hæreditarias exustas, & hæredis numis exstructas, ex caussa fideicōmissi post mortē hæredis restituendas, boni uiri arbitratu sumptuū rationibus deductis, & ædificiorū ætatibus exanimatis, respondi Vlpiano: si modo nulla culpa eius incendium contigisset.

LIX. VLPIANVS.

QVOD si nulla ratione facta domū tradidisset: incerti cōdictio ei cōpetet, quasi plus de-
E bito soluerit. LX. PAPINIANVS.

SVMPTVS autem in reficienda domo necessarios à legatario factos, petenti ei legatum, cuius postea conditio exstitit, non esse reputandos, existimaui.

LXI. PAVLVS.

SI ANcilla cū liberis legata sit: & ancilla sola, si non sint liberi: & liberi soli, si non sit ancilla, debentur. LXII. CELSVS.

SI ANCILLas omnes, & quod ex his natum erit, testator legauerit: una mortua, Seruius partum eius negat deberi: quia accessionis loco legatus sit. quod falsum puto. nam nec uerbis, nec uoluntati defuncti accommodata hæc sententia est.

LXIII. CAIVS.

CAPTATORIæ scripturæ similimodo, neque in hæreditatibus, neque in legatis ualent.

LXIIII. IDEM.

SI ITA legatũ sit, SEIO SERVOS DECEM DO, PRAETER EOS DECEM, QVOS TITIO LEGAVI: siquidem decem tantum inueniantur in hæreditate: inutile est legatum. si uero ampliores: post eos, quos Titius elegit, in cæteris ualet legatum: sed nõ in ampliores, quàm decem, qui legati sunt quod si minus: in tantos, quanti inueniantur. ILLI, SI VOLET, STICHVM DO. conditionale est legatum: & non aliter ad hæredem transit, quàm si lega tarius uoluerit: quamuis aliàs, si sine adiectione SI VOLET legatum sit, ad hæredem legatarij transmittatur. aliud est enim iuris, si quid tacitè continetur: aliud si uerbis exprimatur.

Si domus fuerit legata: licet particulatim ita refecta sit, ut nihil ex pristina materia super sit: tamẽ dicemus, utile manere legatũ. at si ea domo destructa, aliam eodem loco testator G ædificauerit: dicemus interire legatum, nisi aliud testatorem sensisse fuerit adprobatum.

LXV. IDEM.

ET SI æquo precio emere uel uendere iusserit hæredem suum testator: adhuc utile legatum est. quid enim, si legatarius, à quo emere fundum hæres iussus est, cum ex necessitate eum fundum uenderet, nullum inueniret emptorem? uel ex diuerso, quid si legatarij magis interesset eum fundum emere, nec aliter hæres uenditurus esset, quàm si testator iussisset.

LXVI. IDEM.

SERVVS uni ex hæredibus legatus, si quid in hæreditate maliciosè fecisse dicatur (fortè rationes interleuisse:) nõ aliter adiudicandus est, quàm ex eo uolentibus cohæredibus quæstio habeatur. idem est & si extraneo fuerit legatus. Si ex pluribus hæredibus & ex dispa H ribus partibus institutis, duobus eadem res legata sit: hæredes non pro hæreditaria portione, sed pro uirili id legatum habere possunt.

LXVII. IDEM.

SI POST mortem patris filio legetur: dubium non est, quin mortuo patre ad filium pertineat legatum, nec intersit, an patri hæres exstiterit, nec ne. sed si seruo post mortem domini relictum est legatum: siquidem in ea caussa durabit: ad hæredem domini pertinet. idq́ adeo, ut idem iuris sit: & si testamento domini liber esse iussus fuerit. antè enim cẽdit dies legati, quàm aliquis hæres domino existat. quo fit, ut hæreditati adquisitum legatum, postea hærede aliquo existente, ad eum pertineat: præter quàm si suus hæres aliquis aut necessarius domino ex eo testamento factus erit. tunc enim, quia in unum concurrit, ut hæres exi I stat, & dies legati cẽdat: probabilius dicitur, ad ipsum potius, cui relictum est, pertinere legatum: quàm ad hæredem eius, à quo scilicet libertatem consequitur. Si purè legatus seruus sub conditione liber esse iussus fuerit: sub contraria conditione ualet legatum. & ideo existente conditione, legatum perimetur: deficiente, ad legatarium pertinebit. & ideo si pendente conditione legatarius decesserit, posteaq́ defecerit conditio: ad hæredem legatarij non pertinet legatum. Quod si idem purè legatus sit, & ex die liber esse iussus fuerit: omnimodo inutile legatum est: quia diem uenturam certum est. & ita Iulianus quoq; sensit. unde ait. si seruus Titio legatus sit, & idem post mortem Titij liber esse iussus fuerit: inutile legatum est: quia moriturum Titium certum est.

LXVIII. IDEM. K

SERVO LEGATO legari posse receptum est: quod adita hæreditate statim seruus adquiratur legatario, deinde sequatur legatum. Si seruum sub conditione legatum hæres alienauerit, deinde conditio exstiterit: potest nihilominus à legatario uindicari, nec extinguitur legatum. Si testator quosdam ex hæredibus iusserit æs alienum soluere: non creditores habebunt aduersus eos actionem, sed cohæredes, quorum interest hoc fieri. nec solum hoc casu alius habet actionem, quàm cui testator dare iussit: sed alio quoque. ueluti si filiæ nomine genero aut sponso dotem dare iusserit. non enim gener aut sponsus, sed filia habet actionem, cuius maximè interest (indotatam non esse.) Si fundus, qui legatus est, seruitutẽ habeat impositam: qualis est, dari debet. quod si ita legatus sit, VTI OPTIMVS MAXIMVSQVE: liber præstandus est. Seruus, qui in negocio fuerit legatus.

non

A non antè tradi debet, quàm rationes explicet. & si ad iudiciũ itum sit: iudicis eædem partes
esse debent. Si res, quæ legata est, an in rerum natura sit, dubitetur (fortè si dubium sit, an
homo legatus uiuat:) placuit agi quidem ex testamento posse: sed officio iudicis contineri,
ut cautio interponeretur, qua hæres caueret, eam se rem persecuturum, & si nactus esset, le-
gatario restituturum.

LXIX. IDEM.

SI SERVVS Titij furtum mihi fecerit, deinde Titius hærede me instituto seruum tibi le-
gauerit: non est iniquum, talem seruum tibi tradi, qualis apud Titium fuit: id est, ut me in-
demnem præstes furti nomine, quod is fecerat apud Titium. nam & si fundus, qui meo fun
B do seruiebat, legatus tibi fuerit: non aliter à me tibi præstari debet, quàm ut pristinam ser-
uitutem recipiam. nec dissimile est ei, qui mandatu alicuius seruum emit, uel ei, qui seruum
redhibet: quia & ipsi non aliter restituere seruum coguntur, quàm ut ratio habeatur furti,
quod ab eo seruo factum fuerit, uel antè, quàm negocium contraheretur, uel postea. quarè
& si post aditam hæreditatem seruus legatus hæredi furtum fecerit: ita præstari debebit, ut
ob hoc delictum quasi litis æstimatio à legatario sufferatur hæredi.

LXX. VLPIANVS.

SI DOMVS alicui simpliciter sit legata, neq; adiectum sit, quæ domus: coguntur hæredes
quam domum uolent ex his, quas testator habebat, legatario dare. quod si nullas ædes re-
liquerit: magis derisorium est, quàm utile legatum. De euictione an cauere debeat is, qui
C seruum præstat ex caussa legati, uideamus. & regulariter dicendum est, quoties sine iudicio
præstita res legata euincitur, posse eam ex testamento peti. cæterum si iudicio petita est: of-
ficio iudicis cautio necessaria est, ut sit ex stipulatu actio. In pecunia legata confitenti hæ-
redi modicum tempus ad solutionem dandum est, nec urgendus ad suscipiendum iudici-
um. quod quidem tempus ex bono & æquo prætorem obseruare oportebit. Qui confite-
tur se quidem debere, iustam autem caussam affert, cur utiq; præstare non possit: audien-
dus est. utputà si aliena res legata sit, negetq; dominum eam uendere, uel immensum pre-
cium eius rei petere adfirmet: aut si seruum hæreditarium neget se debere præstare, fortè
patrem suum, uel matrem, uel fratres naturales. æquissimum est enim, concedi ex hac eum
caussa æstimationem officio iudicis præstare. Cum uero alicui poculum legatum est, ue-
D litq; hæres æstimationem præstare, quia iniquum esse aiat id separari à se: non impetrabit
id à prætore. alia enim conditio est hominum, alia cæterarum rerum. in hominibus enim
benigna ratione receptum est, quod suprà probauimus. Si fundus municipum uectiga-
lis ipsis municipibus sit legatus: an legatum consistat, petiq; possit, uideamus. & Iulianus
libro tricesimotertio Digestorum scribit, quamuis fundus uectigalis municipum sit: atta-
men quia aliquod ius in eo is, qui legauit, habet: ualere legatum. Sed & si non municipi-
bus, sed alij fundum uectigalem legauerit: non uideri proprietatem rei legatam, sed id ius,
quod in uectigalibus fundis habemus.

LXXI. PAVLVS.

SI QVIS legauerit fundum Cornelianum, exceptis uineis, quæ tempore mortis eius
E erunt: si nullæ uineæ erunt, legato nihil decedet.

LXXII. CAIVS.

SI HAERES iussus sit facere, ut Lucius centum habeat: cogendus est hæres centum dare:
quia nemo facere potest, ut ego habeam centum, nisi mihi dederit. Vicis legata perinde
licere capere, atq; ciuitatibus, rescripto Imperatoris nostri significatur.

LXXIII. VLPIANVS.

LICET Imperator noster cum patre rescripsit, uideri uoluntate testatoris repetita à sub-
stituto, quæ ab instituto fuerant relicta: tamen hoc ita erit accipiendum, si non fuit euidens
diuersa uoluntas, quæ ex multis colligetur. (an quis ab hærede legatum uel fideicommis-
sum relictum noluerit à substituto deberi.) quid enim si aliam rem à substituto reliquit ei
fideicōmissario uel legatario, quam ab instituto non reliquerat? uel quid, si certa caussa fuit,
cur

cur ab instituto relinqueret, quæ in substituto cessaret? uel quid, si substituit ex parte fideicō F
missarium, cui ab instituto reliquerat fideicommissum? in obscura igitur uoluntate locum
habere rescriptum, dicendum est.

LXXIIII. IDEM.

SI SIC legatum uel fideicommissum sit relictum, SI EXISTIMAVERIT HAERES, SI
COMPROBAVERIT, SI IVSTVM PVTAVERIT: & legatum & fideicommissum debebi/
tur: quoniam quasi bono uiro potius ei commissum est, nō in meram uoluntatem hæredis
collatum. Si mihi, quod Titius debet, fuerit legatum, neq; Titius debeat: sciendum est,
nullũ esse legatum. & quidem si quantitas non sit adiecta, euidenti ratione nihil debebitur:
quia non apparet, quantum fuerit legatum. nam & si quod ego Titio debeo, ei legauero, G
quantitate non adiecta, constat nullum esse legatum: cum si decem, quæ Titio debeam, le/
gauero, nec quidquam Titio debeam: falsa demonstratio non perimat legatum, ut in lega/
to dōtis Iulianus respondit. quod si addiderit, DECEM, QVAE MIHI TITIVS DEBET,
LEGO: sine dubio nihil erit in legato. nam inter falsam demonstrationem & falsam condi/
tionem siue caussam multum interest. proinde & si Titio decem, quæ MIHI SEIVS DEBET,
LEGAVERO: nullum erit legatum. esse enim debitor debet. nam & si uiuus exegisset: exstin
gueretur legatum. & si debitor maneret: actiones aduersus eum hæres meus duntaxat præ/
stare cogeretur. Si quis ita stipulatus, STICHVM AVT DECEM, VTRVM EGO VE/
LIM: legauerit, quod ei debeatur: tenebitur hæres eius, ut præstet legatario actionem, ele/
ctionem habituro, utrũ Stichum, an decem persequi malit. proinde si Stichum legauerit, H
cum ille ei Stichum aut decem deberet: incerti actio legatario aduersus hæredem competit,
(ut scribit Iulianus libro tricesimotertio Digestorum) per quam actionem compellat hære/
dem experiri. & si Stichũ consecutus fuerit, præstabit ei: si decem, nihil consequetur. secun/
dum quod erit in arbitrio debitoris, an sit legatarius is, cui Stichus legatus est.

LXXV. IVLIANVS.

QVOD si quis Stichum aut Pamphilum stipulatus, Sempronio Stichum legasset, Mæ/
uio Pamphilum: oneratus hæres intelligitur, ut necesse habeat alteri actionem suam, alteri
æstimationem Stichi aut Pamphili dare.

LXXVI. VLPIANVS.

SI PECUNIA apud aliquem deposita, eius fideicommissum fuerit, ut eam pecuniam præ/ I
stet: fideicommissum ex rescripto diui Pij debebitur, quasi uideatur hæres rogatus remitte/
re id debitori. nam si conueniatur debitor ab hærede: doli exceptione uti potest. quæ res
utile fideicōmissum facit. quod cũ ita se habeat: ab omni debitore fideicommissum relinqui
potest.

LXXVII. IDEM.

FIDEICŌMISSUM, quod à legatario relinquitur, ita demũ ab eo debet, si ad legatariũ lega/
tũ peruenerit.

LXXVIII. IVLIANVS. lib. XXXII. *Digestorum.*

SI QVIS testamento Titio & Seio decẽ dari iusserit: nullã hæc uerba recipiũt ambigui/
tatẽ: ut dena dixisse uideatur, qui decẽ dixit. Apud Iulianũ libro tricesimosecundo Dige/
storũ MARCELLVS notat. is, qui sola triginta reliquerat: Titio triginta legauit, Seio uigin/
ti, Mæuio decẽ. Masurius Sabinus probat, Titium quindecim, Seiũ decem, Mæuiũ quinq; K
cōsecuturos: ita tamẽ, ut ex his pro rata portionis Falcidiæ satisfiat. IVLIANVS. Si fundũ
sub conditione legatũ hæres, pendente conditione, sub alia conditione alij legasset: & post
existentẽ conditionẽ, quæ priore testamento proposita fuisset, tunc ea cōditio, sub qua hę/
res legauerat, exstitisset: dominium à priore legatario non discedet. Si seruo communi res
legata fuisset: potest alter dominus agnoscere legatum, alter repellere. nam in hac caussa ser
uus communis quasi duo serui sunt. STICHVM SEMPRONIO DO LEGO. SI SEMPRO/
NIVS STICHVM INTRA ANNVM NON MANVMISERIT: EVNDEM STICHVM TITIO
DO LEGO. quæsitũ est, quid iuris esset? Respondi. Semproniũ interim totũ habiturũ: & si/
quidẽ intra annũ manumisisset, liberũ eum effecturũ. si autem hoc nō fecisset: totum ad Ti/
tium pertinere. Qui fundum excepto ædificio lẽgat: appellatione ædificij aut superficiem
significat.

A significat,aut solum quoq;,cui ædificium superpositum est.si de sola superficie exceperit:nihilominus iure legati totus fundus uindicabitur:sed exceptione doli mali posita,consequetur hæres,ut sibi habitare in uilla liceat in quo inerit,ut iter quoq; & actum in ea habeat.Si uero solum quoque exceptum fuerit:fundus excepta uilla uindicari debebit,& seruitus ipso iure uillę debebitur:non secus,ac si duorum fundorum dominus alterum legauerit,ita ut alteri seruiret.sed inclinandum est,testatorem etiam de solo cogitasse,sine quo ædificium stare non potest. Si libertus patronum ex septunce hæredem scripserit, alios ex cæteris,& ita legauerit,QVISQVIS MIHI ALIVS EX SVPRASCRIPTIS CVM PATRONO MEO HAERES ERIT,AB EO SERVOS ILLVM ET ILLVM TITIO LEGO,QVOS SINGVLOS AESTI-
B MO VICENIS AVREIS:intelligendum erit à cohærede patroni duntaxat legatum datum: & ideo Titium non amplius quincunce in seruis uindicare posse.adiectio autem illa,QVOS SINGVLOS AESTIMO VICENIS AVREIS,non mutat legati conditionem,si legis Falcidiæ rationem habere oporteat.nihilominus enim uerum precium seruorum in æstimationem deducetur. TITIO FVNDVM DO LEGO,SI HAEREDI MEO DECEM DEDERIT.si decem hæres Titio debuisset,& ea Titius accepta ei fecisset:fundum uindicare potest. Si Titius, cui Stichus legatus fuerat,antequā sciret ad se legatū pertinere,decesserit:& eundē Seio legauerit,& hæres Titij legatū non repudiauerit:Stichum Seius uindicabit. Si paterfamiliâs ab impubere filio Titio fundū legauerit,& à substituto eundem eidē Titio,& pupillus patri hæres exstiterit:siue uindicauerit Titius legatū,siue repudiauerit(quāuis filius impubes de-
C cesserit)à substituto uindicare nō poterit.hoc enim,quod rursus à substituto legatur:perinde habendū est,ac si repetitum esset legatum.quarè & si purè à filio,sub conditione à substituto legatum fuerit:perinde omnia seruabuntur,ac si tantū à filio legatum fuisset.contrà autem,si à filio sub cōditione à substituto purè legatum fuerit,& pupillus pendente conditione decesserit:ex substitutione sola legatū ualebit. His uerbis LVCIO ET TITIO EORVMVE CVI FVNDVM DO LEGO utiliter legatur:& si uterq; uixerit,utriq;:si alter, alteri totum debebitur. Cum statuliber sub conditione legatus est,& pendente cōditione legati cōditio statutæ libertatis deficit:legatum utile fit.nam sicut statuta libertas tūc perimit legatum, cum uires accipit:ita legatum quoq; non antè perimi potest,quàm dies eius cesserit. A filio impubere legatus,& à substituto liber esse iussus,siquidē pupillus ad pubertatē peruene-
D rit:ab eo,cui legatus fuerat,uindicabitur:mortuo uero pupillo libertas competet.longè magis hoc seruari conueniet,si idem seruus sub conditione ab impubere legatus fuerit,& pendente conditione filius intra pubertatem decesserit.

LXXIX. IDEM.

NON quocunq; modo legatarij res facta fuerit,die cedente obligatio legati extinguitur:sed ita,si eo modo fuerit eius,quo auelli non possit.ponamus rem,quæ mihi purè legata sit,accipere me per traditionem die legati cedente ab eo hærede,à quo eadem sub conditione alij legata fuerit.nempe agam ex testamento:quia is status est eius,ut existente conditione discessurum sit à me dominium.nam & si ex stipulatione mihi Stichus debeatur,& is cum sub conditione alij legatus esset,factus fuerit meus ex caussa lucratiua:nihilominus exi-
E stente conditione ex stipulatu agere potero. Si ex bonis eius,qui reipublicæ caussa aberat,rem usu adquisierim:& ea,antequā euinceretur,mihi legata fuerit,deinde postea euincatur:rectè ex testamento petam eam mihi dari oportere. Fundus mihi legatus est.proprietatem eius fundi redemi detracto usufructu postea uenditor capite minutus est, & usufructus ad me pertinere cœpit.si ex testamento egero:iudex tanti litē ęstimare debebit, quantum mihi aberit.MARCELLVS.idem erit,& si partem redimero,& pars mihi legata,aut donata sit.partē enim duntaxat petere debebo. IVLIANVS.quod si legatū mihi est,quod ex Pamphila natū erit,& ego Pamphilā mercatus sum,& ea apud me peperit: nō possum uideri partū ex caussa lucratiua habere:quia matrem eius mercatus sum.argentū rei est,quod euicto ea actio exempto competit. Qui Caium & Lucium eiusdem pecunię reos habebat,si ita legauerit,QVOD MIHI CAIVS DEBET,ID HAERES MEVS SEMPRONIO DARE

DAMNAS ESTO: QVOD MIHI LVCIVS DEBET, ID HAERES MEVS MAEVIO DARE DAMNAS ESTO: eam conditionem hæredi suo constituit, ut is necesse habeat alteri actiones suas, alteri litis æstimationem præstare. si tamen uiuus testator Caio acceptum fecit: necesse est, ut Sempronij & Mæuij legatum inutile sit. Cum michi Stichus aut Pamphilus legati fuissent duorum testamentis, & Stichum ex testamento consecutus fuissem: ex altero Pamphilũ petere possum: quia & si uno testamento Stichus aut Pamphilus legati fuissent, & Stichus ex caussa lucratiua meus factus fuisset, nihilominus Pamphilum petere possem. F

LXXX. MARCELLVS.

TITIVS Stichi partem tibi legauit. eiusdem Stichi partem Seius tibi legauit. ex utriusq; testamento consequeris. G

LXXXI. IVLIANVS.

HVIVSMODI legatum, SI TITIVS HAEREDI MEO CAVERIT CENTVM MAEVIO SE DATVRVM, ET HAERES MEVS TITIO CENTVM DATO, utile est: quemadmodum quod alicui legatum est, ut ex caussa fideicommissi restituatur. eadem ratione hoc quoq; legatum utile est, SI TITIVS HAEREDI MEO CAVERIT, SE IN MVNICIPIO EX CENTVM AVREIS OPVS FACTVRVM: TVNC EI CENTVM AVREOS HAERES MEVS DARE DAMNAS ESTO. Si Semptonius Titium hæredem instituerit, & ab eo post bienniũ fundum dare iusserit Mæuio, Titius deinde ab hærede suo eundem fundum Mæuio præsente die legauerit, & Mæuius præcium fundi ab hærede Titij acceperit: si ex testamento Sempronij fundum petere uelit, exceptione repelli poterit, si precio fundi cõtentus nõ erit. H

Si cui homo legatus fuisset, & per legatariũ stetisset, quò minus Stichũ, cũ hæres tradere uolebat, acciperet: mortuo Sticho, exceptio doli mali proderit hæredi. Ædes, quibus hæredis ædes seruiebãt, legatę sunt, & traditæ legatario, nõ imposita seruitute. dixi, posse legatariũ testamẽto agere: quia nõ plenũ legatũ accepisset. nã & eũ, qui debilitatũ ab hærede seruũ accepisset: rectè ex testamento agere. Qui seruũ ex testamento sibi legatũ, ignotans eũ sibi legatũ, ab hærede emit: si cognito legato ex testamento egerit, & seruũ acceperit: actione ex uendito absolui debet: quia hoc iudiciũ bonæfidei est, & cõtinet in se doli mali exceptionẽ. Quod si precio soluto ex testamẽto agere instituerit: hominẽ cõsequi debebit, & actione ex empto precium recuperabit, quemadmodum recuperaret, si homo euictus fuisset. Quod si iudicio ex empto actum fuerit, & tunc actor compererit legatum sibi hominem esse, & agat ex testamento: non aliter hæredem absolui oportebit, quàm si precium restituerit, & hominem actoris fecerit. Cum pater pro filia sua dõtis nomine centum promisisset, deinde eidem centum eadem legasset: doli mali exceptione hæres tutus erit, si & gener ex promissione, & puella ex testamento agere instituerint. conuenire enim inter eos oportet, ut alterutra actione contenti sint. Si ita legatum cui esset, SI TABVLAS CHIROGRAPHI MEI HAEREDI MEO REDDIDERIT, HAERES MEVS EI DECEM DATO: huiusmodi cõditio hanc uim habet, si hæredem meum debito liberauerit. quarè & si tabulæ exstabunt: non intelligetur conditioni satisfecisse creditor, nisi acceptum hæredi fecerit. & si tabulæ in rerum natura non fuerint: existimabitur implesse conditionem, si hæredem liberauerit. nec ad rem pertinebit, iam tunc, cum testamentum fiebat, tabulæ intercidetint, an postea, uel mortuo testarote. Si Titio & Mæuio legatus fuerit Stichus, qui Titij erat: debebitur pars Stichi Mæuio. nam Titius, quamuis ad legatum non admittatur, partẽ faciet. STICHVM AVT PAMPHILVM, VTRVM HAERES MEVS VOLET, TITIO DATO. si dixerit hæres, Stichũ se uelle dare: Sticho mortuo liberabitur. cum autem semel dixerit hæres, utrũ date uelit: mutare sententiã non poterit. Legatum est ita, FVNDVM CORNELIANVM, ET MANCIPIA, QVAE IN EO FVNDO, DVM MORIAR, MEA ERVNT, HAERES MEVS TITIO DATO. ancilla, quæ in eo fundo esse cõsueuerat: mortis tempore, cum in fuga esset, enixa est. quæro an uel ipsa, uel partus eius legato cędat. Respondi. ancilla, quamuis in fuga sit, legata uidetur. & licet fugitiua erat perinde habetur, ac si in eo fundo fuisset moriente patrefamiliãs. huic cõsequens est, ut partus quoq; m itrem sequatur, & pèrinde legato cẽdat, ac si in fundo I K

ẽditus

A editus fuisset. Si Titio Stichus aut Pamphilus, utrum eorũ malit, legatus sit: deinde Pamphilum testator Titio donauerit: Stichus in obligatione manet. Quibus ita legatum fuerit, TITIO ET MAEVIO SINGVLOS SERVOS DO LEGO, constat non concursuros in eundem seruum: sicuti non concurrunt, cum ita legatur, TITIO SERVVM DO LEGO, MAEVIO ALTERVM SERVVM DO LEGO. Si is, cui legatum fuerat, antè quàm constitueret, qua actione uti uellet, decessit, duobus hæredibus relictis: legatum accipere simul uenientes, nisi cõsenserint, non possunt. quarè quamdiu alter rem uindicare uult, alter in personam agere non potest. sed si consenserint: rem communiter habebunt. consentire autem uel sua spõte debent, uel iudice imminente.

LXXXII. PAVLVS.

B Dvobvs coniunctim fundus erat legatus. alter ex his partis æstimationem per actionem personalem abstulit. alter, si totum fundum uindicare uelit, exceptione doli repellitur pro parte dimidia: quia defunctus semel ad eos legatum peruenire uoluit.

LXXXIII. IVLIANVS.

Si tibi homo, quem pignori dederas, legatus ab alio fuerit: actionẽ ex testamento habebis aduersus hæredem, ut pignus luatur. Si testamento Stichus ab uno hærede legatus fuerit Mæuio, & eidem codicillis idem Stichus ab omnibus hæredibus, & antè quàm codicilli aperirentur, Mæuius litis æstimationem consecutus fuerit: ipso iure uindicari ex codicillis non potest: quia testator semel legatum ad eum peruenire uoluit. Cum seruus C legatur: & ipsius serui status, & omnium, quæ personam eius attingũt, in suspenso est. nam si legatarius repulerit à se legatum, nunquam eius fuisse uidebitur. si non repulerit: ex die aditæ hæreditatis eius intelligitur. secundum hanc regulam & de iure eorum, quæ per traditionem seruus acceperit, aut stipulatus fuerit, deq; his quæ legata uel donata ei fuerint statuetur: ut uel hæredi, uel legatario seruus singula gessisse existimetur. Si fundus ab omnibus hæredibus legatus sit, qui unius hæredis esset: is quidem, cuius fundus esset, non amplius, quàm partem suam præstabit: cæteri in reliquas partes tenebuntur. Valet legatum, si superficies legata sit ei, cuius in solo fuerit: licet is dominus sõli sit. nam cõsequetur, ut hac seruitute liberetur, & superficiem lucrifaciat.

LXXXIIII. PAPINIANVS.

D Filio pater, quem in potestate retinuit, hærede pro parte instituto, legatum quoq; reliquit. durissima sententia est existimantium, denegandam ei legati petitionem, si pãtris abstinuerit hęreditate. non enim impugnatur iudicium ab eo, qui iustis rationibus uoluit negocijs hæreditarijs implicari.

LXXXV. MARTIANVS.

Sed si non aliàs uoluit eum pater habere legatum, nisi hęreditatem retineret: tunc neq; aduersus cohæredem dandam ei ad legata petitionem secundum Aristonis sententiã constat, cum ipsi filio non uideretur esse soluendo hæreditas. & hoc ita est, licet non conditionaliter expressit, intellexisse tamen manifestissimè adprobetur.

LXXXVI. IVLIANVS. lib. XXXII. *Digestorum.*

E Nam nec emancipatus hæreditate omissa legatum ab hærede petere prohibetur. prætor enim permittendo his, qui in potestate fuerint, abstinere se hæreditate paterna: manifestum facit, ius se in persona eorum tribuere, quod futurũ esset, si liberũ arbitrium adeundæ hæreditatis habuissent. LXXXVII. PAPINIANVS.

Qvid ergo, si ita legauerit, HOC AMPLIVS FILIO MEO? non dubiæ uoluntatis quidem quæstio erit, sed non absimilis prioris casus circa filij prouidẽtiam: nisi euidens uoluntas contraria pãtris probetur. planè si plurbus filijs institutis, inter eos uerbis legatorũ bona diuiserit: uolũtatis ratione legatorũ actio denegabitur ei, qui non agnouit hæreditatem.

LXXXVIII. IVLIANVS.

Qvaesitum est. si filiusfamiliàs, qui filium habebat, hæres institutus fuisset, cum esset uterque in potestate aliena: an ab eo filio eius legari possit? Respondi. cum possit à filio

A Stichum redimere: siue minoris, æquè Stichum iustè dăre cogitur: cum per eum steterit, quò minus ex testamento haberet, quod fideicommissum fuerat. Qui testamento manumittitur, & neq; legatum, neq; hęreditatem capit: fideicommissum prȩstare cogendus non est. ac ne is quidem, qui seruum legatum rogatus fuerat manumittere. is enim demum pecuniam ex caussa fideicommissi præstare cogendus est, qui aliquid eiusdem generis uel simile ex testamento consequitur.

XCII. VLPIANVS.

VIDENDVM est tamen, nunquid si uice operarum rogauerit eum aliquid dăre, debeat hoc fideicommissum ualere. Quod nequaquam dicendum est: quia nec operæ imponi huiusmodi liberto possunt, nec impositæ exiguntur, quamuis testator ita cauerit.

XCIII. IDEM.

B QVIDAM testamẽto uel codicillis ita legauit. AVREOS QVADRINGENTOS PAMPHILAE DARI VOLO, ITA VT INFRA SCRIPTVM EST. A IVBLIO ACTORE AVREOS TOT: ET IN CASTRIS QVOS HABEO, TOT: ET IN NVMERATO QVOS HABEO, TOT. post multos annos eadem uoluntate manente decessit, cum omnes summæ in alios usus trãnslatæ essent: quæro, an debeatur fideicõmissum? Respondi. uero similius esse, patremfamiliâs demõstrare potius hæredibus uoluisse, unde aureos quadringẽtos sine incõmodo rei familiaris cõtrahere possent: quàm cõditionẽ fideicõmisso iniecisse, quod initio purè dătum esset. & ideo quadringenti Pamphilæ debebũtur. Quoties lege Iulia bona uacantia ad fiscũ pertinent: & legata & fideicõmissa præstantur, quæ præstare cogeretur hæres, à quo

C relicta erant. Si tibi seruus legatus fuerit, & petitum à te, ut Titio aliquid præstares usque ad precium serui, deinde seruus decesserit: nihil fideicommissi nomine præstare cogendus eris. Si scriptus ex parte hæres rogatus sit percipere pecuniam, & eis, quibus testamento legatum erat, distribuere: id, quod sub conditione legatum est, tunc percipere debebit, cum conditio exstiterit: interim ab eo aut eis, quibus legatum est, sătisdări oportet. Cui statuliber pecuniam dăre iussus est, is rogari potest, ut eandem pecuniã alicui restituat. nam cum possit testator codicillis purè libertatem dăre, & hoc modo conditionem exstinguere: cur non etiam per fideicommissum eandem pecuniam adimendi potestatem habeat?

XCIIII. IDEM.

D SI MIHI Stichus legatus esset, fideiq; meæ commissum, ut aut Stichum, aut Pamphilum meum seruum redderem, & in Sticho aliquid ex legato propter legem Falcidiam perdidissem: necesse habebo, aut Pamphilum seruum meum Titio totum dăre, aut eam partem Stichi, quam legatorum nomine accepero.

XCV. IDEM.

SERVVS ab hostibus captus rectè lẽgatur. hoc enim iure postliminij fit. quemadmodũ enim hæredẽ instituere possumus seruũ, qui in hostium potestate est: ita legare eum quoq; possumus.

XCVI. IDEM.

SI DOMINO Stichus legatus esset, & seruo eius optio dăta: partem dimidiam Stichi dico ad dominum pertinere: quod possit seruus manumissus eundem Stichum optare.

XCVII. IDEM.

E SI MIHI Sempronius à Titio hærede legauerit, Titiusq; mihi sub eadẽ conditione eandem rem legauerit: existente conditione capiam legatum ex testamento Sempronij.

XCVIII. IDEM.

SI SERVO meo Stichus legatus fuerit testamento, idq; legatũ repudiauero, deinde prolatis codicillis apparuerit, mihi quoque eundem Stichum legatum esse: nihilominus eundem uindicare possum. Si ei, qui in hostiũ potestate est, legatum fuerit, & is apud hostes decesserit: nullius momenti legatum erit, quamuis postliminio confirmari potuit.

XCIX. IDEM.

SI MINOR uiginti annis dominus seruum caussa non probata manumiserit, & postea legatum ei dẽderit, isq; alienatus ad libertatem profectus fuerit: legatum non capit. Nam perinde nullius momenti est legatum, ac si sine liberate dătum fuisset.

C. IDEM.

In tacitis fideicommissis fraus legi fieri uidetur, quoties quis neque testamento, necq; codicillis rogatur, sed domestica cautione uel chirographo obligat se ad præstandum fideicommissum ei, qui capere non potest. F

CI. IDEM.

Ab omnibus hæredibus legatum ita erat, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, DAMNAS ESTO TITIO DARE CENTVM: deinde infrà cōprehensum erat, ne unus ex hæredibus ei dăret. Quæritur, reliqui hæredes utrum illius tota centum deberent, an deducta unius hæreditaria portione? Respondit, uerius esse, reliquos hęredes tota centum dăre debere: cum & significatio uerborum non repugnet huic sententiæ, & uoluntas testatoris congruat. In testamento sic erat scriptum, LVCIO TITIO, SI IS HAEREDI MEO TABELLAS, QVIBVS EI PECVNIAM EXPROMISERAM, DEDERIT: CENTVM DATO. Titius deinde, antequàm tabellas hæredi redderet, decesserat. Quæsitum est, an hæredi eius legatum deberetur? Cassius respondit, si tabulæ fuissent, non deberi: quia non redditis his, dies legati non cessisset. Iulianus notat, si testamenti faciendi tempore tabellæ nullæ fuerunt: uera ratione dici potest, legatum Titio deberi: quod ἀδύνατος conditio pro non scripta habeatur. Etiam rem hostium posse legari Sabinus ait, si aliquo casu emi possit. Si Attio ita legatum fuerit, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, DAMNAS ESTO ATTIO HAEREDI MEO DECEM DARE: deducta sua parte Attius decem petet. Item si iussus fuisset hæres decem dăre, & fundum sibi habere: deducta sua parte, decem dăbit. Denicq; constitit, cum ita legatum fuisset, QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, DAMNAS ESTO HAEREDI MEO DECEM DARE, exæquari omniū hæredū partes: eo, quod unusquisq; & sibi, & cohæredi suo dare damnatus uideretur. Cū quidam hæredē instituisset, quādocūq; mater eius decessisset: deinde secūdus hæres institutus fuisset, & ab eo legata ei, qui sub conditione hæres scriptus erat, relicta fuissent: isq; uiua mātre decessisset, postquā dies legati cesserat: quæsitū est, an hæredi eius legata deberentur? uerius est, legatum deberi hæredi: siue purè ab instituto legatū datum est primo hæredi, siue sub hac conditione SI HAERES NON FVERIT: quia moriēte eo cōditio impletur. Si socero à genero suo hęrede instituto, pars hæreditatis alijs lagata fuisset: deducta dōte, eum debiturum esse partem hæreditatis legatam, Sabinus respondit: quemadmodū si pecunia ex crediti caussa socero debita fuisset, nam & ea deducta partem hæreditatis daturus fuisset. G H I

CII. IDEM.

Legatvm ita erat, QVAE LVCIVS TITIVS MIHI DEBET, EA HAERES MEVS CORNELIO DARE DAMNAS ESTO. nihil amplius ex hoc legato, quàm actiones suas hæres præstare debet.

CIII. ALFENVS.

Si in testamento scriptum esset, HAERES MEVS AVREOS CENTVM LICINIO DAMNAS ESTO, necq; adscripsisset DARE: deberi ei legatum constat.

CIIII. AFRICANVS.

Si à pluribus hæredibus legata sint ea, quæ unus ex his præcipere iubeatur & præstare: in potestate eorum, quibus sit legatum, debere esse ait, utrum'ne à singulis hæredibus petere uelint, an ab eo, qui præcipere sit iussus. Itacq; eum, qui præcipere iussus sit, cauere debere cohæredibus, indemnes eos præstari. Si quis seruum, cui aliquid sine libertate legauerit, CVM MORIETVR IPSE SERVVS, légèt: minimè dubitandum, quin utile legatum futurum sit: propterea scilicet, quod moriente seruo, id, quod ipsi legatum erit, ad eum, cui ipse legatus fuerit, peruenturum sit. K

CV. IDEM.

Si servvs legatus uiuo testatore fugisse dicatur: & impensa & periculo eius cui legatus fuit, debet reddi: quoniam rem legatam eo loco præstare hæres debet, in quo à testatore sit relicta. Si id, quod ex testamento mihi debes, quilibet alius seruo meo donauerit: manebit adhuc mihi ex testamento actio, & maximè si ignorem meam factam esse. alioquin consequens erit, ut etiam si tu ipse seruo meo donaueris eam, inuito me libereris. quod nullo modo recipiendū est: quando ne solutione quidē inuito me facta libereris. Cum homo, Titio legatus

A Titio legatus esset: quæsitum est, utrum arbitrium hæredis sit, quem uelit, dandi: an potius
legatarij? Respondi, uerius dici, electionem eius esse, cui potestas sit, qua actione uti uelit.
Huiusmodi legatum, ILLI AVT ILLI VTER EORVM PRIOR CAPITOLIVM ASCEN-
DERIT: utile esse, euidenti argumento probari ait: quod constet, usufructu libertis legato,
ei qui eorũ superuixerit, proprietatem utiliter legari. idꝗ & de hærede instituendo dicen-
dum existimauit. Stichũ, quem de te stipulatus eram, Titius à te hærede mihi legauit. si-
quidem non ex lucratiua caussa stipulatio intercessit: utile legatum esse placebat. sin ex dua-
bus tunc magis inutile legatum esse: quia nec absit quidquam, nec bis eadem res præstari
possit. Sed si cum mihi ex testamento Titij Stichum deberes, cũdem à te hærede Sempro-
B nius mihi legauerit, fideiꝗ meæ cõmiserit, ut eum alicui restituam: legatum utile erit, quia
non sum habiturus. Idemꝗ iuris erit, & si pecuniam à me legauerit. multo magis si in prio-
re testamento fideicõmissum sit. Itẽ si in priore testamento Falcidię locus sit: quod inde de-
cedit ratione Falcidiæ, ex sequente testamento consequar. Item si domino hæres exstitero,
qui non esset soluendo, cuius fundum tu mihi dare iussus esses: manebit tua obligatio, sicut
maneret, si eum fundum emissem. Si ita scriptum erit, AMPLIVS, QVAM TITIO LEGA
VI, HAERES MEVS SEIO DECEM DATO: dubitandum non erit, quin & Titio suum le-
gatum maneat, & Seio nihil ultra decẽ debeatur. nam & usitatũ ferè est sic legare, LVCIO
TITIO TOT, ET HOC AMPLIVS VXORI ET LIBERIS EIVS TOT. Sed & si ei, cui nihil
legatum est, cum hac adiectione HOC AMPLIVS aliquid legetur: minimè dubitandum est,
C quin id, quod ita legatum erit, debeatur: multoꝗ minus dubitandũ, si ab eo, qui nihil mihi
debet, ita stipulatus fuero, AMPLIVS QVAM MIHI DEBES, DECEM DARE SPONDES?
quin decem debeantur. Si seruus alienus liber esse iussus & legatus sit: peti eum ex legato
posse ait. nam cum libertas nullius momenti sit: absurdũ esse, per eam legatum infirmari,
quod alioquin ualeret, & si solum datum fuisset. Qui quinꝗ in arca habebat, ita legauit,
uel stipulanti promisit, DECEM QVAE IN ARCA HABEO. & legatũ, & stipulatio ualebit:
ita tamen, ut sola quinꝗ uel ex stipulatione, uel ex testamento debeantur. ut uero quinꝗ,
quę deerunt ex testamento peti possint: uix ratio patitur. nam quodammodo certũ corpus,
quod in rerum natura non sit, legatum uidetur. Quod si mortis tempore plena summa fue-
rit, & postea aliquid ex ea deperierit: sine dubio soli hæredi deperit. Si seruus legatus sit,
D & moram hæres fecerit: periculo eius & uiuit, & deterior fit: ut si debilem fortè tradat, nihi-
lominus teneatur. Cum quid tibi legatũ, fideiꝗ tuæ commissum sit, ut mihi restituas: si-
quidem nihil præter ea ex testamento capias: dolum malum duntaxat in exigendo eo lega-
to, alioquin etiam culpam te mihi præstare debere existimauit, sicut in contractibus bonæ
fidei seruatur: ut si quidem utriusꝗ cõtrahentis commodum uersetur, etiam culpa: si unius
solius, dolus malus tantũmodo præstetur. Qui margarita Titio pignori dederat, filium
hæredem instituit, & filiam exhæredauit. deinde ita cauit, TE TITI ROGO, FIDEI QVE
TVAE COMMITTO, VT MARGARITA, QVAE TIBI PIGNORI DEDI, VENDAS: ET
DEDVCTO OMNI DEBITO TVO, QVOD AMPLIVS ERIT, ID OMNE FILIAE MEAE
RESTITVAS. ex ea scriptura filiam à fratre fideicõmissum petere posse, ut is actiones suas
aduersus debitorem ei præstaret. hoc enim casu eum, qui creditor fuisset, debitorem intelli-
E gendum eius scilicet, quo precium pignoris summam debiti excedat. Non autem miran-
dum, si alius rogatus sit, alius fideicõmisso obstringatur. nam & cum in testamento ita scri-
bitur, ROGO TE TITI, VT ACCEPTIS CENTVM, ILLVM SERVVM MANVMITTAS,
VEL SEMPRONIO QVID PRAESTES: parum quidem aptè scribi, uerum æquè intelligen-
dum hæredis fidei cõmissum, ut pecuniam Titio præstet. ideoꝗ & ipsum Titium cum hæ-
rede acturum: & libertatem seruo, uel Sempronio, quod rogatus sit, præstare cogendum.
Aufidius filio suo fideicommisit, ut certam pecuniam quatuor libertis suis mutuam da-
ret, & usuras leuiores taxauerat. placuit, hoc fideicommissum utile totum esse.

CVI. IDEM.

SI QVANDO quis uxori suæ ea, quæ uiuus donauerat, uulgari modo leget: non de alijs

donationibus eum uideri sentire ait, quàm de his, quæ iure ualituræ nō sunt. Alioquin frustra F ei legaturus sit, si ita exprimat, QVAE VXORI MEAE IVRE DONAVERO, EA EI LEGO: uel ita, QVAE VXORI MANVMISSIONIS CAVSSA DONAVERO. nam inutile legatum futurum est. Hæres, cuius fidei commissum erat, ut mihi fundum aut centum dāret: fundum Titio uēdidit. cum electio ei relinquatur, utrum malit, dandi, ut tamen alterū solidum præstet: prætoris officio conuenire existimo, ut si pecuniā offerat, inhibeat fundi persecutionem. ita etenim eadem caussa constituetur, quæ futura esset, si alienatus fundus non fuisset: quādo etiam aduersus ipsum hæredem officiū prætoris siue arbitri tale esse deberet, ut si fundus non præstaretur, neq; pluris, neq; minoris, quàm centum, æstimaretur.

CVII. IDEM. G

SI GENERaliter hæres seruum, quem ipse uoluerit, dāre iussus, sciens furem dēderit, isq; furtum legatario fecerit: de dolo agi posse ait. Sed quoniā illud uerum sit, hæredem in hoc teneri, ut non pessimum det: ad hoc teneri, ut & alium hominem præstet, & hunc pro noxæ deditione relinquat.

CVIII. MARTIANVS.

ETIAM si partis bonorum se excusauerit tutor, putā Italicarū, uel prouincialium rerum: totū, quod testamento dātū est, ei auferetur: & ita diui Seuerus & Antoninus rescripserūt.

CIX. IDEM.

SI INQVILINOS sine prædijs, quibus adhærent, legauerit: inutile est legatum. sed an æstimatio debeatur, ex uoluntate defuncti statuendum esse, diui Marcus & Commodus rescripserunt. Cum seruum suum hæres damnatus dāre, eum manumiserit: tenetur in eius æsti- H mationem: nec interest, si scierit, an ignorauerit legatum. sed & si donauerit seruum hæres, & eum is, cui donatus est, manumiserit: tenetur hæres, quamuis ignorauerit, à se cum legatum esse. Si ita legatum fuerit, TITIO CVM SEIO DO LEGO: utrisq; legatum est, sicut si fundus cum domo Formiana legatus esset. Si quis scripserit testamento fieri, quod contra ius est, uel bonos mores: non ualet. ueluti si quis scripserit contra lēgē aliquid, uel contra edictū prætoris, uel etiam turpe aliquid. Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, iusiurandum contra uim legū & authoritatem iuris in testamento scriptū nullius esse momenti.

CX. IDEM.

SERVO alieno ita legari potest, QVOAD SERVIET, uel SI FORTE SERVVS TITII ERIT: ut & Marcellus ait. Si quis post tempus libertatem seruo suo dēderit, & interea roga- I uerit hæredem, donec ad libertatem perueniat, cibaria ei dāre: testatoris uoluntati obtemperandum esse, diui Seuerus & Antoninus rescripserūt. Si quis à primo hærede centum legauerit alicui, & eidem à secundo ducenta, posteaq; generaliter repetierit legata: trecenta uidetur repetisse. Sed si pater impuberi filio substituerit, & à substituto legata repetierit: si pupillus hæres exstiterit, & intra pubertatem decesserit: repetitio non ualet: quia defuncti uoluntas hæc est, ut semel debeatur. Si ab impubere legatum fuerit sub conditione, SI AD PVBERTATEM PERVENERIT, & à substituto repetitum fuerit: legatum debetur & à substituto, nec uidetur repetita conditio, quæ inutile legatum facit. Ineptas uoluntates defunctorum circa sepulturam: ueluti ut uestes, aut quæ alia superuacua ei in funus impendantur: non ualere, Papinianus libro tertio scribit.

CXI. IDEM. K

FILIVSFAMILIÀS miles uel ueteranus, licet sine testamento decedat, potest fidei committere à patre: quia etiam testamentum facere potest. Si libertus ab intestato decesserit: à patrono potest usq; ad partem debitam fideicommissum relinquere: quia si testamentum faceret, licebat ei partem debitam solam relinquere. Qui intestatò decedit, & scit bona sua ad fiscum peruentura uacantia: fidei fisci committere potest. Apud Marcellum libro duodecimo Digestorum talis quæstio agitatur. Quidam ab eo, cui fundum legauerat, fideicōmiserat, ut eum fundum post mortem suam restitueret Sempronio. eiusdem legatarij fidei commiserat, ut Titio dāret centum. quæritur, quid iuris sit? & ait Marcellus. si Titio testator centum ex fructibus, quos uiuus legatarius perciperet, reliquisset: & legatarius post tantum temporis decessisset, ut ex fructibus centum fierent: Titium centum accepturum. si post

A rum.si post acceptum legatum cõfestim decessisset legatarius: Titij fideicommissum exstin/
gui:quia placet,nõ plus posse rogari quem restituere, quàm ei relictum esset. Sed & si Titij
fideicommissum non esset in tempus mortis legatarij collatum:ait Marcellus,confestim fi/
deicõmissum Titio dandum:sed cautione exacta,quanto amplius ceperit,reddi.quam cau/
tionem ita committi,si prius legatarius decesserit,quàm ex fructibus cẽtum perciperet. sed
uix est,ut legatarium ex reditibus uoluerit antè dare,quàm fructus percepisset. certè erit le/
gatarius audiendus,si uelit totum fundum præstare, si de restituendo caueatur. absurdum
enim est de suo eum præstare centum : maximè,si fundus centum,uel non multo pluris sit.
quo iure utimur. Si quid alicui licitè fuerit relictum, quod ipse quidem propter corporis
B sui uitium,uel propter qualitatem relicti,uel aliam quamcunq; probabilem caussam habe/
re non potuit,alius tamen habere potuit:quanti solet comparari,tantam æstimationem ac/
cipiet Vt quis hæredem instituat aliquem,rogari non potest.planè senatus censuit, perin
de habendum,atq; si rogasset hæreditatem restitui.Quid ergo,si hęres post mortem suam
rogatus fuerit hæreditatis suæ partem quartã restituere:uerius esse existimo,quod & Scæ/
uola notat, & Papyrius Fronto scribit : ualere fideicommissum , atque si de hæreditate sua
restituenda rogatus esset : & eatenus restituendam , quatenus hæreditas testatoris patere/
tur. Secundum uulgarem formam iuris, & si liberos suos emancipare rogatus fuerit
quis : non cogitur hoc facere. potestas enim patria inæstimabilis est. Aedes destruendæ
neque legari , neque per fideicommissum relinqui possunt. & ita senatus censuit. Si fi/
C deicommissum relictum fuerit seruo alieno sine libertate , & ad libertatem peruenerit : di/
cendum est , posse eum ad capiendum admitti. Diui Seuerus & Antoninus rescripse/
runt: eum , qui rogatus esset sub conditione fratris sui filijs restituere , ante diem fideicom/
missi cedentem , ne quidem ex uoluntate eorum posse restituere his in potestate patris a/
gentibus : cum possit die fideicommissi cedente sui iuris constitutis ipsis restitui , uel si ali/
quis ex his antè decesserit, non omnibus. Idem principes rescripserunt, filijs ante diem
fideicommissi uenientem restitui hæreditatem maternam necesse non esse, sed pręstare hę/
redem posse uulgarem cautionem:aut si eam præstare non poterit,mitti liberos in possessi/
onem fideicommissi seruandi caussa:ut pro pignore,non ut pro dominis possideant,nec ue
alienandi ius, sed ut pignus habeant: ut filius per patrem fructus cõsequatur,& seruus per
D dominum. Cum quis rogatus erit, si sine liberis decesserit, per fideicommissum restitue/
re:cõditio defecisse uidebitur, si patri superuixerint liberi : nec quæretur, an hæredes exsti/
terint. Diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, eorum qui in testamento uetant quid
alienari,nec caussam exprimunt,propter quam id fieri uelint:nisi inueniatur persona,cuius
respectu hoc à testatore dispositum sit:nullius esse momenti scripturam,quasi nudum præ/
ceptum reliquerint:quia talem legem testamento nõ possint dicere.Quod si liberis,aut po/
steris,aut libertis,aut hęredibus,aut alijs quibusdam personis consulentes,eiusmodi uolun
tatem significarent:seruandam eam esse. sed hæc neq; creditoribus, neque fisco fraudi esse.
nam si propter hęredis creditores testatoris bona uenierint: fortunam cõmunem fideicom
missarij quoq; sequuntur. Cum pater filio hærede instituto, ex quo tres habuerat nepo/
E tes,fideicommisisset,ne fundum alienaret,& ut in familia relinqueret:& filius decedens du/
os hæredes instituisset,tertium exhæredasset,eumq; fundum extraneo legasset: diui Seue/
rus & Antoninus rescripserunt , uerum esse , non paruisse uoluntati defuncti filium . sed &
si cum duos exhæredasset,unum hæredem instituisset, fundumq; extraneo legasset : putat
Marcellus posse exhæredatos petere fideicõmissum . quod euenit,& si uiuus filius emanci/
passet, & postea fundũ alienasset.sed si omnes filij hæredes instituti sint ex disparibus par/
tibus:non possunt petere fideicommissum ex minore parte scripti,ut uiriles,non hæredita/
rias partes in eo habeant. uerum est enim in familia reliquisse, licet uni reliquisset. Item
si unum hæredem instituisset, nec quidquam legasset : exhæredati nihil interim quandiu
in familia res est, petere possunt. Interdum etiam cum lucro hæredis moritur seruus le/
gatus, uel per fideicommissum relictus : ueluti si alienus, uel proprius (si tamen pluribus

separatim est ita relictus, ut unusquisque in solidum capiat) sine culpa hæredis mortuus sit. F

CXII. VLPIANVS.

ETIAM hoc modo, CVPIO VT DES, OPTO VT DES, CREDO TE DATVRVM, fideicómissum est. CXIII. FLORENTINVS.

LEGATVM est delibatio hæreditatis, qua testator ex eo, quod uniuersum hæredis foret, alicui quid collatum uelit. Hæredi à semetipso legatú dari non potest, à cohærede potest. itaque si fundus legatus sit ei, qui ex parte dimidia hæres institutus est, & duobus extraneis: ad hæredem, cui legatus est, sexta pars fundi pertinet: quia à se uindicare non potest, à cohærede uerò semissario, duobus extraneis concurrentibus, non amplius tertia parte. extranei autem & ab ipso hærede, cui legatum est, semissem: & ab alio hærede trientem uindicabút. G

Alienus seruus hæres institutus legari ipse à se, nec totus, nec pro parte potest. Seruo hæreditario rectè legatur, licet hæreditas adita non sit: quia hæreditas personæ defuncti, qui eam reliquit, nice fungitur. Fundus legatus talis dari debet, qualis relictus est. itaque siue ipse fundo hæredis seruitutem debuit, siue ei fundus hæredis: licet confusione dominij seruitus exstincta sit: pristinum ius restituendum est. & nisi legatarius imponi seruitutē patiatur: petenti ei legatum, exceptio doli mali opponetur. si uero fundo legato seruitus non restituetur: actio ex testamento superest. CXIIII. MARCELLVS.

SI QVID relictum sit ciuitatibus, omne ualet: siue in distributionem relinquatur, siue in opus, siue in alimenta, siue in eruditionem puerorum, siue quid aliud.

CXV. NERATIVS. H

ET EO modo relictum EXIGO, DESIDERO, VT DES, fideicómissum ualet. sed & ita, VOLO HAEREDITATEM MEAM TITII ESSE, SCIO HAEREDITATEM MEAM RESTITVTVRVM TE TITIO. CXVI. MARIANVS.

SI seruus uetitus est à testatore rationes reddere: nō hoc cōsequitur, ut nec quod apud eú sit, reddat & lucrifaciat: sed ne scrupulosa inquisitio fiat, hoc est, ut negligentiæ ratio nō habeatur, sed tantú fraudum. ideo & manumisso nō uidetur peculiú legari per hoc, quod uetitus est rationes reddere. CXVII. VLPIANVS lib. II. *Responsorú respondit.*

NIHIL proponi, cur prohibeatur hæres ædificia distrahere, è quorum reditu sportulæ sint relictæ: salua tamen caussa legati. Omnibus quibus fideicommissum relictum est, ad distractionem cōsentientibus, nullam fideicómissi petitionem superfuturam. Fructus ex fundo purè legato post aditam hæreditatem à legatario perceptos ad ipsum pertinere: colonum autem cum hærede ex conducto habere actionem. I

CXVIII. MARTIANVS.

SI QVIS legauerit Titio cum Mæuio: & sine altero alter ad legatum admittitur. nam & cum dicit prætor, VENTREM CVM LIBERIS IN POSSESSIONEM ESSE IVBEO: & si non sint liberi, uenter in possessionem mittetur.

CXIX. PAVLVS.

CIVITATIBVS etiam legari potest, quod ad honorem ornatumque ciuitatis pertineat. ad ornatum: pută quod ad instruendum forum, theatrum, stadium legatum fuerit. ad honorem: pută quod ad ēdēdum munus, uenationem, ludos scenicos, ludos Circenses: aut quod ad diuisionem singulorum ciuiú, uel epulum relictum fuerit. hoc amplius, quod in alimenta ætatis infirmæ (pută senioribus, uel pueris, puellisque) relictum fuerit: ad honorem ciuitatis pertinere uidetur. LVCIVS TITIVS ET CAIVS SEIVS PVBLIO MAEVIO DECEM DARE DAMNAS SVNTO, Caius Seius hæres non exstitit. Sabinus ait, Titiú solum legatú debiturum. nam Seium pro non scripto habendú esse. hæc sentétia uera est. Eum, cui sub conditione fundus legatus est, si centum hęredi dedisset: si tantum sit in precio fundi, quantum hæredi dare iussus est: non est cogendus legatarius fideicommissum à se relictum prestare: quoniam nihil ex testamento uidetur capere, qui tantum erogat, quantum accipit. K

CXX. MARCELLVS.

LVCIVS Titius cum duos filios hæredes relinqueret, testamento ita cauit, QVISQVIS

MIHI

A MIHI LIBERORVM MEORVM HAERES ERIT, EIVS FIDEI COMMITTO, VT SI QVIS EX HIS SINE LIBERIS DECEDAT, HAEREDITATIS MEAE BESSEM, CVM MORIETVR, FRATRIBVS SVIS RESTITVAT. frater decedens fratrem ſuum ex dodrante fecit hæredem. quæro, an fideicõmiſſo ſatisfecerit? Marcellus reſpondit. id quod ex teſtamento Lucij Titij fratri teſtator debuiſſet, pro ea parte, qua alius hęres exſtitiſſet, peti poſſe: niſi diuerſum ſenſiſſe eum probaretur. nam parum inter hanc ſpeciem intereſt, & cum aliâs creditor debitori ſuo hæres exſtiterit. ſed planè audiendus erit cohęres, ſi probare poſſit, ea mente teſtatorem hæredem inſtituiſſe fratrem ſuum, ut contentus inſtitutione fideicõmiſſo abſtinere deberet. In teſtamento ita ſcriptum eſt. CAIO SEIO ILLVD ET ILLVD HAERES
B MEVS DATO. ET TE SEI ROGO, FIDEIQVE TVAE MANDO, VTI EA OMNIA, QVAE SCRIPTA SVNT, REDDAS SINE VLLA MORA, ET REDDAS IPSE. Quæro, an tacitum fideicommiſſum ſit: cum perſonam teſtator, cui reſtitui uellet, teſtamento nõ ſignificauerit? Marcellus reſpondit ſi in fraudem legum tacitam fidem Seius accõmodaſſet: nihil ei prodeſſe. ſi his uerbis paterfamiliâs cum eo locutus eſſet. non enim ideo circumueniſſe minus leges exiſtimandum eſſe: cum perinde incertum ſit, cui proſpectum uoluerit.

CXXI. NERATIVS.

SI HAEredes nominatim enumerati dare quid damnati ſunt: propius eſt, ut uiriles partes debeant: quia perſonarum enumeratio hunc effectũ habet, ut exequentur in legato pręſtando. quod ſi nominati non eſſent: hæreditarias partes debituri ſunt.

C CXXII. IVLIANVS.

SI hæres centum præcipere iuſſus ſit, & reſtituere hæreditatem, & patronus bonorũ poſſeſſionem cõtra tabulas petierit: ſicut legata, ita & præceptio pro parte, quam patronus abſtulit, minuetur.

CXXIII. PAVLVS.

AB exhęredati ſubſtituto inutiliter legatũ datur. ergo nec à legitimo exhęredati fideicõmiſſum dari poterit: quod & legitimi eo iure pręſtare cogũt, quaſi ſcripti fuiſſent. Sed ſi cõmittẽte aliquo ex liberis in edictum prætoris, quo cõtra tabulas bonorũ poſſeſſionem pollicetur, ſcriptus quoq; filius contra tabulas bonorum poſſeſſionem petierit: ſubſtitutus eius legata pro modo patrimonij, quod ad filium peruenit, præſtabit: perinde ac ſi id, quod per bonorum poſſeſſionem filius habuit, à patre accepiſſet. Cum à poſthumo ita lẽgetur, SI
D HAERES ERIT, & non nato poſthumo, ſubſtituti adeant: legata eos debere exiſtimandum eſt, quæ ille, ſi uiueret, debiturus erat.

CXXIIII. IDEM.

A FRATRIS poſthumo fideicommiſſum dari poteſt. ſola enim uoluntas ſeruatur in fideicommiſſis. & obtinuit ſententia Galli, alienos quoq; poſthumos legitimos nobis hæredes fieri.

CXXV. MARTIANVS.

SI TVTOR pupillam ſuam cõtra ſenatuſconſultũ uxorẽ duxit: illa quidem ex teſtamento eius capere poteſt, ipſe autem nõ poteſt. & meritò. delinquũt enim, qui prohibitas nuptias cõtrahũt, & meritò puniẽdi ſunt. quod imputari nõ poteſt mulieri, quę à tutore decepta eſt.

E

DIGESTORVM SEV PANDECTARVM LIBER TRICESIMVS PRIMVS.

DE LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS, LIB. II.

I. VLPIANVS.



IN ARBITRIVM ALTERIVS CONFERRI LEGATVM, VELVTI CONditio, poteſt. Quid enim intereſt, SI TITIVS IN CAPITOLIVM ASCENDERIT mihi lẽgetur, an SI VOLVERIT? Sed cum ita legatum ſit pupillo ſiue pupillæ, ARBITRIO TVTORVM: neq; conditio ineſt legato, neq; mora: cum placeat, in teſtamentis legatum in alterius arbitrium collatum

pro uiri

pro uiri boni arbitrio accipi. quæ enim mora est in boni uiri arbitrio, quod iniequod inie<?>ctum lega/ to uelut certam quantitatem exprimit, pro uiribus uidelicet patrimonij. F

II. PAVLVS.

QVOTIES nominatim plures res in legato exprimuntur, plura legata sunt. si autem sup/pellex, aut argentum, aut peculium, aut instrumentum legatum sit: unum legatum.

III. IDEM.

SI ITA legetur, HAERES DARE DAMNAS ESTO, SI IN CAPITOLIVM NON ASCENDERIT: utile legatum est, quamuis in potestate eius sit, ascendere, uel non ascendere.

IIII. IDEM.

NEMINEM eiusdem rei legatæ sibi partem uelle, & partem nolle, uerius est. G

V. IDEM.

SED DVObus legatis relictis: unum quidem repudiare, alterum uerò amplecti posse, re/spondetur. Sed si unum ex legatis onus habeat, & hoc repellatur: non idem dicendum est. pone eum, cui decem, & Stichus legatus est, rogatum seruum manumittere. si Falcidia locũ habet: ex decem utriusq; legati quarta deducetur. Igitur repudiato seruo, non euitabitur o/nus deductionis: sed legatarius ex pecunia duas quartas relinquet.

VI. IDEM.

GREGE autem legato non possunt quædam sperni, quædam uindicari: quia non plura, sed unum legatum est. Idemq; dicemus peculio legato, aut ueste, aut argento, & similibus.

VII. IDEM.

SI TITIO & ei, qui capere non potest, decem legata sint: quia duobus hæres dare dam/natur, & unus capere non potest: quinq; sola Titio dantur. H

VIII. IDEM.

SI QVIS seruum hæredis uel alienum legasset, & is fugisset: cautiones interponẽdæ sunt de reducendo eo. & si quidẽ uiuo testatore fugerit: expensis legatarij reducitur. si post mor/tem: sumptibus hæredis. Si ita legetur, SEMPRONIO DECEM, AVT SI NOLVERIT, STICHVM HOMINEM LEGO: hoc casu duo legata sunt, sed uno contentus esse debet. Si quis legauerit, EX ILLO DOLIO AMPHORAS DECEM: & si non decem, sed pauciores inueni/ri possint: nõ extinguitur legatum, sed hoc tantummodo accipit, quod inuenitur. Si inter duos dubitetur de eodem legato, cui potius dari oporteat: utputà si Titio relictũ sit, & duo eiusdem nominis amici testatoris ueniant, & legatum petant, & hæres soluere paratus sit, I deinde ambo defendere hæredem parati sint: eligere debere hæredem, cui soluat, ut ab eo defendatur, constat. Certam pecuniam legatam si & legatarius & substitutus legatarij pe/tat, & hæres soluere paratus sit: si ambo defendere hæredem sunt parati: eligere debet hæ/res, cui soluat, ut ab eo defendatur. & si neutrius manifesta calumnia uideatur: ei potius sol/uendum, cui primum legatum est. Si cui certam partem hæreditatis legauero: diuus Ha/drianus rescripsit, ut neq; precia manumissorum, neq; funeris impensa deduceretur.

IX. MODESTINVS.

CVM AVTem pars bonorũ ita legatur, BONORVM MEORVM, QVAE SVNT, CVM MORIAR: & manumissorum precia de medio deducenda sunt. K

X. LABEO.

CVM FVNDVS nominatim legatus est, si quid ei post testamentum factum adiectum sit: id quoq; legato cedit, etiam si illa uerba adiecta non sint. QVI MEVS ERIT: si modo testa/tor eam partem non separatim possedit, sed uniuersitati prioris fundi adiunxit.

XI. POMPONIVS.

STATVLiberum ab hærede ne tunc quidem, cum dubia eius sit ex testamento libertas, legatũ sine libertate accipere posse, Labeo ait: quia seruus eius esset. sed si hęres eandẽ cõdi/tionem legato inferat, quæ libertati à testatore data proposita fuerit: ualet legatum. nam & si cum moreretur hæres, seruus liber esse iussus esset: rectè sine libertate ei ab hærede legari posse constitit: quod superuacuũ sit ei libertatẽ dare, quam ex testamẽto hæredis capturus non sit.

A non sit, sed testatoris. STICHVM AVT PAMPHILVM VTRVM HAERES MEVS VOLET, TITIO DATO: DVM VTRVM VELIT DARE, EO DIE, QVO TESTAMENTVM MEVM RECITATVM ERIT, DICAT. si non dixerit hæres, Stichum an Pamphilum dare malit: perinde obligatum eum esse puto, ac si Stichum aut Pamphilum dare damnatus esset, utrum legatarius elegerit. si dixerit se Stichum dare uelle: Sticho mortuo liberari eum. si ante diem legati cedentē alter mortuus fuerit: alter, qui supererit, in obligatione manebit. Cũ autem semel dixerit hæres, utrum dare uelit: mutare sententiam non poterit. & ita etiam Iuliano placuit. XII. PAVLVS.

B SI PECUNIA legata in bonis legantis non sit, soluendo tamen hæreditas sit: hæres pecuniam legatam dare compellitur: siue de suo, siue ex uenditione rerum hæreditariarum, siue unde uoluerit. Quod ita legatũ est, HAERES, CVM MORIETVR, LVCIO TITIO DATO DECEM: cum incerta die legatum est, ad hæredes legatarij non pertinet, si uiuo hærede decesserit. XIII. POMPONIVS.

QVI duos reos eiusdē pecuniç habebat, Titiũ atque Mæuiũ, ita legauit. QVOD MIHI TITIVS DEBET, MAEVIO HAERES MEVS DATO: QVOD MAEVIVS, SEIO DATO. his uerbis onerat hęredē. nã cũ actiones suas hæres Mæuio pręstiterit aduersus Titiũ uidetur Męuius facto eius liberatus esse, & idcirco Seio hæres tenebitur. *Si is, qui unũ reum habebat, quod is sibi deberet, duobus in solidũ separatim legasset: oneratur hæres duobus satisfacere, uni actionē cedendo, alteri pecuniã soluendo.* XIIII. PAVLVS.

C SI IDEM seruus & legatus & liber esse iussus sit: fauor libertatis præualet. sin autem & in posteriore scriptura legatus est, & euidens ademptio libertatis ostenditur: legatum propter defuncti uolun̄tatem præualebit. *Seruo alieno hærede instituto, post mortem domini eius cui adquisita hæreditas esset, & libertatem fideicommissariam dari posse constat.*

XV. CELSVS.

SI QVIS duobus hæredibus institutis ita legauerit, STICHVM AVT DECEM HAEREDES DANTO: non potest alter hæredum quinque, alter partem Stichi dare: sed necesse est utrunque, aut Stichum totũ, aut decē soluere. XVI. IDEM.

SI TITIO aut Seio, utri hæres uellet, legatum relictum est: hæres alteri dando, ab utroque liberatur. si neutri dederit: uterque perinde petere potest, atque si ipsi soli legatum foret. nam

D ut stipulando duo rei constitui possunt, ita & testamento potest idem fieri.

XVII. MARCELLVS.

SI QVIS Titio decē legauerit, & rogauerit, ut ea testituat Mæuio, Mæuiusque fuerit mortuus: Titij commodo cedit, non hæredis: nisi si duntaxat ut ministrum Titium elegit. idem est, & si ponas usumfructum legatum. *Si hæres damnatus esset decem uni ex libertis dare, & non constiterit, cui daret: hæres omnibus eadem decem præstare cogendus est.*

XVIII. CELSVS.

HAEREDEM meum ita tibi obligare possum, ut si quandoque, cum ego moriar, tuus seruus Stichus non erit, dare eum tibi damnãs sit.

XIX. IDEM.

E SI IS, cui legatus sit Stichus aut Pamphilus, cum Stichum sibi legatum putaret, uindicauerit: amplius mutandæ uindicationis ius nõ habet. nanque & si damnatus hæres alterutrũ dare, Stichum dederit, cum ignoraret sibi permissum, uel Pamphilum dare: nihil repetere poterit. XX. IDEM.

ET PROCULO placebat, & à patre sic accepi: quod seruo communi legatum sit, si alter dominorum omitteret, alteri non adcrescere. non enim coniunctim, sed partes legatas. nam si ambo uindicarent, eam quenque legati partem habiturum, quam in seruo haberent.

XXI. IDEM.

CVM quidam uxori suæ dotem reddidisset, & quadraginta ei legare uoluisset: & quanquam sciret dotem redditã, hoc tamen prætextu usus esset, quasi dotis reddendæ nomine eam summã legaret: existimo deberi quadraginta. etenim uerbum reddendi, quanquã significationem

gnificationem habeat retrò dandi,recipit tamen & per se dandi significationem.

XXII. IDEM.

LVCIVS Titius in testamēto suo Publio Mæuio militiam suam reliquit, siue pecuniam quæcunque redigi ex uenditione eius potuerit, cum suis commodis. sed cum superuixisset testamento Lucius Titius,militiam uēdidit,& precium exegit, & hoc dedit ei, cui militiam illam,uel precium eius,testamento dari uoluerat. post mortem Lucij Titij iterum Publius Mæuius uel militiam,uel precium eius ab hæredibus Lucij Titij exigebat. CELSVS. existimo precium militiæ præstari non oportere:nisi legatarius ostenderit,testatorem & post factam solutionem iterum eum precium militiæ accipere uoluisse.quod si nō totum precium militiæ,sed partem uiuus testator legatario dedit: reliqui superesse exactionem, nisi hæres ab hoc recessisse testatorem ostenderit. onus enim probandi mutatam esse uoluntatem defuncti ad eum pertinet,qui fideicommissum recusat. G

XXIII. MARCELLVS.

LVCIO TITIO FVNDVM SEIANVM,VEL VSVMFRVCTVM FVNDI SEIANI LEGO. potest legatarius uel fundum uindicare,uel fructum.quod facere non potest is,cui tantum fundus legatus est.

XXIIII. VLPIANVS.

CVM quidam ita fideicommissum reliquisset, ROGO, RESTITVAS LIBERTIS MEIS, QVIBVS VOLES. Marcellus putauit,hæredem posse etiā indignum præferre.at si ita, HIS, QVOS DIGNOS PVTAVERIS:petere posse ait eos,qui non offenderint.Idem ait, si neminem eligat: omnes ad petitionem fideicommissi admitti uideri, quasi iam præsente die dātum sit,cum sic relinquantur, nec ulli offerat.planè si cæteri defuncti sunt: superstiti dandū, uel hæredi eius,si prius,quàm peteret,decessit. Scæuola autē notat. si omnes petere potuerunt,cum nulli offertur:cur non & qui decesserunt,ad hæredem transmiserunt?utique,si uno petente,iam eligere non potest, cui det? uidetur enim Marcello, cum fideicōmissum ita relinquitur,EX LIBERTIS, CVI VOLVERIS, nisi offerat hæres,cui uelit, & statim offerat, sine aliquo scilicet interuallo:statim competere omnibus petitionem. cum omnibus igitur competat: meritò notatus est, cum superstiti soli putarit dandum. nisi fortè antè, quàm iustum tempus prætereat,quo potuit eligere,cui potius offerat:cæteri decesserint. H

XXV. MARCELLVS.

SI TAmen quibusdam absentibus præsentes petant,cum pręsente die relictum sit fideicommissum:caussa cognita statuendum est explorandumque,an & alij sint petituri. I

XXVI. IDEM.

IS cvius in seruo proprietas erat,fructuario hęrede instituto,alicui eum seruum legauit. non potest hæres doli mali exceptione uti, si legatarius uindicare seruum uelit, non relicto hæredi usufructu.

XXVII. CELSVS.

SI ILLVD aut illud legatum sit,unum legatum est.) si sub contrarijs conditionibus aliud atque aliud legatum est:unum legatum esse arbitramur:neque refert,hęredum & eorum,quibus legatum est diuersas personas esse. ueluti si ita legatum est, SI NERVA CONSVL FACTVS ERIT, TITIVS HAERES ATTIO DET FVNDVM. SI NON ERIT NERVA CONSVL FACTVS, SEIVS HAERES MAEVIO CENTVM DATO.

XXVIII. MARCELLVS. K

CVM patronus ex debita parte institutus, fideicommissum relictum ab eo præstare nō cogatur:si omiserit institutionem: utrum qui eam partem uindicat, eodem modo retinere, an uerò præstare debeat fideicommissum? & magis est,deberi fideicommissum: quoniam quod illius personæ præstatur,hoc nequaquam ad alium pertinere debet.

XXIX. CELSVS.

PATER meus referebat. cum esset in consilio Ducennij Veri consulis, itum in sententiā suam:ut cum Otacilius Catullus,filia ex asse hærede instituta, liberto ducenta legasset, petissetque ab eo,ut ea concubinæ ipsius daret: & libertus uiuo testatore decessisset: & quod ei relictum erat,apud filiam remansisset:cogeretur filia id fideicommissum concubinę reddere. Quod

A re. Quod alicuius hæredis fidei nominatim quis committit: potest uideri ita demum dari uoluisse, si ille exstitisset hæres. Vnde si filio heredi pars eius, à quo nominatim legatũ est, adcrescit: non præstabit legatum, quod iure cadit.

XXX. IDEM.

QVA EDAM in testamento ita scripsit. REIPVBLICAE GRAVISCANORVM LEGO IN TVTELAM VIAE, QVAE EST IN COLONIA EORVM, VSQVE AD VIAM AVRELIAM. quæsitum, an hoc legatum ualeat? Iubentius Celsus respondit. propemodum quidem imperfecta est hæc scriptura IN TVTELAM VIAE: quia summa scripta non est. potest tamen uideri tanta summa legata, quanta ei rei sufficiat: si modo non appareat aliam fuisse defun-

B cti uoluntatem, aut ex magnitudine eius pecuniæ, aut ex mediocritate facultatum, quas testatrix reliquit. tunc enim officio iudicis secundum ęstimationem patrimonij & legati quantitas definiri potest.

XXXI. MODESTINVS.

SI QVIS quos non poterat manumittere, legauit, ut manumitterentur, nec legatum, nec libertas ualet. XXXII. IDEM.

OMNIA, quæ testamentis sine die uel conditione adscribuntur: ex die aditę hæreditatis præstantur. Fundum ante conditionem completam ab hærede non traditum, sed à legatario detẽtum, hæres uindicare cum fructibus poterit. Cũ ita legatur, ILLI HOC AMPLIVS FVNDVM ILLVM CVM OMNIBVS REBVS, QVAE IN EODEM FVNDO ERVNT:

C mancipia quoq; continentur.

XXXIII. IDEM.

CVM ita lẽgatur, QVIDQVID IN HORREO MEO ERIT: & is, cui legatum est, ex rebus non legatis, ignorante eo, ampliãdi legati sui gratia in horreum intulerit: quod illatum est, non uidetur esse legatum. Quod à legatario petitum erat, ut alij restitueret: si legatarius decedat hæres quoq; eius id, quod legatum est, prę́stare debebit. Species nominatim legatæ si non reperiantur, nec dolo hæredis deesse probentur: peti ex eodem testamento non possunt. In fideicommisso, quod familię relinquitur, hi ad petitionem eius admitti possunt, qui nominati sunt: aut post eos omnes extinctos, qui eo nomine fuerint eo tempore, quo testator moreretur, & qui ex his primo gradu procreati sint: nisi specialiter defunctus

D ad ulteriores uoluntatem suam extenderit.

XXXIIII. IDEM *lib. IX. Responsorum respondit.*

LEG ATORUM petitio aduersus hæredes pro partibus hæreditarijs competit: nec pro his qui soluendo non sunt, onerari cohæredes oportet. Qui plures hæredes instituit testamento, à quibusdam nominatim reliquit legata. postea codicillos ad omnes hæredes scripsit. quæro, quę legata debeantur? Modestinus respondit. cum manifestè testator testamento expresserit, à quibus hæredibus legata præstari uellet: licet codicillos ad omnes scripserit: apparet tamen ea, quæ codicillis dedit, ab his præstanda esse, quos munere fungi debere testamento suo ostendit testator.

XXXV. IDEM.

E TITIA cum testamento facto decederet, hæredibus institutis Mæuia & Sempronio filijs suis ex æquis partibus, petijt à Mæuia, ut Stichum seruum suum manumitteret in hæc uerba: À TE AVTEM MAEVIA FILIA CHARISSIMA PETO, VT STICHVM SERVVM TVVM MANVMITTAS, CVM IN MINISTERIVM TVVM TOT CAPITA SERVORVM TIBI HIS CODICILLIS LEGAVERO, nec legauit, quæro, quid his uerbis relictũ uideatur: cum (ut suprà comprehensum est, duobus hæredibus institutis defunctam testatricem, & mancipia hæreditaria duarum personarum fuisse) & codicillis nihil relictũ sit de prę́standis mancipijs, nec possit utile fideicommissum putari, quod datum non sit: cum & legasse se dixerit, nec adiecerit speciem legati, nec ab hærede uti præstarẽtur mancipia, petierit? Modestinus respondit. ex uerbis consultationi insertis Mæuiam neq; legati neq; fideicommissi petitionem habere, neq; libertatem seruo suo dare compelli. Lucius Titius in testamento suo

ita cauit. Ὀκταβιαὴ σεκτονίκῃ τῇ γλυκυτάτῃ μου θυγατρὶ χαίρειν. Βούλομαι αὐτὴν τὸ F ἑαυτῇ λαβεῖν χωρίον Γάζαν σὺν ταῖς ἐνθήκαις αὐτοῦ πάσαις. Ὀκταβιανῷ Ἀλεξάνδρῳ τῷ γλυκυτάτῳ μου υἱῷ. ἐξαίρετον βούλομαι αὐτὸν τὸ ἑαυτοῦ λαβεῖν σύγκτησιν ἀμμοφόρον Κομιαίλω, σὺν αἷς ἔχει, ἐνθήκαις πάσαις. quæro, an huiusmodi scriptura intĕgrum prædium singulis datum esse uideatur: an uero partem hæreditariam duntaxat contineat, cum inutiliter à seipso quenquam eorum, quam habebat partem, accipere uoluerit. Modestinus respõdit. non sic interpretandam scripturam, de qua quæritur, ut fideicommissum inutile fiat. Itẽ quæro, si intĕgrum prædium relictum esse uideatur: an precium portionis fratri & cohæredi soluendum sit: ut hoc ipso, quod à semetipso accipere pręcepit, precio illato intĕgrum eũ habere uoluerit. Idem respondit, ad solutionem precij fideicommissarium minimè compellendum. G Lucia Titia intestata moriens, à filijs suis per fideicommissum alieno seruo domum reliquit. post mortem filij ijdemq; hæredes cum diuiderent hæreditatem matris, diuiserunt etiam domum. in qua diuisione dominus serui fideicommissarij quasi testis adfuit. quæro, an fideicommissi persecutionem acquisitam sibi per seruum, eo quod interfuit diuisioni, amisisse uideatur. Modestinus respondit. fideicommissum ipso iure amissum non esse, quod ne repudiatum quidem uideri potest. sed nec dominum per doli exceptionem submoueri: nisi euidenter apparuerit, omittendi fideicommissi caussa hoc fecisse. Caius Seius cum domum haberet, & in prætorium uxoris suæ se contulisset, quasdam res de domo sua in idem prætorium transtulit: ibiq; post multos dies decedens, testamento uxorem suã hæredem & alios complures reliquit. quo testamento significauit uerba, quæ infrascripta sunt. H IN PRIMIS SCIANT HAEREDES MEI, NVLLAM PECVNIAM ESSE PENES VXOREM MEAM, SED NEC ALIVD QVIDQVAM. IDEO QVE EAM HOC NOMINE INQVIETARI NOLO. quæro, an ea, quæ uiuo eo in prætorium uxoris eius translata sunt, communi hæreditati uindicari possint: & an secundum uerba testamenti præscribi cohæredibus possit à parte uxoris defuncti. Modestinus respondit. si ea, quæ de domo sua in prætoriũ uxoris defunctus transtulit, præcipua ad eam pertinere uoluit: nihil proponi, cur uoluntati ipsius testatoris standum non sit. necesse igitur habet mulier, talem fuisse testatoris uoluntatẽ ostendere. quod nisi fecerit: in hæreditatem mariti eius & hæc remanere oportet. Si ea cõditione liberto fideicommissum relictum est, ne à filijs eius recederet: & per tutores factum est, quò minus conditionem impleret: iniquum est eum, cum sit inculpatus, emolumento fideicommissi carere. I Qui inuita filia de dote egerat, decessit eadem illa exhæredata, filio hærede instituto: & ab eo fideicommissum filię dotis nomine reliquit. quæro, quãtum à fratre mulier consequi debeat. Modestinus respondit (quod in primis est) nõ esse consumptã de dote actionem mulieri: cum patri suo non consenserit, utiq; non ignorans. Sic autẽ res explicatur: ut siquidem maior quantitas in priore dote fuerit: illius petitione sit tantummodo mulier contenta. quod si in summa dotis nomine legata amplius sit, quàm in dote principali: compensatio fiat usq; ad eandem summam, quæ cõcurrit: & id tantummodo, quod excedet in sequenti summa, ex testamẽto consequatur. non est enim uerisimile, patrẽ duplici præstatione dotis filium eundemq; hæredem onerare uoluisse: præsertim cum putauerit se efficaciter (licet non consentiente filia) instituisse aduersus generum de dote actionẽ. K Lucius Titius, relictis duobus filijs suis hæredibus diuersi sexus institutis, addidit caput generale, ut legata & libertates ab his hæredibus suis præstarentur. quadã tamẽ parte testamẽti à filio petijt, ut omne onus legatorũ in se susciperet in hunc modũ. QVAECVNQVE IN LEGATIS RELIQVI, VEL DARI PRAECEPI: AB ATTIANO FILIO MEO ET HAEREDE DARI PRAESTARIQVE IVBEO. deinde subiecit in pręceptione relinquenda filiæ suæ hæc uerba. PAVLINAE DVLCISSIMAE FILIAE MEAE SI QVAE ME VIVO COMPARAVI, DEDI, SIBI HABERE IVBEO: CVIVS REI QVAESTIONEM FIERI VETO: ET PETO A TE FILIA CHARISSIMA, NE VELIS IRASCI, QVOD AMPLIOREM SVBSTANTIAM FRATRI TVO RELIQVERIM, QVEM SCIS MAGNA ONERA SVSTENTVRVM, ET LEGATA QVAE SVPRA FECI, PRAESTATVRVM. quæro, an his extremis uerbis, quibus

cum

A cum filia sua in testamento pater locutus est, effectum uideatur, ut hæreditarijs actionibus omnibus filium suum onerarit: an uero iam solum propter onus legatorum allocutus esse uideatur, petitiones autem hæreditariç in utrunque hæredem creditoribus dari debeant? Modestinus respondit: ut actiones creditorum filius solus excipiat, iussisse testatorem non proponi. Titia, cum nuberet Caio Seio, dedit in dotem prædia, & quasdam alias res postea decedens codicillis ita cauit. Γάιον σήιον τὸν ἄνδρα μου παρακατατίθεμαί σοι, ὦ θύγατερ, ᾧ βούλομαι δοθῆναι εἰς βίον χρῆσιν καὶ ἐπικαρπίαν, κατοχὴν κώμης Ναυλόχων, ἣν ἐμβαλε δέδωκα εἰς προῖκα σὺν σώμασι τοῖς ἐμφερομένοις τῇ προικὶ· καὶ παρὰ μηδὲν ἐνοχληθῆναι αὐτὸν περὶ τῆς προικός. ἴσασι γὰρ μετὰ τελευτὴν αὐτοῦ σὰ καὶ τῶν τέκνων σου. præterea alia multa
B eidem marito legauit, ut quàmdiu uiueret, haberet. quęro, an propter hæc, quæ codicillis ei extra dotem relicta sunt, possit post mortem Cai Seij ex caussa fideicommissi petitio filiæ & hæredi Titiæ competere & earum rerum nomine, quas in dotem Caius Seius accepit? Modestinus respondit, licet non ea uerba proponantur, ex quibus filia testatricis fideicommissum à Caio Seio, postquam præstiterit, quæ testamento legata sunt, petere possit: tamen nihil prohibet propter uoluntatem testatricis post mortem Caij Seij fideicommissum peti.

XXXVI. IDEM *lib. XVII. Responsorum respondit.*

LEGATIS uxori ijs, quæ usus eius caussa parata sunt: eos seruos ad eam non pertinere, qui non proprij ipsius, sed communis usus caussa parata sint.

C XXXVII. IDEM.

LEGA tum est donario testamento relicta.

XXXVIII. PAPINIANVS.

QVI testamento inutiliter manumissus est, legari eodem testamento patest: quia toties efficacior est libertas legato, quoties utiliter data est.

XXXIX. IDEM.

QVOD seruus legatus ante aditam hæreditatem adquisiuit, hæreditati adquirit.

XL. IDEM.

SI areę legatæ post testamentum factum ædificium impositum est: utrunque debebitur & solum, & superficies.

D XLI. IDEM.

SI duobus seruis meis eadem res legata est, & alterius serui nomine ad me eam pertinere nolo: totum ad me pertinebit: quia partem alterius serui per alterum seruum adquiro perinde, ac si meo & alterius seruo esset legatum.

XLII. MODESTINVS.

MAEVIO FVNDI PARTEM DIMIDIAM, SEIO PARTEM DIMIDIAM LEGO EVNDEM FVNDVM TITIO LEGO. si Seius decesserit, pars eius utriq; adcrescit: quia cum separatim, & partes fundi, & totus legatus sit: necesse est, ut ea pars, quæ cessat de portione legati, cuiq; eorum, quibus fundus separatim legatus est, adcrescat.

A me hærede uxori meæ ita legatū est, QVIDQVID PROPTER TITIAM AD SEIVM
E DOTIS NOMINE PERVENIT: TANTAM PECVNIAM SEIVS HAERES MEVS DET TITIAE. quæro, an deductiones impensarum fieri possint, quæ fierent, si de dote ageretur? respondi, non dubito, quin uxori tuę (quod ita legatum sit, A' TE HAERES PETO, QVIDQVID AD TE PERVENIT, VT TANTVM EI DES) tota dos sine ratione deductionis impensarum mulieri debeatur. non autem idem ius seruari debet ex testamento extranei, quod seruatur in testamento uiri, qui dotem uxori legauit. hic enim taxationis loco habendum est, QVIDQVID AD TE PERVENIT: illic autem, ubi uir uxori legat, id uidetur legare, quod in iudicio dotis conseruatura fuit.

XLIII. IDEM.

CVM ei, qui partem capiebat, legatū esset, ut alij restitueret: placuit solidū capere posse.

XLIIII. POMPONIVS.

Si ita relictum fuerit, QVANTVM HAERES MEVS HABEBIT, TANTVM TITHASO DARI VOLO: pro eo eſt, quaſi ita ſit ſcriptum, quantum omnes hæredes habebunt. Quod ſi ita fuerit, QVANTVM VNVS HAERES HABEBIT, TANTVM TITHASO HAEREDES MEOS DARE VOLO: minor pars accipienda erit, quæ uenit in legato. Pegaſus ſolitus fuerat diſtinguere: ſi in diem fideicommiſſum relictum ſit, ueluti poſt annos decem: intereſſe, cuius cauſſa tempus dilatum ſit: utrum'ne hæredis, quo caſu fructum hæres retinere deberet: an legatarij, ueluti ſi in tempus pubertatis ei, qui impubes ſit, fideicommiſſum relictum ſit. tunc enim & fructus præſtandos & antecedentis temporis & hæc ita intelligenda ſunt. ſi non nominatim adiectum eſt, ut cum incremento hæres fideicommiſſum præſtet. Si ita ſcriptum ſit, DECEM AVT QVINDECIM HAERES DATO: pro eo eſt. ac ſi decē ſola legata ſint. at ſi ita ſit, POST ANNVM, AVT POST BIENNIVM, QVAM EGO DECESSERO, HAERES DATO: poſt biennium biennium uidetur legatum: quia hæredis eſt poteſtas in eligendo. F G

XLV. IDEM.

Si pluribus hæredibus inſtitutis ita ſcriptū ſit, HAERES MEVS DAMNAS ESTO DARE AVREOS QVINQVE: non quilibet hæres, ſed omnes uidebuntur damnari, ut unà quinque dēt. Si ita legatū fuerit, LVCIVS TITIVS HAERES MEVS QVINQVE AVREOS TITHASO DARE DAMNAS ESTO: deinde alio loco ita, PVBLIVS MAEVIVS HAERES MEVS TITHASO QVINQVE AVREOS DARE DAMNAS ESTO: niſi Titius oſtenderit, adimēdi cauſſa id à Publio Mæuio legatum eſſe relictum: quinos aureos ab utroque accipiet. H

XLVI. IDEM.

Si ita ſcriptum ſit, FILIABVS MEIS CENTVM AVREOS DO: an & maſculini generis & fœminini liberis legatum uideatur? nam ſi ita ſcriptū eſſet, FILIIS MEIS HOSCE TVTORES DO: reſponſum eſſet, etiam filiabus tutores datos eſſe. quod nō eſt ex contrario accipiendū, ut filiarum nominé etiam maſculi contineantur exemplo enim peſſimum eſt, fœminino uocabulo etiam maſculos contineri. Si ſub conditione, uel ex die certa nobis legatum ſit: antè conditionem, uel diem certum repudiare non poſſumus. nam nec pertinet ad nos, antè quàm dies ueniat, uel conditio exiſtat. Si pater filię ſuę teſtamento aureos tot hęredē dare iuſſerit, ubi ea nupſiſſet: ſi filia nupta ſit, cum teſtamentū ſit, ſed abſente patre & ignorante: nihilominus legatum debetur. ſi enim hoc pater non ignorabat: uidetur de alijs nuptijs ſenſiſſe. I

XLVII. SCAEVOLA.

Si ſcripſiſſet, qui legabat, QVIDQVID MIHI LVCIVM TITIVM DARE FACERE OPORTET, SEMPRONIO LEGO, nec adiecisset PRAESENS IN DIEMVE: non dubitarem (quantū ad uerborum ſignificationem attinet) quin ea pecunia comprehenſa non eſſet, cuius dies moriente eo, qui teſtamentum feciſſet, nondum ueniſſet. adijciēdo autem hæc uerba PRAESENS IN DIEMVE: apertè uidetur mihi oſtendiſſe, eam quoque ſi pecuniam legare uoluiſſe.

XLVIII. IDEM.

Sempronius Proculus nepoti ſuo ſalutem. Binæ tabulæ teſtamenti eodem tempore exemplarij cauſſa ſcriptæ (ut uulgo fieri ſolet) eiuſdem patrisfamiliás proferuntur. in alteris cētum. in alteris quinquaginta aurei Titio legati ſunt. quæro, utrum centum & quinquaginta aureos, an centū dūtaxat habiturus ſit? Proculus reſpōdit. in hoc caſu hæredi parcendū eſt. ideoque utrunque legatum nullo modo debetur, ſed tantummodo quinquaginta aurei. K

XLIX. IDEM.

Licinius Lucuſta Proculo ſuo ſalutem. cum faciat conditionem in releganda dote, utrum mallet uxor mancipia, quæ in dotem dederat, quàm pecuniam numeratam recipere: & ſi ea mancipia uxor malit, nunquid ea etiam mancipia, quæ poſtea ex his mancipijs nata ſunt, uxori debeantur, quæro? Proculus Lucuſtæ ſuo ſalutem. Si uxor mallet mancipia, quàm dotem accipere: ipſa mancipia, quæ æſtimata in dotem dedit, non etiam partus mancipiorum ei debebuntur. Bonorum poſſeſſione dementis curatori data

A legata à curatore, qui furiosum defendit, peti poterunt. sed qui petent, cauere debebunt, si hæreditas euicta fuerit, quod legatorum nomine datum sit, redditum iri.

L. PAVLVS.

MORTVO boue, qui legatus est, neque corium, necp caro debetur. Si Titio tessera frumentaria (uel militia) legata sit, & is decesserit: quidam putant extingui legatum. sed hoc non est uerum. nam cui tessera (uel militia) legatur: æstimatio uidetur legata. Labeo refert. agrum, cuius commercium non habes, legari tibi posse, Trebatium respondisse. quod merito Priscus Fulcinius falsum esse aiebat. Sed Proculus, si quis hæredem suum cum fundum, cuius commercium is hæres non habeat, dare iusserit ei, qui eius commertium habe-
B at: putat hæredem obligatum esse (quod uerius est) uel in ipsam rem, si hæc in bonis testatoris fuerit: uel si non est, in eius æstimationem. Si testator dari quid iussisset, aut opus fieri, aut minus dari: pro portione sua eos pręstare, quibus pars hæreditatis adcresceret, æquè atque cætera legata placet.

LI. MARTIANVS.

VT hæredibus substitui potest, ita etiam legatarijs. uideamus, an idem fieri possit, & cũ mortis caussa donabitur: ut id promittat ille alteri, si ipse capere non poterit. quod magis est: quia in posterioris quocp personam donatio confertur.

LII. PAVLVS.

SI Titius mihi Stichum aut decem debeat, & legauero tibi Stichum, quem mihi debet:
C placet extingui legatum decem solutis. & ex diuerso, si alij decem, alij Stichus legatus fuerit: ex euentu solutionis legatum ualet. Cum ita legatum est, QVANTAM PECVNIAM HAERES MEVS A TITIO EXEGERIT, TANTAM MAEVIO DATO: si sub conditione legatum est: antè, quàm exacta pecunia sit, legatarius agere non potest. quod si statim dies legati cedit: (ut Publicius rectè putat) legatarius agere potest, ut actiones præstentur.

LIII VLPIANVS.

SI ita quis testamento suo cauisset, ILLI, QVANTVM PLVRIMVM PER LEGEM ACCIPERE POTEST, DARI VOLO: utique tunc, cum quandoque capere poterit, uidetur ei relictũ. sed & si dixerit, QVAM MAXIMAM PARTEM DARE POSSVM, DAMNAS ESTO DARE EI HAERES MEVS: idem erit dicendum. Is cui in tempus liberorum tertia pars reli-
D cta est: uticp non poterit adoptando tertiam partem consequi.

LIIII. TERENTIVS CLEMENS.

NON oportet prius de conditione cuiusquam quæri, quàm hęreditas legatumúe ad eum pertineat. LV. IDEM.

CVM ab uno hærede mulieri pro dote compensandi animo legatum est, eacp dotem suam ferre, quàm legatum maluit: utrum in omnes hæredes, an in eum solum, à quo legatum est, actio dotis ei dari debeat, quæritur. & Iulianus in eum primum, à quo legatum sit, actionem dandam putat. nam cum aut suo iure, aut iudicio mariti contenta esse debeat: æquum esse eum, à quo ei maritus aliquid pro dote legauerat, usque ad quantitatem legati onus huius æris alieni sustinere: reliqua parte dotis ab hęredibus ei præstanda. eadem erunt dicen-
E da, si hæres instituta pro dote omiserit hæreditatem, ut in substitutum actio detur. & hoc uerũ est. sed de legatis & legis Falcidiæ ratione bellè dubitatur: utrũ is, in quem solũ dotis actio datur, legata integra ex persona sua debeat perinde, ac si omnes hæredes dotem tota præstarent: an dotem totã in ære alieno computare, quia in eum solum actio eius detur, quod sanè magis rationem habere uidetur.

LVI. IDEM.

SI cui fundus centum dignus legatus fuerit, si centum hæredi uel cuilibet alij dederit: uberrimum uidetur esse legatum. nam aliquando interest legatarij, fundum potius habere, quàm centum. sæpe enim confines fundos etiam supra iustam æstimationem interest nostra adquirere.

LVII. CAIVS.

Si mihi & Titio eadem res legata fuerit, & is die cedendi legati decesserit, me hærede relicto: & uel ex mea propria caussa, uel ex hæreditaria legatum repudiauero: magis placere ui deo partem defecisse. Si eo hærede instituto, qui uel nihil, uel non totum capere potest, seruo hæreditario legatum fuerit: tractantibus nobis de capacitate, uidendum est, utrum hæredis, an, defuncti persona, an neutrius spectari debeat. & post multas uarietates placet, ut (quia nullus est dominus, in cuius persona de capacitate quæri possit) sine ullo impedimẽto adquiratur legatum hæreditati: atq; ob id omni modo ad eum pertineat, quicunque postea hæres exstiterit, secundum quod accipere potest. reliqua autem pars ad eos, qui iure uo cantur, ueniit. LVIII. IDEM. G

Qvod principi relictum est, qui antè, quàm dies legati cedat, ab hominibus ereptus est, ex constitutione diui Antonini successori eius debetur.

LIX. PAPINIANVS.

Si Augustæ legaueris, & ea inter homines esse desierit: deficit, quod ei relictum est: sicuti diuus Hadrianus in Plotianę, & proximè imperator Antoninus in Faustinę Augustę persona constituit, cum ea antè inter homines esse desijsset, quàm testator decederet.

LX. CAIVS.

Si cui res legata fuerit, & omnino aliqua ex parte uoluerit suam esse: totam adquirit.

LXI. TERENTIVS CLEMENS *lib. XV. ad L. Iuliam & Papiam.*

Si mihi purè, seruo meo uel purè uel sub conditione eadem res legata sit: egoq; legatũ, quod mihi datum est, repudiem: deinde conditione existente, id quod seruo meo legatum est, uelim ad me pertinere: partem legati deficere responsum est: nisi si quis dubitet, an existente conditione, si seruus uiuat, omnimodo legatum meum fiat, quod semel ad me pertinere uoluerit. quod ęquius esse uidetur. idem est, & si duobus seruis meis eadem res legetur. H

LXII. VLPIANVS.

Ivlianus ait, si à filio hærede legatum sit Seio, fideiq; eius commissum sub conditione, ut Titio daret, & Titius pendente conditione decesserit, fideicommissum deficiens apud Seium remanet, nõ ad filium hæredem pertinet: quia in fideicommissis potiorem caussam habere eum, cuius fides electa sit, senatus uoluit.

LXIII. IDEM.

Si Titio & Mæuio hæredibus institutis, qui quadringenta relinquebat, à Titio ducenta legauerit, & quisquis hæres esset, centum: neq; Mæuius hæreditatem adierit, trecenta Titius debebit. Iulianus quidem ait, si alter ex legitimis hæredibus repudiasset portionem cum essent ab eo fideicommissa relicta: cohæredem eius cogendum non esse fideicommissa præstare. portionem enim ad cohæredem sine onere pertinere. sed post rescriptum Seueri, quo fideicommissa ab instituto relicta à substitutis debentur: & hic quasi substitutus cũ suo onere consequetur adcrescentem portionem. I

LXIIII. LICINIVS RVFINVS. *lib. V. Regularum.*

Si alienus seruus hæres institutus fuerit: à domino eius fideicõmissum relinqui potest. sed ita hoc fideicommissum dominus præstare debet, si per seruum factus sit hæres. quod si antè, quàm iussu eius adiretur hæreditas, seruus manumissus fuerit, & sub arbitrio adierit hæreditatem: dominus id debiturus non est, quia hæres factus non est. sed nec seruus: quia rogatus dominus est. Itaq; utilis actio hoc casu competit: ut is, ad quem emolumentum hæreditatis peruenerit, & fideicommissum præstare compellatur. K

LXV. PAVLVS.

Si hæres rem legatam ignorans, in funus consumpsit: ad exhibendum actione non tenebitur: quia nec possidet, nec dolo malo fecit, quò minus possideret. sed per in factum actionem legatario consulitur, ut indemnitas ei ab hærede præstetur.

LXVI. PAPINIANVS.

Cvm proponebatur in scriptura fideicommissi, quod pluribus sub coniectura fuerat relictum, per errorem omissam mutuam substitutionem, quam testator in suis tabulis, cum

eosdem

A eosdem substitueret, expressisset: diuus Marcus & Commodus imperatores rescripserunt, uoluntatem manifestam uideri mutuò factæ substitutionis. etenim in caussa fideicommissi (utcunque precaria uoluntas quæreretur) coniectura potuit admitti.

LXVII. IDEM.

PECULIUM legatum augeri & minui potest, si res peculij postea esse incipiant aut desinant. Idem in familia erit: siue uniuersam familiam suam, siue certam (ueluti urbanam, aut rusticã) legauerit, ac postea seruorum officia uel ministeria mutauerit. eadem sunt in lecticarijs: aut pedisequis legatis. Quadrigæ legatũ, equo postea mortuo, perire quidam ita credunt, si equus ille decessit, qui demonstrabat quadrigã. sed si medio tempore deminuta sup
B pleantur: ad legatarium pertinebit. Titio Stichus legatus, post mortẽ Titij libertatẽ accepit. & legatum adita hæreditate, & libertas post mortem Titij cõpetit. Idemque est, & si moriẽte Titio liber esse iussus est. si tamẽ Titio ex parte hęrede instituto, seruus legatus, & post mortem eius liber esse iussus sit: siue adierit hęreditatem Titius, siue non adierit: post cuius mortem libertas ei data est, defuncto eo libertas competit.

LXVIII. IDEM.

MAEVUS fundum mihi ac Titio sub conditione legauit: hæres autem eius eũdem sub eadem conditione mihi legauit. uerendum esse Iulianus ait, ne existente conditione pars eadem ex utroque testamento mihi debeatur. uoluntatis tamen quæstio erit. nam incredibile uidetur, id egisse hæredem, ut eadem portio bis eidem debeatur. sed uerisimile est, de alte
C ra parte eum cogitasse. Sanè constitutio principis, qua placuit eidem sæpe legatum corpus non onerare hæredem: ad unum testamentum pertinet. debitor autem non semper, quod debet, iure lẽgat: sed ita, si plus sit in specie legati. si enim idem sub eadem cõditione reliquit: quod emolumentum legati futurum est. Duorum testamentis pars fundi, quæ Mæuij est, Titio legata est. non ineleganter probatum est, ab uno hærede soluta parte fundi, quæ Mæuij fuit, ex alio testamento liberationem obtingere: nec postea parte alienata reuocari actionem semel exstinctam. Sed si pars fundi simpliciter, non quæ Mæuij fuit, lẽgetur: solutior prior perimit alteram. actionem: atque etiam hæc eandem partem aliquo modo suam factam, poterit alter hæres soluere. nanque plures in uno fundo dominium iuris intellectu, non diuisione corporis obtinent. Non idem respondetur, cum duobus testamentis genera
D liter homo legatur. nam qui soluẽte altero legatarij factus est: quamuis postea sit alienatus, ab altero hærede idem solui non poterit. Eademque ratio stipulationis est. hominis enim legatum orationis compendio singulos homines continet. & quemadmodum ab initio non consistit in his, quę legatarij fuerunt: ita frustra soluitur, cuius dominium postea legatarius adeptus est, tam & si dominus esse desierit. In fundo legato si hęres sepelierit, æstimatio referenda erit ad totum precium fundi, quo potuit ante sepulturam æstimari. quarè & si fuerit solutus: actionem adhuc ex testamento propter locum alienatum durare, rationis est.

Eum, qui ab uno ex hæredibus, qui solus oneratus fuerat, litis æstimationem legatæ rei abstulisset: postea codicillis apertis, ab omnibus hæredibus eius rei relictæ dixi dominium non quærere. eum enim, qui pluribus speciebus iuris uteretur: non sepius eandem rem eidẽ
E legare, sed loqui sæpius. Fundo legato, si usufructus alienus sit: nihilominus petendus est ab hærede. usufructus enim & si in iure, nõ in parte consistit: emolumentum tamen rei continet. enimuero fundo relicto, & ob reliquas pręstationes, quæ legatum sequuntur, agetur. uerbi gratia. si fundus mihi pignori datus, uel aliena possessio sit. non idem placuit de cęteris seruitutibus. si autem res mea mihi lẽgetur præter istas caussas: legatum non ualebit.

A municipibus hæredibus scriptis, detracto usufructu, legari proprietas potest: quia nõ utendo possunt usumfructum amittere.

LXIX. IDEM.

SI UNUM EX FAMILIA propter fideicommissum à se, cum moreretur, relictum, hæres eligere debet: ei, quem elegit, frustra testamento suo lẽgat, quod postea, quàm electus est, ex alio testamento petere potest, utrum ergo non constitit quod datur,

quaſi creditori relictum:an quàm diu poteſt mutari uoluntas,non rectè creditori compara F
bitur?ſiue tamen duret electio,fuiſſe uidetur creditor:ſiue mutetur,ex neutro teſtamẽto pe-
titio competit.Si Falcidia quæratur:perinde omnia ſeruabuntur,ac ſi nominatim ei,qui po
ſtea electus eſt,primo taſtamento fideicommiſſum fuiſſet relictum,non enim facultas ne-
ceſſariæ electionis propriæ liberalitatis beneficiũ eſt.quid enim eſt,quod de ſuo uidetur re-
liquiſſe,qui,quod reliquit,omnimodo reddere debuit? Itaque ſi cum fortè tres ex familia
eſſent eius,qui fideicommiſſum reliquit,eodem uel diſpari gradu:ſatis erit uni reliquiſſe.nã
poſtquam paritum eſt uoluntati,cæteri conditione deficiunt.Sed ſi uno ex familia hærede
inſtituto,ille fundus extraneo relictus eſt:perinde fideicommiſſum ex illo teſtamento pete-
tur,ac ſi nemo de familia hæredi hæres exſtitiſſet.uerum is,qui hæres ſcriptus eſt, ratione G
doli exceptionis,cæteris fideicommiſſum petentibus facere partem intelligitur. nam quæ
ratio cæteros admittit,eadem tacitam inducit penſationem.Si duos de familia non æquis
portionibus hæredes ſcripſerit,& partem(fortè quartam)extero eiuſdem fundi legauerit:
pro his quidem portionibus,quas iure hæreditario retinent, fideicommiſſum non magis
petetur,quàm ſi alteri fundum prælegaſſet:pro alia uero parte,quæ iu extremum collata
eſt, uirilem,qui ſunt de familia,petant:admiſſa propter hæredum uirilem portionem pen-
ſatione. Sed & ſi fundum hæres uni ex familia reliquerit,eiuſq; fideicommiſerit,ut eum
extero reſtituat:quæſitum eſt,an hoc fideicommiſſi ſcilicet peti poſſit?dixi ita demum peti
poſſe,ſi præterea tantundẽ ei relictũ eſſet,quod fundi preciũ efficeret.& ſiquidẽ ille prior te-
ſtator ita fideicõmiſſum reliquiſſet,ROGO FVNDVM,CVI VOLES AVT QVIBVS VOLES H
EX FAMILIA RELINQVAS:rẽ in expedito fore.quod ſi talia uerba fuiſſet PETO,NE FVN
DVS DE FAMILIA EXEAT:hæredis hæredẽ propter ſequens fideicõmiſſum,quod in exte
rum collatum eſt,oneratum intelligi:petituris deinceps cæteris ex primo teſtamẽto fideicõ
miſſum,poſt mortẽ uidelicet eius,qui primo electus eſt.& ideo ſi electo uno,fideicommiſ-
ſum in exterum non conferatur:non aliâs ei,qui electus eſt,fidei commiſſum præſtandum
erit,quàm interpoſitis cautionibus:fundum,cum morietur,ſi non in familia cum effectu re-
linqueretur,reſtitui. ROGO FVNDVM,CVM MORIERIS, RESTITVAS EX LIBERTIS,
CVI VOLES.quod ad uerba attinet,ipſius erit electio:nec hoc petere quiſq; poterit,quàm-
diu præferri alius poteſt.defuncto eo, prius quàm eligat: petent omnes.itaque eueniet,ut
quod uni datum eſt,uiuis pluribus,unus petere non poſſit:ſed omnes petant,quod non o- I
mnibus datum eſt.& ita demum petere poſſit unus:ſi ſolus,moriente eo, ſuperfuerit. Si
rem tuam,quam exiſtimabam meam,te hærede inſtituo, Titio legem:non eſt Neratij Pri
ſci ſententiæ,nec conſtitutioni locus:qua cauetur,non cogendum præſtare legatum hære-
dem.Nam ſuccurſum eſt hęredibus,ne cogantur redimere,quod teſtator ſuum exiſtimans
reliquit.Sunt enim magis in legandis ſuis rebus,quàm in alienis comparandis, & oneran-
dis hæredibus facili teſtatores uoluntate.quod in hac ſpecie non euenit,cum dominium rei
ſit apud hæredem. Si omiſſa fideicommiſſi uerba ſint,& cętera, quæ leguntur cum his,
quæ ſcribi debuerunt,congruant:rectè datum,& minus ſcriptum,exemplo inſtitutionis le-
gatorumq; intelligetur. quam ſententiam optimus quoque imperator noſter Seuerus ſecu
tus eſt. Item Marcus imperator reſcripſit.uerba,quibus teſtator ita cauerat:non dubita- K
re ſe,quodcunq; uxor eius cepiſſet,liberis ſuis redditurum: pro fideicommiſſo accipienda.
quod reſcriptum ſummam habet utilitatem:ne ſcilicet honor benè tranſacti matrimonij,
& fides etiam communium liberorum decipiat patrem,qui melius de matræ prȩſumpſerat.
Et ideo princeps prouidentiſſimus,& iuris religioſiſſimus,cum fideicommiſſi uerba ceſſare
animaduerteret:eum ſermonem pro fideicommiſſo reſcripſit accipiendum.

LXX. PAVLVS.

SEQVENS quęſtio eſt,an etiam quæ uiuus per donationem in uxorem contulit,in fidei-
commiſſi petitionem ueniant?reſpondi.ea extra bonorum cauſſam defuncti computari de
bere,& propterea fideicommiſſo non contineri:quia ea habitura eſset etiam alio hærede
exiſtente.planè nominatim maritus uxoris fidei committere poteſt,ut & ea reſtituat.

A LXXI. PAPINIANVS

PETO LVCI TITI, VT CONTENTVS SIS CENTVM AVREIS. fideicommissum ualere placuit, idq; rescriptum est. quid ergo, si cum hæredem ex parte instituisset, ita locutus est, PETO PRO PARTE TVA CONTENTVS SIS LVCI TITI CENTVM AVREIS? petere poterunt cohæredes partem hereditatis, eo retinente siue præcipiente id, quo contentum esse uoluit defunctus. sine dubio facilius est hoc probare, quàm probari potuit illud, cum fideicommissum ibi petatur ab his, quibus testator locutus non est. Idem dicemus, si cum ex asse scripsisset hæredem: eius gratia, qui legitimus hæres futurus esset, ita loquatur: PETO PRO HAEREDITATE, QVAM TIBI RELIQVI, QVAE AD FRATREM MEVM IVRE LE-
B GITIMO REDIRET, CONTENTVS SIS CENTVM AVREIS. Prędium, quod nomini familiæ relinquitur, si non uoluntaria facta sit alienatio, sed bona hæredis uęneant: tamdiu tenere emptor potest, quàmdiu debitor haberet bonis non uenditis: post mortem eius nõ habiturus, quod exter etiam hæres pręstare cogeretur. Mater filio impubere hęrede instituto, tutorem eidem scripsit, eiusq; fidei commisit, ut si filius suus intra decimumquartum annum decessisset, restitueret hæreditatem Sempronio. non ideo minus fideicommissum rectè datum intelligi debet, quia tutorem dare mater non potuit. nam & si pater non iure facto testamento tutoris fidei commiserit: æquè præstabitur, quemadmodum si iure fuisset factum testamentum. sufficit enim, ut ab impubere fideicommissum datum ab eo dari uideatur, quem is, qui dabat, tutorem dederat, uel etiam tutorem fore arbitrabatur. Idem in
C curatore impuberis uel minoris annis debet probari. nec interest, tutor rectè datus uiuo patre moriatur, uel aliquo priuilegio excusetur, uel tutor esse non possit propter eius ætatem, cui tutor fuerat datus. quibus certè casibus fideicõmissum nõ intercidit, quod à pupillo datũ uidetur. hac deniq; ratione placuit à tutore, qui nihil accepit, fideicõmissum relinqui pupillo non posse: quoniam quod ab eo relinquitur extero, non ipsius proprio, sed pupilli iure debeatur. Fratre hærede instituto petijt, ne domus alienaretur, sed ut in familia relinqueretur. si non paruerit hæres uoluntati, sed domum alienauerit, uel extero hærede instituto decesserit: omnes fideicommissum petent, qui in familia fuerint. quid ergo, si non sunt eiusdem gradus? ita res temperari debet, ut proximus quisq; primo loco uideatur inuitatus. nec tamen ideo sequentium caussa propter superiores in posterum lædi debet: ita proxi-
D mus quisque admittendus est, si paratus sit cauere, se familiæ domum restiturum. quod si cautio non fuerit ab eo, qui primo loco admissus est, desiderata: nulla quidem eo nomine nascetur condictio. sed si domus ad exterum quandoq; peruenerit, fideicommissi petitio familię competit. cautionem autem ratione doli mali exceptionis puto iustè desiderari: quamuis nemo alius ulterior ex familia supersit. Si quidam sint postea emancipati: tractari potest, an hi quoq; fideicommissum rectè petant. & puto rectè petituros: quoniam familiæ appellatione hæ quoq; personæ demonstratæ intelliguntur.

LXXII. IDEM.

IMPERATOR Antoninus rescripsit legatarium, si nihil ex legato accepit, ei, cui debet fideicommissum, actionibus suis posse cedere, nec id cogendum soluere. quid ergo, si nõ totum,
E sed partem legati relicti restituere rogatus, abstineat eo: utrum actionibus suis in totum cogetur cedere, an uero nõ nisi ad eam quantitatem, quæ fideicommisso continetur? quod ratio suadet sed & si legatum percepit: non amplius ex caussa fideicommissi cogendus erit soluere, quàm perceperit. Si centum legatis duplum restituere rogatus sit: ad summam legati uidebitur constitisse. si autem post tempus fideicommissum relictum sit: usurarum duntaxat additamentum admittetur. nec mutanda sententia erit, quod forte legato percepto, magnum emolumentum ex aliquo negocio consecutus est, aut pœnam stipulationis imminentem euasit. hoc ita, si quantitas cum quantitate conferatur. enimuero si pecunia accepta rogatus sit rem propriam, quanquam maiore precio æstimaretur, restituere: non est audiendus legatarius, legato percepto si uelit computare. non enim æquitas hoc probare patitur, ut quod legatorum nomine perceperit, legatarius

offerat.

offerat. Cum quidam filio suo ex parte hæredi instituto patruum eius cohæredem F ei dedisset, & ab eo peitisset, ut filium suum pro uirili portione filijs suis cohæredem faceret: siquidem minus esset in uirili portione, quàm fratris hæreditas habuit: nihil amplius peti posse. quod si plus: etiam fructuum, quos patruus percepit, uel cum percipere potuerit, dolo non percepit, habendam esse rationem, responsum est: non secus, quàm si centum legatis rogetur post tempus maiorem quantitatem restituere. cum autem rogatus, quidquid ex hæreditate superérit, post mortem suam restituere, de precio rerum uenditarum aliâs comparauit: deminuisse, quæ uendidit, non uidetur.

LXXIII. IDEM.

SED quod inde comparatum est, uice permutati dominij restituetur. G

LXXIIII. IDEM.

IDEM seruandum erit, & si proprios creditores ex ea pecunia dimiserit. non enim absumitur, quod in corpore patrimonij retinetur.

LXXV. IDEM.

SI QVOD ex Pamphila nasceretur, legatum mihi fuerit, & ego Pamphilam emam, eaque apud me sit enixa: summa ratione responsum est, non ex caussa lucratiua partum intelligi meum factum. ideoque petendum ex testamento, tanquam istum emissem: ut scilicet precij contributione facta, consequar tantum, quanti puerum deducta matris æstimatione constitisse mihi, iudex in caussa legati datus æstimauerit.

LXXVI. IDEM. H

TITIO CENTVM AVREOS HAERES PRAESENTI DATO. deinde protulit diem legatorum. non est uerum, quod Alfenus retulit, centum præsenti deberi: quia diem proprium habuerunt.

LXXVII. IDEM.

MILES ad sororem epistolam, quam post mortem suam aperiri mandauit, talem scripsit. scire te uolo, donare me tibi aureos octingentos. fideicommissum deberi sorori constitit. nec aliud probandum in cuiuslibet suprema uoluntate. placet enim consistere fideicommissum, ac si defunctus cum eo loquatur, quem precario remunerat. Pro parte hæres institutus, cui præceptiones erant relictæ, post diem legatorum cedentem, ante aditam hæreditatem, uita decessit. partem hæreditatis ad cohæredes substitutos pertinere placuit: I præceptionum autem portiones, quæ pro parte cohæredum constiterunt, ad hæredes eius transmitti.

LXXVIII. IDEM.

CVM filius diuisis tribunalibus actionem inofficiosi testamenti matris protulisset, atque item uariæ sententiæ iudicium exstitissent: hæredem, qui filium uicerat, pro partibus, quas alijs cohæredibus abstulit filius, non habiturum præceptiones sibi datas nô magis, quàm cæteros legatarios actiones, constitit: sed libertatem ex testamento competere placuit, cum pro parte filius de testamento matris litigasset. quod non erit trahendum ad seruitutes, quæ pro parte minui non possunt. planè petetur integrè seruitus ab eo, qui filium uicit: partis autem æstimatio præstabitur. at si paratus erit filius, precio accepto, seruitutem præbere: K doli exceptione legatarius submouebitur, si non offerat partis æstimationem, exemplo scilicet legis Falcidiæ. LVCIO SEMPRONIO LEGO OMNEM HAEREDITATEM PVBLII MAEVII. Sempronius ea demum onera suscipiet, quæ Mæuianæ hæreditatis fuerunt, & in diem mortis eius, qui hæres Mæuij exstitit, perseuerauerunt: sicut uice mutua præstabunt actiones, quæ ei præstari potuerunt. Dominus hærede fructuario scripto, fundû sub côditione legauit. uoluntatis ratio non patitur, ut hæres ex caussa fructus emolumentû retineat. diuersum in cæteris prædiorû seruitutibus, quas hæres habuit, respôsum est: quoniâ fructus portionis instar obtinet. HAERES MEVS TITIO DATO, QVOD MIHI EX TESTAMENTO SEMPRONII DEBETVR. cû iure nouationis, quâ legatarius idêque testator antè fecerat, legatum ex testamêto non debeatur: placuit falsam demonstrationem

A nem legatario nō obesse:nec in totum falsum uideri,quod ueritatis primordio adiuuaret.
Seruus purè manumissus,cui libertas propter iuris impedimentum post aditam hæredi
tatem non competit,quod status eius extrinsecus suspenditur(fortè propter adulterij quæ/
stionem:)ex eodem testamento,neqꝫ legata,neque fideicommissa purè data sperare potest:
quia dies inutiliter cedit. Pater cum filia pro semisse hærede instituta sic testamento locu
tus fuerat. PETO,CVM MORIERIS (LICET ALIOS QVOQVE FILIOS SVSCEPERIS)
SEMPRONIO NEPOTI MEO PLVS TRIBVAS IN HONOREM NOMINIS MEI. necessitas
quidem restituendi nepotibus uiriles partes præcedere uidebatur: sed moderandę portio/
nis,quam maiorem in unius nepotis personam conferri uoluit,arbitrium filiæ datur. Nō
B iure tutori dato mater legauit,si consentiat,ut decreto prætoris confirmetur . si prætor non
idoneum existimet:actio legati non denegabitur. Qui Mutianam cautionem alicuius
non faciendi caussa interposuit,si postea fecerit:fructus quoque legatorum,quos in princi/
pio promitti necesse est,restituere debet. Varijs actionibus legatorum simul legatarius
uti non potest:quia legatum datum in partes diuidi non potest. non enim ea mente datum
est legatarijs pluribus actionibus uti:sed ut laxior eis agēdi facultas sit,ex una interim,quæ
fuerit electa,legatum petere. Repetendorum legatorum facultas ex eo testamento solu/
torum danda est,quod irritum esse post defuncti memoriam damnatam apparuit: modo
si iam legatis solutis crimen perduellionis illatum est.

LXXIX. IDEM.

C CVM pater filios,eorumqꝫ matrē hæredes instituisset:ita scripsit, PETO A TE FILIA,
VT ACCEPTIS EX HAEREDITATE MEA IN PORTIONEM TVAM CENTVM AVREIS
ET PRAEDIO TVSCVLANO,PARTEM HAEREDITATIS RESTITVAS MATRI TVAE.
respondi.prædium quidem hæreditarium iudicio diuisionis de communi filiam habiturā,
pecuniam aūt de parte sua retēturam. Eorum quibus mortis caussa donatum est,fidei cō/
mitti quoquo tempore potest.quod fideicommissum,hæredi scilicet salua Falcidię ratione,
quā in his quoqꝫ donationibus exemplo legatorum locum habere placuit, præstabunt . Si
pars donationis fideicommisso contineatur:fideicōmissum quoqꝫ munere Falcidiæ funge/
tur.Si tamen alimenta præstari uoluit.collationis totū onus in residuo donationis esse , re/
spondendū erit ex defuncti uoluntate,qui de maiore pecunia præstari non dubiè intēgra
D uoluit. Mater filijs suis uulgo conceptis dotem suam mortis caussa donādo stipulari per/
misit.cum alijs hæredibus institutis,petisset à filijs,uiro dotem restitui:totum uiro fideicō/
missum dotis deberi,si Falcidiæ ratio non interuenerit.ideo retentionem dotis uirū habe/
re placuit.alioquin Falcidiæ partem hæredibus à filijs,ex stipulatu cū uiro agētibus, ex do/
te esse per in factum actionem reddendam. Surdo & muto,qui legatum accipit, ut cum
morietur,restituat: rectè mandatur.nam & ignorantes adstringuntur fideicommisso , qui/
bus ignorantibus emolumentum ex testamento quęritur. Hæreditatem filius cum mo/
reretur,filijs suis,uel cui ex his uoluisset,restituere fuerat rogatus.quo interea in insulam de/
portato,eligendi facultatem non esse pœna peremptam placuit:nec fideicommissi condi/
tionem ante mortem filij hæredis existere:uiriles autem inter eos fieri,qui eo tempore ui/
E xerint,cū de alijs eligendi potestas non fuerit. Qui dotale prædium contra legem Iuliam
uendidit, uxori legatum dedit,& emptoris fidei commisit,ut amplius ei precium restituat.
emptorem fideicommisso non teneri constabat.si tamen accepto legato mulier uenditionē
irritam facere uellet:eam oblato precio doli placuit exceptione submoueri. Mæuio de/
bitori suo reus stipulandi mandauit,ut Titio,cui mortis caussa donabat,pecuniam debitā
solueret.cū sciens dominū uita decessisse Mæuius,pecuniā dedisset : non esse liberationē se/
cutam constitit.nec si Mæuius soluendo nō esset,in Titium actionē solidi,uel iure Falcidiæ
dandā esse:quia mortis caussa cepisse nō uideret.diuersum probandū fore,si Mæuius igno
rans dominū uita decessisse,pecuniā errore lapsus dedisset tunc enim portio iure Falcidiæ
reuocaretur. Cū pater fideicōmissum prędiorū ex testamento matris filiæ deberet:candē
pro parte ita hærędē instituit,ut hęreditatem fideicommisso cōpensaret:eadēqꝫ predia filio
exhęredato

exhæredato dari uoluit.quanquam filia patris hæreditatem ſuſcipere noluiſſet: fideicom F
miſſum tamen ab hæredibus eſſe filio præſtandum,ad quos hæreditatis portio,quam acce/
pit filia,redierat,placuit.quod ſi alium filiæ ſubſtituiſſet oportere & eum filiæ fideicommiſ/
ſum reddere. Euictis prædijs,quæ pater,qui ſe dominum eſſe crediderat, uerbis fideicō/
miſſi reliquit filio:nulla cum fratribus & cohæredibus actio erit.ſi tamen inter filios diuiſio
nem fecit arbiter coniectura uoluntatis non patietur cum partes cohæredibus prælegatas
reſtituere:niſi parati fuerint & ipſi patris iudicium fratri conſeruare. Pater certam pecuni
am exhæredatæ filiæ uerbis fideicommiſſi reliquit,eamq́; nupturæ dotis nomine dare uo/
luit,filio dotem ſtipulante:cum minorem filius dotem dediſſet:ſuperfluum eſſe filiæ reddē
dum conſtabat. Diuortio quoq; ſecuto fideicommiſſum filiam rectè petituram,ut actio ſti G
pulationis ſibi præſtaretur:quoniam ueriſimile non erat, patrem interponi ſtipulationem
uoluiſſe,quò filia poſt primas nuptias indotata conſtitueretur. Cæterum ſi poſtea nuberet:
ad ſecundas nuptias cautionem extendi non oportere. A' filia pater petierat, ut cui uellet
ex liberis ſuis,prædia,cum moreretur,reſtitueret.uni ex liberis prædia fideicommiſſi uiua
donauit.non eſſe propter incertum diem fideicommiſſi certę donationis electionem uide/
bat̃.nã in unũ etiamnũ deſtinatio dirigi potuit,qui fideicõmiſſum inter cæteros habiturus
eſt,remota matris electione. FIDEI HAEREDVM EORVM COMMITTO, NE FVNDVM
TVSCVLANVM ALIENENT,ET NE DE FAMILIA NOMINIS MEI EXEAT. ſecundum uo/
luntatem eos quoq; inuitatos intelligendum eſt,quibus hæredes extranei fideicommiſſam
libertatem reddiderunt. FIDEI TVAE COMMITTO VXOR, VT DES, RESTITVAS FI/ H
LIAE MEAE, CVM MORIERIS, QVIDQVID AD TE QVOQVO NOMINE DE BONIS
MEIS PERVENERIT. etiam ea,quæ poſtea codicillis uxori dedit,fideicommiſſo cõtinebun
tur.nam ordo ſcripturæ non impedit cauſſam iuris ac uoluntatis.ſed dos relegata retinebi/
tur:quoniam reddi potius uidetur,quàm dari. VOLO PRAEDIA DARI LIBERTIS ME/
IS. QVOD SI QVIS EORVM SINE LIBERIS VITA DECESSERIT: PARTEM EIVS AD RE/
LIQVOS PERTINERE VOLO. collibertum patris eundemq́; filium ex uoluntate ſubſtitu/
tionem excludere placuit. Curatoris ſui fidei fruſtra commiſiſſe uidebitur,ut hęredi fra/
tri negociorum geſtorum rationem redderet.quanquã igitur teſtamento cautum eſſet, ut
cum ad ſtatum ſuum frater perueniſſet,ei demum ſolueretur:tamen ſub curatore alio fratrē
agentem rectè placuit actionem inferre:cum illis uerbis fratri potius conſultum uideretur, I
quàm ſolutio dilata,quę iuſtè fieri potuit. Ab inſtituto extraneo prędia libertis,cum mo
reretur,uerbis fideicommiſſi reliquerat,& petierat,ne ex nomine familiæ alienarentur.ſub/
ſtitutum ea prædia debere ex defuncti uoluntate reſpondi.ſed utrum confeſtim,an ſub ea/
dem conditione:uoluntatis eſſe quæſtionem.ſed coniectura ex uoluntate teſtatoris capien/
da,mortem inſtituti expectandam. Menſæ negocium ex cauſſa fidei commiſſi cum in
demnitate hæredum per cautionem ſuſceptum, emptioni ſimile uidetur.& ideo non erit
quęrendum,amplius in ære alieno ſit,quàm in quæſtu. Pater filiæ mancipia,quæ nuben
ri dedit,uerbis fideicommiſſi præſtari uoluit.partus ſuſceptos(& ſi matres ante teſtamen/
tum mortuæ fuiſſent)ex cauſſa fideicommiſſi præſtandos reſpondi.nec aliud in uxore con/
firmatis donationibus pridem obſeruatum eſt. Hæreditatem poſt mortem ſuam roga/ K
ti reſtituere:nominum periculo,quæ per diuiſionem obtigerunt,inter cohæredes interpoſi
tis delegationibus,non adſtringuntur magis,quàm prædiorum:cum permutatio rerum di
ſcernens communionem interuenit. FILIA MEA PRAECIPIAT, SIBI QVE HABEAT
VOLO REM MATRIS SVAE. fructus,quos medio tempore pater percepit, nec in ſeparato
habuit,ſed aſſumpſit,& in ſuum patrimonium conuertit.non uidentur filię relicti. DVL
CISSIMIS FRATRIBVS MEIS,AVVNCVLIS AVTEM TVIS,QVAE CVN
QVE MIHI SVPERSVNT IN PAMPHILIA,LYCIA,VEL VBICVNQVE,
DE MATERNIS BONIS, CONCEDI VOLO, NE QVAM CVM HIS CONTROVERSIAM
HABEAS. omnia corpora maternæ hæreditatis,quæ in eadem cauſſa dominij manſerunt,
ad uoluntatē fideicommiſſi pertinent.ex eiſdem igitur facultatibus percepta pecunia, & in

corpus

A corpus proprij patrimonij uersa. Item iure diuisionis res propriæ factæ, non præstabun-
tur:cum discordijs propinquorum sedandis prospexerit, quas materia communionis solet
excitare. Pater pluribus filij hæredibus institutis, moriens claues & annulum custodiæ
caussa maiori natu filiæ tradidit:& libertum eidem filiæ,qui præsens erat,res,quas sub cura
sua habuit, adsignare iussit.commune filiorum negocium gestũ intelligebatur, nec ob eam
rem apud arbitrum diuisionis præcipuam caussam filiæ fore. Cum imperfecta scriptura
inuenitur:ita demum uerbum legati uel fideicommissi,quod præcedit uel sequitur,ad com-
munionem adsummitur: si dicto scriptum congruat. Filius matrem heredem scripserat,
& fideicommissa tabulis data cum iurisiurandi religione præstari rogauerat. cum testamen
B tum nullo iure factum esset: nihilominus matrem legitimam hæredem cogendam fideicõ-
missa præstare respondi.nam enixæ uoluntatis preces ad omnem successionis speciem por-
rectæ uidebantur. MANDO FILIAE MEAE PRO SALVTE IPSIVS SOLLICITVS, VT
QVOAD LIBEROS TOLLAT, TESTAMENTVM NON FACIAT. ITA ENIM POTERIT
SINE PERICVLO VIVERE. fideicommissariam hæreditatem cohæredi sorori non uideri
relictam apparuit.quod non de pecunia sua testati, sed obtentu consilij derogare iuri, testa
mentum fieri prohibendo,noluit. ROGO FILIA, VT BONA TVA QVANDOQVE DI-
STRIBVAS LIBERIS TVIS, VT QVISQVE DE TE MERVERIT. uidetur omnibus
liberis,& si non æqualiter promeruerint,fideicommissum relictum: quibus,matris electio-
ne cessante,sufficiet,si non offenderint.eos autem,quos mater elegerit, fore potiores, si soli
C promeruissent,existimaui. quod si neminem elegerit: eos solos non admitti, qui offende-
runt. Donationis prædiorũ epistolam,ignorante filio mater in æde sacra, uerbis fideicõ-
missi non subnixam,deposuit, & literas tales ad æditum misit. Instrumentum uoluntatis
meæ post mortem meam filio meo tradi uolo.cum pluribus hæredibus in testato diem suũ
obijsset:intelligi fideicommissum filio relictum respondi. non enim quæri oportet, cũ quo
de supremis quis loquatur:sed in quem uoluntatis intentio dirigatur. Libertis prædium
reliquit,ac petijt,ne id alienarent,atq; in familia libertorum retinerent.si excepto uno cæte-
ri partes suas uendiderint:qui non uendidit,cæterorum partes, quibus non dedit alienan-
di uoluntatem, integras petet. eos enim ad fideicommissum uidetur inuitasse, qui iudicio
paruerunt. alioquin per absurdum erit, uice mutua petitionem induci:scilicet, ut ab altero
D partem alienatam quis petat,cum partem suam alienando perdiderit.sed hoc ita procedere
potest,si pariter alienauerint.cæterum prout quisq; prior alienauerit:partem posteriori nõ
faciet.qui uero tardius uendidit:ei,qui non uendidit,in superiorum partibus fecisse partem
intelligitur.at si nemo uendiderit, & nouissimus sine liberis uita decesserit:fideicommissi pe
titio non supererit. Cum inter libertos ad prædij legatum liberta quoq; fuisset admissa,
quod patronus petijt,ut de nomine familiæ non exiret:hæredem libertæ filium partẽ præ-
dij,quam mater accepit,retinere uisum est. Cum existimaret ad solam cõsobrinam suam
bona peruentura,codicillis ad eam factis pluribus fideicommissum reliquerat. iure successi
onis ad duos eiusdem gradus possessione deuoluta:rationibus, & perpetui edicti exemplo
pro parte dimidia mulierem releuandam respondi. sed libertates ab ea præstandas, quas
E intercidere damni caussa durũ uidebatur. Pater,qui filio semissem dederat, & sororibus
eius impuberibus quadrantes,quibus fratrem tutorẽ dedit, ita fuerat locutus. FILI CON-
TENTVS ERIS PRO TVO SEMISSE DVCENTIS AVREIS, ET VOS FILIAE PRO VE-
STRIS QVADRANTIBVS CENTENIS AVREIS. uice mutua liberis fideicommissum hæ-
ditatis reliquisse non uidebatur,sed æstimationem (ut à parentibus frugi fieri solet) patri-
monij sui fecisse: nec idcirco fratrem iudicio tutelæ bonæ fidei rationes quandoq; præscri-
ptione demõstratæ quantitatis exclusurum. Titio fratri suo Mæuius hæreditatem Seij,
quo hæres institutus erat,post mortem suam restituere rogatus: eodem Titio hærede scri-
pto,petijt,ut moriens Titius tam suam,quàm Seij hæreditatem Sempronio restitueret. cũ
ex fructibus medio tempore perceptis, fideicommissi debitam quantitatem Titius perce-
pisset: æris alieni loco non esse deducendum fideicommissum respondi: quoniam ratione

Dd compen-

compensationis percepisse debitum uideretur. planè si ca lege Mæuius Titium hæredem F instituat, ne fideicommissum ex testamento Seij retineat: Falcidiam quidem compensationi sufficere, sed iniquitatem occurrere. prudentius autem fecerit, si ex testamento fratris hæreditatem repudiauerit, & intestati possessioné acceperit. nec uidebitur dolo fecisse, cũ fraudem excluserit. A TE PETO MARITE, SI QVID LIBERORVM HABVERIS, ILLIS PRAEDIA RELINQVAS. VEL SI NON HABVERIS: TVIS, SIVE MEIS PROPINQVIS, AVT ETIAM NOSTRIS LIBERTIS. non esse datã electionem, sed ordine scripturæ factã substitutionem, respondi. Vicos ciuitati relictos, qui proprios fines habebant, ex caussa fideicommissi non ideo minus deberi placuit, quod testator fines eorum significaturum, & certaminis formam, quam celebrari singulis annis uoluit, alia scriptura se declaraturum G promisit, ac postea morte præuentus non fecit.

LXXX. IDEM.

QVI solidum fideicommissum frustra petebat, hærede Falcidiam obijciente, si partem interim solui sibi desiderauerit, neq; acceperit: in ea moram passus intelligitur. Cum post mortem emptoris uenditiones prædiorum reipublicæ optimus maximusq; princeps noster Seuerus Augustus rescindi, hæredibus precio restituto, iussisset: de pecunia legatario, cui prædium emptor ex ea possessione legauerat, coniectura uoluntatis, pro modo æstimationis, partem soluendam esse respondi. Etiam respublica post moram fideicommissi usuras præstare cogitur. sed damnum, si quod ex ea re fuerit secutum, ab his sarciendum erit, qui post dictam sententiam iudicatum soluere supersederunt. nec aliud seruabitur in litis H sumptibus, si ratio litigandi non fuit. ignauiam etenim prætendentes audiri non oportet. quod in tutoribus quoq; probatur. Prædium pater de familia liberos alienare uerbis fideicommissi prohibuit. supremus ex liberis, qui fideicommissum petere potuit: non idcirco minus actionem in bonis suis reliquisse uisus est, quod hęredem extraneum sine liberis decedens habuit. Si creditor ab eo, qui testamentum fecit, domum acceptam iure pignoris uendidit: contrà emptoré fideicõmissi caussa (tametsi uoluntaté defuncti non ignorauit) nihil decernetur. LXXXI. IDEM.

QVAE fideicommissum moriens libertis uiri debuit, eorundem prædiorum suis quoq; libertis fructum reliquit. iuris ignorantia lapsi, qui petere predia ex mariti testamento debuerunt, secundum fideicommissum inter cæteros longo tempore perceperunt. non ideo I peremptam uideri petitionem prioris fideicommissi constitit.

LXXXII. IDEM.

LEGATVM ita dominium rei legatarij facit, ut hæreditas hæredis res singulas. quod eò pertinet, ut si purè res relicta sit, & legatarius non repudiauerit defuncti uoluntatem: recta uia dominium, quod hæreditatis fuit, ad legatarium transeat, nunquam factum hæredis.

LXXXIII. PAVLVS.

SI QVIS testamento facto à filijs suis, quos hæredes instituisset, fideicommissum reliquerit, non ut à legitimis hæredibus, sed ut à scriptis filijs: & testamentum aliquo casu irritũ factũ sit: filij ab intestato uenientes fideicommissum ex testamento præstare compelli non possunt. LXXXIIII. IDEM. K

DEBITOR decem legauit creditori, qui ei post annum sub pignore debebat. non (ut quidam putant) medij teporis tantum commodum ex testamento debetur, sed tota decem peti possunt: nec tollitur petitio, si interim annus superuenit: nã sufficit, quod utiliter dies cessit. quod si uiuo testatore annus superueniat: dicendum erit, inutile effici legatũ, quanquam cõstiterit ab initio. sic & in dote relegata responsum est, totam eam ex testamento peti posse. alioqui secundum illam sententiam si interusurium tantum est in legato: quid dicemus, si fundus legatus sit ex die debitus? nam nec pecunia peti potest, quæ nõ est legata: nec pars fundi facilè inuenietur, quæ possit peti pro commodo. Si Primo & Secundo & Tertio hæredibus institutis, sic legata dentur, SI PRIMVS MIHI HAERES NON ERIT, SECVNDVS TITIO DECEM DATO: SI SECVNDVS MIHI HAERES NON ERIT, PRIMVS SEIO FVNDVM

A FVNDVM TVSCVLANVM DATO. utrisq; omittentibus hereditatem Primo & Secundo: quærebatur, substituti, quos eis dederat, an, & cui legata præstare debeant? ab utroq; substituto legata debentur. Seruo alieno posse rem domini legari, Valens scribit: item id, quod domino eius purè debetur. cum enim seruo alieno aliquid in testamento damus: domini persona ad hoc tantum inspicitur, ut sit cum eo testamenti factio, cęterum ex persona serui constitit legatum. & ideo rectissimè Iulianus definit: id demum seruo alieno legari posse, quod ipse liber factus capere posset. calumniosa est enim illa adnotatio: posse legari seruo & quamdiu seruiat. nam & hoc legatū ex persona serui uires accipit. alioquin & illud adnotaremus: esse quosdam seruos, qui licet libertatem consequi nō possunt, attamen legatum & hæreditatem possunt adquirere domino. ex illo igitur præcepto, quod diximus ser- B
ui inspici personā in testamentis, dicimus & seruo hęreditario legari posse. ita nō mirū si res domini, & quod ei debetur, seruo eius purè legari possint, quāuis domino eius utiliter legari nō possent. LXXXV. IDEM.

LATINVS Largus: proximè ex facto incidit species talis. libertus patronum ex semisse hæredem instituit, & filiam suam ex alio semisse. fidei commisit filiæ, ut quibusdam ancillis patroni restitueret, cum hæ manumissæ essent. & si eadem filia hæres non esset: substituit ei easdem ancillas. quoniam filia non uoluit hæres existere: ancillæ iussu domini adierunt defuncti hæreditatem. post aliquantum temporis ab eo manumissæ, quærebant, an fideicommissum petere ab eodem patrono possent. rogo ergo, quid de hoc existimes, te-
C scribas. respondi. nec repetitum uideri in hunc casum fideicommissum: sed alterutrum datum, uel fideicommissum, uel ipsam hęreditatem. melius autem dici, in eundem casum substitutas uideri, in quem casum fideicōmissum meruerunt. & ideo ad substitutionem eas uocari. cum enim seruo alieno fideicommissum ab uno ex hæredibus sub conditione libertatis fuerit datum, idemq; seruus ei hæredi substituatur: licet purè substitutio facta sit: tamen sub eadem conditione substitui uidetur, sub qua fideicommissum meruit.

LXXXVI. IDEM.

SI QVIS seruo suo fideicommissariam libertatem reliquit, & aliud quid adscripsit. quidam dicunt, quia placeat ab hærede eum manumitti debere: futurum esse, ut non admittatur ad fideicommissum. sed hoc iniquum est. in huiusmodi enim persona utriusq; quodam
D modo dies cessit, & libertatis, & pecuniæ petendæ: adeo, ut putem, si mora fiat præstandæ libertati, etiam fideicommisso moram uideri factam, & usurarum onus accedere. nam & cętera, quæ medio tempore adquisiuit domino, dum moratur præstare libertatem, eidem restitui oportere, rectissimè responsum est.

LXXXVII. IDEM.

CREDITOrem, cui res pignoris iure obligata à debitore legata esset, non prohibere pecuniā creditam petere: si uoluntas testatoris cōpensare uolentis euidenter non ostenderetur.

LXXXVIII. IDEM.

CAIVS SEIVS PRONEPOS MEVS HAERES MIHI ESTO EX SEMISSE BONORVM MEORVM EXCEPTA DOMO MEA ET PATERNA, IN QVIBVS HABITO; CVM OMNI-
E BVS; QVAE IBI SVNT. QVAE OMNIA SCIAS AD PORTIONEM HAEREDITATIS; QVAM TIBI DEDI, NON PERTINERE. quæro, cum sit in his domibus argentum, nomina debitorum, supellex, mancipia: an hæc omnia, quæ illic inueniuntur, ad alios hæredes institutos debeant pertinere? Paulus respondit. nomina debitorum non contineri; sed omnium hæc esse communia. in cæteris uero nullum pronepoti locum esse. Titius cum fratris filio fundos & urbana prædia legaret, in his & fundum Seianum legauit, quem ipse paterfamiliàs quoad uiuebat, uno quidem nomine uniuersum habuit, sed quo facilius conductorem inueniret, per duas partes locabat: ita ut ex qualitate loci superiorem partem Seianū superiorē, inferiorem autem partem Seianū inferiorem appellaret. quæro, an is totus fundus ad fratris filium pertineat? Paulus respondit. si testator fundum Seianum uno nomine uniuersum possedit: quamuis eūdem diuersis partibus locauerat, uniuersum eum ex

Dd 2 causa

caussa fideicommissi præstari oportere: nisi si hæres, de qua parte testator senserit, euidēter probauerit. F

LXXXIX. IDEM.

TITIA Seio tesseram frumentariam comparari uoluit post diem tricesimum à morte ipsius. quæro, cum Seius uiua testatrice tesseram frumentariam ex caussa lucratiua habere cœperit, nec possit id, quod habet, petere: an ei actio competat? Paulus respondi ei, de quo quæritur precium tesseræ præstandum: quoniam tale fideicommissum magis in quantitate, quàm in corpore consistat. Vsuras fideicommissi post impletos annos uigintiquinque puellæ, ex quo mora facta est, deberi respondi. quamuis enim constitutum sit, ut minoribus uigintiquinque annis usuræ omni modo præstentur: tamen non pro mora hoc habendum est, quam sufficit semel interuenisse, ut perpetuo debeantur. Seia libertis suis fundum legauit, fideiq; eorum ita commisit. FIDEI AVTEM VESTRAE VERE ET SAPIDE COMMITTO, NE EVM FVNDVM VENDATIS: EVMQVE, QVI EX VOBIS VLTIMVS DECESSERIT, CVM MORIETVR, RESTITVAT SYMPHORO LIBERTO MEO ET SVCCESSORI, ET BERYLLO, ET SAPIDO, QVOS INFRA MANVMISI, QVIVE EX HIS TVNC SVPERVIVENT. quæro, cum nec in prima parte testamenti, qua fundum prælegauit, eos substituit: in secunda autem adiecerit uerbum, QVI VLTIMVS DECESSERIT: an pars unius defuncti ad alterū pertineat? Paulus respondit testatricem uideri in eo fideicommisso, de quo quæritur, duos gradus substitutionis fecisse: unum, ut is, qui ex duobus prior moreretur, alteri restitueret: alterum, ut nouissimus his restitueret, quos nominatim postea enumerauit. Imperator Alexander Augustus Claudiano Iuliano præfecto urbi. Si liquet tibi Iuliane charissime, auiam ob interuertendam inofficiosi querelam patrimonium suum donationibus in nepotem factis exinanisse: ratio deposcit, id, quod donatum est, pro dimidia parte reuocari. Lucius Titius, cum haberet quinq; liberos, uniuersos emancipauit, & in unum filium Caium Seium amplissimas facultates donationibus contulit, & modicum sibi residuum reseruauit, & uniuersos liberos cum uxore scripsit hæredes. in eodem testamento duas possessiones, quas retinuerat, eidem Caio Seio prælegauit: & ab eo petijt, ut ex reditibus prædiorum, quæ uiuus ei donauerat, Mæuiæ filiæ tot aureos daret. item alteri fratri alios tot. qui conuentus à Mæuia foro re sua, legem Falcidiam implorat. quæro. cum sanctissimus Imperator (ut suprà scriptum est) contra uoluntatem donantis ea, quæ donata sunt, reuocari præceperit: an Caius Seius compellendus sit secundum uoluntatem patris ex donationibus fideicommissum præstare hæredi sorori? Paulus respondit. post literas Imperatoris nostri dubitari nō oportere, quin in hac quoq; specie, de qua quæritur, subueniendū sit liberis, quorū portio in unū filiū donationibus collatis imminuta est: præsertim cū Imperator noster contra uoluntatē patris subuenerit: in proposita aūt caussa etiā uoluntas patris pro his, qui fideicōmissa petūt, intercedit sed & si Falcidia lex intercedat fideicōmissa in solidū esse præstanda propter immodicarū donationum rationem. G H I

XC. SCAEVOLA.

LVCIVS Titius testamento ita cauit. SI QVID CVI LIBERORVM MEORVM DEDI, AVT DONAVI, AVT IN VSVM CONCESSI, AVT SIBI ADQVISIVIT, AVT EI AB ALIQVO DATVM, AVT RELICTVM EST: ID SIBI PRAECIPIAT, SVMAT, HABEAT. filij nomine calendariū fecerat. postea sententia dicta est, & placuit: id, quod sub nomine ipsius filij in calendario remanserat, ei deberi: nō etiam id, quod exactū in rationes suas pater conuertisset. quæro. si id, quod exegisset pater ex nominibus filij ante testamentum factū, iterum post testamentū factū in nomē filij cōuertisset: an ad filiū secundū sententiam pertineret? respōdi. id, quod ex ea caussa exactū, in eandē caussā redisset, deberi. PETO A TE TITI, FIDEIQVE TVAE COMMITTO, VTI CVRAM CONDENDI CORPORIS MEI SVSCIPIAS, ET PRO HOC DECEM AVREOS E MEDIO PRAECIPITO. quæro, an si Lucius Titius minus, quā decē aureos erogauerit, reliqua summa hæredibus proficiat? respōdi. secundū ea, quæ proponerenr, hæredū cōmodo proficere. Quę marito hęres exstiterat, ita testamento cauit. MAEVI ET SEMPRONI DVLCISSIMI FILIJ, PRAECIPITOTE OMNE K

A QVIDQVID EX HAEREDITATE BONIS'VE TITII DOMINI MEI PATRIS VESTRI AD ME PERVENIT MORTIS EIVS TEMPORE: ITA TAMEN, VT OMNE ONVS EIVSDEM HAEREDITATIS, TAM IN PRAETERITVM, QVAM IN FVTVRVM, NEC NON ETIAM SI QVID POST MORTEM TITII DOMINI MEI SOLVI, AGNOSCATIS. quæro, an si quid soluisset post mortem mariti (cum ipsa fructus, quos percepisset, dedisset) ad onus eorum pertineret? respondi. secundum ea, quæ proponerentur, ea duntaxat onera legatarijs imposuisse, quæ superessent. QVISQVIS MIHI HAERES HAEREDES'VE ERVNT: HOC AMPLIVS LVCIVS EVTYCHVS, QVAM QVOD EVM HAEREDEM INSTITVI, E MEDIA HAEREDITATE SVMITO, SIBI'QVE HABETO VNA CVM PAM-
B PHILO, QVEM LIBERVM ESSE IVBEO, INSTRVMENTVM TABERNAE FERRARIAE, ITA VT NEGOCIVM EXERCEANT. Lulius Eutychus uiua testatrice decessit. pars hæreditatis eius ad cohæredē pertinuit. quæro, an Pamphilus eodem testamento manumissus, ad petitionē partis instrumenti admitti possit: licet taberna, ut uoluit testatrix, exerceri non possit? respondi admitti. Sempronia substituta hæredi instituto legata accepit, si hæres non esset. mouit contrà institutum actionem, quod dolo eius factum esse dicebat, quò minus testatrix, uolens primo loco scribere eam hæredem, testamentū mutaret: nec obtinuit. quæro, an legati persecutionem saluam haberet? respondi. secundum ea, quæ proponerentur, saluam habere. Testator legata ante quinquennium uetuit peti præstarique: sed hæres quædam sua sponte ante quinquennium soluit. quæsitum est, an eius, quod ante diem
C existentē solutū est, repræsentationē, in reliqua solutione legati repudiare possit? respōdi. nō propterea minus relictum deberi, quod aliquid ante diem sit solutū. Lutius Titius testamento ita cauit. PRAEDIOLVM MEVM DARI VOLO LIBERTIS LIBERTABVS'QVE MEIS, ET QVOS HOC TESTAMENTO MANVMISI, ET SEIAE ALVMNAE MEAE: ITA, NE DE NOMINE FAMILIAE MEAE EXEAT, DONEC AD VNVM PROPRIETAS PERVENIAT. quæro an Seia in communione cum libertis habeat portionem: an uero sibi partem dimidiam eius prædioli uindicare possit? respondi perspicuam esse testantis uoluntatem, omnes ad uiriles partes uocantis. Impuberem filium hæredem instituit. uxori dōtem relegauit, item ornamēta, & seruos, & aureos decē. & si impubes decessisset, substituit. à quibus ita legauit. QVAECVNQVE PRIMIS TABVLIS DEDI, EADEM OMNIA AB
D HAEREDIBVS QVOQVE HAEREDIS MEI IN DVPLVM DARI VOLO. quæritur, an ex substitutione, impubere mortuo, dos quoque iterum debeatur? respondi. non uideri de dōtis legato duplicando testatorem sensisse. Item quæro, cum corpora legata etiam num ex lucratiua caussa possideantur, an à substitutis peti possint? respondi. non posse. CIVIBVS MEIS DO LEGO CHIROGRAPHVM CAII SEII. postea codicillis uetuit à Seio exigi: & ab hęrede petijt, ut ex alterius debitoris debito, quem codicillis nominasset, eandem summam reipublicæ daret. quæsitum est, si posterior idoneus non esset: an integram quantitatē hæredes præstare debeant? respondi. hæredes reipublicæ aduersus eum duntaxat debitorem, qui nouissimis codicillis (ut proponitur) designatus est actionem præstare debere.

Filiam ex asse instituit hæredem, eique substituit nepotem suum, & ita cauit. SI (QVOD
E ABOMINOR) NEQVE FILIA MEA, NEQVE NEPOS MEVS HAEREDES MEI ERVNT: TVNC PORTIONEM MEAM PARTIS DIMIDIAE FVNDI ILLIVS AD LIBERTOS MEOS PERTINERE VOLO. Quæritur, cum ante testatorem & filia & nepos decesserunt, & intestati bona pertinuerūt ad pronepotem eius: an fideicōmissum ad libertos pertineat? respondi. secundum ea, quæ proponerentur, si nullus alius hæres institutus substitutusque esset, quàm filia & nepos: uideri legitimorum fideicommissum esse, ut pręstaretur. QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, SCIAT ME DEBERE DEMETRIO PATRVO MEO DENARIVM TRIA MILIA, ET DEPOSITA APVD ME A SELEVCO PATRVO MEO DENARIVM TRIA MILIA, QVAE ETIAM PROTINVS REDDI ET SOLVI EI IVBEO. quæsitum est an si non deberentur, actio esset? respondi. si non deberentur: nullam, quasi ex debito actionem esse, sed ex fideicommisso. Lucius Titius Damam & Pamphilum liber-

tos suos ante biennium mortis suæ de domo dimisit: & cibaria, quæ dabat, præstare desijt. F
mox facto testamento ita legauit. QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, OMNIBVS LIBERTIS MEIS, QVOS HOC TESTAMENTO MANVMISI, ET QVOS ANTE HABVI, QVOSQVE VT MANVMITTANTVR, PETII: ALIMENTORVM NOMINE IN MENSES SINGVLOS CERTAM PECVNIAM DATO. quæsitum est, an Damæ & Pamphilo fideicommissum debeatur? respondi. secundum ea, quæ proponerentur, ita deberi: si hi, qui peterét, manifestè docerent eo animo circa se patronū, cum testamentum faceret, esse cœpisse, ut his quoque legatum dari uellet. alioquin nihil ipsis præstetur. Damæ & Pamphilo, quos testamento manumiserat, fundum dedit, ita ut post mortem suam filijs suis restitueretur. eodem testamento petijt ab hæredibus suis, ut Pamphilam manumitterent, quæ filia G
naturalis erat Pamphili. idem Pamphilus post diem legati sui cedentem testamento hæredem instituit Mæuiam, eiusque fidei commisit, ut hæreditatem suam (id est fundi suprà scripti partem dimidiam) quam solam in bonis ex testamento patronæ suæ habebat, Pamphilæ filiæ suæ, cum primum libera fuisset, restitueret. quæro. Pamphila manumissa, utrum ex testamento superiore patris sui patronæ eam partem petere possit: an uero ex testamento patris naturalis ex caussa fideicommissi, habita ratione legis Falcidiæ? respondi. ex his, quæ proponerentur, probari Pamphilam duntaxat, ex testamento superiore fideicommissum petere posse. CLAVDIVS notat. quia creditur appellatione filiorum, & naturales liberos uel in seruitutem susceptos contineri. SCAEVOLA. codicillis Caio Seio centum legauit, eiusque fidei commisit, ut ancillæ testatoris ea daret. quæro, an utile fideicommissum H
sit, quod legatarius ancillæ testatoris dare iussus est? respondi, non esse. Item si utile non est: an legatarius hæredi, cuius ancilla est, restituere compellatur? respondi. non compellit. sed nec ipsum legatarium legatum petere posse. Insulam libertis utriusque sexus legauit, ita ut ex reditu eius masculi duplum, fœminæ simplum percipiant: eamque alienari uetuit. ex consensu omnium ab hærede uenundata est. quæro, an & ex precio insulæ duplum mares, simplum fœminæ caperent? respondi. ob precium nullam fideicommissi persecutionem esse: nisi ea mente uenditioni consenserint, ut similiter ex precio mares quidem duplum, fœminæ autem simplum consequantur. Instituto filio hærede, & ex eo nepotibus emancipatis, ita testator cauit. *βούλομαι δὲ τὰς ἐμὰς οἰκίας μὴ πωλεῖσθαι ὑπὸ τῶν κληρονόμων μου, μήτε δανείσασθαι κατ᾽ αὐτῶν, ἀλλὰ μένειν αὐτὰς ἀκεραίας αὐτοῖς καὶ υἱοῖς καὶ ἐκ* I
γόνοις εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον. ἐὰν δέ τις βουληθῇ αὐτῶν τι πωλῆσαι τὸ μέρος αὐτοῦ, ἢ δανείσασθαι κατ᾽ αὐτοῦ, ἐξουσίαν δὲ ἐχέτω πωλῆσαι τῷ συγκληρονόμῳ αὐτοῦ, καὶ δανείσασθαι παρ᾽ αὐτοῦ. Ἐὰν δέ τις παρὰ ταῦτα ποιήσῃ, ἔστω τὸ χρηματιζόμενον ἄχρηστον καὶ ἄκυρον. quæritur, cum filius defuncti mutuam pecuniam à Flauia Dionysia acceperit, & locatis ædibus pro parte sua pensiones sibi debitas creditrici delegauerit: an conditio testamenti exstitisse uideatur, ut filijs suis fideicōmissi nomine teneatur? respondi. secundū ea, quæ proponerentur, nō exstitisse. Matre & uxore hæredibus institutis, ita cauit. A TE VXOR CHARISSIMA PETO, NE QVID POST MORTEM TVAM FRATRIBVS TVIS RELINQVAS. HABES FILIOS SORORVM TVARVM, QVIBVS RELINQVAS. SCIS VNVM FRATREM TVVM FILIVM NOSTRVM OCCIDISSE, DVM EI RAPINAM FECIT. SED ET ALIVS MIHI DETERIORA FECIT. quæro, cū uxor intestata decesserit, & legitima eius hæreditas ad fratrē K
pertineat: an filij fideicōmissum ab eo petere possint? respōdi. posse defendi fideicōmissum deberi. LVCIVS TITIVS HOC MEVM TESTAMENTVM SCRIPSI SINE VLLO IVRISPERITO, RATIONEM ANIMI MEI POTIVS SECVTVS, QVAM MISERAM ET NIMIAM DILIGENTIAM. ET SI MINVS ALIQVID LEGITIME MINVSVE PERITE FECERO: PRO IVRE LEGITIMO HABERI DEBET HOMINIS SANI VOLVNTAS. deinde hęredes instituit. quæsitū est, intestati eius bonorū possessione petita, an portiones adscriptę ex caussa fideicommissi peti possint? respondi. secundum ea quæ proponerentur, posse.

XCI. IDEM.

TESTAMENTO filium & uxorem suam hærede, instituit: postea epistolam scripsisse dicitur,

A dicitur,qua & quidquid in peculio habuit filius,ei donauit,& adiecit,se præcipua hæc eum, suiq; iuris,& post mortem suam habere uelle.quæro,cum testamento significauerit,si quid obsignatum recepisset,id uice codicillorum ualere:epistola autem non sit obsignata:an quę epistola continentur,ad filium pertineant? respondi. si fides epistolæ relictæ constaret: deberi,quæ in ea dari se uelle significauit. Qui indiuisam cũ fratre suo rem habebat,filias suas hęredes instituit,& ita cauit. PTOPTER RES VNIVERSAS,QVAE MIHI CVM FRATRE MEO PATRVO VESTRO COMMVNES SVNT, QVAS AESTIMATIONIS CONSTITERIT ESSE VNIVERSAS DVO MILIVM AVREORVM, FIDEI VESTRAE COMMITTO, VTI PRO PORTIONE VESTRA MILLE AVREOS A LVCRECIO PACATO PATRVO
B VESTRO ACCIPIATIS. huic testamento quinquennio superuixit, & abunde patrimoniũ reliquit.quæsitum est,an hæredes Lucrecij pacati secundum uerba suprascripta offerentes mille aureos,fideicommissum consequantur? respondi.secundum ea,quæ proponerentur, non facere uoluntatem,ut uniuersa datis mille aureis restituerentur:sed æstimationis, quæ mortis tempore in rebus fuerat,oblationem debere fieri. Scio,quem hęredi substituerat, ita legauit. SEIO, SI MIHI HAERES NON ERIT, ET VXORI EIVS MARCELLAE ARGENTI LIBRAS QVINDECIM DARI VOLO. quæro,cum Seius hæres exstiterat,an Marcellæ legati dimidia portio debeatur? respondi. secundum ea,quæ proponerentur,deberi. Lucius Titius intestatò moriturus.cum haberet uxorem,& ex ea filiam emancipatam, codicillis hæc uerba inseruit. PERTINENT HI CODICILLI AD VXOREM ET FILIAM. PRIMVM RO
C GO,SIC INTER VOS AGATIS,VT ME VIVO EGISTIS. ITEMQVE ROGO. QVIDQVID AVT EGO RELIQVERO,AVT VOS IPSI HABETIS,COMMVNE VOBIS SIT. filia intestati patris bonorum possessionem accepit quæritur,an aliqua pars hæreditatis Lucij Titij ex caussa fideicommissi à filia matri debeatur,& quotta? respondi.secundum ea,quæ proponerentur,dimidiam partem deberi:si modo uxor parata esset in commune bona sua conferre. Quatuor filios æquis partibus instituit,& fundum per præceptionem singulis legauit.filij cum uniuersa bona patris obligata essent,mutua accepta pecunia,hæreditario creditori soluerunt,& posteriori obligauerunt.qui cum ei debitum non solueretur, prædia uniuersa lege pignoris uni ex hæredibus uendidit quæritur,an cum iste filius ex caussa emptionis ea possideat,fratribus & cohæredibus fideicommissi petitio sit:an uero ea perempta sit,
D cum communiter uniuersa sequenti creditori obligauerint? respondi.actionem quidem fideicommissi in personam competentem omnibus inuicem manere:non autem id fideicommissum restituendum esse:nisi prius debitum ab eis emptori eidemq; cohæredi persoluererur. Fideicõmisit filię in hæc uerba. PETO A TE FILIA MEA,VT DOTALEM CAVTIONEM POST MORTEM MEAM MVTES,ET ITA RENOVES,VT FRATRES TVI DOTEM STIPVLENTVR HOC CASV,VT SI SINE LIBERIS VNO PLVRIBVSVE IN MATRIMONIO MORIERIS,DOS AD EOS PERVENIAT. post mortem patris decessit maritus antè, quàm renouaretur cautio dotalis: & postea nupta alij,decessit nullo liberorum relicto,uiuo adhuc Titio uno ex fratribus quæsitum est,an Titius petitionem haberet rerum,quæ in dote fuerant? respondi,posse fideicommissum ab hæredibus sororis peti:si per eam ste
E tisset,quò minus dotem frater stipularetur. Filiũ & filiam hæredes instituit,& libertis legata dedit,eorumque fideicommisit in hæc uerba: A VOBIS PETO,VT QVIDQVID VOBIS LEGAVI,EO CONTENTI SITIS VIVENTES,VT POST VOS FILIIS MEIS RESTITVATIS. defuncta testatricis filia Mauia,libertus decessit, hærede instituto patrono filio ex parte debita, ex altera extraneo.quæsitum est,an adita hæreditate patronæ filius à cohærede suo partem eorum, quæ ex testamento matris ad Mæuium libertum peruenerant,petere posset? respondi. eius, quod ei deberetur, si hæreditatem non adisset, partem à cohærede petere posse. Maritus uxorem ex asse hæredem instituit,cuius post mortem codicillos aperiri testator præcepit.prædium hæreditarium uxor, infructuosum rationi suę existimans, uendidit emptor quærit, an retractari hæc uenditio possit post mortem mulieris ab his quibus codicillis per fideicõmissum hæreditas data deprehenderetur:

an uero solum quantitas precij ab hærede uxoris fideicommissarijs deberetur? respondi propter iustam ignorantiam,tam mulieris, quàm emptoris,hæredem mulieris, ut fundus apud emptorem remaneat,fideicommissario precium dare debere. F

DIGESTORVM SEV

PANDECTARVM LIBER TRICESIMVS SECVNDVS.

DE LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS Liber tertius. G

I. VLPIANVS.



I INCERTVS quis sit, captiuus,an à latrunculis obsessus sit: testamentũ facere nõ potest.sed & si sui iuris sit ignarus, putetq; se per errorẽ,quia à latronibus captus est, seruum esse uelut hostiũ:uel relegatus,nihil se à captiuo differre putet:non posse fideicõmittere certũ est:quia nec testari potest, qui an liceat sibi testari, dubitat. Sed & si filiusfamiliàs uel seruus fideicõmissum reliquerit, nõ ualet, si tamen manumissi decessisse proponantur: constanter H dicemus,fideicommissum relictum uideri, quasi nunc datum,cũ mors ei contigit:uidelicet si durauerit uoluntas post manumissionem. hæc utiq; nemo credet in testamentis nos esse probaturos:quia nihil in testamento ualet, quoties ipsum testamentũ nõ ualet. sed ualet fideicõmissum,& si aliàs quis reliquerit. Hi quibus aqua & igni interdictum est,fideicõmissum relinquere non possunt:quia nec testamenti faciendi ius habent,cum sint ἀπόλιδες. Deportatos autem eos accipere debemus, quibus princeps insulas adnotauit,uel de quibus deportandis scripsit. cæterum prius,quàm factum præsidis cõprobet,nondum amisisse quis ciuitatem uidetur.proinde si antè decessit: ciuis decessisse uidetur:& fideicommissum,quod antè reliquerat,quàm sententiam pateretur,ualebit. sed & si post sententiam,antè quàm Imperator comprobet:ualebit, quod factũ est: quia certum I statum usq; adhuc habuit. à præfecto uero prætorio, uel eo, qui uice præfecti ex mandatis principis cognoscit, item à præfecto urbi deportatos: (quia ei quoq; epistola diui Seueri & Imperatoris nostri ius deportandi datum est) statim amittere ciuitatem, & ideo nec testamenti ius faciendi, nec fideicommittendi constat habere. Si quis planè in insulam deportatus codicillos ibi fecerit, & indulgentia Imperatoris restitutus, ijsdem codicillis durantibus decesserit: potest defendi fideicommissum ualere, si modo in eadem uoluntate durauit. Sciendum est autem eorum fideicommitti posse, ad quos aliquid peruenturum est morte eius:uel dum eis datur,uel dum eis non adimitur:nec tantum proximi bonorum possessoris,uerum inferioris quoq; fideicommittere possumus. sed & eius, qui nondum natus est: si modo natus nobis successurus sit. Illud certè indubitatè dicitur. si quis K intestatus decedens ab eo,qui primo gradu ei succedere potuit,fideicommissum reliquerit: si illo repudiante ad sequentem gradum deuoluta sit successio: cum fideicommissum non debere.& ita Imperator noster rescripsit.sed & si à patrono sit relictum, & aliquis ex liberis eius mortuo eo admissus sit ad bonorum possessionem:idem erit dicendum.

II. CAIVS.

A FILIO præterito,licet suus hæres erit,fideicommissum relinqui non potest.

III. VLPIANVS.

SI MVLIER dotem stipulata fuerit, & accepto tulerit maritò dotem in hoc,ut fideicommissum det:dicendum est,fideicommissum deberi.percepisse enim aliquid à muliere uidetur.hoc ita,si mortis causa donatura mulier marito fecit acceptum. Sed & si mortis causa auxe

A auxerit maritò dotem, uel in matrimonium eius mortis caussa redierit: potest dici, fideicommissum ab eo deberi. Iulianus scribit, si seruus mihi legatus sit, eumque manumittere rogatus sim: fideicommissum à me relinqui non posse, scilicet si purè roger. nam si sub conditione, uel in diem: propter fructum medij temporis posse me obligari, nec Iulianus dubitaret. Si rem quis debeat ex stipulatu: eius, cui rem legauerit, fideicommittere non poterit: licet ex legato commodum sentire uideatur, quod dominium nanciscatur statim, nec exspectet ex stipulatu actionem. forsassis quis dicat & sumptum litis, quem sustineret, si ex stipulatione litigaret, eum lucrari. sed nequaquam dicendum est, huius fidei committere me posse. Sed si habenti tibi proprietatem, usumfructum mortis caussa cessero: potest dici fideicō-

B mittere me posse. nec quenquam moueat, quod usufructus solet morte exstingui. nam medij potius temporis, quo uiuat qui donauit, commodū cogitamus. si aūt pignus debitori liberauero mortis caussa, & eius fidei commisero: non potest ualere fideicommissum.

IIII. PAVLVS.

A patre uel domino relictum fideicommissum, si hæreditas ei nō quæratur: ab emancipato filio, uel seruo manumisso utilibus actionibus postulatur. penes eos enim quæsitæ hæreditatis emolumentum remanet.

V. VLPIANVS.

Si fuerit municipio legatum relictum ab his, qui rempublicam gerunt: fideicommissum dari potest. Si quis non ab hærede uel legatario, sed ab hæredis uel legatarij hære-

C de fideicommissum reliquerit: hoc ualere, benignum est.

VI. PAVLVS.

Sed & si sic fideicommissum dedero ab hærede meo, TE ROGO LVCI TITI, VT AB HAEREDE TVO PETAS, DARI MAEVIO DECEM AVREOS: utile erit fideicommissum, scilicet ut mortuo Titio ab hærede eius peti posit. idque & Iulianus respondit. Sic autem fideicommissum dari non poterit, SI STICHVS SEII FACTVS, IVSSV EIVS HAEREDITATEM ADIERIT, ROGO DET: quoniam qui fortuitū, non iudicio testatoris consequitur hæreditatem, uel legatum: non debet onerari. nec recipiendum est, ut qui nihil dederis, eum rogando obliges.

VII. IDEM.

D Si deportati seruo fideicommissum fuerit adscriptum: ad fiscum pertinere dicēdum est: nisi si eum deportatus uiuo testatore alienauerit, uel fuerit restitutus. tunc enim ad ipsum pertinere debebit. Similes deportato fideicommissum reliquerit: uerius est, quod & Marcellus probat, capere eum posse. Si quis creditori suo legauerit id, quod debet: fidei committi eius non poterit, nisi si commodum aliquo ex legato consequatur: fortè exceptionis timore leuatus, uel si quid in diem debitum fuerit, uel sub conditione.

VIII. PAVLVS.

Si legatarius, à quo fideicommissum datum est, petierit legatum: id tantum, quod per iudicem exegerit, præstare fideicommissario cogetur: uel si non exegerit, actionē cēdere. ad eum enim litis periculum spectare iniquum est, si non culpa legatarij lis perierit. Seruo

E hæredis fideicommissum utiliter non relinquitur: nisi fidei eius commiserit, ut seruū manumittat. Cum ita petisset testator, ut quidquid ex bonis eius ad patrem peruenisset, filiæ suæ ita restitueret, ut eo amplius haberet, quàm ex bonis patris habitura esset: diuus Pius rescripsit, manifestū esse, de eo tempore sensisse testatorem, quod post mortē patris futurū esset.

IX. MAETIANVS.

Si ita fuerit fideicommissum relictum, AD QVEMCVNQVE EX TESTAMENTO MEO, VEL AB INTESTATO, uel ita, AD QVEMCVNQVE QVOQVO IVRE BONA MEA PERVENIANT: hac oratione & eius qui postea natus erit, inúe eam familiā uenerit, & eius, qui postea cognatus esse cœperit, fideicomissum uidetur. eius quoque, quæ nondum nupta erit, sed postea: eo scilicet casu, quo ex edicto ad uxorē bona mariti intestati solēt pertinere.

X. VALENS.

Si tibi

SI TIBI & ei,qui ex tribus liberis meis in funus meum uenerit,centum aureos legauero: F
non minuetur in tua perſona legatum,ſi nemo uenerit.

XI. VLPIANVS.

FIDEICOMMIſſa quocunq; ſermone relinqui poſſunt:non ſolum Latina,uel Græca, ſed
etiam Punica,uel Gallicana,uel alterius cuiuſcunq; gentis lingua. Quoties quis exemplū
teſtamenti præparat,& prius decedit,quàm teſtator: non ualent quaſi ex codicillis, quæ in
exemplo ſcripta ſunt: licet uerba fideicommiſſi ſcripta habeant, & ita diuum Pium decre/
uiſſe Mætianus ſcribit. Si ita quis ſcripſerit, ILLVM TIBI COMMENDO: diuus Pius re/
ſcripſit,fideicommiſſum non deberi.aliud eſt enim perſonam commendare, aliud uolunta
tem ſuam fideicōmittentis hæredibus inſinuare. Cum eſſet quis rogatus reſtituere por/ G
tionem,accepta certa quantitate:reſponſum eſt,ultro petere ipſum fideicommiſſum ab hæ/
rede poſſe.ſed utrum,ſi uolet,percipiat,reſtituatq; portionem: an uero & ſi noluerit, coga/
tur accepta certa quantitate, portionem reſtituere: propriæ eſt deliberationis. & ſanè cum
quis rogatus eſt, accepta certa quātitate portionem reſtituere: duplex eſt fideicommiſſum.
unum,ut poſſit petere quantitatem,paratus portione cedere:aliud,ut & ſi non petat,tamen
cogatur fideicommiſſario reſtituere, parato præſtare quantitatem. Si quis ita ſcripſerit,
SVFFICIVNT TIBI VINEAE, VEL FVNDVS: fideicommiſſum eſt:quoniam & illud fi/
deicommiſſum eſſe arbitramur CONTENTVS ESTO ILLA RE. Sic fideicommiſſum
relictum, NISI HAERES MEVS NOLVERIT, ILLI DECEM DARE VOLO: quaſi condi/
tionale fideicommiſſum eſt, & primam uoluntatem exigit. ideoq; poſt primam uolūta/ H
tem non erit arbitrium hæredi dicendi ſe noluiſſe.hoc autem legatum CVM VOLVERIT
tractum habet,quàmdiu uiuat is,à quo fideicommiſſum relictum eſt.uerum ſi antè, quàm
dĕderit,deceſſerit:hæres ipſius,præſtat.ſed ſi fideicōmiſſarius antè,quàm hæres conſtituat,
deceſſerit:ad hæredem ſuum nihil tranſtuliſſe uidetur. conditionale enim eſſe legatum,ne
mini dubium eſt: & pendente conditione legati uideri deceſſiſſe fideicommiſſarium.

Quanquam autem fideicommiſſum non debeatur ita relictum, SI VOLVERIS: tamen
ſi ita adſcriptum fuerit, SI FVERIS ARBITRATVS, SI PVTAVERIS, SI EXISTIMAVE/
RIS, SI VTILE TIBI FVERIT VISVM, VEL VIDEBITVR: debebitur. non enim plenum
arbitrium uoluntatis hæredi dĕdit, ſed quaſi uiro bono fideicommiſſum relictum. Pro/
inde & ſi ita ſit fideicommiſſum relictum, ILLI SI DEMERVERIT: omnimodo fideicom/ I
miſſum debebitur:ſi modo meritum, quaſi apud uirum bonum, collocare fideicommiſſa/
rius potuit. & ſi ita ſit, SI TE NON OFFENDERIT: æquè debebitur. nec poterit hæres cau/
ſari,non eſſe eum meritum:ſi alius uir bonus,& non infeſtus,meritum potuit admittere.

Hæc uerba TE FILI ROGO, VT PRAEDIA, QVAE AD TE PERVENERINT, PRO
TVA DILIGENTIA DILIGAS, ET CVRAM EORVM AGAS, VT POSSINT AD FILIOS
TVOS PERVENIRE: licet non ſatis exprimunt fideicommiſſum,ſed magis conſiliū, quàm
neceſſitatem relinquendi: tamen ea prædia in nepotibus poſt mortem patris eorum uim
fideicommiſſi uidentur continere. Si filio à patre hærede inſtituto fideicommiſſum re/
lictum fuerit: & ſi uerbis non ſit ita relictum, CVM PATER MORERETVR, ſed in/
telligi hoc poſſit:pută quia ſic relictum eſt,ut relinquar filio,uel VOLO EVM HABERE, K
uel VOLO AD EVM PERTINERE: defendetur in id tempus fideicōmiſſum relictū, quo ſui
iuris filius efficitur. Si cui ita fuit fideicōmiſſum relictū, SI MORTE PATRIS SVI IVRIS
EFFECTVS FVERIT, & emancipatione ſui iuris factus ſit: non uidebitur defeciſſe cōditio.
Sed & cū mors patri cōtingat:quaſi exſtante cōditione, ad fideicōmiſſum admittetur. Si
rē ſuā teſtator legauerit,eamq; neceſſitate urgēte alienauerit:Mætianus putat,fideicōmiſsū
peti poſſe:niſi probetur,adimere ei teſtatorem uoluiſse. probationē aūt mutatæ uoluntatis
ab hæredibus exigendā.Ergo & ſi nomen quis debitoris exegerit,quod per fideicōmiſsum
reliquit:non tamen hoc animo,quaſi uellet exſtinguere fideicōmiſsum:poterit dici,deberi:
niſi fortè inter hæc intereſt.hic enim exſtinguitur ipſa cōſtantia debiti: ibi res durat,tam &
ſi aliena ſit. cum tamen quidā nomē debitoris exegiſset, & pro depoſito pecuniā habuiſset
putauit:

A putauit fideicommissi petitionem superesse: maximè, quia non ipse exegerat, sed debitor ultro pecuniam obtulerat, quam offerente ipso non potuit nõ accipere. paulatim igitur admittemus, & si ex hac parte pecuniæ rem comparauerit, quam non hoc animo exegit, ut fideicommissarium priuaret fideicommisso: posse adhuc fideicommissi petitionem superesse. Si quis illicitè ædificasset, id est hoc, quod dirui constitutiones iubent: an fideicõmisso relinquere ex eo quid possit, uideamus, & puto posse. cum enim dirui necesse sit: nulla dubitatio est, quin senatusconsultũ impedimento nõ sit. Si hæres rogatus sit certã summã usuris certis fœnori dare: utile est fideicõmissum. sed Mætianus putat, non aliàs cogendum credere, quàm idoneè ei caueatur. sed ego procliuior sum, ut putem, cautionem non exigendã.

B Si seruo alieno militia relinquatur: an domino quæratur legatum, quæritur? & aut scit seruum esse, & dico æstimationem deberi: aut ignorauit, & denegari fideicommissi persecutio debet: quia si scisset seruum, non reliquisset. ex his apparet, cum per fideicommissum quid relinquitur, præstandum ipsum, quod relictũ est. cum uero ipsum præstari nõ potest: æstimationem esse pręstandam. Si quis alicui decem per fideicommissum reliquerit: & si perdidisset id, quod testamento relictum est, rursus ei reliquerit: quærebatur, an sequens fideicommoissum ualeat? uel an exigere hæres debeat cautionem, salua fore decem, ne cogatur ad præstationem? & an si sæpius perdidisset, sæpius ei satiatur fideicommissum? diuus Pius rescripsit: neq; cautionem exigendam, & non amplius, quàm semel, postquàm perdidisset, præstandum. non enim onerandus est hæres, ut in infinitum, quoties perdiderit, re-

C stituere ei tantundem debeat: sed ut per fideicommissum posterius duplicata ei legata uideantur: nec amplius ad periculum hæredis pertineat, si quid postea is cõsumpserit, exsoluto, & posteriore fideicommisso. Item si quis certam quantitatem cui reliquerit, & addiderit, facilius hanc summam posse compensari: cum debitor sit fideicõmissarius ex caussa hæreditatis Caij Seij, nec uelit ille adire hæreditatem Caij Seij, sed petat fideicommissum: Imperator noster contrà uoluntatem eum testantis petere fideicommissum rescripsit: cum in fideicommissis præcipuè spectanda, seruandaq; sit testatori uoluntas. Plerunq; euenit, multorum interesse id, quod relinquitur: uerum testatorem uni uoluisse honorem habitum. & hæc est sententia Marcelli uerissima. sic enim euenit, ut interdum, si pluribus testator honorem habere uoluit, & de pluribus sensit: quamuis unum legatum sit: tamen ad per-

D secutionem eius plures admittantur. utputà si decem fuerunt eiusdem rei stipulandi, & hæres uel fideicommissarius rogatus est, ut eis solueret. hic enim si omnium interest, & de omnibus sensit testator: fideicommissum relictum omnes petere poterunt. sed utrum in partem agent, an in solidum, uideamus. & credo, prout cuiusq; interest, consecuturos. Vnus igitur, qui occupat, agendo totum consequitur: ita, ut caueat, defensum iri aduersus cæteros fideicommissarios eum, qui soluit: siue socij sint, siue non. Interdum alterius nomen scribitur in testamento, alteri uero fideicommissi petitio, uel legati competit. utputà si fidei hæredis committatur, ut ipse publicano pro Titio præstet. fideicommissum hoc uel legatum non publicanus petit, licet sit ei adscriptum: sed ipse petere poterit, pro quo legatum relictũ est. multum autem interesse arbitror, cui uoluerit prospectum, cuiusq; cõtemplatione testa-

E tor fecerit. plerunq; autem intelligendum est, priuati caussa hoc fecisse, licet emolumentum publicano quæratur. Si in opere ciuitatis faciendo aliquid relictum sit: unumquenq; hæredem in solidum teneri, diuus Marcus & Lucius Verus Proculæ rescripserunt. tempus tamen cohæredi præstituerunt: intra quod mittat ad opus faciendum. post quod solam Proculam uoluerunt facere, imputaturam cohæredi sumptum pro parte eius. ergo & in statua, & in seruitute, cæterisq;, quæ diuisionem non recipiunt, idem diuus Marcus rescripsit. Si quis opus facere iussus, paratus sit pecuniam dare reipublicę, ut ipsa faciat, cum testator per ipsum id fieri uoluerit: non audietur. & ita diuus Marcus rescripsit.

XII. CAIVS.

STICHVS LIBER ESTO, ET VT EVM HAERES ARTIFICIVM DOCEAT, VNDE SE TVERI POSSIT, PETO. Pegasus inutile fideicõmissum esse ait, quia genus artificij adiectũ

non

non esset. sed prætor aut arbiter ex uoluntate defuncti, & ætate, & conditione, & natura, ingenioq; eius, cui relictum erit, statuet, quod potissimum artificium hæres docere eum sumptibus suis debeat. F

XIII. MAETIANVS.

SI SIC locutus erit testator, HAERES MEVS ILLI FVNDVM DATO. SEIO HOC AMPLIVS DECEM. non erit dubitandum, quin Seius & fundi partem & decem ex testamento percipere debeat.

XIIII. CAIVS.

NON dubium est, quin si uxori legatum sit, SI NON NVPSERIT, idq; alij restituere rogata sit: cogenda sit, si nupserit, restituere. Hæres quoq;, cui iurisiurandi conditio remittitur, legatum & fideicommissum debet. Sed & si cui legatum relictum est, ut alienam rem redimat, uel præstet: si redimere non possit, quod dominus id non uendat, uel immodico precio uendat: iustam æstimationem inferet. G

XV. MARTIANVS.

HAERES testatoris legata, quæ in profundo esse dicuntur, quandocunq; apparuerint, præstat.

XVI. POMPONIVS.

SAEPE legatum plenius restituitur fideicommissario, quàm est relictum: ueluti si alluuione ager auctus est, uel etiam insulæ natæ.

XVII. MAETIANVS.

ETIAM ea, quæ futura sunt, legari possunt, ut insula, uel in mari, uel in fluminibus nata. Seruitus quoq; (seruo) prædium habenti rectè legatur.

XVIII. POMPONIVS. H

SI IVRE testamento facto fideicommissum tibi reliquero, deinde aliud postea fecero non iure, in quo fideicommissum relinquam tibi, uel aliud, quàm quod priore testamento, uel omnino non sit relictum: uidendum est, an mens mea hæc fuerit facientis postea testamentum, ut nolim ratum esse priore testamento tibi relictum: quia uoluntate nuda fideicõmissa infirmantur. sed uix id obtinere potest. fortassis ideo, quod ita demum à priore testamento recedi uelim, si posterius ualiturum sit: & nunc ex posteriore testamento fideicommissum ei non debeatur, etiam si ijdem hæredes utroq; testamento instituti ex priore extiterint.

XIX. VALENS.

SI TIBI legatum est uel fideicommissum relictum, uti quid facias: etiam si non interest hæredis id fieri, negandam tibi actionem, si non caueas hæredi futurum, quod defunctus uoluit, Nerua & Atilicinus rectè putauerunt. I

XX. VLPIANVS.

SI RES mihi per fideicommissum relicta, eadem tibi legata uel per fideicommissum relicta sit, non communicandi animo, sed utriq; in solidum: ambigendum non est, si alteri sit soluta, alterum quidem nullum ius in ipsa re habere, sed actionem de precio integrã tamen habere.

XXI. PAVLVS.

NVTV etiam relinquitur fideicommissum: dummodo is nutu relinquat, qui & loqui potest: nisi superueniens morbus ei impedimento sit. Fideicommissum relictum & apud eum, cui relictum est, ex caussa lucratiua inuentum, extingui placuit: nisi defunctus æstimationem quoq; eius præstari uoluerit. Columnis ædium uel tignis per fideicommissum relictis: ea tantummodo amplissimus ordo præstari uoluit (nulla æstimationis facta mentione) quæ sine domus iniuria auferri possunt. K

XXII. HERMOGENIANVS.

SI QVIS in principio testamenti adscripserit, CVI BIS LEGAVERO, SEMEL DEBERI VOLO, postea eodem testamento uel codicillis sciens sæpe eidem legauerit: suprema uoluntas potior habetur. nemo enim eam sibi legem potest dicere, ut à priore ei recedere non liceat. Sed hoc ita locũ habebit, si specialiter dixerit prioris uoluntatis se pœnituisse, & uoluisse, ut legatarius plura legata accipiat. Miles, in eum ex militari delicto capitali dicta sententia: permittente eo in ipsa sententia, qui damnauit: sicut testamenti faciendi, ita fideicommissi relinquendi potestatem consequitur. Mortis damnum per fideicommissum serui relicti,

A relicti, antè quàm mora fiat, fideicommissarius solus patitur, licet alienus relinquatur.

XXIII. PAVLVS.

EX IMPerfecto testamento legata uel fideicommissa Imperatorē uindicare, inuerecundum est. decet enim tantæ maiestati, eas seruare leges, quibus ipse solutus esse uidetur.

XXIIII. TERENTIVS.

CREDITORI ita potest legari, ne indebitum ab eo repetatur.

XXV. PAVLVS.

ILLE AVT ILLE HAERES SEIO CENTVM DATO. potest Seius, ab utro uelit, petere. Cum in uerbis nulla est ambiguitas, non debet admitti uoluntatis quæstio.

B XXVI. IDEM.

IS QVI fideicommissum debet, post moram non tantum fructus, sed etiam omne damnum, quo affectus est fideicommissarius, præstare cogitur.

XXVII. IDEM.

PAVLA Callinico ex parte hærede instituto, filiæ eiusdem Iubentianæ, cum in familia nupsisset, decem testamento legauit. deinde post tempus codicillis factis, centū eidem Callinico reliquerat, non adiecto HOC AMPLIVS. pronunciauit utranq; summam deberi: maximè cum in codicillis filiæ Callinici nihil legatum fuisset. Pompeius Hermippus filium Hermippum ex dodrante, filiam Titianam ex quadrante hæredes instituerat, & prædia certa singulis prælegauerat. præterea si sine liberis Hermippus moreretur, aliam possessio
C nem filiæ dări iusserat. post testamentum factis codicillis certa filiæ prædia dĕderat: eamq; his contentam esse uoluit pro omni hæreditate, & his, quæ in testamento reliquerat. Hermippi bona ad fiscum peruenerant. Titiana soror fideicommissum petebat. quærebatur, utrum pro hæreditate tantū, an & pro his, quæ post mortem frater rogatus erat restituere, pater eam uoluisset accipere ea, quæ codicillis reliquerat? mihi ab omni uolūtate recessum uidebatur. placuit autem humanius interpretari: ea sola, quæ uiuente fratre acceptura erat, adempta uideri: non etiam quæ post mortem eius reliquerat, si sine liberis decederet. & ita pronunciauit. Iulianus Seuerus decedens, institutis quibusdam hæredibus, alumno suo quinquaginta legauerat: eaq; à Iulio Mauro colono suo ex pēsionibus fundi ab eo debitis præstari uoluit: itemq; Mauro quædam legauerat. cum de hæreditate fiscus quæstionem
D mouisset: iussu procuratoris Maurus pecuniam fisco soluerat. postea hæres scriptus obtinuerat aduersus fiscum. alumno autem mortuo hæres eius fideicommissum ab hærede Mauri petebat. placuit Imperatori non uideri eius fideicommissum. sed demōstratum, unde accipere posset. & ideo hæredem Seueri hæc præstare debere.

XXVIII. IDEM.

SI FIDEI meæ committatur, ut quod mihi relictum fuerit suprà, quàm capere possum, alij restituam: posse me id capere, constat.

XXIX. IABOLENVS *lib. III. ex posterioribus Labeonis.*

QVI concubinam habebat, ei uestem prioris concubinæ utendam dĕderat: deinde ita legauit, VESTEM, QVAE EIVS CAVSSA EMPTA, PARATA EST. Cascellius, Trebatius
E negant ei deberi prioris concubinæ caussa parata: quia alia conditio esset in uxore. Labeo id non probat: quia in eiusmodi legato non ius uxorium sequendum, sed uerborum interpretatio esset facienda. idemq; uel in filia, uel qualibet alia persona iuris esse. Labeonis sententia uera est. Cum ita legatum esset, TITIA VXOR MEA TANTVLAM PARTEM HABEAT, QVANTVLAM VNVS HAERES: si non æquales partes essent hæredum: Quintus Mutius & Gallus putabant, maximam partem legatam esse: quia in maiore minor quoq; inesset. Seruius, Ofilius, minimam: quia cum hæres damnatus esset, in potestate eius esset, quam partem dăret. Labeo hoc probat idq; uerū est. Cum ita legatum esset, QVANTA PECVNIA EX HAEREDITATE TITII AD ME PERVENIT, TANTAM PECVNIAM HAERES MEVS SEIO DATO: id legatum putat Labeo, quod acceptū in tabulas suas ex ea hæreditate testator retulisset. cæterū negat cauendū hæredi à legatario, si quid fortè postea eius

hæreditatis nomine hæres damnatus esset. ego puto contrà: quia non potest uideri ad hæredem peruenisse, quod eius hæreditatis nomine præstaturus esset. idem Alfenus Varus Seruio placuisse scribit. quod & uerũ est. Si hæres tibi, seruo generaliter legato, Stichum tradiderit, isque à te euictus fuerit: posse te ex testamento agere, Labeo scribit: quia non uideatur hæres dedisse, quod ita dederat, ut habere non possis. & hoc uerum puto. sed hoc amplius ait: debere te prius, quàm iudicium accipiatur, denunciare hæredi. nam si aliter feceris: agenti ex testamento opponetur tibi doli mali exceptio. SI STICHVS ET DAMA SERVI MEI IN POTESTATE MEA ERVNT, CVM MORIAR: TVNC STICHVS ET DAMA LIBERI SVNTO, ET FVNDVM ILLVM SIBI HABENTO. si alterum ex his post testamentum factum dominus alienasset, uel manumisisset: neutrum liberum futurum, Labeo putat. sed Tubero eum, qui remansisset in potestate, liberum futurum, & legatum habiturum putat. Tuberonis sententiam uoluntati defuncti magis puto cõuenire. Qui quatuor pocula oleaginea habebat, ita legauit. POCVLA OLEAGINEA DVO PARIA. Respondi, unum par legatum esse: quia non ita esset, BINA PARIA: neque ita, POCVLORVM PARIA DVO. idem & Trebatius. Qui hortos publicos à republica conductos habebat, eorũ hortorum fructus usque ad lustrũ, quo conducti essent, Aufidio legauerat: & hæredem eam conditionem eorum hortorũ ei damnauerat dãre, sineretque eum uti & frui. Respondi, hæredem teneri sinere frui. hoc amplius hæredem quoque mercedem hortorum reipublicæ præstaturum. Cum in testamento scriptum esset, STICHO SERVO MEO HAERES QVINQVE DATO. ET SI STICHVS HAEREDI MEO PER BIENNIVM SERVIERIT, LIBER ESTO: post biennium legatum deberi existimo: quia in id tempus & libertas & legatum referri debent. quod & Trebatius respondit. Si fundum mihi uendere certo precio damnatus es: nullum fructum eius rei ea uenditione excipere tibi liberum erit: quia id precium ad totam caussam fundi pertinet. Qui fundum mandatu meo in societatem mihi & sibi emerat: deinde eum finibus diuiserat, & prius quàm mihi traderet ita eum tibi legauerat, FVNDVM MEVM ILLI DO. negaui amplius parte illi deberi: quia uerisimile non esset, ita restatum esse patremfamiliâs, ut mandati hæres eius damnaretur. VXORI MEAE DVM CVM FILIO MEO CAPVAE ERIT, HAERES MEVS DVCENTA DATO. filius à mãtre migrauit. si ambo Capuæ habitassent: legatum mãtri debitum iri putaui, quamuis unà non habitassent. sin autem in aliud municipium transissent: unius tantummodo anni debitum iri, quo unà habitassent quantolibet tempore. Trebatius ait. uideamus, an his uerbis DVM CVM FILIO CAPVAE ERIT non conditio significetur, sed ea scriptura pro superuacua debeat haberi. quod non probo. sin autem per mulierem mora non est, quò minus cum filio habitet: legatum ei deberi. Si ædes alienas ut dãtes damnatus sis, neque eas ulla conditione emere possis: æstimare iudicem oportere Ateius scribit, quanti ædes sint, ut precio soluto hæres liberetur. idem iuris est, & si cum potuisses émere, non emeris.

XXX. LABEO. lib. πιθανῶν.

SI CVI ædes legatæ sint: is omne habebit id ædificium, quod supra sôlum earum ædium erit. PAVLVS. hoc tunc demum falsum est, cum dominus binarium aliquod conclaue, quod & supra concamerationem alterarum ædium sit, in usum alterarum conuerterit, atque ita his usus fuerit. nanque eo modo alteris ædibus id accedet, alteris decedet.

XXXI. SCAEVOLA.

SEXTIAM filiam ex quadrante, ex reliquis Seium & Marium sororis filios scripsit hæredes. Sextiam substituit Mario, & Marium Sextiæ. dẽdit autem per præceptionem Mario certas species. Marius partem hęreditatis, ex qua scriptus erat, omisit: & eo intestato defuncto, bona eius ad fratrem legitimum Seium deuoluta sunt. quæsitum est, an Sextia ex substitutione etiam hæc, quæ prælegata Mario erant, iure substitutionis à legitimo hærede defuncti sibi uindicare possit. Respondi. secundum ea, quæ proponerentur, Sextiam in legatis, quæ Mario dãta essent, substitutam non esse.

XXXII. IDEM.

Vxori suæ

A VXORI SVAE inter cætera ita legauit, ET DOMVS EAM PARTEM, IN QVA MORARI CONSVEVIMVS. quæsitum est. cum tam testamenti faciendi tempore, quàm mortis, totam domum in usu habuerit, nec quidquam ex ea locatum: an ea tantummodo uideatur legasse cubicula, in quibus dormire consueuerant? Respondit. eam omnem partem, in qua morari cum familia sua consuesisset. Vxori suæ inter cætera ita legauit. VXORI MEAE QVIDQVID VIVVS DEDI, DONAVI, VSIBVS'VE EIVS COMPARAVI, CONCEDI VOLO. quæro, an quod post testamentum factum ei donatum est, id quoque concessum uideatur? Respondit. uerba, quæ proponerentur, nihil pro futuro tempore significare. Cum Seius pro uxore centum aureos creditori soluerit, & ornamentum pignori positum luerit, B postea autem testamento facto uxori suæ legauerit, quidquid ad eum, inuc stipulatum eius concessit, & hoc amplius uicenos aureos annuos: quæsitum est, an hos centum aureos hæredes uiri ab uxore uel hæredibus eius repetant? Respondit. si donationis caussa creditori soluisset: teneri hæredes ex caussa fideicommissi, si repetant, atque exceptione etiam petentes submoueri: quod præsumptum id esse debeat, nisi contrarium ab hæredibus probetur.

XXXIII. IDEM.

NOMEN debitoris in hæc uerba legauit. TITIO HOC AMPLIVS DARI VOLO DECEM AVREOS, QVOS MIHI HAEREDES CAII SEII DEBENT, ADVERSVS QVOS EI ACTIONEM MANDARI VOLO, EI'QVE EORVNDEM PIGNORA TRADI. quæro, utrum hæredes tantum decem dāre debeant, an omne debitum, hoc est & in usuras debeant mandare? C Respondit. uideri uniuersam eius nominis obligationem legatam. Item cum ignorante matrefamiliās, actores in prouincia adiectis sorti usuris, decem stipulati sint: an ex caussa fideicommissi suprascripti etiam incrementum huius debiti ad Titium pertineat? Respondit, pertinere. Filio ex parte hærede scripto præceptionem dēdit inter cætera his uerbis. TITIO FILIO MEO NOMINA EX CALENDARIO, QVAE ELEGERIT FILIVS MEVS SIBI, VIGINTI DARE DAMNAS SVNTO SINE DOLO MALO. eidem filio uiuus omnium rerum suarum administrationem permisit. qui post testamentum factum ante mortem patris annis decem, quibus procurabat patri, contra ueterem cōsuetudinem patris, qua calendarium exercebatur, nouos debitores amplarum pecuniarum fecit: & in priores, quos pater exiguarum fortunarum habebat, maius creditum cōtulit, ad hoc, ut uiginti nominibus D propè omnis substantia calendarij esset. quæsitum est, an huic filio eorum nominum, quæ ipse fecisset, præceptio permittenda esset. respondi. ex his electionē habere, quæ testamenti tempore testator in calendario habuisset. Vni ex hæredibus per præceptionem reliquit ea, quæ ex patrimonio sui uiri Aretonis ei supererant: eiusque fidei commisit, hæc eadem restituere pronepoti, cum esset annis sedecim. in quibus hęc uerba adiecit. ITEM ROGO, VTI RELIQVVM AES ALIENVM, QVOD EX BONIS ARETONIS DEBETVR, OMNIBVS CREDITORIBVS EX REDITIBVS EORVM BONORVM SOLVAS, REDDAS, SATI'SQVE FACIAS. quæsitum est. si probauerit hæres non sufficere reditum bonorū ad totius debiti exsolutionem: an nihilominus tamen ipse debeat agnoscere onus æris alieni? Respondi. manifestè proponi, ex reditibus bonorum eorum iussum alienum æs, non de proprio soluere.

E Pater filio, & filia hæredibus institutis, cū singulis certa prędia & calendaria prælegasset, ita cauit. A TE AVTEM FILI CHARISSIME, QVAECVNQVE LEGAVI, PRAESTARI VOLO. ET SI QVID EVENERIT AERIS ALIENI, QVOD IN TEMPVS PRO MVTVO ACCEPERAM, ET DEBVERO, A TE SOLVI VOLO: VT QVOD SORORI TVAE RELIQVI, INTEGRVM AD EAM PERTINEAT. quæsitum est. an quod ex quacunque caussa debuit pater, à filio sit præstandum? Respondi posse filiam ex fideicommisso consequi, ut releuaretur, quò magis intēgrum, quod testator dēdisset, ad eam perueniret.

XXXIIII. IDEM.

PATRONVS liberto statim tribum emi petierat. libertus diu moram ab hærede patroni passus est, & decedens hæredem reliquit clarissimum uirum. quæsitum est, an tribus æstimatio hæredi eius debeatur? Respondi deberi. Item quæsitū est. an & commoda, & prin-

 cipales liber-

cipales liberalitates, quas libertus ex eadẽ tribu usq; in diem mortis suç cõsecuturus fuisset, F
si ei ea tribus secundum uoluntatem patroni sui tunc comparata fuisset: an uero usuræ æsti-
mationis hæredi eius debeantur? Respondi. quidquid ipse consecututus esset, id ad hære-
dem suũ transmittere. Sempronio ita legauit. SEMPRONIVS SVMITO PRAEDIA MEA OMNIA, QVAE SVNT VSQVE AD PRAEDIVM, QVOD VOCATVR GAAS, IN FINIBVS GALATIAE SVB CVRA VILLICI PRIMI, ITA VT HAEC OMNIA INSTRVCTA SVNT. quæsitum est. cum in eodem confinio prædiorum unum sit prædium non in Galatiæ, sed Cappadociæ finibus, sub cura tamen eiusdem uillici: an etiam id prædium cum cæteris ad Sempronium pertineat? Respõdi, & hoc deberi. Libertis, quos nominauerat, ita legauit. FVNDVM TREBATIANVM, QVI EST IN REGIONE ARELATIA: ITEM FVNDVM SA- G
TRIANVM, QVI EST IN REGIONE NIPHANA CVM TABERNA DARI VOLO. quæsitum est. cũ inter fundos, quos suprà legauit, sit quidã fundus uocabulo Satrianus, in regione tamen Niphana non sit: an ex caussa fideicommissi libertis debeatur? Respondi. si nullus esset Satrianus in regione Niphana, & de eo sensisse testatorẽ certum sit, qui alibi esset: non minus deberi, quamuis in regione designanda lapsus esset. Codicillis confirmatis ita cauit. TIBVRTIBVS MVNICIPIBVS MEIS AMANTISSIMIS, QVOS SCITIS, BALNEVM IVLIANVM IVNCTVM DOMVI MEAE: ITA, VT PVBLICE SVMPTV HAEREDVM MEORVM ET DILIGENTIA DECEM MENSIBVS TOTIVS ANNI PRAEBEATVR GRATIS. quæsitũ est, an & sumptus refectionibus necessarios hæredes præstare debeant? Respõdi. secundũ ea, quæ proponerẽtur, uideri testatorẽ, & super calefactionis & præbitionis onus, H
de his quoq; sensisse, quæ ad quotidianã tutelã pertineãt, quibus balneæ aut instruantur, deniq; inter solitas cessationũ uices parari purgariq; ut habiles ad lauandum fiant, sint solitæ. Apud Scæuolam libro decimo octauo Digestorum CLAVDIVS notat. nec fideicommissa ab intestato dãta debentur ab eo, cuius de inofficioso testamẽto constitisset: quia crederetur, quasi furiosus, testamentũ facere non potuisse. ideoq; nec aliud quid pertinens ad suprema eius iudicia ualet.

XXXV. SCAEVOLA.

CVM quis decedens Seiæ mãtri fundum, qui prius mãtris erat, legauerat: ab eo petijt, ut eundem, cum moreretur, Flauiæ Albinæ coniugi suæ restitueret. post mortem testatoris mater apud magistratũ professa est, nihil se aduersus uoluntatem filij sui facturã: paratãq; esse, fundum Flauiæ Albinç tradere, si sibi annua bina prçstarentur redituum nomine. sed neq; possessionem tradidit, neq; annua bina accepit. quæsitum est, an fundum iure alij uendere possit? Respondit. si de iure legati fideiq; commissi quæreretur: secundum ea, quæ proponerentur, nec ualuisse, quod mãtri suum legabat: neq; onus fideicommissi processisse, si modo nihil præterea mater cepisset. Qui testamento hæredem scripserat, ducenta Mæuio legauit, & fidei eius commisit, ut centum dãret Glaucæ Tychæ, Elpidræ autẽ quinquaginta. postea Mæuius uolente testatore literas emisit ad eas, secundum uoluntatem testatoris se restituturum. postea testator fecit codicillos. quibus & hoc præcepit: ut præter hos codicillos, si quid aliud prolatum esset, non ualeret. quæsitum est, an Mæuius, qui ducenta accepit (quia mutauit uoluntatem testator de ea epistola) à mulieribus conueniri ex caussa fideicommissi possit? Respondit. secundum ea, quæ proponerentur, frustra Mæuium conueniri: siue ducenta, siue prædium pro his accepisset. Seiam & Mæuium libertos suos æquis partibus hæredes scripsit. Mæuio substituit Sempronium pupillum suum. deinde codicillos per fideicommissum confirmauit, quibus ita cauit. LVCIVS TITIVS SEIAE HAEREDI SVAE, QVAM PRO PARTE DIMIDIA INSTITVI, SALVTEM. MAEVIVM LIBERTVM MEVM, QVEM IN TESTAMENTO PRO PARTE DIMIDIA HAEREDEM INSTITVI, EAM PARTEM HAEREDITATIS VETO ACCIPERE, CVIVS IN LOCVM PARTEM MVE EIVS PVBLIVM SEMPRONIVM DOMINVM MEVM HAEREDEM ESSE VOLO. & Mçuio, ad quem hæreditatis portionẽ noluit peruenire, cum hoc elogio fideicommissum reliquit. MAEVIO LIBERTO MEO NIHIL DE ME MERITO DARI VOLO LAGENAS VINI VETVSTI CENTVM QVINQVAGINTA. quæsitũ est. cum uoluntas testatoris hæc fuerit.

A ris hæc fuerit, ut omnimodo perueniat portio hæreditatis ad Semproniũ pupillũ: an fidei/cõmissum ex uerbis suprascriptis ualere intelligatur: & à quo Sẽpronius petere possit, cum ad certã personã codicillos scripserit. Respõdit. posse fideicõmissum à Mæuio peti. Pater emancipato filio bona sua uniuersa, exceptis duobus seruis, non mortis caussa donauit, & stipulatus est à filio in hæc uerba. quæ tibi mãcipia, quæq; prædia donationis caussa tradi/di, cessi: per te non fieri dolo malo, neq; per eum, ad quem ea res pertinebit, quò minus eã mancipia, quæq; ex his adgnata erũt, eaq; prędia cũ instrumento, cũ ego uolã, uel cũ morie ris, quæq; eorũ exstabũt, neq; dolo malo, aut fraude, factóue tuo, eiusq;, ad quẽ ea res per/tinebit, ita in rerũ natura, aut in potestate esse desiissent: si uiuã, mihi, aut cui ego uolam, red

B dantur, restituantur. stipulatus est Lucius Titius pater, spopondit Lucius Titius filius. Idẽ pater decedens, fideicõmissariã epistolã ad filiũ suũ scripsit in hæc uerba. Lucio Titio filio suo salutẽ. certus de tua pietate, fidei tuæ cõmitto, ut des, præstes illi & illi certam pecuniã. & Lucrionẽ seruũ meũ liberũ esse uolo. quæsitũ est. cum filius nec patris bonorũ possessionem acceperit, nec hæres ei exstiterit: an ex epistola fideicõmissa & libertatẽ præstare debeat. Rẽ spondi. & si neq; hæreditatẽ adisset, neq; bonorũ possessionẽ petisset, & nihil ex hæredita/te possideret: tamẽ nihilominus & ex stipulatu ab hæredibus patris & fideicõmisso ab his, quorũ interest, quasi debitorẽ cõueniri posse: maximè post cõstitutionẽ diui Pij, quæ hoc induxit. Nuptura, duobus filijs, quos ex priore marito habebat, mãdauit, ut uiginti, quæ dõti dãbat, stipularẽtur in omnẽ casum, quo solui posset matrimoniũ: ut etiã alterutri ex his

C tota dos soluatur. cõstante matrimonio uno ex filijs mortuo, uxor per epistolam petijt à su/perstite filio, uti quandoq; partẽ dimidiã duntaxat dõtis exigat, & ea cõtentus eat: alterã au tem partẽ apud maritũ eius remanere concedat. quæsitũ est. postea in matrimonio muliere defuncta: an maritus, si de tota dõte cõueniatur à filio, doli mali exceptione se tueri possit. & an ultro ex caussa fideicommissi actio ei cõpetat, ut de parte obligationis acceptõ ei fera/tur. Respondi. exceptionẽ utilem fõre, & ultrò ex fideicõmisso peti posse. Idẽ quęrit. an dè reliqua dimidia parte mãdati actio utilis sit hęredibus mulieris aduersus filiũ eius. Respon dit. secundũ ea, quæ proponerentur (maximè post literas ad filiũ scriptas) non fóre utilem. CLAVDIVS. quoniã in his expressit, ut cõtentus esset dimidia parte dõtis. quibus uerbis sa/tis fideicõmissum filio relinqui placuit. Codicillis ita scripsit. Βούλομαι πάντα τὰ ἀποτε/

D ταγμένα κύρια εἶν. Μαξίμῳ κυρίῳ μου δηνάρια μυριά πεντακισχίλια, ἅτινα ἔλαβον παρὰ καταθήκην τοῦ θείου αὐτοῦ Ἰουλίου Μαξίμου, ἵνα αὐτῷ ἀνεπιφθόνως ἀποδώσω: ἐξ ὧν γίγνονται σὺν τόκῳ τρεῖς μυριά, ἀποδοθῆναι αὐτῷ βούλομαι. οὕτω γὰρ τῷ θείῳ αὐτοῦ ὤμοσα. quæsitũ est. an ad depositã pecuniã petendã sufficiant uerba codicillorũ, cum hanc solam, nec aliam ullã pro/barionẽ habeant. Respondi. ex his, quæ proponerentur: scilicet cum iusiurandũ dẽdisse su/per hoc testator affirmauit: credendũ esse scripturæ. Titia honestissima fœmina cum in ne gocijs suis opera Callimachi semper uteretur, qui ex testamento capere non poterat: testa/mento facto manu sua ita cauit. διεθέμην καὶ βούλομαι δοθῆναι Καλλιμάχῳ μισθοῦ χάριν δηνάρια μυριά. quæro, an hæc pecunia ex caussa mercedis ab hæredibus Titię exigi possit. Respondit. non idcirco, quod sctiptũ sit, exigi posse in fraudẽ legis relictũ. Ex his uerbis

E testamẽti, OMNIBVS QVOS, QVAS VE MANVMISERIM, SIVE HIS TABVLIS; SIVE QVI/BVSCVNQVE ALIIS: FILIOS FILIÁS VE SVAS OMNES CONCEDI VOLO: quæsitũ est, an his, quos uiuus manumisisset, debeantur filij. Respondit. his quoq;, quos quá sue ante te/stamentum factum manumisisset, filios filiásue ex caussa fideicommissi præstari oportere.

XXXVI. IDEM.

PATER filium hæredem prædia alienare, seu pignori ponere prohibuerat: sed conserua re liberis ex iustis nuptijs, & cæteris cognatis fideicõmiserat. filius prædia, quæ pater obli/gata reliquerat, dimisso hæreditario creditore numis noui creditoris, à priore in sequentem creditorem pignoris hypothecæue nomine transtulit. quæsitum est, an pignus rectè cõtra/ctum esset. Respondi. secundũ ea, quæ proponerentur, rectè cõtractũ. Idem quæsijt. cũ fili/us prædia hæreditaria, ut dimitteret hæreditarios creditores, distraxisset: an emptores, qui

 fideicom/

fideicommissum ignorarunt, benè emerint: Respondi. secũdum ea, quę proponerentur, rectè contractum: si non erat aliud in hæreditate, unde debitum exsolueret. Duobus libertis Sticho & Erote hæredibus institutis, ita cauit. FVNDVM CORNELIANVM DE NOMINE MEO EXIRE VETO. unus ex hæredibus Stichus ancillã (scilicet Arescusam) testamento liberam esse iussit, eidemq́ partem suam fundi legauit. quæro, an Eros, & cęteri colliberti Stichi ex caussa fideicommissi eius fundi partẽ ab hærede Stichi petere possint: Respondi. non contineri. Filiam suam hæredem scripserat, & ita cauerat. VETO AVTEM AEDIFICIVM DE MEO NOMINE EXIRE: SED AD VERNAS MEOS, QVOS HOC TESTAMENTO NOMINAVI, PERTINERE VOLO. quæsitũ est. defuncta hęrede & legatarijs uernis, an ad unũ libertũ, qui remansit: totũ fideicõmissum pertineret: Respõdi. ad eum, qui ex uernis superesset, secundũ ea, quę proponerentur, uirilem partẽ pertinere. Fundũ Titianũ à filio, quoad uixerit, uetuit uenundări, donari, pignorari: & hæc uerba adiecit. QVOD SI ADVERSVS VOLVNTATEM MEAM FACERE VOLVERIT: FVNDVM TITIANVM AD FISCVM PERTINERE, ITA ENIM FIET, VT FVNDVS TITIANVS DE NOMINE NOSTRO NVNQVAM EXEAT. quæsitum est. cum uiuus filius eum fundum secundum uoluntatem patris retinuerit: an defuncto eo, non ad hæredes scriptos à filio, sed ad eos, qui de familia sunt, pertineat, Respondi. hoc ex uoluntate defuncti colligi posse: filium, quoad uiueret, alienare, uel pignorare non posse. testamenti autem factionem & in eo fundo, in extraneos etiam hęredes habiturum. Iulius Agrippa primipilaris testamento suo cauit, ne ullo modo reliquias eius, & prædium suburbanum, aut domum maiorem hæres eius pignoraret, aut ullo modo alienaret. filia eius hæres scripta, hæredem reliquit filiam suam neptem primipilaris, quæ easdem res diu possedit, & decedens extraneos instituit hæredes. quæsitum est, an ea prædia extraneus hęres haberet: an uero ad Iuliam dominam, quæ habuit patruum maiorem Iulium Agrippam, pertinerent: Respondi. cum hoc nudum præceptũ esset: nihil proponi contra uoluntatem defuncti factum, quò minus ad hæredes pertinerent. G H

Quindecim libertis, quos nominauerat, prædiolum cum taberna legauerat & adiecerat hæc uerba: SIBIQVE EOS HABERE, POSSIDERE VOLO, EA LEGE ET CONDITIONE, NE QVIS EORVM PARTEM SVAM VENDERE, DONARE, ALIVDVE QVID FACERE ALII VELIT. QVOD SI ADVERSVS EA QVID FACTVM ERIT: TVNC EAS PORTIONES PRAEDIVMVE CVM TABERNA AD REMPVBLICAM TVSCVLANORVM PERTINERE VOLO. quidam ex his libertis uendiderũt partes suas duobus collibertis suis ex eodem corpore. emptores autem defuncti Caium Seium extraneum hæredem reliquerunt. quæsitum est partes, quę uænierunt, utrum ad Caium Seium, an ad superstites collibertos suos, qui partes suas non uendiderunt, pertinerent: Respondi. secundum ea, quæ proponerentur. ad Caium Seium pertinere. Item quæsijt, an partes uenditæ ad rempublicam Tusculanorum pertinerent: Respondi. non pertinere. CLAVDIVS. quia non possidentis persona, qui nunc extraneus est, respicienda est: sed emptorũ, qui secundum uoluntatem defunctæ ex illis fuerunt, quibus permiserat testatrix uenundări: nec conditio exstitit dăti fideicommissi reipublicæ Tusculanorum. Tusculanus fidei eius, cui duo milia solidorũ legauerat, commisit in hæc uerba. A TE PETRONI PETO, VT IEA DVO MILIA SOLIDORVM REDDAS COLLEGIO CVIVSDAM TEMPLI. quæsitũ est. cum id collegium postea dissolutum sit, utrum legatum ad Petronium pertineat: an uero apud hæredem remanere debeat: Respondi. Petronium iure petere: utiq; si per eum non stetit, parẽre defuncti uoluntati. Pater filios hęredes scripserat, & adiecerat. PRAEDIA, QVAE AD EOS EX BONIS MEIS PERVENTVRA SVNT, NVLLA EX CAVSSA ABALIENENT, SED CONSERVENT SVCCESSIONI SVAE, DEQVE EA RE INVICEM SIBI CAVEANT. ex his uerbis quæsitum est, an prædia per fideicommissum relicta uideantur: Respondi. nihil de fideicommisso proponi. I K

Ex parte dimidia hæredi instituto per præceptionem fundum legáuit, & ab eo ita petnt. PETO, VT VELIS COHAEREDEM TIBI RECIPERE IN FVNDO IVLIANO MEO, QVEM HOC AMPLIVS TE PRAECIPERE IVSSI, CLODIVM VERVM nepotem

A NEPOTEM MEVM COGNATVM TVVM. quæsitum est, an pars fundi ex caussa fideicom-
missi nepoti debeatur? respondi, deberi.

XXXVII. IDEM.

PAMPHILO LIBERTO HOC AMPLIVS, QVAM CODICILLIS RELIQVI, DARI VO-
LO CENTVM, ET SCIO OMNIA. QVAE TIBI PAMPHILE RELINQVO, AD FILIOS ME-
OS PERVENTVRA, CVM AFFECTIONEM TVAM CIRCA EOS BENE PERSPECTAM HA-
BEAM. quæro, an uerbis suprascriptis Pamphili fideicõmiserit, ut post mortẽ filijs defun-
cti centũ restituat? respondi, secundum ea, quæ proponerentur, non uideri quidẽ (quãtum
ad uerba testatoris pertinet) fideicõmissum Pamphilo, ut centũ restitueret: sed cum senten-
tiam defuncti à liberto decipi satis inhumanum sit, centũ ei relictos filijs testatoris debere
B restitui: quia in simili specie & Imperator noster diuus Marcus hoc constituit. Propositũ
est, non habentẽ liberos, nec cognatos, in discrimine uitæ constitutũ, per infirmitatẽ, accersi
tis amicis, Caio Seio cõtubernali dixisse, quod uelit ei relinquere prædia, quæ nominasset:
eaq́ dicta in testationem Caium Seium redegisse, etiam ipso testatore interrogato, an ea
dixisset. & responso eius tali ΜΆΛΙΣΤΑ inserto: quæsitũ est, an prædia, quæ destinata essent,
ex caussa fideicõmissi ad Caium Seium pertinerent? respondi. super hoc nec dubitandum
esse, quin fideicõmissum ualeat. Duas filias æquis ex partibus hæredes fecerat. alteri fun
dũ prælegauerat, & petierat ab ea, ut sorori suæ uiginti daret. ab eadẽ filia petijt, ut partem
dimidiam fundi eidem sorori restitueret. quæsitũ est, an uiginti præstari deberent? respon-
di. non esse præstanda. XXXVIII. IDEM.

C POST emancipationem patris suscepta, à patruo ut legitimo hærede petierat, ut partem
hæreditatis auunculo suo daret, & agros duos. ad utrunq; autem ut proximum cognatum
successio eius pertinuit per bonorum possessionem. quæsitum est. cum in parte hæreditatis
fideicommissum non constiterit, quod eam suo iure per bonorum possessionem auuncu-
lus habiturus esset: an nihilominus in parte agrorum consistat, ut Titius partes agrorum
duas (id est unam, quam suo iure per bonorum possessionem habeat: alteram uero partem
ex caussa fideicommissi) petere debeat? respondi. petere posse. Idem quæsijt. si ab eodẽ pa-
truo fideicommissa alijs quoq; dederit: utrum in solidum, an uero pro parte ab eo præstan
da sint? respondi. in solidum præstari. Seiam ex dodrante, Mæuiam ex quadrante insti-
tuit hæredes. fidei Seiæ commisit in hæc uerba. A TE PETO, TVAEQVE FIDEI COM-
D MITTO, VT QVICQVID EX HAEREDITATE MEA AD TE PERVENERIT, RESTITVAS
FILIO TVO, RETENTIS TIBI HORTIS MEIS. quæsitum est. cum generali capite fideicom-
misisset, QVISQVIS HAERES ERIT DE OMNIBVS, ut præstaret, quodcunq; legasset: an cũ
dodrantem hæreditatis restitueret, hortos in assem uindicare Seia debeat? respondi. etiam
cohæredis fideicommissum uideri, ut quadrantem, quem in his hortis haberet, Seiæ red-
deret. XXXIX. IDEM.

VXOREM & filium cõmunem hæredes instituit, & uxoris fideicõmisit in hæc uerba. PE-
TO A TE DOMINA VXOR, NE EX FVNDO TITIANO PARTEM TIBI VINDICES, CVM
SCIAS ME VNIVERSAM EMPTIONEM EIVS FVNDI FECISSE: SED BENEFICIO AFFE-
CTIONIS ET PIETATIS, QVAM TIBI DEBVI, EANDEM EMPTIONEM (CVM NVMIS
E MEIS COMPARASSEM) TECVM COMMVNICASSE. quæsitũ est, an cum fundum in soli-
dũ filij esse uoluerit? respondit. eũ, de quo quæreretur, perinde rationẽ in fundo haberi uo-
luisse, ac si uniuersus hæreditarius esset: ut pro parte dimidia & uxor & filius agrum ut hæ-
reditarium habeant. In testamento ita scriptum fuit. DOMVM MEAM CVM HORTO AP-
PLICITO LIBERTIS MEIS CONCEDI VOLO. & alio capite. FORTVNIO LIBERTO MEO
EX DOMO MEA. QVAM LIBERTIS MEIS DEDI, DIAETAM, IN QVA HABITABAM:
ITEM CELLARIVM IVNCTVM EIDEM DIAETAE AB HAEREDE MEO CONCEDI VO-
LO. quæsitũ est, an hęres testatoris oneratus uideat', in pręstãdo legato Fortunio, cũ domus
uniuersa libertis sit prælegata? respõdit. non esse oneratum. Codicillis cõfirmatis ita ca-
uit. OMNIBVS AVTEM LIBERTIS MEIS, ET QVOS VIVVS, ET QVOS HIS CODICILLIS

MANVMISI, VEL POSTEA MANVMISERO: CONTVBERNALES SVOS, ITEM FILIOS, F
FILIA LEGO: NISI SI QVOS QVA'SVE AD VXOREM MEAM TESTAMENTO PERTINE
RE VOLVI, VEL EI NOMINATIM LEGAVI: LEGAVERO. idẽ poſtea epiſtola petijt ab hæ-
redib. ſuis, ut regionẽ Vmbriæ in Piceno cohæredi uxori ſuæ reſtituerent cũ omnibus, quæ
ibi eſſent, & mancipijs ruſticis, uel urbanis, & actoribus: exceptis manumiſſis. quæſitũ eſt
cum Eros & Stichus ſerui in diem uitæ teſtatoris in Vmbria in Piceno actum adminiſtra
uerint, ſint autẽ Damæ, quem teſtator uiuus manumiſerat, filij naturales: utrũ eidem Da-
mæ ex uerbis codicilli ab hæredibus præſtandi ſint: an uero ad Seiam uxorẽ ex uerbis epi
ſtolæ pertineant? reſpondit. ex codicillis ad patrẽ naturalem eos pietatis intuitu pertinere.
Feliciſſimo & Feliciſſimæ, quibus libertatem dederat, fundum Gargilianũ legauit cum G
caſa. & alio capite Titio filio. quẽ ex quarta parte hæredẽ ſcripſerat, prælegauit in hæc uer-
ba. TITI FILI HOC AMPLIVS DE MEDIO SVMITO LEGATA MEA, QVAE MIHI TAM
PATER TVVS PRAESENS, QVA'M CLOELIVS IVSTVS FRATER PATRIS RELIQVE-
RVNT. quæſitum eſt. cum fundus Gargilianus teſtatrici à marito eius, id eſt à patre Titij fi
lij legatus ſit: cui fundus ex cauſſa fideicõmiſſi debeatur? utrum filio Titio tantum, an Feli-
ciſſimo & Feliciſſimæ, an tribus? reſpondi. non eſſe ueriſimile: eam, quæ nihil aliud Feliciſſi
mo & Feliciſſimæ, niſi hæc, ſpecialiter legarit: ad filium, cui & hęreditatis ſuæ partẽ reliquit,
legatum generali ſermone transferre uoluiſſe. Teſtamento ita pueros legauerat. PVBLIO
MAEVIO DOMINVLO MEO AB HAEREDIBVS MEIS DARI VOLO PVEROS QVINQVE
EX MEIS, DVNTAXAT INTRA ANNOS SEPTEM. poſt annos complures, ꝙ fecit teſta- H
mentum, moritur. quæſitum eſt, cuius ætatis Mæuio mancipia debeantur: utrúm ne quæ
teſtamenti facti tempore intra ſeptem annos fuerunt, an quæ mortis tempore intra eã æta
tem inueniantur? reſpondit. eam uideri ætatem deſignatam, quę eſſet, cum à teſtatore relin
queretur. Concubinæ inter cætera his uerbis legauerat. FVNDVM IN APPIA CVM VIL-
LICO SVO ET CONTVBERNALI EIVS ET FILIIS DARI VOLO. quæſitum eſt, an nepotes
quoq; uillico & contubernali eius teſtator ad concubinam pertinere uoluerit? reſpondit. ni
hil proponi, cur non deberentur. Legauerat per fideicõmiſſum Mæuijs ita, QVICQVID
IN PATRIA GADIBVS POSSIDEO. quæſitum eſt, an ſi quam ſuburbanam adiacentẽ poſ-
ſeſſionem haberet: hæc quoq; ex cauſſa fideicõmiſſi Mæuijs debeatur? reſpondit. poſſe ad
hanc quoq; uerborum ſignificationem extendi. Item quæſitum eſt. ſi calendarij, quod in I
patria ſua, uel intra fines eius, defunctus exercuit, inſtrumẽta in domo, quam in patria ſua
habebat, reliquit: an id quoq; calendarium propter uerba ſuprà ſcripta Mæuijs ex cauſſa
fideicommiſſi deberetur? reſpondit. non deberi. Item quæſitũ eſt, an pecunia, quę in arca
domi Gadibus inuẽta eſſet, uel ex diuerſis nominibus exacta, & ibi depoſita, ex fideicom-
miſſo debeatur? reſpondi. ſuprà reſponſum. Teſtamento, quo filium & uxorem hęredes
inſtituerat, filiæ per fideicõmiſſum centum, cum in familia nuberet, legauit: & adiecit ita FI-
DEI TVAE COMMITTO FILIA, VT CVI IN FAMILIA NVBAS: ET QVOTIESCVNQVE
NVBES, PATIERIS EX DOTE TVA, QVAM DABIS, PARTEM DIMIDIAM STIPVLARI
FRATREM TVVM ET SEIAM MATREM TVAM, PRO PARTIBVS DIMIDIIS DARI SIBI,
SI IN MATRIMONIO EIVS, CVI NVBES, SIVE DIVORTIO FACTO, PRIVSQVA'M DOS
TVA REDDATVR, EO'VE NOMINE SATISFACTVM ERIT, MORIERIS NVLLO FILIO K
FILIA'VE EX EO RELICTO. pater filiã uirginẽ nuptũ collocauit, eiusq; nomine dotem de
dit: & poſt diuortiũ eandem recepit, & alij in matrimoniũ cũ dote dedit, & ſtipulatus eſt eã
ſibi aut filiæ ſuæ reddi. manẽte filia in matrimonio ſecũdo, mortuus eſt eodẽ teſtamẽto reli
cto, eiq; hęredes exſtiterũt filius & uxor. poſtea marito defũcto puella dote recepta, nupſit
alij, præſentibus & cõſentientib. fratre & matre, quæ & dotẽ eius auxit: & neuter eorũ ſtipu
lati ſunt dotẽ. mox matri filius & filia hæredes exſtiterũt. deinde deceſſit in matrimonio fi-
lia, marito hærede relicto. quæſitũ eſt. cũ puella nõ ex cauſſa legati pecuniã in dotẽ ab hære
dib. patris acceperat, ſed mortuo ſecũdo marito materfamiliâs facta dotẽ recuperauerat: an
hæres eius ex cauſſa fideicõmiſſi fratri defuncti teneatur in eã pecuniã, quã percipere poſſet,
ſi dotem

A ſi dotem ſtipulatus eſſet? reſpondit. ſecundum ea, quæ proponerentur, nõ teneri. Hæres
uel legatarius rogatus eſt, ut quendã adoptaret, his uerbis adiectis. SI ALITER FECERIT,
EXHAERES ESTO, uel PERDITO LEGATVM. Quæſitum eſt. ſi non adoptauerit: an actio
quædam ex fideicommiſſo competat? reſpondit. fideicõmiſſum, quo quis rogatur, ut ado-
ptet, ratũ non eſſe. AGRI PLAGAM, QVAE EST IN REGIONE ILLA, MAEVIIS PVBLIO
ET CAIO TRANSSCRIBI VOLO, PRECIO FACTO VIRI BONI ARBITRATV, ET HAE-
REDITATI ILLATO, DVPLAE EVICTIONE EX PROMISSA Á RELIQVIS HAEREDI-
BVS, ITA VT SVB POENA CENTVM PROMITTANT EAM AGRI PLAGAM PARTÉM-
VE EIVS AD SEIAM POSTERÓS VE EIVS NON PERVENTVRAM QVAQVAM RATIO
B NE. quæſitũ eſt. an legatũ ualeat, cum Publius emere uelit, Caius nolit? reſpondit. eum, qui
fideicõmiſſum ſibi prẹſtari uelit, poſſe partẽ dimidiã eius agri, qui legatus eſt, petere, quã-
uis alter proſequi nolit. Item quæſitũ eſt: cautio, quæ interponi debet ſecundũ uoluntatem,
pro quota parte cuiq; hæredum præſtanda ſit? reſpõdit. pro ea portione, quæ ex fideicom-
miſſo præſtatur. Sorori legauit homines, quos nominauit teſtamento, eiusq; fidei cõmi-
ſit, ut eadẽ mancipia filijs ſuis, cum obiret, reſtitueret. Quæſitũ eſt. adgnata ex his an defun
cti filijs, an hæredibus reſtituenda ſint poſt mortẽ legatariæ, an remaneant apud hæredes
eius? reſpondit. quæ poſtea adgnata eſſent, uerbis fideicõmiſſi non contineri. Pater natu
ralis filiæ ſuæ ex teſtamento mariti eius fideicõmiſſi debitor, cũ ea mulier nuberet alij, non
mandatu mulieris dotẽ marito eius dẽdit, & ſibi reddi eam ſtipulatus eſt, ſi ſine liberis filia
C moreretur. filiã mulier ſuſcepit. quæſitũ eſt, an fideicõmiſſum á patre exigere poſſit? reſpon
dit. ſi nec ratã habuiſſet dotem datam: ſupereſſe fideicõmiſſi petitionẽ. Item quæſitũ eſt, an
ſi pater acceptò facere ſtipulationẽ uelit, mulieri perſecutio fideicõmiſſi deneganda ſit? re-
ſpondit. ſupra reſponſum: cumq; patrẽ, de quo quæreretur, ſi ita dediſſet, ut mulier ratum
haberet, poſſe condicere. Seium maritũ ſcripſit hæredem, eiq; ſuſtituit Appiã alumnam
fideiq; hæredis cõmiſit, ut poſt mortẽ ſuam hæreditatem eidem alumnæ reſtitueret: aut ſi
quid ante contigiſſet alumnæ, tũc Valeriano fratris filio reſtitueret eandem hæreditatem.
quæſitum eſt. ſi Seius uiuus, quicquid ad eum ex hæreditate perueniſſet, alumnæ reſtituiſ-
ſet: an ſecundũ uoluntatẽ defunctæ id feciſſe uideretur, præſertim cum hæc eidẽ æquè ſub-
ſtituta eſſet? reſpondit. ſi uiuo Seio Appia deceſſiſſet: non eſſe liberatum à fideicõmiſſo Va
leriano relicto. Scæuola reſpondit. cum hæres ſcriptus rogatus eſſet, CVM VOLET, alij re
D ſtituere hæreditatẽ: interim non eſſe compellendum ad fideicommiſſum. CLAVDIVS post
mortem utiq; creditur datum. Hæredis ſcripti fidei cõmiſerat, ut Seiæ uxori uniuerſam
reſtitueret hẹreditatẽ: & uxoris fideicõmiſit in hẹc uerba. ET À TE SEIA PETO, VT QVIC
QVID AD TE EX HAEREDITATE MEA PERVENERIT: EXCEPTIS HIS, QVAE TIBI SV
PRALEGAVI: RELIQVVM OMNE REDDAS ET RESTITVAS MAEVIAE INFANTI
DVLCISSIMAE. A QVA SEIA SATIS EXIGI VETO: CVM SCIAM, EAM POTIVS REM
AVCTVRAM, QVÀM DETRIMENTO FVTVRAM. quæſitum eſt, an ſtatim Mæuia fidei-
commiſſum à Seia petere poſſit? reſpondit. nihil proponi, cur non poſſit.

XL. IDEM.

TITIVS hæredes inſtituit Seiam uxorẽ ex parte duodecima, Mæuiam ex reliquis parti-
E bus: & de monumẽto, quod ſibi exſtrui uolebat, ita cauit. CORPVS MEVM VXORI MEAE
VOLO TRADI SEPELIENDVM IN FVNDO ILLO, ET MONVMENTVM EXTRVI VS-
QVE AD QVADRINGENTOS AVREOS. quæro cum in duodecima parte non amplius, q̃
centum quinquaginta aurei ex bonis mariti ad uxorem perueniant: an hac ſcriptura ab ea
ſola monumentum ſibi teſtator exſtrui uoluerit? reſpondit. ab utraq; hærede monumen-
tum pro hæreditarijs portionibus exſtruendum.

XLI. CELSVS.

SI FILIAE pater dotem arbitratu tutoris dari iuſſiſſet: Tubero perinde hoc habendum
ait, ac ſi uiri boni arbitratu legatum ſit. Labeo quærit, quemadmodum appareat, quantam
dotem cuiuſque filiæ uiri boni arbitratu conſtitui oporteat? & ait, id non eſſe difficile, ex
dignitate

dignitate, ex facultatibus, ex numero liberorum testamentum facientis aestimare. F

XLII. POMPONIVS.

SI FVNDVS legatus sit CVM HIS, QVAE IBI ERVNT: quae ad tempus ibi sunt, non uidentur legata. & ideo pecuniae, quae foenerandi caussa ibi fuerunt, non sunt legatae.

XLIII. VLPIANVS.

HOC LEGatum VXORIS CAVSSA PARATA generale est, & continet tam uestem, quam argentum, aurum, ornamentum, caeteraque, quae uxoris gratia parantur. sed quae uidentur uxoris gratia parari? Sabinus libris ad Vitellium ita scripsit: quod in usu frequētissimè uersatur, ut in legatis uxoris adijciatur, QVOD EIVS CAVSSA PARATVM SIT, hanc interpretationem obtinuit: quod magis uxoris, quàm communis promiscuique usus caussa foret paratum. neque interesse uisum est, ante ductam uxorē id paterfamiliâs parauisset, an postea: an etiā ex his rebus, quibus ipse uti soleret, uxori aliquid adsignauisset: dum id mulieris usibus propriè attributū esset. G XLIIII. PAVLVS.

EA TAMEN adiectio legatum aliâs plenius efficit, aliâs exiguius. augetur, cum sic scriptum est, QVAE'QVE EIVS CAVSSA PARATA SVNT. id enim significat. & si quid praeter ea, quae dicta sunt, eius caussa paratum est. minuitur, detracta coniunctione QVE: quia ex omnibus suprà comprehensis ea sola definiuntur, quae eius caussa parata sunt.

XLV. VLPIANVS.

SI QVID earum rerum ante cōparauit, quàm uxorē duxit: si id ei, ut uteretur, tradidit: perinde est, quasi postea parauisset. ex eo autē legato ea pertinēt ad uxorē, quae eius caussa empta, parata, quaeque retenta sunt: in quibus etiā quae prioris uxoris, quaeque filiae, neptis, uel nurus fuerunt, continentur. H Inter emptum & paratum quid intersit, quaeritur. & responsum est, in empto paratū inesse: in parato non continuo emptū cōtineri. ueluti si quis quae prioris uxoris caussa emisset, posteriori uxori tradidisset: eas res cum posterioris uxoris caussa parauisse, non emisse, cōstat. Ideoque quamuis maritus posterioris uxoris caussa nihil emerit: tamē tradēdo quae prior habuit, eius caussa parasse uidetur. quae enim posterioris uxoris caussa parata sunt: & si ei adsignata nō sint, legato cēdūt. at quę prioris uxoris caussa parata sunt: ita posteriori debentur, si ei adsignata sint: quia nō est ita de posteriore uxore cogitatū, cū pararentur. XLVI. PAVLVS.

NAM NE id quidem, quod traditum est, si postea ademptum sit, legato cēdet. I

XLVII. VLPIANVS.

ITEM LEGato continentur mancipia, putā lecticarij, qui solā matrē familiâs portabant. item iumenta, uel lectica, uel sella, uel burdones itē mancipia alia: puellae fortassis, quae scilicet comant mulieres & exornent. sed & si fortè uirilia ei quaedam donauerit: quodammodo eius caussa parata uidebuntur. proinde & si quaedā promiscui usus sint, solitus tamen fuerit ab ea quasi usu mutuari: dicendū erit, ipsius caussa uideri parata. Itē interest, ipsius caussa parata sint ei legata, an ipsius caussa empta. paratis enim omnia continētur, quae ipsius usibus fuerunt designata: emptis uero ea sola, quae propter eam empta eius fecit maritus. unde non continebuntur emptis solis legatis, quae alia ratione paterfamiliâs acquisita ei destinauit. utroque autem legato: continebuntur, & quae maritus emi mādauerat, uel quae emerat, necdū tamē ei adsignauerat, adsignaturus, si uixisset. K Parui etiā refert, uxori, an concubinae quis lēget, quae eius caussa empta parataue sunt. sanè enim, nisi dignitate, nihil interest. Si uxori aurū, quod eius caussa paratū est, legatū sit, & postea sit conflatū, materia tamē maneat: ea ei debeī. sed ut legatū ualeat: mortis tēpore uxorē esse debere, scripsit Proculus, & uerū est. separatio enī dissoluit legatū. Hoc legatū, QVAE EIVS GRATIA PARATA SVNT, & filio & filiae relinqui potest, & seruo & seruae. & continebūtur, quae ipsi sunt attributa, uel destinata. XLVIII. IDEM.

CVM FILIOFAMILIÂS ita lēgatur, CVM IS IN TVTELAM SVAM PERVENERIT: pubertatis tēpus significatur. & sanè si impuberi filiofamiliâs sit legatum: plerunque sentiendum est, quod Sabinus ait, ut non fiat paterfamiliâs, sed ut pubes. caeterū si mater, quae suspectam

habuit

A habuit mariti, à quo diuertetat, uitã: filio suo, quamuis impuberi, leget: non uidetur sensisse de eo tẽpore, quo iam pubes est: sed de eo, quo & pubes & paterfamiliâs est. nã & si pubes fuit: multo magis dicemus de patrefamiliâs eã sensisse: ac si dixisset, IN SVAM TVTELAM ET IN SVAM POTESTATEM. Quod si quis patrifamiliâs impuberi leget, cum suæ tutelæ sit: de pubertate sensit. interdum & de uigintiquinqꝫ annis: si mens testantis apparet. nam si ita puberi, minori tamen uigintiquinque annis legauit: procul dubio anni uiginti & quinque erunt præstituti. Item si furioso, uel prodigo, uel ei, cui prætor ex caussa curatorẽ dedit, ita sit legatum: puto & de eo sensum casu, quo cura & tutela liberentur. Et ex his apparet huiusmodi uoluntatis quæstionem Sabinum interpretatum. & uticꝫ non dubitaret, si puberi, & multo magis, si maiori uigitiquincꝫ annis ita si legatũ: de sua potestate testatorẽ
B sensisse. sic autem scriptura hæc uaria est, & uoluntatis habet quęstionem: ut & illa quocꝫ, si quis ita scripserit, CVM SVI IVRIS FVERIT FACTVS. nam aliâs aliter accipitur. & plerunqꝫ potestas liberationem cõtinet, plerunqꝫ pubertatẽ, uel uicesimumquintũ annum. ego quidem & si quis iam puberi, minori tamen uingintiquincꝫ annis sic legauerit. CVM AD PVBERTATEM PERVENERIT: puto de ea ætate cũ sensisse, quæ caret in integrum restitutione. Item & si CVM SVAE AETATIS FVERIT FACTVS, uel LEGITIMAE AETATIS: utrũ de pubertate, an de uigintiquinque annis sensum? disputari de uoluntate potest non minus, quàm si ita scripserit, CVM IVSTAE AETATIS FACTVS, uel CVM MATVRAE AETATIS SIT, uel CVM ADOLEVERIT.

XLIX. PAVLVS.

C SI FILIAFAMILIÂS ita legatum sit, CVM IN TVTELAM SVAM PERVENERIT: tunc debebitur, cum uiri potens facta fuerit.

L. VLPIANVS.

LIBRORUM appellatione continentur omnia uolumina: siue in charta, siue in membrana sint, siue in quauis alia materia. sed & si in philyra, aut tilia (ut nonnulli conficiunt) aut in aliquo corio: idem erit dicendum. quod si in codicibus sint membraneis, uel chartaceis, uel etiã eboreis, uel alterius materiæ, uel in ceratis codicillis: an debeantur, uideamus. & Caius Cassius scribit, deberi & membranas, libris legatis. consequenter igitur cętera quocꝫ debebuntur, si non aduersetur uoluntas testatoris. Si cui centum libri sint legati: centum uolumina ei dabimus, non centum, quæ quis ingenio suo metitus est, quò magis ad libri scriptu
D ram sufficerent, ut putã cum haberet Homerum totum in uno uolumine: non quadraginta octo libros computamus, sed uniuersum Homeri uolumẽ pro libro accipiendũ est. Si Homeri corpus sit legatũ, & non sit plenũ: quantæcunqꝫ partes inueniantur, debentur. Libris autem legatis, bibliothecas nõ contineri, Sabinus scripsit. idẽ & Cassius. ait enim membranas, quæ scriptę sunt, contineri legatis libris, deinde adiecit: necꝫ scrinia, necꝫ armaria, necꝫ cætera, in quibus libri cõduntur, deberi. Quod autem Cassius scripsit, de membranis nõ puris uerum est. nam nec chartæ puræ, libris legatis: nec chartis legatis libri debebuntur: nisi fortè & hic nos urserit uoluntas. ut putã si quis fortè sic reliquerit, CHARTAS MEAS VNIVERSAS. qui nihil aliud, quàm libros habebat, studiosus studioso. nemo enim dubitabit, libros deberi. nam & in usu plericꝫ libros chartas appellant. Quid igitur, si quis chartas lega
E uerit puras? membranæ non continebuntur, necꝫ cæteræ ad scribendum materiæ. Sed nec libri cœpti scribi. Vnde non malè quæritur: si libri legati sint, an non contineantur necdũ perscripti? & non puto contineri: non magis, quàm uestis appellatione nondum detextam. sed perscripti libri nondum malleati, uel ornati continebuntur. proinde & nondum conglutinati, uel emendati continebuntur. sed & membranæ nondum consutæ continebuntur.

Chartis legatis, necꝫ papyrum ad chartas paratam, necꝫ chartæ nondum perfectæ continebuntur. Sed si bibliothecam legauerit: utrum armarium solum, uel armaria, an uerò libri quocꝫ cõtineantur, quæritur? & eleganter Nerua ait, interesse, quid testator senserit. nã & locũ significare bibliothecam, & aliâs armariũ, aliâs libros. Quod igitur scribit Sabinus, libros bibliothecã non sequi: nõ per omnia uerũ est. nam interdum armaria quocꝫ debentur, quæ plericꝫ bibliothecas appellant. Planè si mihi proponas adhærentia esse membro

domus

domus armaria, uel adfixa: fine dubio non debebuntur, cum ędificij portio sint. Quod in F bibliotheca tractauimus, idem Pomponius libro sexto ex Sabino in dactyliotheca legata tractat. & ait, annulos quoque contineri, non solum thecam, quæ annulorũ caussa parata sit. hoc autem ex eo côiectat, quod ita proponitur quis legasse, DACTYLIOTHECAM MEAM, ET SI QVOS PRAETEREA ANNVLOS HABEO. & ita Labeonem quoque existimasse ait.

Sunt tamen quædam, quæ omnino legatum sequuntur: ut legatũ lectum continet & fulcra, & armarijs ac loculis claustra & claues cedunt. LI. PAVLVS.

ARGENTO legato constat arculas ad legatarium nõ pertinere. Item annulis legatis dactyliothecæ non cedunt. LII. POMPONIVS.

SI TIBI purè legauero, deinde postea scripsero ita: HOC AMPLIVS, SI NAVIS EX ASIA G VENERIT, HAERES MEVS EI FVNDVM DATO. uerius est eo uerbo HOC AMPLIVS superiora repeti: sicuti dicimus, LVCIVS TITIVS PLEBI QVINA DEDIT, HOC AMPLIVS SEIVS. huiuscemodi enim ratione quina Seium quoque dedisse intelligimus. & TITIVS ACCEPIT QVINQVE, SEIVS HOC AMPLIVS FVNDVM. Seium quoque quinque accepisse intelligimus. LIII. VLPIANVS.

LIGNI appellatio nomẽ generale est: sed sic separatur, ut sit aliud materia, aliud lignum. materia est, quę ad ædificandum fulciendumúe necessaria est. lignum, quidquid comburendi caussa paratum est. sed utrum ita demum, si concisum sit, an & si non sit? & Quintus Mutius libro secundo refert, si cui ligna legata essent, quæ in fundo erant: arbores quidem materiæ caussa succisas non deberi. nec adiecit, si comburendi gratia succisę essent, ad eum pertinere. sed sic intelligi consequens est. Ofilius quoque libro quinto iuris partiti ita scripsit: cui H ligna legata sunt, ad eum ligna pertinere, quæ alio nomine non appellantur: ueluti uirgæ, carbones, nuclei oliuarum, quibus ad nullam aliam rem, nisi ad comburendum possit uti. sed & balani, uel si qui alij nuclei. Idem libro secundo negat arbores nondum concisas, nisi quæ minutatim conciduntur, uideri ei legatas, cui ligna legata sunt. Ego autem arbitror, hoc quoque ligni appellatione contineri, quod nondum minutatim sit concisum, si iam concidendo fuit destinatum. proinde si syluam huic rei habebat destinatam: sylua quidem nõ cedet, deiectæ autem arbores lignorum appellatione continebuntur: nisi aliud testator sensit. Lignis autem legatis, quod comburendi caussa paratum est, continetur: siue ad balnei calefactionem, siue diætarum hypocaustarũ, siue ad calcem, siue ad aliam rem coquendam I solebat uti. Ofilius libro quinto iuris partiti scripsit, nec sarmenta ligni appellatione contineri. sed si uoluntas non refragatur: etiã uirgulæ, & cremia, & sarmenta, & superamenta materiarum, & uitium stirpes atque radices continebuntur. Lignorũ appellatione in quibusdam regionibus (ut in Aegypto, ubi arundine pro ligno utuntur, & arundines & papyrum comburitur) & herbulæ quædam, uel spinæ, uel uepres continebuntur. quid mirũ, cum Grę ci & ea ξύλα, & naues ξυλιγὰς appellant, quæ hæc ἀπὸ τῶν ἰλῶν deducant. in quibusdam prouincijs & editu boum ad hanc rem utuntur. Si lignum paratũ sit ad carbones coquendos atque conficiendos: ait Ofilius libro quinto iuris partiti, carbonum appellatione huiusmodi materiam non contineri. sed an lignorum? & fortassis quis dicet, nec lignorum. non enim lignorum gratia hæc testator habuit. sed & titiones, & alia ligna cocta, ne fumum fa- K ciant, utrum ligno, an carboni, an suo generi adnumerabimus? & magis est, ut proprium genus habeatur. sulfurata quoque de ligno æquè eandem habebunt definitionem. ad faces quoque parata non erunt lignorum appellatione comprehensa: nisi fuerit uoluntas de pinu etiam integri strobyli ligni appellatione continebuntur.

LIIII. PAVLVS.

PALI & perticæ in numerum materię redigendi sunt, & ideo lignorum appellatione nõ continebuntur. LV. POMPONIVS.

SERVIVS respõdit. cui omnis materia legata sit: ei nec arcam, nec armariũ legatum esse. LVI. VLPIANVS.

CVM uxori suæ quis ea, quæ eius caussa parata essent, legasset: deinde is purpuras comparasset in

A paraſſet in prouincia, nec dũ tamen aduexiſſet: reſcriptũ eſt, ad mulierẽ purpuras pertinere.

LVII. IVLIANVS.

QVI chirographum legat: non tantum de tabulis cogitat, ſed etiam de actionibus, quarum probatio tabulis continetur. appellatione enim chirographi uti nos pro ipſis actionibus, palàm eſt: cum uenditis chirographis intelligamus nomen uẽniſſe. quin etiam ſi nomẽ quis legauerit: id quod in actionibus eſt, legatum intelligitur.

LVIII. AFRICANVS.

CVM quæreretur, agni legati quatenus uiderentur, quidam aiebant, agnum duntaxat ſex menſium eſſe. ſed uerius eſt, eos legatos eſſe, qui minores anniculis eſſent. Seruis & B ancillis urbanis legatis agaſonem, mulionem legato non contineri reſpondi. eos enim ſolos eo numero haberi, quos paterfamiliâs circum ſe ipſe ſui cultus cauſſa haberet. Lana, lino, purpura uxori legatis, quæ eius cauſſa parata eſſent: cum multam lanam, & omnis generis reliquiſſet: quærebatur, an omnis deberetur? reſpondi, ſi nihil ex ea deſtinaſſet ad uſum uxoris, ſed omnis commiſta eſſet: non diſſimilem eſſe deliberationem, atq; cum penus legata eſſet, & multas res, quæ penus eſſent, reliquiſſet, ex quibus paterfamiliâs uendere ſolitus eſſet. nam & ſi uina diffudiſſet, habiturus uſui ipſe & hæres eius: tamen in penum omne exiſtimari. ſed cum probaretur eum, qui teſtamentum feciſſet, partem penus uendere ſolitum eſſe: conſtitutum eſſe, ut ex eo, quod ad uſum annuum opus eſſet, hæredes legatario darẽt. ſic mihi placere & in lana fieri: ut ex ea, quantum ad uſum annuum mulieris ſatis eſſet, ſume C retur. non enim deducto eo, quod ad uiri uſum opus eſſet, reliquũ uideri uxori legatũ eſſe: ſed quod uxoris cauſſa paratum eſſet. Prædijs legatis, & quæ eorum prędiorum colendo rum cauſſa empta, parataq; eſſent: neq; topiariũ, neq; ſaltuarium legatum uideri ait. topiarium enim ornandi, ſaltuarium autem tuendi & cuſtodiendi fundi magis, quàm colẽdi gratia paratum eſſe. aſinum machinarium legatum uideri. item oues, quæ ſtercorandi fundi cauſſa pararentur. item opilionem, ſi eius generis oues curaret.

LIX. IDEM.

TEXTORIBVS omnibus, qui ſui eſſent, cum moreretur, legatis: quęſitũ eſt, an & is, quẽ poſtea ex his oſtiarium feciſſet, legato contineretur? reſpondi, contineri. non enim ad aliud artificium, ſed ad alium uſum traductum eſſe.

D LX. IVLIANVS.

QVI duos mulos habebat, ita legauit. MVLOS DVOS, QVI MEI ERVNT, CVM MORIAR, SEIO HAERES DATO. idem nullos mulos, ſed duas mulas reliquerat: reſpõdit Seruius, deberi legatum: quia mulorum appellatione etiam mulæ, quemadmodum appellatione ſeruorum & ſeruæ, plerunq; continerentur. Id autem eò uenit, quod ſemper ſexus maſculinus fœmininum continet.

LXI. IDEM.

IN REPETENDIS legatis hæc uerba, quæ adijci ſolent, ITEM DARE DAMNAS ESTO: & conditiones, & ad dies legatorum eoſdem repetendos referri, Sabinus reſpondit.

LXII. AFRICANVS.

E QVI filium & nepotem hæredem inſtituerat: certa prædia, quæq; in his mortis tempore ſua eſſent, nepoti per fideicommiſſum dederat, excepto calendario. mortis tempore in ea arca, in qua inſtrumenta & cautiones debitorum erant, pecunia numerata inuenta eſt. pleriſq; uidebatur, uix uerisimile eſſe, ut teſtator de pecunia numerata ſenſiſſet. ego autem illud dignum animaduerſione exiſtimabam: cum quis calendarium præſtari alicui uoluit, utrum ne nomina duntaxat debitorum præſtari uoluiſſe intelligendus ſit, an uero etiam pecuniam, ſi qua ab his exacta, eidem tamen calendario deſtinata fuerit? & magis puto, quemadmodum ſi exactæ pecuniæ & rurſus collatæ eſſent, permutatio nominum non perimeret uel minueret fideicommiſſum: ita ipſas quoque pecunias, ſi adhuc calendario, id eſt, nominibus faciendis deſtinatæ eſſent, eidem fideicommiſſo cedere debere. quin etiam illud quoque defendi poſſe: ut non modo à debitoribus exactæ pecuniæ, ſed quacunque de cauſſa re

dactæ,eidem tamen rationi destinatæ,fideicommisso cedant. r

LXIII. MARTIANVS.

Legatis seruis exceptis negociatoribus:Labeo scripsit,eos legato exceptos uideri, qui
præpositi essent negocij exercendi caussa:ueluti qui ad emendum,locandum, conducendū
præpositi essent.cubicularios autem,uel obsonatores,uel eos, qui piscationibus præpositi
essent:non uideri negociationis appellatione contineri. & puto ueram esse Labeonis sen-
tentiam. Si ex officio quis ad artificium transierit:quidam rectè putant, legatum extin-
gui:quia officium artificio mutetur.non idem è contrario,cum lecticarius cocus postea fa-
ctus est. Si unus seruus plura artificia sciat,& alij coci legati fuerint,alij textores,alij lecti-
carij:ei cedere seruum dicendum est,qui legatus est,artificio,in quo plerunque uersabatur. a
Ornatricibus legatis, Celsus scribit eas,quæ duos tantum menses apud magistrum fue-
rint,legato non cedere.alij & has cedere:ne necesse sit nullā cedere:cum omnes adhuc disce-
re possint,& omne artificium incrementum recipiat. quod magis obtinere debet:quia hu-
manæ naturæ congruum est. Pecoribus legatis, Cassius scribit quadrupedes contineri,
quæ gregatim pascuntur.& sues autem pecorum appellatione continentur:quia & hi grega
tim pascuntur.sic denique & Homerus in Odissea ait.

Δήεις τόνγε σύεσσι παρήμενον, αἳ δὲ νέμονται
Πὰρ Κόρακος πέτρῃ ἐπί τε κρήνῃ Ἀρεθούσῃ.

Iumentis legatis boues non continentur,nec contrà.equis legatis, & equæ continentur.
Ouibus legatis non continentur agni.quàmdiu autem agnorum loco sunt,ex usu cuius- n
que loci sumendum est.nam in quibusdam locis ouium numero esse uidentur,cum ad ton-
suram uenerint.

LXIIII. PAVLVS.

Auibus legatis,anseres,phasiani,& gallinæ,& auiaria debentur: phasianarij autem,&
pastores anserum non continentur,nisi id testator expresserit.

LXV. MARCELLVS.

Qui saltum æstiuum legauit,& hoc amplius etiam eas res,quæ ibi esse solent: non uide
tur de illis pecoribus sensisse,quę hyeme in hybernis,aut æstate in æstiuis esse solent:sed de
illis,quæ perpetuò ibi sunt.

LXVI. VLPIANVS. *lib.II. Responsorum.* i

Iuniano respondit.testatorem adijciendo PRAEDIVM SEIANVM OMNE, eam quo-
que partem fundi suprascripti quasi ad se pertinentem uideri per fideicommissum reliquis-
se,quam ex caussa pignoris nactus esset,saluo scilicet iure debitoris. Ex his uerbis CVRA
TE AGROS ATTENDERE, ET ITA FIET, VT FILIVS MEVS FILIOS VESTROS VOBIS
CONDONET:fideicommissum peti non posse. Seruos communes ita à Seia relictos, SI
MEIERVNT, CVM MORIAR:non deberi:si modo hoc sensit testatrix,ut ita deberentur,si
in solidum eius fuissent. Prædijs σὺν ταῖς ἐνθήκαις,quæ in ea possessione sunt,relictis:mā-
cipia quoque prædiorum,cum illic testamenti facti tempore fuerunt,cēdent.sed & quę po-
stea accesserunt:si modo hoc testator manifestè expressit.

LXVII. MARCELLVS. k

Non aliter à significatione uerborum recedi oportet,quàm cum manifestum est, aliud
sensisse testatorem. Titius codicillis suis ita cauit.PVBLIO MAEVIO OMNES IVVENES,
QVOS IN MINISTERIO HABEO, DARI VOLO.quæro,à qua ætate iuuenes, & inquam in-
telligi debeant.Marcellus respondit.quos uerbis,quæ proponerentur,demonstrare uolue
rit testator: ad notionem eius,quæ de ea re cogniturus esset,pertinere. non enim in caussa
testamentorum ad definitionem utique descendendum esse:cum plerunque abusiuè loquan-
tur,nec proprijs nominibus ac uocabulis semper utantur.cæterum existimari posse cum iu
uenem,qui adolescentis excessisset ætatem,quoad inciperet inter seniores numerari.

LXVIII. VLPIANVS.

Si cui lana legetur:id legatum uidetur,quod tinctum non est,siue autem facta sit,siue in-
fecta:

A fecta: lanæ appellatione continetur. quæsitum est, utrum lanæ appellatione ea sola contineatur, quæ neta non est: an & ea, quæ neta est, utputa stamen & subtegmen? & Sabinus etiam netam contineri putat, cuius sententia utimur. Lanæ appellationem eatenus extendi placet, quatenus ad telam peruenit. & sciendum est, succidam quoque contineri, & lotam: si modo tincta non sit. Lanæ appellatione tormentum non continebitur. sed nec ea lana, ex qua quis quasi uestimentum fecerit ualetudinis, uel deliciarum gratia continebitur. nec ea quidẽ, quæ fomentationis gratia parata sunt, uel medicinę, lanarum appellatione continentur. sed etiã pelles lanatę cõtinentur. nã & has lanæ cedere, manifestum est. Lana legata, etiam le-
B porinam lanam, & anserinam, & caprinam credo contineri, & de ligno, quam græci ἐριόξυλον appellant. Linum autem lana legata utique non continebitur. lino autem legato tam factum, quàm infectum continetur, quodque netum, quodque in tela est, quod nõdum est detextum. ergo aliud in lino, quàm in lana est. et quidem & si tinctum linum sit, credo lino cõtinebitur. De uersicoloribus uidendum est. & cõstat apud ueteres lanæ appellatione uersicoloria non contineri. sed iis omnia uideri legata, quæ tincta sunt, & neta, quæ neque detexta, neque contexta sunt. proinde quæritur, an purpura appellatione uersicolorium contineatur? & ego arbitror ea, quæ tincta sunt, uersicoloribus non adnumerari. & ideo nec album naturaliter, neque nigrum contineri, nec alterius coloris naturalis. Purpuram autem & coccum (quoniam nihil natiui coloris habent) contineri arbitror: nisi aliud sensit testator. Pur-
C purę autem appellatione omnis generis purpuram contineri puto. sed coccum non cõtinebitur, bucinum & ianthinum cõtinebitur. Purpuræ appellatione etiam subtegmen factum contineri, nemo dubitat. lana tinguendæ purpuræ destinata non continebitur.

LXIX. IDEM.

CVM suæ ancillæ siue serui in testamento scribuntur: hi designari uidentur, quos paterfamiliàs seruorum numero habuerit.

LXX. PAVLVS.

EADEM in omnibus rebus, quas suas quis legauerit, dicenda sunt.

LXXI. VLPIANVS.

SVOS autem seruos uel ancillas eos accipimus, qui sunt pleno iure testantis: inter quos
D fructuarii non continebuntur. sed qui bona fide testatori seruiunt: suorum appellatione magis est, ut contineantur: si modo suorum appellatione eos, quos suorum numero habuit, uoluit contineri. Eos uero, quos quis pignori hypothecæue dedit: sine dubio inter suos legasse uidebitur debitor, creditor nequaquam. proinde si quis seruos habuerit proprios, sed quorum operas locabat, uel pistorias, uel histrionicas, uel alias similes: an seruorum appellatione etiam hos legasse uideatur? quod & præsumi oportet: nisi contraria uoluntas testatoris appareat. Eum, qui uenaliciariam exerceat, puto suorum numero non facilè contineri uelle eiusmodi mancipia: nisi euidens uoluntas fuerit etiam de his sentientis. nam quos quis ideo comparauit, ut illico distraheret: mercis magis loco, quàm suorum habuisse credendum est. uicarios autem seruorum suorum numero non contineri, Pomponius libro
E quinto scribit.

LXXII. POMPONIVS.

SI QVIS seruos suos legauit: communes quoque continentur, & in quibus ususfructus alienus sit.

LXXIII. VLPIANVS.

NVMIS indistinctè legatis, hoc receptum est, ut exiguiores legati uideantur: si neque ex patrisfamiliæ, neque ex regionis consuetudine, unde fuit, neque ex contextu testamenti possit apparere.

LXXIIII. IDEM.

CHARTIS legatis, nemo dicet, scripturas & libros iam factos legato cedere. hoc idem & in tabulis est.

LXXV. IDEM.

CVM in substitutione legata repetuntur: libertates etiam continentur.

LXXVI. PAVLVS. F

QVAESITVM est mancipium ex eo fundo ante annum mortis testatoris abductum, & disciplinæ traditum, postea in eum fundum non reuersum, an deberetur? responsum est, si studendi caussa misisset, non quò de fundo id aliorsum transferret: deberi. MAEVI FILI, QVOD IAM TIBI MAXIMAM PARTEM FACVLTATVM DEDERIM: CONTENTVS ESSE DEBES FVNDO SEMP: ONIANO CVM SVIS INHABITANTIBVS, ID EST FAMILIA ET QVAE IBI ERVNT. quæsitum est, de nominibus debitorum & numis? Eidem epistolam talem misit. ARGENTVM OMNE ET SVPELLECTILEM (QVODCVNQVE HABEO) TIBI DO, ET QVIDQVID IN PRAEDIO SEMPRONIANO HABEO. an supellex, quæ in prædiis uel domibus esset, ad Meuium pertineret? & an serui, quos ex eo fundo aliis legauit? re G sponsum est, nomina et numos non uideri deberi: nisi manifestè de his quoque legandis uoluntas defunctæ adprobaretur. seruos ex iisdem fundis aliis datos deminuisse filii legatum. de argēto & supellectili, quæ alibi esset: eum, cuius notio est, æstimaturum: ut id obtineat, quod testatori placuisse à legatario adprobabitur. Prædia quidam reliquit adiectis his uerbis, VT A ME POSESSA SVNT, ET QVAECVNQVE IBI ERVNT, CVM MORIAR quęsitum est de mancipiis, quæ in his prædiis morata fuerunt uel operis rustici caussa, uel alterius officii: cæterisque rebus, quæ ibi fuerunt in diem mortis: an ad legatarium pertinerent? respondi, ea omnia, de quibus quæreretur, legata uideri. PETO, VT FVNDVM MEVM CAMPANVM GENESIAE ALVMNAE MEAE ADSCRIBATIS DVCENTIS AVREIS, VTI EST. quæritur, an cum fundo & reliqua colonorum, & mancipia, si quæ mortis tempore in H eo fuerint, debeantur? respondi, reliqua quidem colonorum non legata: cætera uero uideri uerbis VTI EST data. Illud fortassis quæsiturus sit aliquis, cur argenti appellatione etiam factum argentum comprehendatur: cum si marmor legatum est, nihil præter rudem materiam demonstratum uideri possit? cuius hæc ratio traditur. quippe ea, quæ talis naturę sint, ut sæpius in sua possint redigi initia: ea materiæ potentia uicta, nunquam uires eius effugiant. Coccum, quod proprio nomine appellatur, quin uersicoloribus cederet, nemo dubitauit. quin minus porrò crocinum aut hysginum aut melinum suo nomine, quàm coccum purpuraue designatur? Cum uir ita legasset, QVAE VXORIS CAVSSA PARATA SVNT, EI DO LEGO. ego apud prætorem fideicommissarium petebam etiam res æstimatas, quarum precium in dotem erat, nec obtinui: quasi testator de his rebus non sensisset. I atquin si in usu eius datæ sint: nihil interest, ab ipso, an ab alio comparatæ sint. Postea apud Aburnium Valentem inueni ita relatum. mulier res æstimatas in dotem dederat, ac deinde dotem maritus ei legauerat his uerbis. QVAE EIVS CAVSSA PARATA SVNT, EMPTA QVAE. dixit emptorum paratorumque appellatione non contineri ea, quæ in dotem data essent: nisi si maritus eas res postea, quàm ipsius factæ essent, in uxoris usum conuertisset. Rebus, quæ in fundo sunt, legatis: accedunt etiam ea, quæ tunc non sunt, si esse solebant: nec quæ casu ibi fuerunt, legata existimantur.

LXXVII. CELSVS.

SI CHORVS, aut familia lēgatur: perinde est, quasi singuli homines legati sint. HIS uerbis. QVAE IBI MOBILIA MEA ERVNT, DO LEGO. numos ibi repositos, ut mutui darentur, non esse legatos, Proculus ait. at eos, quos præsidii caussa repositos haberet (ut quibusdam bellis ciuilibus factitasset) eo legato contineri: & sæpe audisse se rusticos senes ita dicentes, pecuniam sine peculio fragilem esse: peculium appellantes, quod præsidii caussa seponeretur. Area legata si inædificata medio tempore fuerit, ac rursus area facta sit: quanquam tunc peti non poterat, nunc tamen debetur. Seruus quoque legatus si interim manumittatur, & postea seruus factus sit: peti potest. K

LXXVIII. IDEM.

CON iunctim hæredes institui, aut coniunctim legari, hoc est: totam hæreditatem, & tota legata esse singulis data, partes autem concursu fieri.

LXXIX. MODESTINVS.

Seruis

A SERVIS legatis, etiam ancillas quidem deberi rectè putant: quasi commune nomen utrunque sexum contineat. ancillis uero legatis, masculos non deberi, nemo dubitat. & pueris etiam legatis puellæ debentur. id non æquè in puellis dicendum est. Mulieribus uero legatis, etiam uirgines debentur: sicuti uiris legatis, etiam pueros deberi respondetur. Pecudibus autem legatis, & boues, & cætera iumenta continentur. armento autem legato, etiam boues contineri conuenit: non etiam greges ouium, & caprarum. Ouibus legatis, neque agnos, neque arietes contineri, quidam rectè existimant. ouium uero grege legato: & arietes, & agnos deberi, nemo dubitat.

LXXX. IDEM.

B SERVVS, qui in fundo morari solitus erat, si fugerit, licet post mortem testatoris adprehendatur: fundo legato, ut instructus est, etiam ipse cedit.

LXXXI. IDEM.

QVOD his uerbis relictum est, QVIDQVID EX HAEREDITATE BONISVE MEIS AD TE PERVENERIT, CVM MORIERIS, RESTITVAS. eò, fructus, quos hæres uiuus percepit, item quæ fructuum uice sunt, non uenire placuit. nec enim quidquã proponi, ex quo de his quoque restituendis testatricem cogasse, probari possit. Idem testator, qui libertis fideicommissum relinquebat, substitutione inter eos facta expressit, ut post mortem extremi ad posteros eorum pertineret. quæro. cum nemo alius sit, nisi libertus eius, qui extremò mortuus est: an is ad fideicommissum admitti debeat? respondit. posterorum appellatione liberos tantum, non etiam libertos eorum, quibus fideicommissum relictum est, fideicommisso contineri, nequaquam incertum est.

C

LXXXII. IDEM.

CVI quæ Romæ essent, legata sunt: ei etiam, quæ custodiæ caussa in horreis extra urbẽ reposita sunt, debentur.

LXXXIII. POMPONIVS.

NVPER constitutum est à principe, ut et non adiecto hoc MEVM, si quis corpus alicui lẽget, et ita sentiat, ut demum præstetur, si suum sit: ita ualere legatum, ut appareat magis sententiam legantis, non hoc uerbum MEVM respiciendum esse. et ideo elegans est illa distinctio: ut quoties certum corpus lẽgatur, adiectum ad præsens tempus hoc uerbum MEVM non faciat conditionem. si uero incertum corpus lẽgetur, ueluti ita VINA MEA & VESTEM MEAM: uideatur pro conditione hoc uerbum MEA esse: ut ea demum, quæ illius sint, uideantur legata. quod non puto fortiter posse defendi: sed potius et hic uestem, uel uinũ, quod suorum numero habuerit, hoc legatum esse. (sic enim responsum est.) etiam quod coacuerit uinum legato cẽdere, si id uini numero testator habuisset. Planè in mortis tempus collatum hunc sermonem, VESTEM, QVAE MEA ERIT: sine dubio pro conditione accipiendum puto. sed & STICHVM, QVI MEVS ERIT, puto pro conditione accipiendum: nec interesse, utrum ita, QVI MEVS ERIT, an ita, SI MEVS ERIT. utrobique enim conditionem inesse. Labeo tamen scribit, etiam in futurum tempus collatum hũc sermonem QVI MEVS ERIT, pro demonstratione accipiendum. sed alio iure utimur.

D

E

LXXXIIII. PROCVLVS.

SI ITA legatum est, DOMVM, QVAEQVE MEA IBI ERVNT, CVM MORIAR: numos ad diem exactos à debitoribus, ut alijs nominibus collocarentur, non puto legatos esse. et Labeonis distinctionem ualde probo, qui scripsit: nec quod casu absit, minus esse legatum: nec quod casu ibi sit, magis esse legatum.

LXXXV. PAVLVS.

ET fideicommissum, et mortis caussa donatio appellatione legati continentur

LXXXVI. PAVLVS.

LANA legata, uestem, quæ ex ea facta sit, deberi non placet. sed et materia legata, nauis armariumue ex ea factum non uindicentur. naue autem legata dissoluta: neque materia, neque nauis debetur. massa autem legata, scyphi ex ea facti exigi possunt.

LXXXVII. IDEM.

Re co niuncti uidentur, non etiam uerbis, cum duobus separatim eadem res legatur. F
item uerbis, non etiam re, TITIO ET SEIO FVNDVM AEQVIS PARTIBVS DO LEGO:
quoniam semper partes habent legatarij. præfertur igitur omnimodo cæteris, qui et re &
uerbis coniunctus est. quod si re tantum coniunctus sit: constat non esse potiorem. si uero
uerbis quidem coniunctus sit, re autem non: quæstionis est, an coniunctus potior sit? & ma
gis est, ut ipse præferatur.

LXXXVIII. PAVLVS.

No mi na tim legatum accipiendum est, quod à quo legatum sit, intelligitur: licet nomē
pronunciatum non sit. G

LXXXIX. PAVLVS.

Praediis per præceptionem filiæ datis, cum reliquis actorum & colonorum: ea reli-
qua uidentur legata, quæ de reditu prædiorum in eadem caussa manserunt. alioquin pecu-
niam à colonis exactam, & in calendarium in eadem regione uersam, reliquis non contine-
ti neque colonorum, neque actorum, facilè constat: tametsi nominatim actores ad filiam per-
tinere uoluit. Ex his uerbis, LVCIO TITIO PRAEDIA MEA ILLA CVM PRAETORIO,
SICVT A ME IN DIEM MORTIS MEAE POSSESSA SVNT, DO: instrumentum rusticum &
omnia, quæ ibi fuerunt, quo dominus fuisset instructior, deberi conuenit: colonorum reli-
qua non debentur. Patet filiæ tabernam purpurariam cum seruis institoribus & purpu-
ris, quæ in diem mortis eius ibi fuerunt, legauit. neque precia purpuræ condita, neque debita, H
neque reliqua legato contineri placuit. TITIO SEIANA PRAEDIA, SICVTI COMPARA-
TA SVNT: DO LEGO. Cum essent Gabiniana quoque simul uno precio comparata: non suf-
ficere solum argumentum emptionis respondi: sed inspiciendum, an literis & rationibus ap
pellatione Seianorum Gabiniana quoque continerentur, et utriusque possessionis confusi re-
ditus titulo Seianorum acceptò lati essent. Balneas legatæ domus esse portionem cōsta-
bat. quod si eas publicè præbuit: ita domus esse portionem balneas, si per domum quoque
intrinsecus adibantur, & in usu patrisfamiliâs uel uxoris nōnunquam fuerant, & mercedes
eius inter cæteras meritoriorum domus rationibus acceptò ferebantur, & uno precio com-
paratæ uel instructæ communi (iure) coniunctæ fuissent. Qui domum possidebat, hortū
uicinum ædibus comparauit, ac post ea domum legauit. si hortū domus caussa comparauit, I
ut amœniorem domum ac salubriorem possideret, aditumque in eum per domum habuit, et
ædium hortus additamentum fuit: domus legato continebitur. Appellatione domus insu-
lam quoque iunctam domui uideri, si uno precio cum domo comparata fuisset, & utriusque
pensiones similiter acceptò latas rationibus ostenderetur.

XC. PAVLVS.

Si MIHI MAEVIA ET NIGIDIA FILIAE MEAE HAEREDES ERVNT: TVNC MAEVIA
E MEDIO SVMITO, PRAECIPITO, SIBIQVE HABETO FVNDOS MEOS ILLVM ET IL-
LVM CVM CASVLIS ET CVSTODIBVS OMNIVM HORVM FVNDORVM, ET CVM OM
NIBVS HIS AGRIS, QVI AD CONIVNCTIONEM CVIVSQVE EORVM FVNDORVM EM-
PTIONE, VEL QVOLIBET ALIO CASV OBTIGERINT. ITEM CVM OMNIBVS MANCIPI- K
IS: PECORIBVS, IVMENTIS, CAETERISQVE VNIVERSIS SPECIEBVS, QVAE IN IIS-
DEM FVNDIS, QVOQVE EORVM, CVM MORIAR, ERVNT: VTI OPTIMI MAXIMIQVE
SVNT, VTIQVE EOS IN DIEM MORTIS MEAE POSSEDI, ET (VT PLENIVS DICAM)
ITA VTI CLAVDVNTVR. in fundo aūt uno ex his, qui prælegati sunt, tabulariū est, in quo
sunt & compluriū mancipiorum emptiones, sed & fundorum & uariorū cōtractuum instru
menta, præterea & nomina debitorum. quæro, an instrumenta communia sint? respondi.
secundum ea, quæ proponerentur: instrumenta emptionum, item debitorum, quæ in fun-
do prælegato remanserunt, non uideri legato contineri. His uerbis, domibus legatis: FI-
DEI HAEREDVM MEORVM COMMITTO, VTI SINANT EVM HABERE DOMVS MEAS,
IN QVIBVS HABITO, NVLLO OMNINO EXCEPTO, CVM OMNI INSTRVMENTO, ET

REPOSI

A repositis omnibus: nõ uideri testatorẽ de pecunia numerata, aut instrumentis debitorum sensisse.

XCI. SCAEVOLA.

Lucius Titius testamẽto suo ita cauit, NVLLO MODO PRAEDIVM SVBVRBANVM AVT DOMVM HAERES ALIENET. filia eius hæres scripta hæredem reliquit filiam suam, quæ easdem res diu possedit, & decedens extraneos hæredes instituit. quæsitum est, an prædia pertinerent ad Iuliam, quæ Lucium Titium testatorem patruum maiorem habuit? respondi, nihil proponi contra uoluntatem defuncti factam, quòminus ad hæredem pertinerent, cum hoc nudum præceptum est. SEMPRONIAE MVLIERI MEAE REDDI IVBEO AB HAEREDIBVS MEIS CENTVM AVREOS, QVOS MVTVO ACCEPERAM. quæsitum

B est, si hanc pecuniam ut debitam Sempronia petens uicta sit: an fideicommissum peti possit? respondi, secundum ea, quæ proponerentur, posse ex caussa fideicommissi peti: quod apparuisset, non fuisse ex alia caussa debitam. Quidam prædia legauit libertis adiectis his uerbis: VTI A ME POSSESSA SVNT, ET QVAECVNQVE IBI ERVNT, CVM MORIAR. quæsitum est, an mancipia, quæ in his prædijs morata in diem mortis patrisfamiliâs fuerunt operis rustici caussa uel alterius officij, cæteræque res, quæ ibi fuerunt, ad legatarios pertineant? respondi, pertinere. Quæsitum est, an quod hæredes fratribus rogati essent restituere, etiam ad sorores pertineret? respondi, pertinere: nisi aliud sensisse testatorem probetur. Collegio fabrorum fundum cum syluis, quæ ei cedere solẽt, uti optimus maximusque esset, legauit. quæro, an ea quoque, quæ in diem mortis ibi fuissent, id est, fœnum, pabulum,

C palea: item machinæ, uasa uinaria, id est cupæ & dolia, quæ in cella defixa sunt: item granaria essent legata? respondi, non rectè peti, quod legatum non esset. Ex parte dimidia hærede instituto, per præceptionem fundum legauit, & ab eo ita petijt. PETO, VTI VELIS COHAEREDEM TIBI RECIPERE IN FVNDO IVLIANO MEO, QVEM AMPLIVS TE RECIPERE IVSSI, CLODIVM VERVM NEPOTEM MEVM, COGNATVM TVVM. quæro, an pars fundi ex caussa fideicommissi nepoti deberetur? respondi deberi.

XCII. VLPIANVS.

Is, qui complures libertos reliquerat, tribus ex his fundum legauerat: & petierat, ut curarent, ne de nomine suo exiret. quærebatur ex tribus, qui primus moriebatur, utrum utrique uel alteri ex his, qui in legato sibi coniuncti essent, relinquere partem suam deberet: an pos-

D sit uel alij conliberto suo eam relinquere? placuit (& si uoluntatis quæstio esset) satis illũ facturum: & si alij reliquisset. quod si nulli dedisset: occupantis, an omnium conlibertorum: &num eorum tantum, quibus pariter legatum esset, fideicommissi petitio esset dubitabatur. et Iulianus rectè omnibus deberi putauit.

XCIII. MAETIANVS.

Qvisqvis mihi haeres erit, damnas esto dare, fideiqve eivs committo, vti det, qvantas svmmas dicta vero, dedero. Aristo res quoque corporales contineri ait, ut prædia, mancipia, uestem, argentum: quia & hoc uerbum QVANTAS nõ ad numeratam duntaxat pecuniam referri, ex dotis relegatione, & stipulationibus emptæ hæreditatis appareret: & SVMMAE appellatio similiter accipi deberet, ut in his argumẽ

E tis, quæ relata essent, ostenderetur. uoluntatem defuncti præterea, quæ maximè in fideicõmissis ualeret, ei sententiæ suffragari. neque enim post eam præfacionem adiecturum testatorem fuisse, res corporales: si duntaxat pecuniam numeratam præstari uoluisset.

XCIIII. CAIVS.

Si Titius ex parte hæres rogatus sit Mæuio hæreditatem restituere, & rursus Titio cohæres eius rogatus sit suam partem, aut partis partem restituere: an hanc quoque partẽ, quã à cohærede ex fideicommisso recepit, Titius restituere Mæuio debeat? diuus Antoninus cõsultus rescripsit, non debere restituere: quia appellatione hæreditatis, neque legata, neque fideicommissa continerentur.

XCV. PAVLVS.

Osidivs quidã instituta filia Valeriana hærede, actori suo Antiocho data libertate,

A habuit testator, patriæ suæ reliquisse uideatur? respondi. secundum ea, quæ proponerentur, non uideri relicta: si modo in proprium patrimonium, quod ferè cessante debitore fit, non sint redacta. PETO FVNDVM MEVM ITA, VTI EST, ALVMNAE MEAE DARI. quęsitũ est, an fundus, & reliqua colonorum, & mancipia (si qua mortis tempore in eo fundo fuerint) debeantur? respondi. reliqua quidem colonorum non esse legata: cætera uero uideri illis uerbis ITA VTI EST data.

C. IDEM.

HIS uerbis legauit VXORI MEAE LATERALIA MEA VIATORIA, ET QVIDQVID IN HIS CONDITVM ERIT, QVAE MEMBRANVLIS MEA MANV SCRIPTIS CONTINE-
B BVNTVR, NEQVE EX ACTA ERVNT, CVM MORIAR, LICET IN RATIONES MEAS TRANSLATA SINT, ET CAVTIONES AD ACTOREM MEVM TRANSVLERIM. hic chirographa debitorum & pecuniam, cum esset profecturus in urbẽ, in lateralibus condidit: & tam chirographis exactis, quàm pecunia erogata, reuersus in patriam post biennium alia chirographa prædiorum, quæ postea comparauerat, & pecuniam in lateralia cõdidit. quęsitum est, an ea tantum uideatur nomina ei legasse, quæ postea reuersus in eisdem lateralibus condiderit? respondi. secundum ea, quæ proponerentur, non deberi, quæ mortis tẽpore in his lateralibus essent, & membranis manu eius scriptis continerentur. Item quæsijt. an cum emptiones prædiorum in ijsdem lateralibus cõdiderit: prædia quoq; legato cedãt? respondi. non quidem manifestè apparere, quid de prædijs sensisset. uerum si ea mente em-
C ptiones ibi haberet, ut his legatariæ datis, proprietas prædiorum præstaretur: posse defendi, prædia quoq; deberi. Paterfamiliâs ita legauit. LANCES NVMERO DVAS LEVES, QVAS DE SIGILLARIBVS EMI DARI VOLO. is de sigillaribus leues quidem non emerat, lances autem emptas habebat: & dictauerat testamentum ante triduum, quàm moreretur. quæsitum est, an hæ lances, quas emptas de sigillaribus habebat, legato cedant: cum nullas alias de sigillaribus emerit, nec legauerit? respondi. secundum ea, quæ proponerentur, debeti eas, quas de sigillaribus emisset. Alumno præcepit militiam his uerbis. SEMPRONIO ALVMNO MEO ILLVD ET ILLVD. ET CVM PER AETATEM LICEBIT, MILITIAM ILLAM CVM INTROITV COMPARARI VOLO: HAECQVE OMNIA INTEGRA. quæsitum est si Sempronius ipse eam sibi militiam comparauit: an precium eius, sed & id, quod pro
D introitu erogari solet, ex caussa fideicommissi ab hæredibus consequi possit? respondi. secundum ea, quæ proponerentur, posse. Idem testator liberto militiã his uerbis legauit. SEIO LIBERTO MEO MILITIAM DO LEGO. ILLAM MILITIAM QVAM ET TESTATOR HABVIT. quæsitum est, an omnia onera & introitus militiæ ab hærede sint danda? respondi. danda.

CI. IDEM.

SI PATER ex hæredato filio substituit hæredem extraneum, deinde ille extraneus hunc filium hæredem instituat, & hæres factus intra pubertatem decedat: puto à substituto ei filio omnino legata prestari non debere: quia non directò, sed per successionem ad filium hæreditas patris peruenit. plus ego in fratre, qui cum hæres exstitisset patri, exhæredatum fra-
E trem hęredem instituit: accepi substitutum eius legatum non debere. ac ne quidem, si intestato fratri successerit: quia non principaliter, sed per successionem bona fratris ad eum peruenerunt. Si filius ex uncia hęres institutus sit, & legata data sint, habeat & substitutum, deinde cõmisso edicto per alium filium accepit partis dimidiæ bonorum possessionem: substitutus eius utrum ex uncia legata præstet, an uero ex semisse? et uerius est ex semisse. sed & ex uncia, omnibus: ex reliquis, liberis & parentibus. contrà quoque, si ex dodrante institutus commisso edicto in semissem acceperit bonorum possessionem: ex semisse tantum legata substitutus debebit quomodo enim augetur, ubi amplius est in bonorum possessionẽ: sic & ubi minus est, deducitur,

A VII. POMPONIVS lib. XIII. ad Q. Mutium

QVINTVS MVTIVS ait si quis in testamento ita scripsit, FILII FILIAEQVE MEAE IBI SVNTO, VBI EOS MATER SVA ESSE VOLET: EISQVE HAERES MEVS IN ANNOS SINGVLOS, INQVE PVEROS PVELLASQVE SINGVLAS, DAMNAS ESTO DARE CIBARII NOMINE AVREOS DECEM. si tutores eam pecuniam dare nolunt ei, apud quem pueri atque puellæ sunt: nihil est, quod ex testamento agere possit. nam ea res eò pertinet, ut tutores sciant, quæ uoluntas testatoris fuerit: uti possint eam pecuniam sine periculo date. POMPONIVS. in testamentis quædam scribuntur, quę ad authoritatem scribentis duntaxat referuntur, nec obligationem patiunt. hæc autem talia sunt. SI TE HAEREDEM SOLVM INSTITV-
B AM, ET SCRIBAM: VTI MONVMENTVM MIHI CERTA PECVNIA FACIAS. nullā enim obligationem ea scriptura recipit: sed ad authoritatem meam conseruandam poteris (si uelis) facere: aliter, atque si cohęrede tibi dato, idem scripsero, nam siue te solum damnauero, uti monumentum facias: cohęres tuus agere tecum poterit familiæ ercifcundæ, uti facias: quoniam interest illius, quin etiam si utrique iussi estis hoc facere: inuicem actionem habebitis: Ad authoritatem scribētis hoc quoque pertinet, cum quis iussit in municipio imagines poni. nam si non honoris municipij gratia id fecisset, sed sua: actio eo nomine nulli competit. Itaque hæc Quinti Mutij scriptura LIBERI MEI IBI SVNTO, VBI EOS MATER SVA ESSE VOLET: nullam obligationem parit, sed ad authoritatem defuncti conseruandam pertinet. ut ubi iusserit, ibi sint. Nec tamen semper uoluntas eius aut iussus conseruari debet: ue-
C luti si prętor doctus sit, non expedire pupillum eo morari, ubi mater iusserit, propter uitiū, quod pater fortè ignorauit in eis esse personis, apud quas morari iussit. Si autem pro cibarijs eorum in annos singulos aurei decem relicti sint: siue hoc sermone significantur, apud quos morari mater pupillos uoluerit: siue ita acceperimus hunc sermonem, ut ipsis filijs id legatum debeatur: utile erit. & magis enim est, ut prouidentia filiorum suorum hoc fecisse uideatur. & in omnibus, ubi authoritas sola testatoris est: neque omnimodo spernenda, neque omnimodo obseruanda est: sed interuentu iudicis hæc omnia debent (si nō ad turpem caussam referuntur) ad effectum perduci.

VIII. CAIVS.

IN singulos annos relictum legatum, simile est usuifructui, cum morte finiatur. sanè capi
D tis deminutione non finitur, cum ususfructus finiatur. sed & ususfructus ita legari potest: TITIO VSVMFRVCTVM FVNDI LEGO: QVOTIESQVE CAPITE MINVTVS ERIT, EVNDEM VSVMFRVCTVM EI DO. illud certè amplius est in hoc legato: quod in gressu cuiuslibet anni, si decesserit legatarius, eius anni legatum hæredi suo relinquat. quod in usufructu non ita est: cum fructuarius, etiam si maturis fructibus, nondum tamen perceptis decesserit hæredi, suo in eos fructus actionem non relinquat.

IX. PAPINIANVS.

FVNDVS, quem paterfamiliās libertis legatorum nomine, quæ in annos singulos reliquit: pignori esse uoluit: ex caussa fideicommissi rei seruandæ gratia rectè petetur. PAVLVS notat, hoc admittendum & in alijs rebus hęreditarijs, ut & in eas legatarius mittatur.

E X. IDEM.

SEIO AMICO FIDELISSIMO, SI VOLVERIT, SICVT MEIS INTERVENIEBAT, EODEM MODO FILIORVM MEORVM NEGOCIIS INTERVENIRE: ANNVOS SENOS AVREOS ET HABITATIONEM, QVA VTITVR, PRAESTARI VOLO. non ideo minus annua Seio pro parte hæreditaria uiuentis filiæ deberi placuit, quod ex tribus filijs Titiæ duo alijs hæredibus institutis uita decesserint: cum tam labor, quàm pecunia diuisionem recipiat. MEDICO SEMPRONIO QVAE VIVA PRAESTABAM, DARI VOLO. ea uidentur relicta, quæ certam formam erogationis annuę, non incertam liberalitatis uoluntatem habuerunt. VXORI PRAETER ID, QVOD A MAEVIO ANNVI NOMINE ACCIPIEBAT AVREOS CENTVM DARI VOLO. annuum uidetur, & semel centum aureos reliquisse.

LIBERIS DARI VOLO, QVAE VIVA PRAESTABAM. & habitatio præstabitur, sumptus

sumptus autem iumentorum non debebuntur, quos actori domina prestare solita fuit utili-
taris suæ caussa. ideo nec sumptum medicamentorum medicus libertus rectè petet: quem,
ut patronam, eiusque familiam curaret, acceptabat.

XI. PAVLVS.

CVM in annos singulos legatur: plura legata esse placet, & per singula legata ius capien-
di inspicietur. idem in seruo inspiciendum est ex persona dominorum.

XII. IDEM.

CAIVS Seius prædia diuersis pagis Mæuiæ & Seiæ legauit, & ita cauit. PRAESTARI
AVTEM VOLO EX PRAEDIIS POTITIANIS, EX PRAEDIIS LVCTATIANIS ANNVA
ARVNDINIS MILIA TRECENTA, ET SALICIS MVNDAE ANNVA LIBRARVM SINGV- G
LA MILIA. quæro, an id legatum defuncta legataria extinctum sit? PAVLVS respondit. ser-
uitutem iure constitutam non uideri, neque in personam, neque in rem: sed fideicommissi peti
tionem competisse ei, cui prædia Luctatiana sunt legata. & ideo cum annua legata fuerint:
mortua legataria, finitum legatum uideri.

XIII. SCAEVOLA.

MAEVIA nepotem ex Mæuio puberem hæredem instituit, & Lucio Titio ita legauit.
LVCIO TITIO BONO VIRO, CVIVS OBSEQVIO GRATIAS AGO, DARI VOLO ANNV-
OS (QVAMDIV VIVET) AVREOS DECEM, SI REBVS NEPOTIS MEI INTERVENERIT,
OMNEMQVE ADMINISTRATIONEM RERVM NEPOTIS MEI AD SOLLICITVDINEM
SVAM REVOCAVERIT. quæro, cum Lucius Titius aliquo tempore Mæuij negocia gessit, H
& per eum non sterit, quominus gerat: Publius autem Mæuius nolit eum administrare: an
fideicommissum præstari debeat? respondi. si non propter fraudem, aliámue quàm iustã
caussam improbandæ operæ caussa remotus esset à negotijs, quæ administrare secundum
defuncti uoluntatem uellet: percepturũ legatum. Vxore hærede scripta, ita cauit. LIBER-
TIS MEIS OMNIBVS ALIMENTORVM NOMINE SINGVLIS ANNVOS DENARIOS DVO
DECIM AB HAEREDE DARI VOLO, SI AB VXORE MEA NON RECESSERINT. quæro. cũ
paterfamiliás sua uoluntate de ciuitate difficilè profectus sit, ea autem assiduè proficisca-
tur: an liberti cum ea proficisci debeant? respondi. non posse absolutè responderi: cum mul-
ta oriri possint, quæ pro bono sint æstimanda. ideoque huiusmodi uarietatem uiri boni arbi
trio dirimendam esse. Item quæritur. cum proficiscens eis nihil amplius obtulerit, ac pro- I
pter hoc eam secuti non sint: an legatũ debeatur? respondi. & hoc ex longinquis breuibusque
excursionibus & modo legati æstimandum esse.

XIIII. VLPIANVS.

SI cui annuum fuerit relictum sine adiectione summæ: nihil uideri huic adscriptum, Me
la ait. sed est uerior Neruæ sententia: quod testator præstare solitus fuit, id relictum uideri.
sin minus: ex dignitate personæ statui oportebit.

XV. IABOLENVS.

EVM, qui rogatus post decem annos restituere, pecuniam ante diem restituerat, respon-
dit: si propter capientis personam, quod rem familiarem tueri non posset, in diem fideicõ-
missum relictum probaretur, & perdituro ei id hęres ante diem restituisset: nullo modo li-
beratum esse. quod si tempus hæredis caussa prorogatum esset, ut commodum medij tem-
poris ipse sentiret: liberatum eum intelligi. nam & plus eum præstitisse, quàm debuisse.

XVI. PAVLVS.

SERVVS post decem annos liber esse iussus est, legatumque ei ex die mortis domini in
annos singulos relictum est. eorum quidem annorum, quibus iam liber erit, legatum debe
bitur: interim autem hæres ei alimenta præstare compellitur.

XVII. IABOLENVS.

LEGATVM ita est, ATTIAE DONEC NVBAT HAERES MEVS QVINQVAGINTA
DARE DAMNAS ESTO: neque adscriptum est IN ANNOS SINGVLOS. Labeo & Treba-
tius præsens legatum deberi putant. sed rectius dicetur, id legatum in annos singulos
deberi.

A deberi. VINI FALERNI, QVOD DOMI NASCETVR, QVOTANNIS IN ANNOS SINGVLOS BINOS CVLLEOS HAERES MEVS ATTIO DATO. etiã pro eo anno, quo nihil uini natum esset, deberi duos culleos, respondit: si modò ex uindemia cęterorum annorum dari possint.

XVIII. SCAEVOLA.

CODICILLIS testamẽto confirmatis fundum libertis legauit, eumq́ alienari uetuit, sed pertinere uoluit uel ad filios libertorum, uel natos ex his. deinde hæc uerba adiecit. À QVIBVS PRAESTARI VOLO HAEREDI EX REDITV EIVS FVNDI DECEM PER ANNOS SINGVLOS VSQVE AD ANNOS TRIGINTAQVINQVE À DIE MORTIS MEAE. quęsitum est. cum hæres à Titio institutus infra tricesimũ quintum annum ætatis decesserit: an B residui temporis fideicõmissum ex uerbis suprascriptis hæredis quoq; hæredi debeatur? respondit, deberi: nisi ostendatur à libertis, testatorem ad hæredis tricesimumquintũ annum respexisse. Sticho alumno suo centum, & menstruos decem, & annuos centum dari uoluit: & Semproniam, quam hæredem ex triente instituerat, rogauit in hæc uerba. FIDEI TVAE COMMITTO SEMPRONIA SOROR, VTI LEGATA, QVAE ALVMNIS MEIS RELIQVI, EX MEDIO RECIPIAS, ET APVD TE HABEAS, QVOAD EOS COMMENDATOS HABES. quæsitum est. cum Sempronia, cuius fideicõmissum sit, abstinuerit se hæreditate, antequàm secundum uoluntatem defuncti perciperet pecuniã alumnis relictam: an Sticho de legatis actio, etiam ante uicesimum quintum annũ competat? respondit, competere.

XIX. IDEM.

C TITIA hærede Seia scripta, usumfructum fundi legauit Mæuio, eiusq́; fidei commisit in hæc uerba. À TE MAEVI EX REDITV FVNDI SPERATIANI PRAESTARI VOLO ARRIO PAMPHILO ET ARRIO STICHO DIE MORTIS MEAE ANNVOS SEXCENTOS QVOTANNIS, QVOAD VIVENT. quæsitum est. cum Mæuius annua alimenta pręstiterit, post mortem autem eius fundus ad hæredem Titiæ pleno iure redierit: an alimenta ex fideicommisso Pamphilo & Sticho debeantur? respondi. nihil proponi, cur debeant præstari ab hæredibus Titiæ: cum ab usufructuario alimenta relicta sint. Idem quæsijt, an ab hæredibus Mæuij legatarij præstanda sint? respondi. nihil ab hæredibus legatarij præstandum: nisi testatorem manifestè probetur, noluisse etiam finito usufructu præstari: si modò id, quod ex usufructu receptum esset, ei rei præstandæ sufficeret. Qui Marco homini D docto certa annua præstabat, testamento cauit: DOMINA SANCTISSIMA SCIO TE DE AMICIS MEIS CVRATVRAM, NE QVID HIS DESIT: VERVNTAMEN ET MARCO DARI OCTINGENTA. quęsitum est, an Marcus præstitis sibi ex caussa legati octingentis, annua quoq; consequi debeat? respondi. nihil proponi, cur non secundum ea, quæ in consultationem collata essent, debeantur. LVCIO TITIO AVRI PONDO TRIA, QVAE VIVA PRAESTABAM. quæro. cum testatrix quadraginta Titio, quoad uiueret, & salarij nomine certam summam, & amplius festorum dierum nomine certum pondus argenti, aut pro eo pretium præstiterit: an eadem ex caussa legati uel fideicommissi ab hæredibus eius Titio præstari debeant? respondi. nihil proponi, cur præstanda non sint.

XX. IDEM.

E ANNVA his uerbis legauit, SI MORENTVR CVM MATRE MEA QVAM HAEREDEM PRO PARTE INSTITVI. quæsitum est, an mortua matre conditio adposita defecisse uideatur: ac per hoc neq; uestiaria, neq; cibaria his debeantur? respõdi. secundum ea, quę proponerentur, deberi. Attia fideicõmissum his uerbis reliquit. QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, FIDEI EIVS COMMITTO, VT DET EX REDITV COENACVLI MEI ET HORREI POST OBITVM SACERDOTI, ET ἹΕΡΟΦΥΛΑΚΙ, ET LIBERTIS, QVI IN ILLO TEMPLO ERVNT, DENARIA DECEM DIE NVNDINARVM, QVAS IBI POSVI. quæro, utrum his duntaxat, qui eo tempore, quo legebatur, in rebus humanis & in eo officio fuerint, debitum sit: an etiam ijs, qui in locum eorum successerunt? respondi. secundum ea, quæ proponerentur, ministerium quidem nominatorum designatum. cæterum datum templo. Item quæro. utrum uno duntaxat anno decem fideicommissi nomine debeantur:

an etiam in perpetuum decem annua præstanda sint? respondi, in perpetuum. F

XXI. IDEM.

LIBERTO suo ita legauit. PRAESTARI VOLO PHILONI, VSQVE DVM VIVIT,
QVINQVAGESIMAM OMNIS REDITVS, QVAE EX PRAEDIIS A COLONIS, VEL
EMPTORIBVS FRVCTVS, EX CONSVETVDINE DOMVS MEAE PRAESTATVR. hæ-
redes prædia uendiderunt, ex quorum reditu quinquagesima relicta est. quæsitum est, an
pretij usuræ, quæ ex consuetudine in prouincia præstarentur, quinquagesima debeatur? re-
spondit. reditus duntaxat quinquagesimas legatas, licet prædia uendita sint. A' liberto,
cui fundum legauerat ferentem annua sexaginta, per fideicommissum dederat Pamphilæ
annua dena. quæsitum est, si lex Falcidia liberto legatum minuerit: an Pamphilæ quoque G
annuum fideicommissum minutum uideatur: cum ex reditu legata sint, qui largitur, etiam
si Falcidia partem dimidiam fundi abstulerit, annuam Pamphilæ præstationem? respondi.
secundum ea, quæ proponerentur, non uideri minutum: nisi alia mens testatoris probare-
tur. Filium ex dodrante, uxorem ex quadrante instituit hæredes: & filij fidei commisit,
ut nouercæ restitueret hæreditatem. ab ea autem petijt, ut infirmitatem filij commendatam
haberet, eiq; menstruos aureos denos præstaret, donec ad uicesimumquintum annum æta-
tis peruenisset: cum autem impleßet eam ætatem, partem dimidiam hæreditatis ei restitue-
ret. filius deducta dodrantis parte quarta, ex qua institutus erat, nouercæ hæreditatem resti-
tuit: & postea adimpleuit uicesimumquintum annum ætatis. quæsitum est. cum nouerca
uniuersæ hæreditatis habeat dodrantem, semiunciam, & sicilicum: an eius partē dimidiam H
priuigno suo restitueret? respondi. secundum ea, quæ proponerentur, tantum restituen-
dum, quantum cum eo, quod Falcidiæ nomine filius deduxit, semissem faceret. Idem quæ-
siuit, an quod infirmitati filij pater consulere uoluerit, fructus quoq; medij temporis nouer-
cæ ei restituere deberet? respondi. secundum ea, quæ proponerentur, debere. Lucius Ti-
tius testamento patriæ suæ ciuitati Sebastenorum centum legauit, ut annis alternis ex usu-
ris eiusdem certamina sub nomine ipsius celebrarentur. & adiecit hæc uerba. QVOD SI
CONDITIONE SVPRASCRIPTA RECIPERE LEGATAM SIBI PECVNIAM CIVI-
TAS SEBASTENORVM NOLVERIT: NVLLO MODO HAEREDES MEOS EI OB-
LIGATOS ESSE VOLO, SED HABERE SIBI PECVNIAM. postea præses prouinciæ
ex nominibus debitorum hæreditariorum elegit idonea nomina, & in caussam legati rei- I
publicæ adiudicauit post cuius sententiam respublica adiudicatas à plerisq; sibi pecunias
percepit. quæsitum est. an si respublica conditionibus testamento adscriptis postea non pa-
ruerit, legatum ad filios hæredes pertineat? respondi. rempublicam testatoris uoluntati pa-
rere compellendam: ac nisi faciat, in his quidem summis, quę per numerationem uel noua-
tionem solutæ sunt, utili repetitione hæredes adiuuandos: ab his uero nominibus, quæ ne-
que soluerunt reipublicæ, neque nouatione abscesserunt à pristina obligatione, non prohi-
bendos, quò minus debitum petant. Largius Euripianus consuluit. alumno certam pe-
cuniam patronum testamento legasse, deq; ea re testamento ita cauisse. PECVNIAM
QVAM TITIO LIBERTO MEO ET ALVMNO LEGAVI, ESSE VO-
LO PENES PVBLIVM MAEVIVM VSQVE AD VICESIMVMQVIN- K
TVM ANNVM AETATIS EIVS, PROQVE EA COMPVTARI CVM
EO VSVRAS QVADRANTES. QVANTVM AVTEM EI STATVENDVM SIT IN SVM-
PTVM, TV PVBLI MAEVI (CVM PATRIS AFFECTVM EI PRAESTARE DEBEAS)
AESTIMABIS. quæsitum est, an hæredes à Publio Mæuio satis accipere debuerūt, soluētes
eam pecuniā? respondi. cū testamēto nulla exigendę satisdationis cōmemoratio fiat satis ha-
buisse hæredes, secundū uoluntatē defuncti P. Męuio pecuniā numerare. & ideo nec Titius
alumnus, uel hæredes eius audiri debēt, aduersus hęredes patroni agētes, quod satis nō ex-
egerūt. ex ea enim numeratione & à Titio, ac proinde etiā ab hęredibus eius, liberatos esse
suprascriptos hęredes: nisi uiuēte testatore P. Męuius soluēdo esse desierit. tunc enim cautio
ab eo exigēda erat. Pater duos filios ęquis ex partibus instituit hęredes, maiorē & minorē,

qui

A qui etiam impubes erat:& in partẽ eius certa prædia reliquit, & cum quatuordecim annos impleuit, certam ei pecuniam legauit, idq; fratris eius fidei cõmisit, à quo petijt in hæc uerba. A TE PETO SEI, UT AB ANNIS DUODECIM AETATIS AD STUDIA LIBERALIA FRATRIS TUI INFERAS MATRI EIUS TOT ANNUA USQUE AD ANNOS QUATUORDECIM. EO AMPLIUS TRIBUTA FRATRIS TUI PRO CENSU EIUS DEPENDAS, DONEC BONA RESTITUAS. ET AD TE REDITUS PRAEDIORUM ILLORUM PERTINEANT, QUO AD PERVENIAT FRATER TUUS AD ANNOS QUATUORDECIM. quæsitum est, defuncto maiore fratre, alio hærede relicto: utrum omnis conditio percipiendi reditus fundorũ, & ut anniuersaria pręstentur, & alia, quæ præstaturus esset, si uiueret Seius, ad hæ
B redem eius trãsierint: an uerò id omne protinus ad pupillum & tutores transferri debeat? respondi. secundum ea, quæ proponerentur, intelligi testatorem quasi cum tutore locutum: ut tempore, quo tutela restituenda esset, hæc quoq;, quæ pro annuis præstari iussisset, percipiendisq; fructibus, finiantur. sed cum maior frater morte præuentus sit: omnia quæ relicta sunt, ad pupillum & tutores eius confestim post mortem fratris transisse.

XXII. ALFENUS.

FILIAE MEAE, QUOTIESCUNQUE VIDUA ERIT, IN ANNOS SINGULOS CENTUM HAERES MEUS DATO. quæritur, si filia minus annuo tempore uidua fuisset, nunquid minus ei centum deberentur? respondit. sibi uideri, tametsi totus annus nondũ fuisset, tamen deberi.

XXIII. MARCELLUS.

C CUM quidã decurionibus diuisiones dari uoluisset die natalis sui: diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, non esse uerisimile, testatorem de uno anno sensisse, sed de perpetuo legato.

XXIIII. IDEM.

CUM erat pecunia certa reipublicæ Sardianorum relicta per quadriennium certaminis Chrysanthiani: diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, uideri perpetuam pensitationem reliquisse testatorem per quadriennium, non in primum quadriennium.

XXV. CAIUS.

FILIO familiãs, quoad in potestate patris est, in annos singulos dena dari possunt.

DE USU, ET USUFRUCTU, ET REDITU, & habitatione, & operis per legatum, uel fideicommissum datis. TIT. II.

D

I. PAULUS.

NEC USUS, nec ususfructus itineris, actus, uiæ, aquæúe ductus legari potest. quia seruitus seruitutis esse non potest. nec erit utile ex senatusconsulto, quo cauetur, ut omnium, quæ in bonis sint, ususfructus legari possit: quia id neq; ex bonis, neq; extra bona sit. sed incerti actio erit cum hærede, ut legatario quamdiu uixerit, eundi, agendi, ducendi facultatem præstet: & ut ea seruitus constituatur sub hac cautione, ut si decesserit legatarius, uel capite deminutus ex magna caussa fuerit, restituatur.

II. PAPINIANUS.

E HOMINIS operæ legatæ capitis deminutione, uel non utendo non amittuntur &, quoniã ex operis mercedem percipere legatarius potest: etiam operas eius ipse locare poterit. quas si prohibeat hæres capi: tenebitur. Idem est, & si seruus se locauerit. & quia legatarius fructuarius non est: ad hęredẽ suũ operarũ legatum transmittit: sed seruo usucapto legatum petit.

III. PAULUS.

HOMINIS quoq; liberi operæ legari, sicut locari, & in stipulationem deduci possunt.

IIII. ULPIANUS.

SI PURÈ proprietas legata erit: ea ad legatariũ perueniet, quamuis fructuarius hæres sit institutus.

V. PAULUS.

USUMFRUCTUM cum moriar inutiliter stipulor. idem est in legato: quia & constitutus ususfructus morte intercĭdere solet.

VI. POMPONIVS.

SI VSVS fructus mihi in biennium continuum à morte testatoris legatus sit, & per hæredem steterit, quò minus eum mihi daret: præterito biennio nihilominus tenetur: quemadmodum teneretur, si res legata in rerũ natura esse desijsset, quam quis deberet, moratusq́ esset in ea danda: ut peti quidem iam ususfructus, qui legatus sit, non possit: quia alius futurus sit, quàm qui legatus fuit: sed æstimatio eius bima duntaxat facienda sit.

VII. VLPIANVS.

OPERAE testamento relictæ quando cedere debeant? utrũ ex quo petit eas legatarius, an ex quo adita hæreditas est? & cui pereant dies, quibus æger seruus fuerit? & puto ex die petitionis eas cedere. quarè si post petitas æger esse seruus cœperit: legatario peribunt. G

VIII. CAIVS.

SI usufructus municipibus legatus erit: quæritur, quo usq́ in eo usufructu tuendi sint? nam si quis eos perpetuo tueatur: nulla utilitas erit nudæ proprietatis, semper abscedente usufructu. unde centum annos obseruandos esse constat, qui finis uitæ longissimus est.

IX. VLPIANVS.

SI AB eo, cui legatus esset usufructus, fideicommissum fuerit relictum: licet usufructus ad legatarium non peruenerit: hæres tamen, penès quem usufructus remanet, fideicommissum præstat. quod & in militis testamento erit dicendum: si legatarius, à quo fideicommissum relictum est, repudiauerit legatum, uel uiuo testatore decesserit. H

X. IVLIANVS.

SI TITIO fundus & eiusdem fundi usufructus legatus fuerit: erit in potestate eius, fundum, an usumfructum uindicare malit. & si fundum elegerit: necessario plenam proprietatem habebit, licet usumfructum à se repulerit. si uero usumfructum habere maluerit, & proprietatem fundi repulerit: solum usumfructum habebit.

XI. IDEM.

HABITATIONIS legatum in singulos annos ab initio anni deberi constat.

XII. ALFENVS.

HAERES in fundo, cuius usufructus legatus est, uillam posuit. eam inuito fructuario demoliri non posse: nihilo magis, quàm si quam arborẽ posuisset, & ex fundo euellere uellet: sed si antè, quàm usufructuarius prohibuerit, demolitus erit: impunè facturum. I

XIII. PAVLVS.

CVM usufructus alternis annis legatur: non unum, sed plura legata sunt. aliud est in seruitute aquæ & uiæ. uiæ enim seruitus una est: quia natura sui habet intermissionem.

XIIII. CELSVS.

DVOS separatim utifrui sinere damnatus hæres, communiter utifrui passus est. quærebat, an utriq́ ex testamento teneretur? dixi, teneri: si testator utrunq́ solidum habere uoluisset. nam ipsius onus esse, ut solidum singulis legatum præstaret. qua parte igitur alterum utifrui sineret hæres, ea parte eum non sinere alterum utifrui. ideoq́ per æstimationem unicuiq́, quod deest, replere debere. K

XV. MARCELLVS.

DAMNAS ESTO HAERES TITIVM SINERE IN ILLA DOMO HABITARE, QVO AD VIVET. unum uidetur esse legatum. Qui duos fundos habebat, unum legauit, alterius fundi usumfructum alij legauit. quæro, si fructuarius ad fundum aliunde uiam non habeat, quàm per illum fundum, qui legatus est: an fructuario seruitus debeatur: respondit: quemadmodum si in hæreditate esset fundus, per quem fructuario posset præstari uia, secundum uoluntatem defuncti uideretur id exigere ab hęrede: ita in hac specie non aliter concedendum esse legatario fundum uindicare, nisi prius transeundi ius fructuario pręstetur: ut hæc forma in agris seruetur, quæ uiuo testatore obtinuerit: siue donec usufructus permanet, siue dum ad suam proprietatem redierit.

Legatum

XVI. MODESTINVS.

A LEGATVM ciuitati relictū est, ut ex reditibus quotannis in ea ciuitate memoriæ defuncti conseruandæ gratia spectaculum celebretur, quod illis celebrare non licet: quæro, quid de legato existimes? Modestinus respondit. cum testator spectaculum ēdi uoluerit in ciuitate, sed tale, quod ibi celebrare non licet: iniquum esse hanc quantitatem, quam in spectaculum defunctus destinauit, lucro hæredum cēdere. igitur adhibitis hæredibus & primoribus ciuitatis: dispiciendum esse, in quam rem conuerti debeat fideicommissum, ut memoria testatoris alio & licito genere celebretur.

XVII. SCAEVOLA.

B QVIDAM prædia reipublicæ legauit, de quorum reditu quotannis ludos ēdi uoluit & adiecit. QVAE LEGATA PETO DECVRIONES, ET ROGO, NE IN ALIAM SPECIEM AVT ALIOS VSVS CONVETTERE VELITIS. respublica per quadriennium continuum ludos non edidit. quæro an reditus, quos quadriennio respublica percepit, restituere debeat hæredibus, uel cōpensare in aliam speciem legati ex eodem testamento? respondit. & inuitis hæredibus possessione adprehensa perceptos fructus restituendos esse: & non erogatum secundum defuncti uoluntatem, in alia quæ deberentur, compensari.

XVIII. MODESTINVS.

QVI plures habebat libertos, testamēto suo dixit, se habitationem relinquere his, quos codicillis designasset. cum nullum postea designauerit. quæro an omnes admitti debeant? C respondi. si patronus, qui se designaturū personas libertorum pollicitus est, nullam postea designauit: legatum habitationis perfectum esse non uideri, non existente, cui datum intelligi possit.

XIX. IDEM.

SI alij fundum, alij usumfructum eiusdem fundi testator legauerit: si eo proposito fecit, ut alter nudam haberet proprietatē: errore labitur. nam detracto usufructu, proprietatem eum legare oportet eo modo: TITIO FVNDVM DETRACTO VSVFRVCTV LEGO, uel SEIO EIVSDEM FVNDI VSVMFRVCTVM HAERES DATO. quod nisi fecerit: usufructus inter eos communicabitur: quia interdum plus ualet scriptura, quàm peractum sit.

XX. POMPONIVS.

SI seruum sub conditione liberum esse iubeam, & usumfructum eius tibi legauero: ualet legatum.

XXI. PAVLVS.

D TITIO usufructus Stichi, aut si nauis ex Asia uenerit, decē legata sunt. non petet usumfructum, antequàm conditio decem existat, uel deficiat: ne potestas hæredi, utrum uelit, dandi auferatur.

XXII. VLPIANVS.

PATRIMONII MEI REDITVM OMNIBVS ANNIS VXORI MEAE DARI VOLO. Aristo respondit, ad hæredem uxoris non transire: quia aut usuifructui simile esset, aut huic legato IN ANNOS SINGVLOS.

XXIII. IVLIANVS.

LICET testatori repetere legatum usus fructus, ut etiam post capitis deminutionem debeatur: & hoc nuper Imperator noster ad libellum rescripsit. tunc tamen esse huic constitutioni locum, cum in annos singulos relegetur.

E

XXIIII. PAPINIANVS.

VXORI usufructu bonorum legato: fœnus quoq; sortium, quas defunctus collocauit, post impletam ex senatusconsulto cautionem, præstabitur. igitur usuras nominum in hæreditate relictorum, ante cautionem interpositam debitas, uelut sortes, in cautionem deduci necesse est. non idem seruabitur in nominibus ab hærede factis, tunc enim sortes duntaxat legatario dabuntur. & quod propter moram usuras quoq; reddi placuit: super his non cauebitur. SCORPIVM SERVVM MEVM SEMPRONIAE CONCVBINAE MEAE SERVIRE VOLO. non uidetur proprietas serui legata, sed usufructus.

XXV. IDEM

QVI fructus prædiorum uxori reliquit, post mortem eius prædia cum reditibus ad hæredes

redes suos redire uoluit, imperitia lapsus nullum fideicommissum dicimus, neque proprietatis, neque fructus ad eos reuerti debere. etenim reditus futuri, non praeteriti temporis demonstrari uidentur. F

XXVI. PAVLVS.

SEMPRONIVS Attalus ab haerede suo fundũ in Italia Caio post decenniũ, deducto usufructu, dari iussit. quaero, cum medio hoc decennij spatio haeres uita functus sit: an post tempus decennij plenus fundus ad legatariũ pertineat? mouet enim me, quod dies legati huius siue fideicommissi cesserit, ac per hoc ad haeredem legatarij pertinere potuerit, & ideo quasi circa debitum iam legatum mortuo haerede ususfructus exstinctus sit, nec ad haeredem haeredis pertinere possit. respondi. dies quidem fideicommissi uel legati statim cedit, cum post certum tempus haeres dare rogatur, siue iubetur: sed ususfructus nondum est haeredis, nisi cum dominium deducto usufructu praestitit. & ideo capitis deminutione uel morte perire nõ potest, quod nondũ habuit. Idem euenit, si proprietas deducto usufructu sub cõditione legata sit, & pendente conditione haeres decesserit. tunc enim ab haerede haeredis incipit ususfructus, qui & in persona eius finietur. sed his casibus de sententia testatoris quaerendum est, qui utique de eo usufructu detrahendo sensit, qui coniunctus esset haeredis personae: quo exstincto, solidam proprietatem ad legatarium uoluit pertinere: nec plus transmitti ad successorem suum, qui nondum habere coepit usumfructum, quàm si iam habere coepisset. G

Si fundus duobus, alij ususfructus legatus sit: non trientes in usumfructum, sed semisses constituuntur. idemque est ex contrario, si duo sunt fructuarij, & alij proprietas legata sit. etenim inter eos tantum adcrescendi ius est. H

XXVII. SCAEVOLA.

VXORI maritus per fideicommissum usumfructum, & alia, & dotem relegauit. haeredes usumfructum ei concesserunt. post biennium illicitum matrimonium fuisse pronunciatum est. quaesitum est, an id, quod praeterito tempore possedit, ab ea repeti possit? respondi. id, quod fructus nomine percepisset, repeti posse

XXVIII. PAVLVS.

QVAERO, si ususfructus fundi legatus est, & eidem fundo indictiones temporariae indictae sint: quid iuris sit? Paulus respondit, idem iuris esse in his speciebus, quae postea indicuntur, quod in uectigalibus dependendis responsum est. ideoque hoc onus ad fructuarium pertinere.

XXIX. CAIVS.

SI quis usumfructum legatum sibi alij restituere rogatus sit, eumque in fundum induxerit fruẽdi caussa: licet iure ciuili morte & capitis deminutione ex persona legatarij pereat ususfructus, qui huic ipso iure adquisitus est: tamen praetor ex iurisdictione sua id agere debet, ut idem seruetur, quod futurum esset, si ei, cui ex fideicommisso restitutus esset, legati iure adquisitus fuisset. I

XXX. IABOLENVS.

CVI ususfructus legatus esset, donec ei totius dotis satis fieret: cum ei haeres pro sua parte satisdedisset: quamuis reliqui satis non darent, tamen pro ea parte usumfructum fundi desinere habere mulierem, ait Labeo. idem fieri, & si per mulierem mora fieret, quò minus satis acciperet. Colono suo dominus usumfructum fundi, quem is colebat, legauerat: aget colonus cum haerede ita, ut iudex cogat haeredem ex locationis actione eum liberare.

XXXI. SABINVS.

IS, qui fundum tecum communem habebat, usumfructum fundi uxori legauerat. post mortem eius tecum haeres arbitrum communi diuidundo petierat. Blaesus ait Trebatium respondisse, si arbiter certis regionibus fundum diuisisset: eius partis, quae tibi obtigisset, usumfructum mulieri nulla ex parte deberi: sed eius, quae haeredi obtigisset, totius usumfructum eam habituram. ego hoc falsum puto. nam cum ante arbitrium communi diuidundo coniunctus pro indiuiso ex parte dimidia totius fundi ususfructus mulieris fuisset: non potuisse arbitrum inter alios iudicando alterius ius mutare. quod & receptum est. K

XXXII. SCAEVOLA.

GENERALI capite proposito, quidam in testamento suo ita adiecit. FELICI, QVEM LIBERVM ESSE IVSSI, VSVMFRVCTVM FVNDI VESTIGIANI LEGO: CVIVS PROPRIETATEM

A PRIETATEM PVTO TE FELICEM CONSECVTVRVM, SI NON CONTENDERIS CVM HAEREDE MEO, SED POTIVS CONCORDAVERIS. SED ET TV HAERES OMNIA FAC, VT AMICI SITIS. HOC ENIM VOBIS EXPEDIET. quæsitum est, an uiuente hære de exigere possit Felix proprietatē fundi? respondi. nihil proponi, cur Felici proprietas fundi legata uideretur. Filios ex Seio & filiam ex alio marito hæredes instituit æquis portionibus, & matri ita legauerat. AELIAE DORCADI MATRI MEAE DARI VOLO, QVOAD VIVET, VSVMFRVCTVM BONORVM MEORVM ITA, VT POST OBITVM EIVS AD LIBEROS MEOS, AVT AD EVM, QVI EX HIS VIVET, PERTINEAT. filij post aditam hæreditatē decesserant. quæsitum est. mortua matre, superstite filia testatricis, usus fructus
B utrum ad solam filiam, an uero pro portione hæreditatis pertineret? respōdi. ad eos redire, apud quos proprietas esset. CLAVDIVS non credidit ipsum usumfructum in uicem portionum hæreditariarum post mortem auiæ inter ipsos datum: eo magis, quod æquis partibus hæredes scripti erant. Vxori usumfructum domus & omnium rerum, quę in his domibus erant, excepto argento, legauerat. item usumfructum fundorum & salinarum. quæsitum est. an lanæ cuiusq; coloris mercis caussa paratæ. item purpuræ, quæ in domibus erant, usus fructus ei deberetur? respondi. excepto argento & his, quæ mercis caussa comparata sunt, cæterorum omnium usumfructum legatariam habere. Idem quæsijt, cum in salinis, quarum usus fructus legatus esset, salis inuentus sit nō minimus modus: an ad uxorem ex caussa fideicommissi usus fructus pertineat? respondi. de his legandis, quæ uenalia ibi essent, non sensisse testatorem. Idem quæsijt. cum eodem testamento ita cauerit, A TE PETO
C VXOR, VTI EX VSVFRVCTV, QVEM TIBI PRAESTARI VOLO IN ANNVM VICESIMVMQVINTVM, CONTENTA SIS ANNVIS QVADRINGENTIS. QVOD AMPLIVS FVERIT, RATIONIBVS HAEREDIS HAEREDVMVE MEORVM INFERATVR: an recessum uideatur à superiore capite: ideoq; uxor non amplius habeat ex usufructu, quàm annuos quadringentos? respondi. satis id, quod quęreretur, apertè uerba, quæ proponerentur declarare. Lucius Titius testamento suo Publio Mæuio fundum Tusculanum reliquit, eiusq; fidei commisit, ut eiusdem fundi partem dimidiam usus fructus Titiæ præstaret. Publius Mæuius uillam uetustate corruptam colligendis & conseruandis fructibus necessariam ædificauit. quæro, an sumptus partem pro portione usus fructus Titia agnoscere
D debeat? respondi. si prius, quàm usumfructum præstaret, necessariò ædificauit: non aliâs cogendum restituere, quàm si eius sumptus ratio habeatur. Duas filias & filium mente captum hæredes scripsit. filiæ portionis mente capto datæ usumfructum legauit in hæc uerba. HOC AMPLIVS PVBLIA CLEMENTIANA PERCIPIET SIBI VSVMFRVCTVM QVARTAE PARTIS HAEREDITATIS MEAE, EX QVA IVLIVM IVSTVM FILIVM MEVM HAEREDEM INSTITVI: PETOQVE A TE PVBLIA CLEMENTIANA, VTI FRATREM TVVM IVLIVM IVSTVM ALAS, TVEARIS, DEFENDAS PRO EO (PRO QVO TIBI VSVMFRVCTVM EIVS PORTIONIS RELIQVI) DONEC MENTIS COMPOS FIAT, ET CONVALESCAT. quæsitum est. cum filius in eodem furore in diem suæ mortis perseuerans decesserit: an usus fructus interciderit? respondi. uerbis,
E quæ proponerentur, perseuerare legatum: nisi manifestissimè probetur, aliud testatorem sensisse. Hæredis instituti fideicō misit, filio suo annua decem præstare: aut ea prędia emere, & adsignare, ut usumfructū habe ret, redituū efficientia annua decē. filius fundos sibi ab hærede secundū matris uoluntatē tra ditos locauit. & quæsitū est. eo defuncto, reliqua colonorū utrúm ne ad hęredē filij fructua rij, an uero ad hęredē Seię testatricis pertineāt? respōdi. nihil proponi, cur ad hæredem Sei æ pertineant. Vsumfructū tertiæ partis bonorū suorum uni ex hæredibus legauerat. quæ situ est. an pecuniæ, quæ ex rebus diuisis secundū æstimationē effecta est, tertia præstāda sit? respōdi. hæredis esse electionē, utrū rerū, an æstimationis usumfructū præstare uelit. Item quæsitū est, an tributa præter ea, quę uel pro prædijs aut mouētibus deberi & reddi necesse est, eximēda sint ex quantitate reliquæ duntaxat pecuniæ, si hoc hæres elegerit? respond. reliquæ pecuniæ tertiam præstandam.

XXXIII. IDEM. F

SEMPRONIO EA, QVAE VIVVS PRAESTABAM, DARI VOLO. is etiam habitabat in testatoris domo, quæ uni ex hæredibus prælegata erat. quęsitum est, an habitatio quoque debeatur? respondi. nihil proponi, cur non debeatur. Ex his uerbis testamenti. LIBERTIS MEIS, QVIBVS NOMINATIM NIHIL RELIQVI, QVAE VIVVS PRAESTABAM, DARI VOLO: quæsitum est, an libertis, qui cum patrono suo in diem mortis habitabant, etiam habitatio relicta uideatur? respondi uideri. Codicillis ita scripsit. NIGIDIVM, TITIVM, DIONEM LIBERTOS MEOS SENES, ET INFIRMOS PETO, IN LOCIS, IN QVIBVS NVNC AGVNT, SENESCERE PATIAMINI. quæro, an ex hoc capite liberti suprascripti ex fideicommisso fructus locorum, in quibus morantur, recipere debeant: cum alia, quę eius specialiter legata sunt, sine controuersia consecuti sunt? respondi. uerbis, quæ proponerentur, id petitum, ut ad eum modum paterentur hæredes ibi eos esse, ad quē modum ipsa patiebatur. G

XXXIIII. IDEM

CODICILLIS fidei commissa in hęc uerba dedit. LIBERTIS LIBERTABVS QVE MEIS, ET QVOS IN CODICILLIS MANVMISI, FVNDVM, VBI ME HVMARI VOLVI, DARI VOLO, VT QVI AB HIS DECESSERIT, PORTIO EIVS RELIQVIS ADCRESCAT, ITA VT AD NOVISSIMVM PERTINEAT. POST CVIVS NOVISSIMI DECESSVM AD REMPVBLICAM ARELATENSIVM PERTINERE VOLO. HOC AMPLIVS LIBERTIS LIBERTABVSQVE MEIS HABITATIONES IN DOMO, QVA MDIV VIVENT. SED PACTIAE ET TROPHIMAE DIAETAS OMNES, QVIBVS VTI CONSVEVIT. QVAM DOMVM POST MORTEM EORVM AD EANDEM REMPVBLICAM PERTINERE VOLO. quæsitum est. reipublicæ fideicommissum utrum ab hæredibus, an à libertis datum sit? respondi. secundū ea, quæ proponerentur, posse ita uerba accipi: ut eius legatarij, qui nouissimus decederet, fidei commissum uideatur. Item quæsitum est. defunctis quibusdam ex libertis, quibus habitatio relicta erat: an portiones domus, in qua habitauerāt, iam ad rempublicam pertineāt? respondi. quoad aliquis eorum uiuat, fideicommissum reipublicæ non deberi. Qui Semproniam ex parte decima, & Męuiam ex parte decima, alumnum ex reliquis partibus instituerat hæredes: curatorem alumno dedit, cum iure facere putaret, & curatoris fidei commisit, ne pateretur fundum uēnire, sed cum Sempronia & Mæuia nutricibus suis frueretur reditu eius: & in ima parte testamenti ita adiecit, OMNEM VOLVNTATEM MEAM FIDEI HAEREDVM MEORVM COMMITTO. quæsitum est, an tertias partes usus fructus fundi nutrices ex fideicommisso petere possint: quamuis curator ei receptus sit, quē iure dare non potuit alumno? respondi. secundum ea, quæ proponerentur, utiliter fideicommisso uoluntatem suam confirmasse. id igitur cuique dedisse, ut & nutrices unà cum alumno reditu fundi uterentur. H I

XXXV. IDEM.

VXORI usumfructum uillæ legauit in quinquennium à die mortis suæ. deinde hæc uerba adiecit. ET PERACTO QVINQVENNIO CVM EIVS VSVSFRVCTVS ESSE DESIERIT, TVNC EVM FVNDVM ILLI ET ILLI LIBERTIS DARI VOLO. quæsitum est. cum uxor intra quinquennium decesserit: an libertis proprietatis petitio iam, an uero impleto quinquennio competat: quia peracto quinquēnio testatot proprietatem legauerat? respondit. post completum quinquennium fundum ad libertos pertinere. K

XXXVI. IDEM.

STICHO testamento manumisso usus fructus fundi erat legatus: & cum is uti frui desijsset, fidei hæredum testator commiserat, uti eum fundum darent Lucio Titio. sed Stichus testamento suo eiusdem fundi proprietatem nepotibus suis legauit: & hæredes Stichi ex testamēto eius legatarijs nepotibus eum fundū tradiderunt. quæsitum est. cum nepotes legatarij ignorauerint conditionē fundi suprascripti priore testamēto datā, & plus quàm statuto tēpore possederint: an eū fundū sibi adquisierint? respōdi. secundū ea, quę proponerētur, legatarios sibi adquisisse. Idē quæsijt. si aliquo casu legatarijs auferri possit: an repetitionē ab hæredibus Stichi eius nepotes habere possint? respondi. suprà quidem de adquisitione

responsum

A responsum: uerum si ex alia caussa adquisitio cessasset: uideri Stichum (si post mortē eorū, quibus proprietas legata esset, testamētum fecisset) potius quod habere se crederet, quàm quod onerare hæredes uellet, legasse.

XXXVII. IDEM.

VXORI MEAE VSVMFRVCTVM LEGO BONORVM MEORVM, VSQVE DVM FILIA MEA ANNOS IMPLEAT OCTODECIM. quæsitum est, an prædiorum tam rusticorū quàm urbanorum, & mancipiorum & supellectilis, itemq; calendarij usus fructus ad uxorem pertineat? respondi, secundum ea, quæ proponerentur, omnia pertinere.

XXXVIII. IDEM.

B FVNDI TREBATIANI REDITVS VXORI MEAE, QVOAD VIVET, DARI VOLO. quæro, an possit tutor hæredis fundum uendere, & legatario quantitatem offerre annuam, quā uiuus paterfamiliās ex locatione fundi redigere consueuerat? respondi, posse. Item quæro, an habitare impunè prohiberi possit? respondi, non esse obstrictum hæredem ad habitationem præstandam. item quæro, an compellendus sit hęres reficere prædium? respondi. si hæredis facto minores reditus facti essent: legatariū rectè desiderare, quod ob eam rem deminutum sit. Item quæro, quo distet hoc legatum ab usufructu? respondi, ex his, quæ supra responsa essent, intelligi differentiam.

XXXIX. IDEM.

FILIOS hæredes instituit, uxori uestem, mundum muliebrem, lanam, linum, & alias res

C legauerat, & adiecit. PROPRIETATEM AVTEM EORVM, QVAE SVPRA SCRIPTA SVNT, REVERTI VOLO AD FILIAS MEAS, QVAE EX HIS TVNC VIVENT. quæsitum est, utrum usus fructus, an proprietas earum rerū data sit? respondi, proprietatem legatā uideri.

XL. IVLIANVS.

ILLI CVM ILLO HABITATIONEM LEGO, perinde est, ac si ita ILLI ET ILLI legasset.

XLI. IABOLENVS.

CVM ita legatū esset, FRVCTVS ANNVOS FVNDI CORNELIANI PVBLIO MAEVIO DO LEGO: perinde putat accipiendum esse Labeo, ac si usus fructus fundi similiter esset legatus: quia hæc mens fuisse testatoris uideatur.

XLII. IDEM.

D IN fructu id esse intelligitur, quod ad usum hominis inductum est. neq; enim maturitas naturalis hic spectanda est: sed id tempus, quo magis colono dominóue eum fructum tollere expedit. itaq; cum olea immatura plus habeat reditus, quàm si matura lēgatur: non potest uideri, si immatura lecta est, in fructu non esse.

XLIII. VENVLENVS.

NONNIHIL interest, utrum bonorum quis, an rerum tertiæ partis usumfructum legauerit. nam si bonorū usus fructus legabitur: & æs alienū ex bonis deducetur, & quod in actionibus erit, computabitur. at si certarū rerū usus fructus legatus erit: non idem obseruabitur.

DE SERVITVTE LEGATA. TIT. III.

E I. PAPINIANVS.



QVI duas tabernas coniunctas habebat, eas singulas duobus legauit. quæsitum est, si quid ex superiore taberna in inferiorem inædificatum esset: num inferior oneri ferendo in superioris tabernæ loco contineretur. respondi, seruitutem impositam uideri. VLPIANVS notat. uideamus, ne hoc ita uerum sit, si aut nominatim hæc seruitus imposita est, aut ita legatū datū est, TABERNAM MEAM, VTI NVNC EST, DO LEGO.

II. MARCELLVS.

FVNDVM cōmunem habentibus legari potest uia: cum & cōmunis seruus rectè uiam stipuletur: & cum duo ei, qui ipse uiam stipulatus fuerit, hæredes exstiterint, nō corrumpatur stipulatio.

III. IDEM.

SI fundum Mæuio, & ad eum uiam per alium fundum, & eundem fundum sine uia Titio

Titio legasset: si uterque fundũ uindicasset: sine uia fundum cessurum, quia neque adquiri per F
partem seruitus possit. Et si prius Maeuius fundum uindicaret: altero deliberante, posse dubitari, an si postea Titius omisisset, uiæ legatũ saluum esset. & hoc magis uidebatur. Quanquam si sub conditione quis fundum legasset, uiam purè: aut pro partè fundum purè, pro parte sub conditione, & uiam sine conditione: si pendente ea, legati dies cessisset: interiturũ foret uiæ legatum. ut responsum est, cum alteri ex uicinis, qui fundum communem habebant, uiam sub conditione, alteri purè legasset, & pendente conditione decessisset: quia alterius legatarij persona impedimento esset, quò minus solidus fundus cum uia uindicaretur.

IIII. IABOLENVS.

SI IS, qui duas ędes habebat, unas mihi, alteras tibi legauit: & medius paries, qui utrasque G
ædes distinguat, interuenit: eo iure eam communem nobis esse existimo, quo si partis tantum duobus nobis communiter esset legatus. ideoque neque me, neque te agere posse, ius non esse alteri ita immissum in eas habere. nam quod communiter socius habet, & in iure eum habere constitit. itaque de ea re arbiter communi diuidundo sumendus est.

V PAPINIANVS.

ET SI maximè testamenti factio cum seruis alienis ex persona dominorum est: ea tamen, quæ seruis relinquuntur, ita ualent, si liberis relicta possent ualere. sic ad fundum domini uia seruo frustra legatur.

VI. IDEM.

PATER filiæ domum legauit, eique per domum hæreditariam ius transeundi pręstari uo- H
luit. si filia domum suam habitet: uiro quoque ius transeundi præstabitur. alioquin filiæ præstari non uidebitur. quod si quis non usum transeundi personę datum, sed legatum seruitutis esse plenũ intelligat: tantundẽ iuris ad hæredẽ quoque transmittetur. quod hic nequaquã admittendũ est: ne quod affectu filiæ datũ est, hoc & ad exteros eius hęredes transire uideatur.

VII. PAVLVS.

CVM à pluribus hæredibus institutis uia legata est: quia partem non recipit, singuli hæredes in solidum conueniuntur: quia & uno ex hæredibus adeunte uindicari potest.

DE DOTE RELEGATA. TIT. IIII.

I. VLPIANVS. I



VMDOS relegatur, uerum est id dotis relegato inesse, quod actioni de dote inerat. & ideo si inter uirum & uxorem conuenerat, ut morte uiri soluto matrimonio, filio communi interueniente, dos apud mariti hæredem permaneret, & maritus decedens dotem relegauerit: stari pacto non debet ob hoc, quod dos relegata est. Verũ & citra relegationẽ hoc probari debet. nã quod est admissum, posse deteriorẽ conditionẽ dotis fieri interuenientibus liberis: toties locũ habet, quoties ipsa in matrimonio decedit, uel diuortiũ interuenit. Verũ est, in dote relegata cõmodum esse repræsentationis, quãuis annua die dos præstetur. Est & illud. quod ob res donatas hodie post senatus consultũ nulla sit exactio: si modo uoluntatẽ nõ mutauit testator. impensæ aũt ipso iure dotẽ minuũt. Sed quod diximus, ipso iure dotem impensis minui: non ad singula corpora, sed K
ad uniuersitatẽ erit referendũ. Adeo autem dotis actionem continet dotis purè relegatio: ut si uiuus eam uxori (scilicet quibus casibus licet) soluerit, cesset legatum. sed & si mancipia fuerint in dotem non æstimata, & hæc de mortua sint: legatum dotis in his euanescit. sed & si dotem promiserit mulier, neque dederit, & decedens maritus uxori dotem relegauerit: mulier nihil amplius, quàm liberationẽ habebit. nam & si quis ita legauerit, CENTVM, QVAE IN ARCA HABEO, aut QVAE ILLE APVD ME DEPOSVIT: si nulla sint, nihil deberi constat: quia nulla corpora sunt. Si quis uxori fundum Titianum legasset his uerbis, IS ENIM FVNDVS PROPTER ILLAM AD ME PERVENIT: omnimodo fundus debebitur. nam quidquid demonstratæ rei additur, satis demonstrare frustra est. Celsus libro uicessimo Digestorum scribit. si socer nurui dotem relegauit, si quidẽ ius actionis de dote uoluit relegare:

A relegare:nullius momēti esse legatum:quippe nupta est.sed si uoluit eam recipere dotalem pecuniam:utilē(inquit)erit legatum.si tamen hæc dotem receperit:nihilominus maritus dotis persecutionem habebit:siue hæres institutus est,familiæ erciscundæ iudicio:siue non,uti li actione.ego puto:quoniam non hoc uoluit socer,ut bis dotem hæres prǽstaret:muliērem agentem ex testamento cauere debere,defensum iri hæredem aduersus maritum. ergo & maritus itidem cauere debebit,aduersus muliērem defensum iri,si prior agat. Per contrarium apud Iulianum libro tricesimo septimo quæritur,si socer filio suo exhæredato dotem nurus legasset.& ait,agi quidem cum marito exhæredato de dōte non posse: ueruntamen ipsum dotem persecuturum ex caussa legati.sed non aliás eum legatum consecuturū, quàm B si cauerit,hæredes aduersus muliērem defensum iri,& differentiam facit inter eum, cui dos relegata est,& Orcinum libertum,cui peculium legatū est.nanque eum de peculio posse conueniri ait,hæredem non posse:quia desierit peculium penes se habere.at dotis actio nihilominus competit,& si dōtem desierit habere. Idem Iulianus quærit:si dotem marito relegauerit socer,an dote soluta muliēri legatum mariti exstinguatur?& dicit exstingui:quia nihil esset iam,quod marito posset præstari. Item quærit:si dos alij legata esset, eamque rogatus sit is muliēri restituere:an lex Falcidia in legato locum haberet? & dicit, habere. sed quod minus sit in fideicommisso,muliērem dōtis actione consecuturā.ego quæro:an commoda repræsentationis in hoc legato sic obseruentur,atque si dos ipsi mulieri fuisset relegata? & puto. Idem Iulianus quærit.si mulieri dos sit relegata,eaque rogata dotē restituere:an C Falcidia locū habeat?& negat habere:quoniam fideicommissum quoque negat ualere quod si præterea quid uxori legatum sit:putat è residuo fideicommissum præstari. quod utique habita ratione Falcidiæ mulieri præstabitur.Sed & marito ex parte ex hærede instituto, à socero dote relegata,legatum dotis Falcidiam passurum:uidelicet,quia adhuc constante matrimonio indebita dos uideatur relegata.uerum quod Falcidia recīderit:in familiæ erciscundæ iudicio maritum percepturum:quemadmodum totam dotem præciperet,si non esset relegata. Mela scribit.si fundus in dotē fuerit, & specialiter sit legatus,mox generaliter dos relegata:non bis,sed semel deberi fundum. Ibidem Mela coniunxit. si fundus in dotem locatūs sit à marito ad certum tempus:uxorem non aliás fundum ex relegatione consequi, quàm si cauerit se passuram colonum frui:dummodo ipsa pensiones percipiat.

D II. IDEM.

CVM quis uxori suæ dotem relegauit,fideique commissum ab ea reliquit: hoc fideicommissum ex commodo,quod ex relegatione mulier sensit,æstimabitur.& ita Celsus quoque libro uicesimo Digestorū scripsit.quod si necessariæ fuerunt impensæ,quæ ipso iure dotem minuunt: amplius dici potest, si tanta quantitas dotis,quantam maritus accepit, ei relegata sit:oportere dici,etiam eam quantitatem posse fidei comisso erogari,quę ipso iure dotem minuit.esse enim mulierem legatariam nemo est,qui dubitet.sed & si non dos,sed pro dote aliquid uxori fuerit legatum: adhuc quasi dos relegata accipitur.Hoc amplius Iulianus scripsit,& si non fuerit adiectum,pro dote esse legatum,hoc tamen animo relictum:adhuc eius esse conditionis.uxor igitur,si rogetur uel dotem,uel quod pro dote legatum est, uel quod E in uicem dotis sibi adscriptum est restituere:non cogetur, nisi eatenus, quatenus diximus, restituere.& ideo hæres instituta, rogataque hæreditatis quantitatem restituere: id demum restituet, quod quantitatem dotis excedit, idque quod ex repræsentationis commodo sentit.nam & si quis,cum à nuru dotem accepisset,filium suum hæredem instituerit,eumque rogauerit,quidquid ad eum ex hæreditate peruenisset,restituere:mox uxoris morte dotem fuerit lucratus:id nō restituet,quod ex dote percepit:quia matrimonij caussa id lucratus est, non ex patris iudicio. Mulier dotem promisit quadringentorum,& dedit fundos duos in ducēta,præterea nomina debitorū in residua ducenta.mox maritus eius decedens pro dote fundos ei duos,non eos,quos in dotem acceperat, reliquit: & præterea illos duos dotales, quos æstimatos acceperat,reliquit:fideique eius cōmisit,ut quicquid ad se ex hæreditate eius peruenisset,id restitueret Seio,cum moreretur.quærebatur,quantum esset in fideicommisso, muliere

so, muliere defuncta: dicebam, hanc uxorem, quæ rogata esset, quidquid ad se peruenerit, ex testamento restituere: in ea esse conditione, uti id demum restituere cogatur, quod deducta dotis quantitate ad eam peruenisset. dotem enim recepisse eam magis, quàm accepisse: saluo eo, quod ex commodo representationis ab ea fideicommitti potuit. proinde id quidem, quod pro dote maritus ei reliquit, non cogetur restituere: nisi plus sit in eo, quàm in quantitate dotis. residuum uero, quod præterea illi relictum est, cum fructibus cogetur restituere. Habebit igitur præcipuam dotem cum fructibus suis. id uero, quod extrinsecus ei relictum est, cum fructibus, qui ad eam peruenerint, restituet. F

III. IVLIANVS.

QVI ita legat uxori suæ, TITIAE AMPLIVS, QVAM DOTEM, AVREOS TOT HAERES MEVS DARE DAMNAS ESTO: manifestum est dotem quoque relegasse. G

IIII. AFRICANVS.

CVM uulgari modo dies legatorum proferuntur: nihil eam rem ad dotis relegationem pertinere ait: quia diem suum habeat.

V. MARCELLVS.

DOTE relegata, non est audiendus hæres, si uelit ob donationes in mulierem factas solutionem differre, uel ob impensas alias, quàm quæ ipso iure dotem minuũt. aliud est enim minorem esse factam dotem, quod per necessarias impẽsas accidit: aliud pignoris nomine retineri dotem ob ea, quæ mulierem inuicem præstare æquum est.

VI. IABOLENVS. H

CVM scriptum esset, QVAE PECVNIA PROPTER VXOREM MEAM AD ME PERVENIT, QVINQVAGINTA: TANTVNDEM PRO EA DOTE HAERES MEVS DATO. quamuis quadraginta dotis fuissent, tamen quinquaginta deberi, Alfenus Varus Seruium respondisse scribit: quia proposita summa quinquaginta adiecta sit. Item ei, quæ dotem nullam habebat, uir sic legauerat. QVANTA PECVNIA DOTIS NOMINE, ET RELIQVA: PRO EA QVINQVAGINTA HAERES DATO. deberi ei legatũ, Ofilius, Cascellius, item & Seruij auditores retulerũt: perinde que habendum esse, ac si seruus mortuus alicui, aut pro eo centũ legata essent. quod uerũ est: quia his uerbis nõ dos ipsa, sed pro dote pecunia legata uidetur.

VII. PAPINIANVS.

PATER dotem à nuru acceptam filio exhæredato legauit. hæres patris opposita doli exceptione, non antè soluere legatum cogendus est, quàm cautum ei fuerit de indemnitate soluto matrimonio. Sed si prius, quàm legatũ filio solueretur, mulier dotem suam recuperauit: frustra filius de legato aget. Sed si lex Falcidia locum in legato dotis aduersus filium exhæredatum habuerit, & mulier solutionem ratam fecerit: propter eam quantitatem, quam hæres retinuerit, utilis actio ei dotis dabitur. quod si ratum nõ habeat: defendi quidem debebit hæres à uiro, qui se defensurum promisit. sed si totam litem uir solus subierit: actio iudicati (si cautum non erit) pro ea quantitate, quæ iure Falcidiæ petenda est, aduersus hæredem dabitur. sed si prius, quàm legatum filio solueretur, mulier diuerterit: quanquam ipsa nondum percipere dotem possit, non ideo tamen actio filij differtur: quia tunc ijsdem diebus filio solui dotem responsum est. Cum patri filius pro parte hæres exstitit, & ad præceptionem dotis soluto matrimonio, postquam hæres exstitit, admissus est: si fortè per errorem cautio defensionis omissa sit, & ex caussa fideicommissi filius dotem acceperit: ut indebitum fideicommissum non repetetur. cautionis enim præstandæ necessitas solutionem moratur, non indebitum facit, quod fuit debitum. sed non erit iniquum, hæredi subueniri. quid ergo, si patris hæres non sit soluendo? nonne iustè mulieri dabitur aduersus uirum utilis actio dotis, cui dos perire non debet: quia non interposuit cautionem hæres per errorem? I K

VIII. IDEM.

VIR uxori, quæ dotẽ in mancipijs habebat, pecuniã pro dote legauerat. uiuo uiro mancipijs mortuis, uxor post uirum uita decessit, ad hæredem eius actio legati rectè transmittitur: quoniam mariti uoluntas seruanda est.

Vxori

X. IDEM.

A VXORI MEAE FVNDVM CORNELIANVM, ET QVAE NVPTVRA OBTVLIT AESTIMATA INSPECIEBVS RESTITVI VOLO. respondi non æstimatum prædiũ in dotem datum exceptum non uideri: sed uniuersa dote relegata, rerum æstimatarũ precium non relictum, uerum ipsas res, quales inuenirentur. X. SCAEVOLA.

Si Seiæ pro dote centũ fundus legatus sit, idemq; Mæuio: quod Mæuio Falcidia aufert, pro eo quasi concursus non fuerit, mulier plus uindicet: quia amplius sit in dote mulieris.

XI. PAVLVS.

Seia cum nuberet Lucio Titio, dedit dotis nomine centum aureos, & adhibuit Quin-
B tum Mutium, qui nihil numerauit, sed dotem stipulatus est, si morte mulieris solutum fuerit matrimonium. Seia moriens testamento suo ita cauit, LVCIO TITIO MARITO MEO, CVI MAXIMAS GRATIAS AGO, DARI VOLO SVPRA DOTEM, QVAM EI DEDI, TOT AVREOS. quæro, cum instituit Quintus Mutius conuenire Lucium Titium ex stipulatu actione: an repellere eum maritus possit ex uerbis testamenti? respondi. si Quintus Mutius mandatu Seiæ, non donationis caussa stipulatus est: hæredibus mulieris eum teneri. & ideo Quintum Mutium exceptione repellendum esse. quod si donationis caussa Seia stipulari permisisset: uideri eum in eum casum, qui morte mulieris exstitit, mortis caussa stipulatum: & ideo fidei eius committi potuisse in eum casum, dicendum fore.

XII. SCAEVOLA.

C Qui dotem in pecunia numerata & æstimatis rebus acceperat, uxori ita legauit. SIAE VXORI MEAE, SI OMNES RES, QVAE TABVLIS DOTALIBVS CONTINENTVR HAEREDI MEO EXHIBVERIT, ET TRADIDERIT SVMMAM DOTIS, QVAM MIHI PRO EA PATER EIVS INTVLIT, DARI VOLO. HOC AMPLIVS DECEM. quæsitum est. cum res in dotem datæ plures ipso usu finitæ essent, nec moriente marito fuerant: an quasi sub impossibili conditione legatum datum debeatur? respondi. uideri conditioni paritum: si quod ex rebus in dotem datis supererat, in potestatem hæredis peruenit.

XIII. LABEO.

Si filiusfamiliâs, cum uxorem haberet, dotem ab ea acceperat, deinde paterfamiliâs factus dotem ei (ut solet) legauit: quamuis patri hæres non erit, tamen id legatum debebitur.

XIIII. SCAEVOLA.

D Theopompus testamento facto duas filias & filium partibus æquis instituit hæredes, & codicillis ita cauit. τὴν θυγατέρα μου Κρισπῖναν ἣν ἐπιχόμην ἐκδοῦναι, ᾧ ἂν οἱ φίλοι μου καὶ οἱ συγγενεῖς δοκιμάσωσι, προνοήσει ἐκδοθῆναι Πολλιανὸς, εἰδὼς μου τὴν γνώμην ἐπὶ τοῖς ἴσοις, ἐφ᾽ οἷς καὶ τὴν ἀδελφὴν αὐτῆς ἐξέδωκα. Pollianus autem à marito puellæ iuratus scripsit uoluisse patrem eandem quãtitatem in dotem accipere etiã minorem filiam, quàm maior accepisset. quæro, an eandem summam dotis nomine cohæredes extra partem hæreditatis minori filiæ præstari debeant? respondi. eum, cuius notio est, æstimaturum, ut eadem quantitas ex communi præcipua minori filiæ dotis nomine detur.

XV. CAIVS.

E Licet placeat, pignoratas res uel in publicum obligatas hæredem, qui dare iussus est, liberare debere: tamen si is, qui tales res in dotem accepit, dotem prælegauerit: non cogetur hæres liberare eas, nisi specialiter aliud testator dixerit.

XVI. PAVLVS.

Qui dotem à matre uxoris acceperat, & stipulanti ei promiserat, testamento uxori dotẽ legauit. cum quæsitum esset, an uxor dotis summam cõsequi posset? respondit Scæuola, nõ uideri dari uxori: quod necesse sit matri reddi. aliâs sic respõdit. non deberi, nisi manifestè uxor docuisset, eã testantis uoluntatem fuisse, ut onerare hæredes duplici præstatione dotis uellet. XVII. SCAEVOLA.

Vxori ita legauit. VXOR MEA QVIDQVID EI COMPARAVI, ET QVOD MIHI DEDIT, E MEDIO SIBI SVMAT. quæro. an dos relegata uideatur? respondi uerba, quæ pro-

 ponerentur,

ponerentur, uideri & de dote relegata loqui: nisi aliud testatorem uoluisse probaretur. TITIAE VXORI MEAE QVANTA PECVNIA AD ME EX STIPVLATIONE DOTIS EIVS NOMINE PERVENIT: QVAE DOS EST DOTALIBVS DVOBVS CONSIGNATIS INSTRVMENTIS CENTVM AVREORVM. quæsitum est, an utranque summam consequi possit? respondi, nihil proponi, cur non possit.

DE OPTIONE VEL ELECTIONE legata. TIT. V.

I. VLPIANVS.

DIVVS Pius Cæcilio Proculo rescripsit: eum, cui seruorum legata sit electio, tres posse eligere. II IDEM.

QVOTIES serui electio uel optio datur: legatarius optabit, quem nolet. sed & homine generaliter legato, arbitrium eligendi, quem uelit accipere, ad legatarium pertinet. data igitur optione, si quis optauerit alienum seruum, uel hominem liberum: uidendum est, an consumpserit optionem. & puto, nõ consumi. Eum, cui centum amphorarũ electio data sit, acetum eligentem non cõsumere optionem: si id acetum elegerit, quod uini numero paterfamilias non habuit.

III. IDEM.

SCILICET si ante exhibitionem, hoc est ante degustationem, acetum elegerit.

IIII. PAVLVS.

SCYPHI electione data, si non omnibus scyphis exhibitis, legatarius elegisset integram ei optionem manere placet: nisi ex his duntaxat eligere uoluisset, cum sciret & alios esse.

V. AFRICANVS.

NEC solum si fraude hæredis, sed etiam si alia qualibet caussa deuenerit.

VI. POMPONIVS.

MANCIPIORUM electio legata est, ne uenditio quandoq; nõ eligente legatario interpellatur. decernere debet prætor, nisi intra tempus ab ipso præfinitum elegisset, actionem legatorum ei non competere. quid ergo, si die præterito, sed tamen antẽ, quàm uenderet hæres, uindicare legatarius uelit? audietur: quia non est damnum subiturus hæres, propter quod decernere id prætor solet. & quid si die præterito, quem præfinijt prætor, hæres aliquos ex seruis uel omnes manumiserit? nõnne prætor eorum tuebitur libertatem? ergo toties actio deneganda non est, si omnia in integro sint. idem est, & si pignori aliquos ex his seruis hæres dederit post diem, uel uendiderit. VII. PAVLVS.

IMO & si quosdam seruos distraxerit, quosdam retinuerit: nõ est audiendus legatarius, si uelit optare ex retentis ab hærede, cum iam disposuerit hæres familiam.

VIII. IDEM.

SI TIBI electio serui, & mihi reliqui legati sint: decernendum est à prætore, nisi intra certum tempus optaueris, petitionem tibi non dãtum iri. Si ex quatuor uiriolis duæ, quas elegissem, mihi legatę sunt: siue duæ solę sint relictæ, siue ab initio duæ solæ fuerint: ualet legatum. Vnius hominis mihi & tibi optio dãta est, si cum ego optassem, nec mutassem uoluntatem, deinde tu eundem optaueris: utriusq; nostrum seruum futurum. quod si ante decessissem, uel furiosus factus essem: non futurum communem: quia non uidear consentire, qui sentire non possim. humanius autem erit, ut & in hoc casu, quasi semel electione facta, fiat communis. Si rerum depositarum electio mihi relicta sit: & ad exhibendum cum eo, apud quem depositæ sunt, agere potero: & cum hærede agere, ut is depositi agendo, facultatem mihi eligendi præstet. IX. IDEM.

CVM ita legatur, TITIO STICHVM DO LEGO, SI PAMPHILVM NON ELEGERIT: simile est, atq; ita legatũ fuisset, TITIO STICHVM AVT PAMPHILVM VTRVM EORVM VOLET DO LEGO. Quæsitũ est, si Stichus sub conditione liber esse iussus, & mihi optio serui dãta esset, uel seruus generaliter legatus esset: quid iuris esset? Dixi, commodius constitui eum, qui sub

A eum qui sub cõditione libertatem Sticho det, in optione seruorum non cogitare de Sticho, sicuti constat non cogitare cum de eo, cui præsentem dederit libertatẽ. secundũ quod si Stichum optauero uel elegero: nihil agam, & ex cæteris nihilo minus optabo. In eodem casu quæsitum est. si optione seruorum dãta, antequam optarem, conditio statu libertatis defecisset: an Stichum optare possim? puto Mutianæ sententiæ adsentiendum: qua placet, ipsa libertate legatũ perimi, non dãtione statulibertatis. quarè siue uiuo testatore, siue post mortem eius antè aditam hęreditatem conditio statulibertatis defecerit: legatum erit utile. nam sicut puta libertas, ita statulibertas aditæ hæreditatis tempore uires accipit. ideo Stichum optare possum.

X. IDEM.

B SI PAMPHILO seruo lucij Titij seruus generaliter legatus sit, deinde dominus Pamphili, postquam dies legati cessit, eum manumiserit: siquidem Titius seruum uindicauerit: exstinguitur Pamphili legatum, quia non est in hæreditate, qui possit optari. si uero Titius legatum à se repudiasset: Pamphilum optare posse constat legatum. licet enim manumissione Pamphili duæ personæ constituantur Titij & Pamphili: unius tamen rei legatum inter eas uertitur, & Titio uindicante optio exstinguitur, repudiante Pamphilus optare potest.

XI. IDEM.

SI EROS Scio legatus sit, & Eroti fundus, deinde optio serui Mæuio dãta fuerit, isq; Erotem optauerit: fundus ad solum Scium pertinebit: quoniam aditæ hæreditatis tempore is solus erat, ad quem posset legatum pertinere. nam & cum seruo communi alter ex socijs

C legat: idcirco ad solum socium totum legatum pertinet, quoniam die legati cedente solus est, qui per eum seruum possit adquirere.

XII. IDEM.

SERVO generaliter legato: uerius est, omnes hæredes, si eis electio dãta sit, eundem dãre debere. & si non consentiant hæredes: ex testamento eos teneri.

XIII. PAVLVS.

SI OPTIO serui dãta mihi fuit, & Sticho aliquid testator sine libertate legauit: tunc sequens legatum consistit, cum tota familia ad unum Stichum reciderit: ut quasi purè legato utiliter sit legatum. nec aduersatur Catoniana, si uolũtarius hæres institutus sit: quia potest ante aditam hæreditatem, etiam si statim decesserit, familia minui. quod si necessarius hæ-

D res institutus sit: sequens legatum propter Catonianam inutile est. Pomponius scribit. emptore hæreditatis postulante, ut is cui serui optio legata sit, optet: uidendum esse, an prætor, ut id faciat, cogere debeat legatarium, quemadmodum si hęres institutus id postularet: quia possit per hæredem id emptor consequi. & quare non possit, non uideo.

XIIII. LABEO.

SI CVM optio serui ex uniuersa familia legata esset, hæres aliquem prius, quàm optaretur, manumisit: ad libertatem eum interim non perducit. seruum tamen, quem ita manumiserit, amittit: quia is aut electus legato cẽdit, aut relictus tunc liber ostenditur.

XV. IDEM.

SERVO sine libertate legaui, deinde optionem seruorũ Mæuio dedi. is eundem seruum

E optauit. quæro, an id quoq;, quod legatum est, ei debeatur? Respondi. non puto legatum huius serui nomine ad dominum pertinere.

XVI. TERENTIVS CLMENS.

OPTIONE legata, placet nõ posse ante aditam hæreditatẽ optari: & nihil agi, si optetur.

XVII. IDEM.

CVM optio duorum seruorum Titio dãta sit, reliqui Mæuio legati sint: cessante primo in electione, reliquorum appellatione omnes ad Mæuium pertinent.

XVIII. SCAEVOLA.

HOMINE legato, Neratius ait, nihil agi, repudiato Pãphilo. itaq; eum ipsum eligi posse.

XIX. PAVLVS.

ILLVD AVT ILLVD, VTRVM ELEGERIT LEGATARIVS. nullo à legatario electo, de-

cedente eo post diem legati cedentem, ad hæredem transmitti placuit. F

XX. LABEO.

APVD AVFIdium libro primo Regularum scriptum est. cum ita legatū est, VESTIMENTA, QVAE VOLET, TRICLINIARIA SVMITO. SIBI'QVE HABETO. si is dixisset, quæ uellet, deinde antequam ea sumeret, alia se uelle dixisset: mutare uoluntatem eum non posse, ut alia sumeret: quia omne ius legati prima testatione, qua sumere se dixisset, consumpsit. quin etiam res continuo eius fit, simul ac dixerit, eam se sumere.

XXI. SCAEVOLA.

FILIVM & uxorem hæredes scripsit. filiam exhæredauit, & ei legatū dedit, cū in familia nuberet, centū, his uerbis: INSVPER ARBITRATV SEMPRONIAE MATRIS EIVS MANCIPIA DECEM, QVAE CONFESTIM POST ADITAM HAEREDITATEM MEAM À SEMPRONIA VXORE MEA ELIGI VOLO. QVAE MANCIPIA, CVM IN FAMILIA NVPSERIT, DARI VOLO. ET SI ANTÈ, QVÀM NVPSERIT, ALIQVOD EX IIS MANCIPIIS DECESSERIT: TVNC IN LOCVM EIVS ARBITRATV SEMPRONIAE MATRIS EIVS DARI VOLO, DVM AD EAM PLENVS NVMERVS PERVENIAT. QVOD SI SEMPRONIA MATER EIVS NON ELEGERIT: TVNC IPSA SIBI, QVEM VOLET, ELIGAT. quæsitū est. cum mater elegerit: an ea, quæ ex his mancipijs ante nuptias adsignata sunt, ad puellam supra numerum decem mancipiorum pertineant? respondi. cum mancipiorum legatum in tempus nuptiarum testator transtulit: id, quod medio tempore ancillæ enixæ sunt, ad filiā non pertinere. Idem quæsijt, ante nuptias eorundem mancipiorum fructus & usus an ad Semproniam matrem pertineāt? respondi. nihil proponi, cur ad matrem pro solido pertineāt. H

XXII. IDEM.

MARITVS uxori suæ codicillis per fidei commissum dedit prædia, item lances, quas eligeret, quatuor. quæsitum est. an ex his lancibus, quæ mortis tempore sint, eligere possit? respondi, posse.

DE TRITICO, VINO, VEL OLEO LEgato. TIT. VI.

I. VLPIANVS.



VINO legato, acetū quoq; cōtinetur, quod paterfamiliâs uini numero habuit. I

II. POMPONIVS.

CVM ALII penum, alij uinum legatum est: excepto uino, omne penū ad legatarium pertinebit. Si centum amphoræ, quas uelles, tibi legatæ sunt: ex testamento agendo consequi potes, ut degustare tibi liceat: aut quanti interfuerit, licere tibi degustare, ad exhibendum agere potes.

III. POMPONIVS.

SI CVI uinum sit legatū centum amphorarum, cum nullum uinum reliquisset: uinum hæredem empturum, & præstaturum, non acetum, quod uini numero fuit. Si uinum legatum sit: uideamus, an cum uase debeatur. & Celsus inquit, uino legato (etiam si non sit legatum cum uasis) uasa quoq; legata uideri: non quia pars uini uasa sunt, quemadmodū emblemata argenti, scyphorum fortè, uel speculi: sed quia credibile est, mentem testantis eam esse, ut uoluerit accessioni uino esse amphoras: & sic (inquit) loquimur, habere nos amphoras mille, ad mensuram uini referentes. In dolijs non puto uerū, ut uino legato, & dolia debeantur: maximè si depressa in cella uinaria fuerint, aut ea sint, quæ per magnitudinē difficilè moueantur. In cupis autem, siue cupulis (puto) admittēdum est eas deberi: nisi pari modo immobiles in agro, uelut instrumentum, agri erant. Vino legato, utres non debebuntur. ne culleos quidem deberi dico. K

IIII. PAVLVS.

CVM CERtum pondus olei non adiecta qualitate lēgatur: non solet quæri, cuius generis oleo uti solitus fuerit testator, aut cuius generis istius regionis homines in usu habeant.

& ideo

A & ideo liberum est hæredi, cuius uolet generis, oleum legetario soluere.

V. IVLIANVS.

CVM certus numerus amphorarũ uini legatus esset ex eo, quod in fundo Semproniano natum esset, & minus natum esset: nõ amplius deberi placuit, & quasi taxationis uicem obtinere hæc uerba QVOD NATVM ERIT.

VI. PROCVLVS.

CVI VINUM hæres dare damnatus est: quod in amphoris & cadis diffusum est, dari debet, etiam si uasorum mentio facta nõ est. Item quamuis cum uasis & cadis legatum est: tamen id quoq;, quod in dolijs est, legatum esse uidetur. sicut si seruos omnes cum peculio cuiusq; eorum legasset: etiam eos, quibus peculij nihil esset, legasse uideretur.

B

VII. IABOLENVS.

QVIDAM hæredem damnauerat dare uxori suæ uinum, oleum, frumentum, acetũ, mella, salsamenta. Trebatius aiebat, ex singulis rebus non amplius deberi, quàm quantum hæres mulieri dare uoluisset: quoniam non adiectum esset, quantũ ex quaq; re daretur. Ofilius, Cascellius, Tubero, omne, quantũ paterfamiliâs reliquisset, legatum putant. Labeo id probat, idq; uerum est. LVCIO TITIO TRITICI MODIOS CENTVM, QVI SINGVLI PONDO CENTVM PENDEANT, HAERES DATO. Ofilius nihil legatum esse (quod etiam Labeo probat) quoniam eiusmodi triticum in rerum natura non esset. quod uerum puto.

VIII. POMPONIVS.

C SI HAERES damnatus sit dare uinũ, quod in dolijs esset, & per legatarium steterit, quo minus accipiat: periculose hæredem facturum, si id uinum effundat. sed legatarium petentem uinum ab hærede doli mali exceptione placuit submoueri: si non præstet id, quod propter moram eius damnum hæres passus sit.

IX. VLPIANVS.

SI QVIS uinũ legauerit: omne continetur, quod ex uinea natum uinũ permansit. sed si mulsum sit factũ: uini appellatione non cõtinebitur propriè, nisi fortè paterfamiliâs etiam de hoc sensit. certè zythum, quod in quibusdam prouincijs ex tritico, uel hordeo, uel panè conficitur: non continebitur. simili modo nec curmi, nec ceruisia continebitur, nec hydromeli. quid conditum? nec hoc puto: nisi alia mens testantis fuit. œnomeli planè, id est, dulcissimũ uinum continebitur, & passum (nisi contraria mens sit) cõtinebitur. defrutũ nõ con-
D tinebitur, quod potius cõdituræ loco fit. acinaticium planè uino continebitur. cydoneum; & si qua alia sunt, quæ non ex uinea fiunt, uini appellatione non continebuntur. Item acetum uini appellatione non continebitur. hæc omnia ita demũ uini nomine non continentur, si modo uini numero à testatore non sunt habita. alioquin Sabinus scribit, omnia uini appellatione contineri, quæ uini numero paterfamiliâs habuit. igitur & acetum, quod uini numero paterfamiliâs habuit, & zythum, & curmi, & cætera, quæ pro hominũ affectionè atq; usu numero uini habebũtur. quod si totũ uinũ, quod paterfamiliâs habuit, coacuerit: non exstinguitur legatum. Si acetũ quis legauerit: nõ continebitur legato acetũ, quod uini numero testator habuit. embamma autẽ continebitur: quia aceti numero fuit. Itẽ si quis uinũ, quod habuit, legauit, deinde hoc coacuit: licet postea in aceti locũ trãslatũ sit à patre-
E familiâs, uino legato continebitur: quia id, quod testamenti facti tẽpore uinũ fuit, demonstratũ est. & est hoc uerũ, nisi uoluntas aduersetur. Vino autẽ paterno legato: id demũ legatum uidetur, quod testator uini numero habuit, non quod pater. Item si peculiare uinũ legatum sit: id continebitur, quod serui habuerunt. cur tam diuerse? quod paternũ uinũ iã cœpit usu ipsius testatoris esse, at peculiare in usu seruorũ remansit. Itẽ si uinum uetus sit legatum.

X. HERMOGENIANVS.

EX VSV testatoris legatũ æstimabitur, id est, quot annorũ uino pro uetete utebatũ, quod si non apparet.

XI. VLPIANVS.

VETVS accipietur, quod nõ est nouũ. si quidẽ & anni prioris uinum appellatione ueteris continebitur.

XII. PAVLVS.

A SI CVI fundum & instrumentũ eius legare uis: nihil interest, quomodo leges: FVNDVM
CVM INSTRVMENTO, an FVNDVM ET INSTRVMENTVM, an FVNDVM INSTRV-
CTVM. PAVLVS. imò contrà. nam inter ea legata hoc interest: quod si fundo alienato
mortuus fuerit, qui ita legauit: ex hac scriptura FVNDVM CVM INSTRVMENTO nihil e-
rit legatum, ex cæteris poterit instrumentum esse legatum.

VI. SCAEVOLA.

NEPOTI legauerat prædia, quæ regione certa habuerat, ut instructa sunt cum uino, gra
no, calendario: & adiecerat hæc uerba. QVIDQVID ERIT, CVM MORIAR, IN ILLA RE-
GIONE: ET QVIDQVID IN QVACVNQVE SPECIE ERIT IN ILLA REGIONE, ET
B QVOD MEVM ERIT. uiua testatrice unus ex debitoribus condemnatus, uiuente testatrice
sátis non fecit. quæsitum est, an quod ex sententia iudicis deberetur, ad nepotẽ pertineret?
Respondi. nihil proponi, cur non deberetur.

VII. IDEM.

TABERNA cum cœnaculo Pardulæ manumissæ testamento legauerat cum mercibus,
& instrumentis, & supellectile, quæ ibi esset: item horreum uinarium cum uino, & uasis, &
instrumento, & institoribus, quos secum habere consueuerat. quæsitum est. cum uiuo testa-
tore insula, in qua cœnaculum fuit, quod ei legatũ erat, exusta sit, & post biennium eodem
loco constituta noua: & horreum, quod eidem legatum erat, à testatore uẽnierit, uini autem
uenditio dilata sit, ut ex eo commodè uẽniret: an uniuersa legata Pardula consequi possit?
Respondit. ea, in quibus uoluntas mutata esset, non deberi.

VIII. VLPIANVS.

C INSTRVMENTO fundi ea esse, quæ fructus quærendi, cogendi, conseruandi gratía parata
sint, Sabinus libris ad Vitelliũ euidenter enumerat. Quærendi. ueluti homines, qui agrum
colunt, & qui eum exercent, præpositíue sunt his. quorũ in numero sunt uillici, monitores.
præterea boues domiti, & pecora stercorandi caussa parata. uasa, quæ utilia culturæ sunt:
quæ sunt arattum, ligones, sarcula, falces putatoriæ, bidentes, & si qua similia dici possunt.
Cogendi. quemadmodum torcularia, corbes, falcesq́ messoriæ, falces fœnariæ, quali uin-
demiatorĳ exceptorĳq́, in quibus uuæ comportantur. Conseruandi. qualia sunt dolia, li-
cet defossa non sint, & cupæ. quibusdam in regionibus accedũt instrumento, si uilla cultior
est, etiam atrienses, scoparĳ. si etiam uiridiaria: topiarĳ. si fundus saltus pastionesq́ habet:
greges pecorũ, pastores, saltuarĳ.

IX. PAVLVS.

D DE grege ouiũ ita distinguendũ est: ut si ideo cõparatus sit, ut ex eo fructus caperetur: nõ
debeatur. si uero ideo, quod nõ aliter ex saltu fructus percipi poterit: cõtrà erit: quia per gre-
ges fructus ex saltu petcipiuntur.

X. VLPIANVS.

SI REDITVS ex melle constat, etiam aluei apesq́ continentur.

XI. IABOLENVS.

EADEM ratio est in auibus, quæ in insulis maritimis aluntur.

XII. VLPIANVS.

QVESITVM est (an frumentum, quod cibarĳs cultorum patatum foret, instumento cẽ-
deret? & plurimis non placet, quia consumeretur: quippè instrumentũ est apparatus rerum
diutius mansurarum, sine quibus exerceri possessio nequiret. accedere eò, quod cibaria ui-
E ctus magis, quàm colendi caussa parentur. sed ego puto, & frumentum, & uinum ad ciba-
ria paratum, instrumento contineri: & ita Seruium respondisse, auditores eius referunt. I-
tem nonnullis uisum est frumentum, quod serendi caussa sepositum est, instrumento con-
tineri. puto: quia & instar culturæ esset, & ita consumeretur, ut semper reponeretur. sed caus-
sa seminis nihil à cibarĳs differt. Conseruandi fructus caussa, ueluti granaria, quia in his
fructus custodiuntur, urceos, capsellas, in quibus fructus componuntur: sed & ea, quæ ex-
portandorum fructuum caussa parantur, instrumenti esse constat: ueluti iumenta, & uehi-
cula, & naues, & cupæ, & cullei. Alfenus autem, si quosdam ex hominibus alĳs legauerit, cæ
teros qui in fundo fuerũt, non cõtineri instrumento ait: quia nihil animalis instrumẽti esse
opinabatur. quod nõ est uerũ. cõstat enim eos, qui agri gratia ibi sunt, instrumẽto cõtineri.

Quæritur, an seruus, qui quasi colonus in agro erat, instrumento legato contineatur? & Labeo, ac Pegasus rectè negauerunt: quia non pro instrumēto in fundo fuerit si solitus fuit & familiæ imperare. Saltuarium autem Labeo quidem putat eum demum contineri, qui fructuum conseruandorum gratia paratus sit: non eum, qui finium custodiendorum caussa. sed Neratius etiam hunc: & hoc iure utimur, ut omnes saltuarij contineantur. Trebatius, amplius etiam pistorē & tonsorē, qui familiæ rusticæ caussa parati sunt, putat cōtineri. Item fabrum, qui uillæ reficiendæ caussa paratus sit: & mulieres, quæ panem coquāt, quęq; uillam seruent. item molitores, si ad usum rusticum parati sit. item focariā, & uillicam: si modo aliquo officio uirum adiuuet. item lanificas, qui familiam rusticam uestiant, & quæ pulmentaria rusticis coquant. Sed an instrumenti instrumentum legato instrumento contineatur, quæritur? hæc enim quæ rusticorum caussa parantur, lanificæ, & lanæ, & tonsores, & fullones, & focariæ, non agri sunt instrumentum, sed instrumenti. puto igitur etiam focariam contineri. sed & lanificas, & cæteros, qui suprà enumerati sunt: & ita Seruium respondisse, auditores eius referunt. Vxores quoq; eorum, & infantes, qui suprà enumerati sunt, in eadem uilla agentes, credendum est, uoluisse testatorem legato contineri. neq; enim duram separationem iniunxisse, credendus est. Si aliqua parte anni in fundo pascuntur pecora, aliqua parte his pabulum cōducitur: uel serui, si aliqua parte anni ager per eos colitur, aliqua parte in mercedem mittuntur: nihilominus instrumento continentur. cellariū quoq; ideo præpositum, ut rationes saluæ sint: item hostiarum, mulionemq; instrumenti esse constat. Et molas, et machinas, fœnum, stipulas, asinum machinariū, machinam frumentariam uas aheneum, in quo faba coqueretur, & defrutū fieret, & aqua ad bibendum lauandamq; familiam pararetur, instrumenti esse: et cribra, et plaustra, quibus stercus euehatur: ea uero, quæ solo continerentur, instrumenti fundi non esse, Cassius scribit: ueluti arundineta, & salicta, antequam cæsa sint: quia fundus fundi instrumentum esse non possit. sed si cæsa sint: puto contineri: quia quærendo fructui deseruiunt. idem & in palis erit dicendum. Si in agro uenationes sint: puto uenatores quoq;, & uestigatores, & canes, & cætera, quæ ad uenationes sunt necessaria, instrumento contineri: maximè, si ager ex hoc reditum habuit. Et si ab aucupio reditus fuit: aucupes, & plagæ, & huius rei instrumentū, agri instrumento continebuntur. nec mirum: cum & aues instrumento exemplo apium cōtineri, Sabinus & Cascellius putauerint. Si quis eodem instrumento in plurimis agris utatur: cuius agri instrumentum sit, quæritur? & ego arbitror: siquidem apparet uoluntas patrisfamiliâs, cuius potius agro destinauerat: eius esse instrumentum. cęteri enim agri mutuantur ueluti ab hoc agro. si non appareat: nullius instrumento cēdet. neq; enim pro parte diuidimus instrumentum. Supellex, cætera quoq; si qua in agro fuerunt, quo instructior esset paterfamiliâs, instrumento fundi non continentur. Si domus sit instrumentum legatum: uidendum, quid cōtineatur. & Pegasus ait, instrumentū domus id esse, quod tēpestatis arcendæ aut incendij caussa paratur, non quod uoluptatis gratia. itaq; neq; specularia, neq; uela, quę frigoris uel umbræ caussa in domo sunt, deberi. quę sentētia Cassij fuit, qui dicebat, inter instrumentū & ornamentū multū interesse. instrumenti enim ea esse, quæ ad tutelā domus pertinerēt: ornamēti, quæ ad uoluptatē, sicuti tabulas pictas. Vela aūt Cilicia instrumēti esse Cassius ait: quæ ideo parentur, ne ędificia uento uel pluuia laborent. Acetum quoq;, quod incendij extinguendi caussa paratur. item centones, siphones, perticas quoq;, & scalas, & formiones, & spōgias, & amas, & scaphas cōtineri plerîq; & Pegasus aiunt. Tegulam etiam & tignum eius rei caussa paratū, instrumento cōtineri: si ad huiusmodi caussam habeat tigna parata, ad alios usus nō deseruientia. proinde & fulcimēta, si qua habebat huic rei necessaria, etiam ea instrumento domus continebuntur. De uelis, quæ in hypæthris extenduntur, item de his, quæ sunt circa columnas, Celsus scribit, magis supellectili adnumeranda, & ita Sabinū & Cassiū putare. Canales aūt, & harpagones, & amas instrumento cōtineri cōstat. Itē perticæ, quibus araneæ detergūtur: itē spongiæ, quibus columnæ, pauimēta, podia extergūtur: scalæ quoq;, quæ ad lacunaria admouentur, instrumēti sunt: quia mundiorē domū reddūt.

Papinianus

A Papinianus quoque, libro septimo Responsorum ait. sigilla, & statuae adfixae instrumento domus non cōtinentur, sed domus portio sunt. quae uero non sunt adfixa: instrumēto non cōtinentur. ea enim (inquit) supellectili adnumerantur: excepto horologio aereo, quod non est adfixum. nam & hoc instrumento domus putat cōtineri: sicut prothyrum domus, si uelamen est, (inquit) instrumento domus continetur. Fistulae autem, & canales, & crateres, & si qua sunt alia ad aquas salientes necessaria: item serae, & claues, magis domus portio, quàm domus instrumentū sunt. Specularia quoque adfixa magis puto domus esse partem. nam in emptionem domus & specularia & pegmata cēdere solent: siue in aedificio sint posita, siue ad tempus detracta. sed si non sint reposita, ad hoc tamen sint, ut suppleantur, si qua desint: instrumento potius continebuntur. cancellos quoque instrumento contineri puto.

B Sed si fundus non sit cum instrumento legatus, sed ita ut instructus est: quaesitum est, an amplius cōtineatur, quàm si cum instrumento legatus esset. & Sabinus libris ad Vitellium scribit, fatendum esse, plus esse, cum instructus fundus legatur, quàm si cum instrumento. quam sententiam quotidie increscere & inualescere uidemus. quanto igitur hoc legatū uberius sit, uidendum est. & Sabinus definit, & Cassius apud Vitellium notat: omnia, quae eò sunt collata, ut instructior esset paterfamiliâs, instructo (inquit) continebuntur. hoc ergo legato non tantum agri instrumentum, sed & proprium instrumentum suum reliquisse uidetur. proinde si fundus sit instructus legatus: & supellex continebitur, quae illic fuit usus ipsius gratia: & uestis non solum stragula, sed & qua ibi uti solebat. mensae quoque eboreae, uel si quę alię: item uitrea, & aurum, & argentum: uina quoque, si qua fuerint usus ipsius caus-

C sa, continebuntur. sed & si quid aliud utensilium. Sed si qua eò cōgesserat non usus sui caussa, sed custodiae gratia: non continebuntur. uina etiam, quae in apothecis sunt, non cēdent. & hoc iure utimur, ut quę illic paterfamiliâs quasi in horreo hábuit, haec non contineantur.

Celsus quoque libro decimo octauo Digestorum scribit. fructus ibi repositos, ut uénirent, uel in alium usum, quàm fundi, conuerterentur: instructo fundo non contineri. idem Celsus eodem libro ait, etiam supellecticarios, & caeteros hoc genus seruos cōtineri, quibus instructus erat in eo fundo: extra eos, qui libertatem acceperunt, & qui rure morari solebant.

Si instructum fundum legasset: ea paedagogia, quae ibi habebat, ut cum eò uenisset, praestò essent in triclinio, legato continentur. Contubernales quoque seruorum, id est uxores & natos, instructo fundo contineri, uerum est. Instructo item fundo & bibliothecam &

D libros, qui illic erant, ut quoties uenisset, uteretur, contineri constat. sed si quasi apotheca librorum utebatur: contra erit dicendum. Neratius quoque libro quarto Epistolarum Rufino respondit: instructo fundo & supellectilem, & uina, & mancipia non solum ad cultum custodiámue uillae, sed etiam quae ipsi patrifamiliâs in ministerio ibi essent, legato cēdere.

Imagines autem hae solae legatae uidentur, quae in aliquo ornatu uillae fuerunt. Papinianus quoque praedijs instructis legatis mancipia non contineri, quae temporis caussa illic fuerunt, ac non eo animo transtulit paterfamiliâs, ut aut fundi aut suum instrumentum faceret. Idem respondit. praedijs instructis legatis, actorem ex his in prouinciam missum, ut ordinatis negocijs ad pristinum actum rediret, legato praediorū cēdere, quamuis nondum redierit. Idem respondit. instructis horreis legatis, etiam uina, quae ibi fuerunt, quo do-

E minus esset instructior, cōtineri. aliud esse, si horrea ibi habuit, unde instruebatur, uel in urbe, uel in alijs praedijs. Idem respōdit. domo per fideicommissum relicta cum supellectile Claudio Hieronymiano clarissimo uiro ab Vmbrio Primo, & mēsas, & cęterā supellectilē, quā in hortos paterfamiliâs in procōsulatu profecturus cōtulerat, ut tutiore loco essent: cōtineri. Idē respondit. theriacā quoque, & caetera medicamēta, quę secessus caussa dominus ibi habuisset, & uestē propter secessum ibi depositā instructo fundo legato inesse. Idē respōdit. domo ita VT INSTRVCTA EST CVM OMNI IVRE SVO LEGATA: urbanā familiā, itē artifices, quorū operae cęteris quoque praedijs exhibebātur, legato non cōtineri. hostiarij aūt (inquit) topiarij, diaetarij, aquarij domui tantū deseruiētes cōtinebūtur. sed quod de artificibus ait, falsum est, si eius domus caussa parati sunt, licet alijs quoque prędijs cōmodabantur.

Idem respondit.

XVII. MARTIANVS.

A ITEM pictoris instrumento legato, ceræ, colores, similiaq; horum legato cedunt: item penniculi, & cauteria, & conchæ. Instrumento piscatorio contineri Aristo ait nauicellas, quæ piscium capiendorũ caussa paratæ sunt. sed & piscatores contineri, uerius est. Instrumento balneario legato, dictum est balneatorem sic instrumento contineri balneario, quomodo instrumento fundi saltuarium & topiarios, aut instrumento cauponio institorem: cum balneæ sine balneatoribus usum suum præbere non possint.

XVIII. PAVLVS.

CVM de lanionis instrumento quæritur: semota carne, mensas, pondera, ferramenta, & B alia, quæ laniandæ carnis caussa parata sunt: item trutinas, cultros, dolabras instrumento relinquimus. Instrumento legato, aliquando & personas legantium necesse est inspici: ut ecce pistorio instrumento ita ipsi pistores inesse uideri possunt, si paterfamiliâs pistrinum exercuerit. nam plurimum interest, instrumentum pistoribus, an pistrino paratum sit. Asinam molendariam & molam negat Neratius instrumento fundi contineri. item cacabos, & patinas instrumento fundi esse dicimus: quia sine his pulmentarium coqui non potest. nec multum refert inter cacabos & aheneum, quod supra focum pendet. hic aqua ad potandum calefit, in illis pulmentarium coquitur. quod si aheneum instrumento continetur: urcei quoq;, quibus aqua in aheneum funditur, in idem genus rediguntur: ac deinceps in infinitum primis quibusq; proxima copulata procedunt. optimum ergo esse Pedius ait, non C propriam uerborum significationem scrutari: sed in primis quid testator demonstrare uoluerit, deinde in qua præsumptione sint, qui in quaq; regione cōmorantur. Cum de uillico quæreretur, an instrumento inesset, & dubitaretur: Scæuola consultus respondit, si non pensionis certa quantitate, sed fide dominica coleret: deberi. Idem consultus de meta molendaria respondit: si rusticis eius fundi operarijs moleretur: eam quoque deberi. est autem meta inferior pars molæ, catillus superior. De bubulco quoque ita respondit: siue de eo, qui bobus ibi araret: siue de eo, qui boues eius fundi aratores pasceret, quæreretur: deberi. De putatoribus quoque respondit, si eius fundi caussa haberentur, inesse. Pastores quoque & fossores ad legatarium pertinere. Item cum fundus ita legatus esset, MAEVIO FVNDVM SEIANVM, ITA VT OPTIMVS MAXIMVSQVE EST, CVM O- D MNI INSTRVMENTO RVSTICO, ET VRBANO, ET MANCIPIIS, QVAE IBI SVNT: & quæreretur, an feminæ deberentur? Respondit, uerius esse deberi: nisi aliud testatorem sensisse hæres probaret. Idem respōdit de frumento reposito ad mancipiorum exhibitionem.

In instrumento medici esse collyria, & emplastra, & cætera eius generis, Cassius scribit.

Cui fundum instructũ legauerat, nominatim legauit mancipia. quæsitum est, an reliqua mancipia, quæ non nominasset, instrumento cederent? Cassius ait, responsum esse: tametsi mancipia instructi fundi sint: tamen uideri eos solos legatos esse, qui nominati essent: quod appareret, non intellexisse patremfamiliâs, instrumento quoq; seruos adnumeratos. Sabinus, cui fundus, quæq; ibi sint, legata sunt: ei fundus & omnia, quæ in eo solita sunt esse, quæq; ibi maiore parte anni morabantur, & qui in eum manendi caussa recipere se cōsueuerunt, legati uidentur. at si qua consulto in fundo congesta contrectatáue sunt, quo lega- E tum cumularetur: ea non uidentur legata esse. Quidam cum ita legasset, VILLAM MEAM ITA, VT IPSE POSSEDI, CVM SVPELLECTILE, MENSIS, MANCIPIISQVE, QVAE IBI DEPVTABANTVR, VRBANIS ET RVSTICIS, VINISQVE, QVAE IN DIEM MORTIS MEAE IBI ERVNT, ET DECEM AVREIS: & quæreretur. cum in diem mortis ibi libros, & uitreamina, & uestispicam habuerat: an ea omnia legato cederent, quoniã quædam numerasset? Scæuola respondit. specialiter expressa legato cedere. Domum instructam legauit cum omnibus adfixis. quæritur de instrumentis debitorũ, an ea legatarius habere possit? Respondi. secundum ea, quæ proponerentur, non posse.

XIX. IDEM.

SI MANCIPIA, quæ post testamentum factum in fundum Seiæ relictum à testatore

inducta fundi colendi gratia in eodem fundo fuerint:ea quoque instrumento fundi contine F
ri. Respondi. quamuis enim ea mancipia testator demonstrasset, quæ tunc ibi essent, cum legaret:tamen non minuendi legati,sed augendi caussa, mancipiorum quoque fecit mentionem.ceterū instrumento fundi mancipia quoque colendi agri caussa inducta contineri, non ambigitur. PAVLVS respondit.uillæ instrumento,neque fructus repositos,neque equitium contineri: supellectilem autem legato cedere. Seruum uero arte fabrica peritum, qui annuam mercedem præstabat,instrumento uillæ non contineri.

XX. SCAEVOLA.

SEIAE ex parte hæredi institutæ,si hæres erit,fundos per præceptionem dederat instructos cum suis uillicis,& reliquis colonorum:& codicillis ita scripsit. POSTEA MIHI VENIT G
IN MENTEM. SEIAM FVNDOS, QVOS RELIQVI, ITA VT SVNT INSTRVCTI RVSTICO INSTRVMENTO, SVPELLECTILE,PECORE,ET VILLICIS CVM RELIQVIS COLONORVM,ET APOTHECAM HABERE VOLO. quæsitum est, an etiam ea, quæ patrisfamiliâs usus cotidiani caussa in fundo fuerunt, legato continerentur? Respondit. testamento quidem,ut proponeretur,Seiæ insuper fundum legatum:uerū non amplius deberi, quàm in codicillis, quos sanè post obliuionem testamentariæ scripturæ fecisset:instructi appellatione contineri se uelle, manifestè ostendisset. Liberto suo quidam prædia legauit his uerbis, SEIO LIBERTO MEO FVNDOS ILLVM ET ILLVM DO LEGO ITA, VT INSTRVCTI SVNT,CVM DOTIBVS,ET RELIQVIS COLONORVM,ET SALTVARIIS,CVM CONTVBERNALIBVS SVIS,ET FILIIS,ET FILIABVS. quæsitum est.an Stichus seruus,qui prædium unum ex his coluit,& reliquatus est amplam summam, ex caussa fideicommissi Seio H
debeatur? Respondit.si non fide dominica,sed mercede (ut extranei coloni solent)fundum coluisset:non deberi. CAIO SEIO ALVMNO MEO FVNDOS MEOS ILLVM ET ILLVM, ITA VT INSTRVCTI SVNT,ET DOMVM SVPERIOREM DARI VOLO.quæsitum est,an etiam domum instructam dari uoluerit? Respondit.secundum ea,quæ proponerentur,ita uideri dedisse:nisi is,à quo peteretur,aliud testatorem sensisse manifestè doceret.at si habitationis,id est ædificij instrumentum legasset:non cedere seruos operæ alijue rei paratos.

Prædia ut instructa sunt cum dotibus,& reliquis colonorum & uillicorum,& mancipijs, & pecore omni legauit,& cum peculijs,& actore.quæsitū est.an reliqua colonorū,qui finita conductione interposita cautione de colonia discesserant, ex uerbis suprascriptis legato cedant? Respondit. non uideri de his reliquis esse cogitatū. Idē quæsijt in actore legato an I
uxor & filia legato cedant:cū actor nō in prædijs,sed in ciuitate moratus sit? Respōdit.nihil proponi cur cedant. Idē quęsijt.cum testator facto testamēto in prouinciam sit profectus: an ea mancipia,quæ post profectionem eius aut mortem sine cuiusquam authoritate sponte sua ad parētes & notos sibi homines in fundos legatos transissent,legato cedant? respondit. non legatos eos esse, qui fortè ueluti commeantes transissent. PAMPHILAE LIBERTAE MEAE DARI VOLO FVNDVM TITIANVM,CVM INSTRVMENTO ET HIS,QVI IN EODEM ERVNT CVM MORIAR.quæsitū est.si Stichus seruus ex eo fundo antè annum testatoris mortis abductus,& in disciplinam traditus,postea in eum fundum reuersus non sit:an debeatur? Respondi.si studendi caussa misisset, nō quo à fundo eum aliorsum transferret: deberi. TYRANNAE SORORI MEAE FVNDVM MEVM GRAECIANVM CVM K
STABVLO ET INSTRVMENTO RVSTICO OMNI RELINQVO. quæritur.an fundi appellatione etiam pascua, quæ ad eum simul cum fundo peruenerunt, & quæ semper in usibus huius possessionis habuerat, legato cederent? Respondi.si prata fundo Græciano ita coniunxisset, ut sub una fundi appellatione haberētur:ea quoque deberi. Instructis domibus legatis, grabatus argento inaurato tectus mortis Titiæ tempore in domibus non est repertus,sed in horreis tantisper cōditus.quæro,an is quoque præstandus sit? Respondit.si in domo esse soleret,& quo tutiore loco haberetur,interim in horrea adlatus esset : nihilominus præstandum. Quod adiecit testator VTI POSSEDI, an hoc significet, sicuti instructa in diem mortis habuerat, id est cum mancipijs, pecoribus, instrumento rustico? Respondit.

non de

A non de iure quæri. XXI. POMPONIVS.

CVM fundus sine instrumēto legatus sit:dolia,molæ oliuariæ, & prælum, & quæcunque infixa inædificataque sunt,fundo legato continentur.nullæ autem ex his rebus, quæ moueri possunt,paucis exceptis,fundi appellatione continentur.de molis tum quæri solet, cum ita adfixæ,itáue inædificatæ sunt,ut partes ædificiorum esse uideantur.

XXII. PAVLVS.

FVNDO legato,ut optimus maximusque est:retia apratia,& cætera, quæ uenationis instrumento continebuntur,ad instrumenta pertinent:si quæstus fundi ex maxima parte in uenationibus cōsistat. Fundo legato cum mancipijs,& pecoribus,& omni instrumento B rustico & urbano:peculium actoris ante testatorem defuncti(si ex eodem fundo fuerit) magis placet ad legatarium pertinere.

XXIII. NERATIVS.

CVM quæritur,quod sit tabernæ instrumentum : interesse, quod genus negotiationis in ea exerceri solitum sit.

XXIIII. PAVLVS.

FVNDVS,qui locatus erat,legatus est cum instrumento etiam instrumentum, quod colonus in eo habuit,legato cedit.

XXV. IDEM.

AN QVOD coloni fuit,an tantum id, quod testatoris fuit? & hoc magis dicendum est: C nisi nullum domini fuit.

XXVI. IABOLENVS.

FVNDI instrumento legato,id pecus cedere putabat Tubero,quod is fundus sustinere potuisset.Labeo contrà.quid enim fiet,inquit,si cum mille oues fundus sustinere potuisset, duo milia ouium in eo fundo fuerint? quas oues potissimū legato cessuras existimabimus? nec quærendum esse,quid debuisset parari pecoris instrumenti fundi caussa,sed quid paratum esset. non enim ex numero aut multitudine legata æstimanda esse. Labeonis sententiam probo. Quidam cum in fundo figlinas haberet, figulorum opera maiore parte anni ad opus rusticum utebatur.deinde eius fundi instrumentū legauerat. Labeo & Trebatius non uideri figlinas in instrumento fundi esse aiunt.Item cum instrumentū omne le- D gatum esset,excepto pecore:pastores ouiliones,ouilia quoque legato contineri, Ofilius non rectè putat. XXVII. IDEM

DOLIA fictilia,item plumbea,quibus terra aggesta est,& in his uiridiaria posita : ædiū esse Labeo & Trebatius putant.ita id uerum esse puto:si ita illigata sint ædibus, ut ibi perpetuò posita sint. Molas manuatias quidam supellectilis, iumentarias autem instrumenti esse Ofilius ait. Labeo, Cascellius,Trebatius neutras supellectilis, sed potius instrumenti putant esse: quod uerum puto.

XXVIII. SCAEVOLA.

PRAEDIA maritima cum seruis,qui ibi erunt,& omni instrumento,& fructibus, qui ibi erunt,& reliquis colonorum nutritori suo legauit.quæsitum est.an serui piscatores, qui sole- E bant in ministerio testatoris esse,& quocunque eum sequi,& urbicis rationibus fungebātur, nec mortis testatoris tempore in prædijs legatis deprehensi fuerunt: legati esse uideantur? respondi.secundum ea,quæ proponerentur,non esse legatos. Adfini suo ita legauit.FVNDVM CORNELIANVM TITIO ITA, VT EST INSTRVCTVS, CVM OMNIBVS REBVS ET MANCIPIIS ET RELIQVIS COLONORVM DARI VOLO. hæc testatrix Romam litis caussa ex Africa ueniens,mancipia quædam ex fundo suprà scripto,quo citius per hyemem ad oram legeret,secum adduxit.quæsitum est.an ea mancipia fideicommisso cedant: cum quędam ex his rusticis officijs ad tempus peregrinationis abducta sunt,relictis conser uabus & filijs suis,& quædam matribus & patribus? respondi.mancipia,de quibus quæreretur,secundum ea,quæ proponerentur,ex caussa fideicōmissi deberi.Idem quæsijt. an fructus eiusdem fundi,qui ibi in diem mortis coacti manserint,fideicommisso cedāt. cum ple-

nissima testatoris erga adfinem uoluntas ab eo quoque manifestetur, quo reliqua colono- F
tum eiusdem possessionis ad eum pertinere uoluerit? respondi. in huiusmodi scriptura pos-
se hoc solum responderi: quaerendum, an manifestè appareat defunctam id, de quo quaere-
retur, dari uoluisse. Liberto, quem haeredem ex parte scripsit, fundum per praeceptionem
dedit in haec uerba. PAMPILE LIBERTE PRAECIPITO, TIBI QVE HABETO FVNDVM
MEVM TITIANVM ET AGELLVM SEMPRONIANVM CVM INSTRVMENTO ET HIS,
QVAE IN EODEM ERVNT, CVM MORIAR, FAMILIAQVE, QVAE IN EO FVNDO
MORATVR: EXCEPTIS, QVOS MANVMISERO. quaesitum est, cum testator in eo fun-
do aliquantum uini habuerit in dolijs, quod uiuus totum uendiderat: & partem tertiam pre-
tij pro eo acceperat: an uinum in dolijs remanens ad libertum ex caussa praeceptionis perti- G
neat? respondi. uerbis, quae proponerentur, contineri: nisi manifestè contrariam uolunta-
tem cohaeredes adprobent. In eo fundo instrumenta, calendaria, & numos reliquit.
respondi. de numis quoque, ut suprà, responsum est. Ita legatum est. SEPTITIAE SO-
RORI MEAE FVNDI PATERNI MEI SEIANI PARTEM DARI VOLO, SICVT EST: ET
ALTERAM PARTEM ITA, VT IN DIEM MORTIS FVERIT. quaesitum est. an ex uerbis
suprascriptis asseres & praela iam disposita parataque, ut immitterentur aedificio: item instru-
mentum urbanum & rusticum cum mancipijs, quae fundi caussa erunt: ad legatariam per-
tineant? respondit. possunt haec uerba SICVT EST, ad instructum referri. Fundos lega-
uit in haec uerba. SEMPRONIO FRATRI MEO HOC AMPLIVS FVNDOS MEOS ITA,
VT INSTRVCTI SVNT, CASSIANVM, NOMIANVM CVM SVIS SALICTIS ET SYL- H
VIS. quaesitum est. cum syluae & salicta non in fundis suprà scriptis sint, sed in adiectis agel-
lis, & quos simul testator comparauit, nec sine his fundi coli possint: an legato cederent? re-
spondi. id tantum cedere legato, quod uerbis comprehendisset.

XXIX. IDEM.

LVCIVS Titius fundum, uti erat instructus, legauerat. quaesitum est, fundus instructus quemadmodum dari debeat: utrum sicut instructus fuit mortis patrisfamiliâs tempore, ut quae medio tempore adgnata, aut in fundum illata sunt, heredis sint: an uero instructus fundus eo tempore inspici debeat, quo factum est testamentum: an uero eo tempore, quo fundus peti coepit: ut quidquid eo tempore instrumenti deprehendatur, legatario proficiat? respondit. ea, quibus instructus sit fundus, secundum uerba legati, quae sunt in eadem caussa, I
cum dies legati cedit, instrumento contineri.

XXX. LABEO.

SI NAVEM cum instrumento emisti: praestari tibi debet scapha nauis. PAVLVS. imò contrà. etenim scapha nauis non est instrumentum nauis. etenim mediocritate, non genere ab ea differt. instrumentum autem cuiusque rei necesse est alterius generis esse, atque ea, cuius sit quod & Pomponio libro septimo Epistolarum placuit.

DE PECVLIO LEGATO TIT. VIII.

I. PAVLVS. K



SERVO legato cum peculio, & alienato, uel manumisso, uel mortuo: legatum etiam peculij exstinguitur. II. CAIVS.

NAM quae accessionum locum obtinent, exstinguuntur, cum principales res peremptae fuerint.

III. PAVLVS.

ET si ancilla cum suis natis legata sit: etiam mortua ea, uel alienata, uel manumissa, nati ad legatarium pertinebunt: quia duo legata sunt separata.

IIII. CAIVS.

SED & si quidem cum uicarijs suis legatus sit seruus: durat uicariorum legatum, etiam mortuo eo, aut alienato, aut manumisso.

Peculio

A

V. PAVLVS.

PECVLIO legato,constat hæredem nomina peculiaria persequi posse,& insuper ipsum
(si quid debeat seruo)reddere legatario debere.

VI. VLPIANVS.

SI PEculium lēgetur,& sit in corporibus(pută fundus uel ædes)siquidem nihil sit,quod
seruus domino,uel conseruis,liberisúe domini debeat:intĕgra corpora uindicabuntur.si ue
ro sit,quod domino,uel suprascriptis personis debeatur:deminui singula corpora pro rata
debebunt.& ita Iulianus & Celsus putant. Etsi fuerit legatum peculium, non deducto
ære alieno:uetendum,ne inutile legatum sit:quia quod adijcitur,contra naturam legati sit.
B sed putauerim hanc adiectionem non uitiare legatum,sed nihil ei adijcere.nec enim potest
crescere uindicatio peculij per hanc adiectionē.Planè si proponas legatariū nactum posses-
sionem rerum:exceptione doli aduersus hæredem uindicantem uti potest.habet enim in so
lidis rebus uoluntatē æris alieni non deducendi.Sed & si dominus remittere se seruo,quod
debet,uel nihil sibi seruum debere significauit:ualet hæc adiectio:quia nuda uoluntate po-
test dominus seruo remittere, quod ei debet. Vicario autem meo mihi legato,an & uica-
rij mei peculium ad me pertineat,quęritur.& putamus contineri legato eius uicarij peculiū:
nisi aduersa sit uoluntas testatoris. Si seruus & uicarius eius liberi esse iussi sint, eisq; pe-
culia sua legata sint:uerba secundum uoluntatem testatoris exaudienda , tanquam de duo-
bus separatisq; peculijs testatore locuto.& secundum hæc uicarius uicarij non communica
C bitur:nisi hæc mens fuit testantis. Sicut autē æs alienum,hoc est, quod debetur domino,
minuit legatum peculium:ita per contrarium id,quod dominus debet,seruo augere debet.
sed huic sententiæ aduersatur rescriptū Imperatoris nostri & patris eius,quod ita est. Cum
peculium seruo lēgatur:non etiam id conceditur,ut petitionem habeat pecuniæ,quam se in
rationes domini impendisse dicit.Quid tamen,si hæc uoluntas fuit testatoris : cur nō possit
consequi? certè compensari debet hoc,quod impendit,cum eo, quod domino debetur. An
& quod dominus scripsisset,se seruo debere,peculio legato cederet? Pegasus negat.idē Ner-
ua.& cum Cneus Domitius filiæ suæ peculium,quod eius esset,legasset: & annuum , quod
ei solitus erat dare,biennio non dedisset,sed in rationibus suis retulisset,filiæ se debere quin
quaginta:Atilicinus existimauit,legato non cēdere.quod uerum est: quia consonat rescri-
D pto.Non solum autem quod domino debetur,peculio legato deducitur:sed & si quid hære
di debitum fuerit.

VII. POMPONIVS.

SI QVIS creditori suo adrogandum se dederit , & agetur de peculio cum adrogatore:
idem puto dicendum, quod de hærede dicitur.

VIII. VLPIANVS.

DENIQVE Pegasus respondit,si statulibero,cui peculium legatum sit , hæres interim
crediderit:id ipso iure detrahi, & singula corpora per hoc æs alienū deminui.Proinde si pu-
rè libertatem acceperit,& hæres uel uiuo domino uel ante aditam hæreditatem seruo credi
derit:legatum peculij minuetur secundum Iuliani sentētiam, licet dominus serui nunquam
fuerit. Qui Stichū & Pamphilum seruos habebat,testamento eos manumisit,& unicuiq;
E peculium suum legauit.placet,quod alteri debet,de peculio eius decedere,& alterius legato
accedere. Item quæritur.si seruo libertas data sit,si decem dedisset hæredi,peculiumq; ei
legatum sit : an decem , quæ dedisset hæredi , debeant de peculio decēdere? & est uerum,
quod Sabino placuit , hoc minus esse in peculio legato. plus ait Sabinus : si statuliber ser-
uum hæredi uendiderit,perinde desinere eum in peculio esse,atq; si extraneo uendidisset.
His consequenter quæritur. si seruus cum domino de libertate pactus fuerit , & partem
pecunię dederit,& antequam residuum daret,dominus decesserit,liberumq; esse testamen
to iusserit cum peculio legato:an quod domino dederit , in peculio sit imputandum? & ait
Labeo,de peculio decēdere,planè si nondum dederat,sed donec totum traderet, pro depo-
sito apud eum fuerit: id in peculio esse placuit.Item si seruo peculium sit legatum , & à debi-
tore eius peculiari hæres uetitus sit petere:uerum est,hoc minus esse in legato peculij : hoc

est,id detrahendum,quod debitori legatum est. Interdum & si non sit legatum peculiũ, F
sic uelut legatum accipitur.idq; est in huiusmodi specie. quidam seruo libertatem, si rationes reddidisset,dederat,& si hæredibus centum intulisset.Imperator igitur noster cum patre rescripsit,peculium quidem non nisi legatum deberi.uerum(inquiunt) si conditionibus præscriptis paruit seruus:testatorem uoluisse eum retinere peculium interpretamur:uidelicet ex eo,quod ex peculio eum iusserat centum inferre. Vtrum autem id demum peculium accipimus,quod mortis tempore fuit:an uero & quod postea accessit,applicamus: uel quod decessit,detrahimus? & Iulianus aliter accipiendum legatum peculij ait, si ipsi seruo legetur:aliter, si alij. nam si ipsi:id tempus in legato spectandum, quo dies legati cedit. G
si uero extraneo: mortis tempus. sic tamen, ut incrementa ex rebus peculiaribus ad eum perueniãt:utputà partus ancillarum,uel fœtus pecorum.quod autem ex operis suis, uel ex alia re accedit:id,si alij,quàm ipsi legetur peculium:non debebitur.hoc utrunq; Iulianus secundum uolũtatem testatoris scribit.cum enim ipsi suum peculium legatur: uerisimile est, eum omne augmẽtum ad ipsum pertinere uoluisse,cui patrimonium manumisso futurum est:cum alij,non sic.ut tamen,si in alterius persona & hoc eum sensisse appareat,idem dicas.

IX. PAVLVS.

Id qvod seruo,qui in ipsius peculio est,debetur:nõ deducitur ex legato peculio,quamuis conseruus eius sit. Si conseruum suum uulnerauerit seruus,& uiliorem fecerit:Marcellus ait, non esse dubitandum, deduci ex peculio, quod domini intersit. nam quid intersit, conseruum uulneret,an scindat aliquid,uel frangat,an subripiat? quo casu sine dubio minuitur peculium, sed non ultra simplum.sed si se uulnerauit,uel etiam occidit:nihil est deducendum hoc nomine.alioquin dicemus,& si fugerit,deducendum id,quãto uilior sit factus propter fugam. H

X. POMPONIVS.

Si peculium seruo uel filio prælegare uelis,ne deducatur id,quod tibi debebitur: specialiter ea,quæ in peculio erunt,leganda sunt.

XI VLPIANVS.

Ei quoq;,qui nihil in peculio habet,potest peculium legari.non enim tantum præsens, sed etiam futurum peculium legari potest.

XII. IVLIANVS.

Tvnc inutile legatum peculij fit, cum seruus uiuo testatore decedit.cæterum si mortis tempore seruus uixerit:peculium legato cẽdet. I

XIII. CELSVS.

Aliter,atq; si seruus uestitus legatus foret.

XIIII. ALFENVS.

Qvidam testamento ita scripsit. PAMPHILVS SERVVS MEVS PECVLIVM SVVM, CVM MORIAR, SIBI HABETO, LIBERQVE ESTO.cõsulebatur,rectè ne Pamphilo peculium legatum uideretur:quod prius,quàm liber esset, peculium sibi habere iussus esset? respondi.in coniunctionibus nullum ordinem esse:nec quicquam interesse, utrum eorum primum diceretur,aut scriberetur.quarè rectè peculium legatum uideri:ac si prius liber esse,deinde peculium sibi habere iussus esset. K

XV. IDEM.

Servo manumisso peculium legatum erat.alio capite omnes ancillas suas uxori legauerat.in peculio serui ancilla fuit.serui eam esse respondi:neq; referre,utri prius legatũ esset.

XVI. AFRICANVS.

Stichvs habet in peculio Pamphilum.hunc dominus noxali iudicio defendit, & damnatus litis æstimationem soluit.deinde Stichum testamento manumisit, eiq; peculium legauit.quæsitum est,an quod Pamphili nomine præstitum sit,ex peculio uel ipsius Pamphili,uel Stichi deducendum sit? respondit.Pamphili quidem de peculio utique deducendum,quantacunq; ea summa esset,id est, etiam si eum noxæ dedere expedisset. quidquid enim pro capite serui præstitum sit,in eo debitorem eum domini constitui. Quod si Pamphili

A philí peculium non ſufficiat:tunc ex peculio Stichi non ultra pretium Pamphili deduci de bere. Quæſitum eſt.ſi ex alia cauſſa Pamphilus pecuniam domino debuiſſet, nec ea ex pecu lio eius ſeruari poſſit:an uſq; ad pretiū eius ex peculio Stichi poſſit deducere? negauit. neq; enim ſimile id ſuperiori eſſe.ibi enim propterea pretium uicarij deducendum,quod eo no mine ipſe Stichus ob defenſionem uicarij ſui domino debitor cōſtituatur. at in propoſito, quia Stichus nihil debeat,ex eius peculio nihil eſſe deducendum:ſed ex Pamphili dunta xat,qui certè ipſe in ſuo peculio eſſe,intelligi non poteſt.

XVII. IABOLENVS.

Qvi peculium ſerui legauerat,iudicium eo nomine acceperat, deinde deceſſerat. placuit B non aliter peculium ex cauſſa legati præſtari,quàm ſi de accepto iudicio hæredi caueretur.

VIII. MARCELLVS.

Si ſeruo manumiſſo peculium legatum fuerit:in eum ſine dubio creditoribus peculiari bus actiones non competunt:ſed non aliter hæres peculium præſtare debet, niſi ei cauea tur, defenſum iri aduerſus creditores peculiares.

XIX. PAPINIANVS.

Cvm dominus ſeruum uellet manumittere,profeſſionem ēdi ſibi peculij iuſſit, atq; ita ſeruus libertatem accepit.res peculij profeſſioni ſubtractas non uideri manumiſſo tacitè cō ceſſas,apparuit. Teſtamento data libertate peculium legauerat,eundemq; poſtea manu miſerat.libertus,ut nominum peculij actiones ei præſtentur,ex teſtamento conſequetur.

C Filiusfamiliâs,cui pater peculium legauit,ſeruum peculij uiuo patre manumiſit. ſeruus communis omnium hæredum eſt exemptus peculio propter filij deſtinationem:quia id pe culium ad legatarium pertinet,quod in ea cauſſa moriente patre inueniatur

XX. MARTIANVS.

Nihil'qve intereſt,legatus deinde inutiliter manumiſſus ſit,an contrà.

XXI. SCAEVOLA.

Si Sticho manumiſſo peculium legatum ſit,& Titio ſeruus peculiaris: quantum pecu lio detractum erit ob id,quod domino debetur:tantum ei accedere cui uicarius legatus eſt, Iulianus ait. XXII. IABOLENVS.

Dominvs ſeruum teſtamento manumiſerat, & ei peculium legauerat.is ſeruus mille D numos domino debuerat,& eos hæredi ſoluerat.reſpondit.omnes eas res deberi Orcino:ſi pecuniam Orcinus,quam debuerat, ſoluiſſet. Dominus ſeruum, qui cum eo uicarium communem habebat,teſtamento manumiſerat, & peculium ei legauerat. deinde ipſum ui carium,qui communis erat,nominatim & ipſi & libertæ ſuæ legauerat. reſpondit. partem quartam libertæ,reliquam partem(quartam)liberti futuram. quod & Trebatius.

XXIII. SCAEVOLA.

Dominvs Sticho ſeruo ſuo,qui bona liberti eius geſſit,cui pro parte dimidia teſtamen to hæres exſtiterat,in quibus negotijs geſtis & calendaria fuerunt : teſtamento ſuo liberta tem dederat,ſi rationem reddidiſſet:eiq; peculium ſuum per fideicōmiſſum dedit. Stichus ſummas,quibus reliquatus erat,tam ex calendario,quam ex uarijs cauſſis reddidit: manen E tibus debitoribus,pro quibus ipſe pecuniā hęredibus patroni refuderat:libertatemq; ade ptus,deceſſit.quæſitum eſt,an hæredibus Stichi aduerſus nomina debitorum, pro quibus Stichus pecuniam hæredibus patroni intulit,hęredes patroni ex cauſſa fideicommiſſi com pellendi ſint actiones præſtare,cum nihil aliud à Sticho patrono debitum fuit? reſpondit, præſtandum. Teſtamento codicillis'ue ſeruos manumiſit,& pecuniam legauit,& de Sti cho ita cauit.STICHVM SERVVM MEVM LIBERVM ESSE VOLO, EI'QVE VOLO DA RI DECEM AVREOS, ET QVIDQVID EX RATIONE LOCVLORVM MEORVM HA BET. RATIONES AVTEM HAEREDIBVS MEIS DARI VOLO. HIS OMNIBVS, QVOS HOC TESTAMENTO MANVMISI, PECVLIVM SVVM CONCEDI VOLO.quęſitum eſt. an quod amplius rationi loculorum in diem mortis erogauit Stichus ex peculio ſuo,ab hæ redibus recipere debeat:cum ex cōſuetudine domus eſſet,ut quidquid amplius de ſuo in ra

tione loculorum erogasset, dominica ratio ei deberet, atque exsolueret? respondit secundum F
ea, quæ proponerentur, propter consuetudinem id quoque peculio legato contineri, quod &
dominica ratio deberet, & solita erat reddere. Seruis libertates legataque dederat, & condi
tionem ita scripserat. ὅσους κατέλιπον ἐλευθέρους, καὶ λήγατα αὐτοῖς: τούτους βούλομαι εἶναι ἀν-
εξετάστους. quæsitũ est, an peculia quoque legata his uideantur? respondit. secundum ea, quæ
proponerentur, non uideri legata. Item quæsitum est, an ex ijsdem uerbis reliqua ratio-
num quasi legata retinere possint: aut si res dominicas apud se habuerunt, aut si qui eorum
coloni prædiorum fuerunt, pensiones? respondit. suprà responsum esse.

XXIIII. VLPIANVS.

SI LEGATVS fuerit seruus, peculium excipere non est necesse: quia non sequitur, nisi lē- G
getur.

XXV. CELSVS.

SI SERVVS liber esse iussus sit, eique peculiũ legatũ sit: uicariorum eius uicarij legato con-
tinentur.

XXVI. SCAEVOLA.

TITI FILI E MEDIO PERCIPITO, SVMITO, TIBIQVE HABETO DOMVM ILLAM:
ITEM AVREOS CENTVM. alio deinde capite peculia filijs prælegauit. quæsitum est, an pe-
culio prælegato, & centũ aurei & usuræ eorũ debeantur: cum rationibus breuiarijs in ære alie-
no & sortẽ & usuras inter cæteros creditores cõplexus sit? respondit. si id fœnus nomine filij
exercuisset, & usuras ita, ut proponeretur, filio adscripsisset: id quoque peculio legato deberi.

DE PENV LEGATA. TIT. IX. H

I. VLPIANVS.


VXORI suæ in annos singulos penoris aliquid heres dare iussus est. si non dedis-
set: numos dare damnatus est. quæritur, an penus legata peti possit: an uero so-
lummodo sit in præstatione, & si non prestetur, tunc quantitas petatur? & siqui-
dem semel penus sit legata, nõ per singulos annos: certo iure utimur (ut & Mar-
cellus libro tricesimooctauo Digestorum apud Iulianũ notat) in præstatione esse duntaxat
penum, quantitatem uero & peti posse. habebit igitur heres oblationem tamdiu, quàmdiu
lis cum eo de pecunia contestetur: nisi fortè aliud tempus uel mente uel uerbis testator præ-
stituit. quod si in annos singulos penus legata sit: per singulos annos penus adhuc poterit
præstari. si minus: summæ per singulos annos petentur. quid ergo, si una summa legata sit, I
& primo penus non sit præstita? utrũ tota summa debeatur, quasi toto penoris legato trans-
fuso: an uero quantitas primi anni æstimationis sola sit translata, dubitari potest. puto ta-
men sic uoluntatem testatoris sequendam, ut tota summa illico, postquam cessauerit hæres
dare penum uxori, præstetur, hæredis in deuotione coërcenda.

II. MARTIANVS.

PENV certa cum uasis certis legata & consumpta: ne uasa quidem cēdunt legato, exem-
plo peculij.

III. VLPIANVS.

QVI PENUM lēgat, quid legato complectatur, uideamus & Quintus Mutius scripsit li-
bro secundo iuris ciuilis, penu legata contineri, quæ esui potuique sunt. Idem Sabinus libris
ad Vitellium scribit. quæ horum (inquit) patrisfamiliâs, uxoris, liberorumque eius, uel fami- K
liæ, quæ circa eos esse solet: item iumentorũ, quæ dominici usus caussa parata sunt. Sed Ari-
sto notat, etiam quæ æsui potuique non sunt, contineri legato: utpută ea, in quibus esse sole-
mus, oleum fortè, garum, muriam, mel, cæteraque his similia. Planè (inquit) si penus escu-
lenta lēgetur: Labeo libro nono Posteriorum scribit, nihil eorum cēdere: quia non hæc esse,
sed per ea solemus. Trebatius in melle cõtrà scribit. meritò: quia mel esse solemus. Sed Pro-
culus omnia hæc contineri rectè scribit: nisi contraria mens testatoris appareat. Esculen-
ta utrum ea, quæ esse, an & ea, per quæ esse solemus, legauerit? & ea quoque legato contineri,
credendum: nisi contraria mens patrisfamiliâs doceatur. mel certè semper esculentæ penui
cēdere: lacertas quoque cũ muria sua contineri, nec Labeo negauit. Potulenta penu ea, quæ
uini loco paterfamiliâs habuit, continebuntur: suprascripta uero non continebuntur. Pe-
nori

A noti acetum quoque cedere nemo dubitat: nisi exstinguendi ignis caussa fuerit paratum. tunc enim esui potuique non fuit. & ita Ofilius libro decimoquinto Actionum scribit. Sed quod diximus, VSVS SVI CAVSSA PARATVM: accipiendum erit, & amicorum eius, & clientium, & uniuersorum, quos circa se habuit: non etiam eius familiae, quam neque circa se, neque circa suos habuit: puta si qui sunt in uillas deputati, quos Quintus Mutius sic definiebat, ut eorum cibaria contineri putet qui opus non facerent. sed materiam praebuit Seruio notandi, ut textorum & textricum cibaria diceret contineri. sed Mutius eos uoluit significare, qui circa patremfamiliâs essent. Simili modo & iumentorum cibaria penu cótinentur. sed eorum iumentorum, quae usibus ipsius & amicorum deseruiebant. caeterum si qua iumenta
B agris deseruiebant, uel locabantur: legato non cedere eorum cibaria. Siue autem frumentum, siue quid leguminis in cella penuaria habuit: penore legato continebitur. Sed & hordeum (siue familiae, siue iumentorum gratia paratum) contineri Ofilius libro decimosexto Actionum scribit. Ligna & carbones, caeteraque, per quae penus conficeretur, an penore legato contineatur, quaeritur. & Quintus Mutius & Ofilius negauerunt: non magis, quàm molae (inquiunt) continentur. Idem & thus & ceras contineri negauerunt. Sed Rutilius & ligna & carbones, quae non uendendi caussa parata sint, contineri ait. Sextus Caecilius etiam thus, & cereos in domesticum usum paratos, contineri legato scribit. Seruius apud Melam, & unguentum, & chartas epistolares penoris esse scribit. & est uerius haec omnia, odores quoque cótineri. Sed & chartas ad ratiunculam, uel ad λογάριον paratas contineri. Vasa
C quoque penuaria quin contineantur, nulla dubitatio est. Aristo autem scribit, dolia nó contineri. & est uerum secundum illam distinctionem, quam suprà in uino fecimus. Nec frumenti, nec leguminum thecae, uel arculae forte, uel sportae: uel si qua alia sunt, quę horrei penuarij (uel cellae penuariae) instruendi gratia habentur, non continebuntur: sed ea sola continentur, sine quibus penus haberi non rectè potest.

IIII. PAVLVS.

NAM quod liquidae materiae est (quia per se esse non potest) rapit secum in accessionis locum id, sine quo esse non potest. uasa autem, accessio legatae penus, non legata sunt. Denique penu consumpta, uasa non debentur. sed & si penus cum uasis specialiter sit legata: uasa non debebuntur, uel cosumpta penu, uel adempta. Si cui, quae in promptuario sunt, lega-
D ta fuerint: non omnis penus legata est. Item si quis solitus fructus suos uendere, penum legauerit: non omnia, quae & promercij caussa habuit, legasse uidetur: sed ea sola, quae in penu sibi separabat. quod si promiscuè uti solebat: tunc quantum ad annuum usum ei sufficeret, familiaeque eius, caeterorumque, quae circa eum sunt, legato cédet. quod ferè (inquit Sabinus) euenit in personis mercatorum, aut quoties cella est olei & uini, quae uenire solebant, in haereditate relicta. Nomen autem PENVS mihi traditum est omnibus generibus dictum. Si ita legetur PENVS, QVAE ROMAE SIT: utrum quae est intra cótinentia, legata uidetur: an uero sola, quae intra murum? & quidem urbes ferè omnes murotenus finiri, Romam continentibus, & urbem Romam aequè continentibus. Quod si urbana penus sit legata: omne, quod ubique est, legatum uideri, Labeo ait: & si in uilla sit urbico usui destinata.
E sicuti urbica ministeria dicimus, & quae extra urbem nobis ministrare consueuerunt. Si autem extra urbem, Romae tamen sit: sed & si in hortis sit urbi iunctis: idem erit dicendum.

Si cui penus legata sit praeter uinum: omnis penus legata uidetur, excepto uino. sed si ita sit scriptum, OMNEM PENVM PRAETER VINVM, QVOD ROMAE ERIT: sola penus, quae Romae est, legata uidetur. & ita etiam Pomponius libro sexto ad Sabinum scribit.

V. IDEM.

NON omne, quod bibitur, in penu habetur. alioquin necesse erit, ut & omnia medicamenta, quę bibentur, contineantur. itaque ea demum penoris esse, quę alendi caussa biberentur, quo in numero antidotum non est, & sanè uerè Cassius sensit. sed quod quidam negauerunt, piper, & ligusticum, & carrau, & laser, & caetera huiusmodi in penu non esse: improbatum est. VI. IDEM.

INSTRVmentum pistrini, item uniuersa uasa coquinaria, in penu non continentur. F

VII. SCAEVOLA.

PENVM MEAM OMNEM AD MATREM LIBERTOSQVE MEOS, QVI CVM MATRE SVNT, PERTINERE VOLO. quæro, si tutores pupilli eam solummodo penum deberi, quæ in cœnaculo sit, dicant: sint autem & in horreis amphoræ: an hæ quoque debeantur? respondi, quidquid penoris usus caussa ubicunque habuisset, deberi.

DE SVPELLECTILE LEGATA. TIT. X.

I. POMPONIVS.



SVPELLEX est domesticum patrisfamiliæ instrumentum, quod neque argento, auróue facto, uel uesti adnumeratur. G

II. FLORENTINVS.

ID est res mobiles, non animales.

III. PAVLVS.

SVPELLectile legata hæc continentur: mensæ, trapezophora, delphica, subsellia, scamna, lecti etiam inargentati, culcitræ, toralia, mappæ, uillosæ, uasa aquaria, pelues, aquiminaria, candelabra, lucernæ, trullæ. item uasa ahenea uulgaria, id est, quæ non propriè essent loco attributa. præterea capsæ, armaria. sed sunt, qui rectè putant capsas & armaria (si librorum aut uestium, aut armorum gratia parata sint) nõ esse in supellectile: quia ne hæ quidem ipsæ res, quibus attributæ essent, supellectilis instrumento cederent. Vitrea escaria & potoria in supellectile sunt, sicut fictilia: nec solum uulgaria, sed etiam quę in pretio magno sunt. H Nam & pelues argenteas, & aquiminaria argentea, & mensas, & lectos inargentatos uel inauratos atque gemmatos in supellectili esse, non dubitatur: usque adeò, ut idem iuris sit, & si tota argentea uel aurea sint. De murrhinis & crystallinis dubitari potest, an debeant adnumerari supellectili, propter eximium usum & pretium. sed & de his idem dicendum est. nec interest, cuius materiæ sint res, quæ sunt in supellectili. sed craterem argenteũ non esse in supellectili, nec ullum uas argenteum, secundum Cascellij seueritatem, nondum admittentis supellectilem argenteam hodie propter usum imperitorum, si in argento relatum candelabrum sit argenteum, argenti esse uidetur, & error ius facit. I

IIII. IDEM.

INSTRVmenti significatione rhedæ, & seliquastra in supellectili adnumerari solent.

V. IDEM.

DE TApetis quæri potest, quibus subsellia & cathedratia insterni solent: utrum in ueste sint, sicut stragula, an in supellectile, sicut toralia, quæ propriè stragulorum non sunt? & hoc magis placuit, ea supellectile contineri. de tapetis autem uel linteis, quibus insternantur uehicula, dubitari potest, an sint in supellectile. sed dicendum est, potius instrumenti uiatorij ea esse, sicut pelles, quibus inuoluuntur uestimenta: lora quoque, quibus hæ pelles constringi solent.

VI. ALFENVS.

SVPELLectilis eas esse res puto, quæ ad usum communem patrisfamiliâs paratæ essent. quæ nomen sui generis separatim non haberent. quarè quæ ad artificij genus aliquod pertinerent, neque ad communem usum patrisfamiliâs accommodatæ essent: supellectilis non esse. sed nec pugillares & codices in supellectile sunt. K

VII. CELSVS.

LABEO ait, originem fuisse supellectilis, quod olim his, qui in legationem proficiscerentur, locari solerent, quæ sub pellibus usui forent. Tubero hoc modo demonstrare supellectilem tentat: instrumentũ quoddam patrisfamiliâs rerum ad quotidianũ usum paratarum, quod in aliam speciem non caderet: ut (uerbi gratia) penum, argentum, uestem, ornamenta, instrumenta agri aut domus. nec mirum est, moribus ciuitatis & usu rerum appellationem eius mutatam esse. Nam fictili, aut lignea, aut uitrea, aut ærea denique supellectili utebantur. nunc ex ebore, atque testudine, & argẽto: iam ex auro etiam, atque gemmis supellectili utuntur.

A utuntur. Quare ſpeciem potius rerum, quàm materiam intueri oportet. Sed de his quidem, de quibus dubitari poteſt, ſuppellectilis potius, an argenti, an ueſtis ſint: Seruius fatetur ſententiam eius, qui legauit, aſpici oportere, in quam rationem eam ſolitus ſit referre. uerum ſi ea, de quibus non ambigeretur, quin in alieno genere eſſent (utputà eſcarium argentum, aut penulas, & togas) ſuppellectili quis adſcribere ſolitus ſit: non idcirco exiſtimare oportere, ſuppellectile legata ea quoque contineri. non enim ex opinionibus ſingulorum, ſed ex communi uſu nomina exaudiri debere. Id Tubero parum ſibi liquere ait. nam quorſum nomina, (inquit) niſi ut demonſtrent uoluntatē dicentis? equidem non arbitror quenquam dicere, quod non ſentiat: ut maximè nomine uſus ſit, quo id appellari non ſolet. nam
B uocis miniſterio utimur. Cæterum nemo exiſtimandus eſt dixiſſe, quod non mente agitauerit. Sed etiam ſi magno opere me Tuberonis & ratio & autoritas mouet: non tamē à Seruio diſſentio, non uideri quempiam dixiſſe, qui nō ſuo nomine uſus ſit. nam & ſi prior atque potentior eſt, quàm uox, mens dicentis: tamē nemo ſine uoce dixiſſe exiſtimatur: niſi fortè & eos, qui loqui non poſſunt, conatu ipſo & ſono quodam καὶ τῇ ἀνάρθρῳ φωνῇ dicere exiſtimemus.

VIII. PAVLVS.

CVM quidam uxori ſuæ ita legauerat, DOMVM CVM IVRE SVO, ET OMNI INSTRVMEN O ET SVPPELLECTILE: quærebatur, an uideretur & argentum eſcale & potorium legato contineri? Reſpondit, ſi quid in ſuppellectile argenteum eſt: deberi. eſcale autem uel potorium argentum non deberi: niſi hoc quoque teſtatorem ſenſiſſe legatarius doceat.

C IX. IDEM.

LEGATA ſuppellectile, cum ſpecies ex abundanti per imperitiam enumerantur: generali legato non derogatur. Si tamen ſpecies certi numeri demonſtratæ fuerint: modus generi datus in his ſpeciebus intelligitur. idem ſeruabitur inſtructo prædio legato, ſi quædā ſpecies certum numerum acceperint. Supellectilis menſas eſſe cuiuſcunque materiæ (ſcilicet uel argenteas, uel argento incluſas) placet. nam & argenteos lectos, item argentea candelabra ſupellectili cēdere, poſterior ætas recepit: cum & Vlyſſes auro & argento lectum uiuentis arboris truncis inædificatum ornaſſet, quem Penelope recognoſcendi uiri ſignum accepit, ut uoluit Homerus. Supellectile ſua omni legata, acceptum argētum pignori nō continebitur: quia ſupellectilem ſuam legauit. utique ſi non in uſu creditoris id argentum uolun-
D tate debitoris fuit, ſed repoſitum propter contractus fidem, ac reſtituendæ rei uinculum.

X. IABOLENVS.

QVI ueſtem omnem & res plurium generum ſuppellectilis nomine expenſō ferre ſolitus erat: is uxori ſupellectilem legauerat. rectè negabant ueſtem legato ceſſuram, Labeo, Ofilius & Caſcellius: quia non poſſet uideri ueſtis ſupellectilis appellatione contineri.

XI. IDEM.

VASA ahenea ſalientis aquę poſita: item ſi quid aliud magis delitiarum, quàm uſus cauſſa paratum eſſet: non eſſe ſupellectilis, Labeo & Trebatius putant. Murrhea autem uaſa & uitrea, quæ ad uſum edendi & bibendi cauſſa parata eſſent, dicunt in ſupellectile eſſe.

XII. LABEO.

E QVEMADMODVM urbanus ſeruus & ruſticus diſtinguitur non loco, ſed genere uſus: ita urbana penus & ſuppellex ad uſum urbanū, non ad locū urbanū, aut peregrinū dirigenda eſt. multūque intereſt, penus & ſuppellex ea, quæ in urbe ſit, an urbana legetur, uel promittatur.

XIII. MODESTINVS lib. II. *Reſponſorum reſpondit.*

NVNQVAM ex eo, quod ſupellectilem legauit maritus teſtamento: habitationē, in qua ſupellex fuit, legaſſe uidetur. Quarè cōtra defuncti uoluntatem habitationē ſibi mulierem uindicare, proculdubio eſt.

XIIII. CALLISTRATVS.

FVNDO legato, inſtrumentum eius non aliter lgato cēdit, niſi ſpecialiter id expreſſum ſit. nam etiam domo legata, neque inſtrumentum eius, neque ſuppellex aliter legato cēdit, quàm ſi idipſum ad uſum nominatim expreſſum à teſtatore fuerit.

DIGESTORVM SEV
PANDECTARVM LIBER TRICESIMVS QVARTVS.

DE ALIMENTIS VEL CIBARIIS LEGATIS. TIT. I.

I. VLPIANVS.

SI ALIMENTA FVERINT LEGATA: DICI POTEST, ETIAM aquam legato inesse, si in ea regione fuerint legata, ubi uenundari aqua solet. G

II. MARTIANVS.

Si quis libertis alimenta reliquerit: & si legati fuerint serui, & rogati legatarij manumittere: ad fideicommissum admittuntur, ut & diui Seuerus & Antoninus rescripserunt. Et licet ad fiscum bona fuerint deuoluta, ex quibus alimenta debeantur: præstanda sunt, sicuti si ad quemlibet successorem transissent.

III. VLPIANVS.

Solent iudices ex caussa alimentorum libertos diuidere, quoties plures sint hæredes: ne à singulis hęredibus minutatim alimenta petentes distringantur. quam diuisionem perinde tueri oportet, atque si paterfamiliâs ipse libertos diuisisset. Solent & unum eligere, per quem alimenta præstentur, aut ex uoluntate defuncti, aut ex arbitrio suo. ut rescripta subiecta ostendunt. Exemplum libelli dati mihi à libertis Fasalij misi uobis, sciens ad exemplum istam rem pertinere: quia multi testamentis suis libertis præstare iubent necessaria, quæ quia minimi æris sunt, ad nihilum perducuntur, cum plures hæredes cœperunt per successionem existere. qua de caussa puto uos rectè facturos: si conuocatis Fasalij hæredibus procuratoribúsue eorum, constitueritis cui à cæteris dari debeat pecunia, ex cuius usuris alimenta præstentur. debebit autem is, qui accipiet, cauere eis, qui dabunt, se redditurum, ut quisque ex libertis decesserit, aliòue quo modo in ciuitate esse desierit, tantum ex sorte, quantũ efficiet pro portione computatio. Diuus Pius Rubrio cuidam Telesphoro rescripsit. Consules, uocatis his, à quibus uobis alimenta deberi ex caussa fideicommissi constiterit: uel omnes ab uno, uel facta pro rata distributione, quid & à quibus percipiatis, decernent. fiscus etiam, si eo nomine quid ab eo uobis debebitur, id exemplum sequetur. Iam nunc sciatis, partis eorum, qui soluendo esse desierint, non pertinere ad onus reliquorum hæredum. H I

IIII. MODESTINVS.

Τοῖς τε ἀπελευθέροις, ταῖς τε ἀπελευθέραις μου, οὓς ζῶσα, ἤν τε τῇ διαθήκῃ, ἤν τε ἐν κωδικίλλοις ἠλευθέρωσα ἢ ἐλευθερώσω, δοθῆναι βούλομαι τὰ ἐν Χίοις χωρία. ἵν' ἐξ ὧν καὶ ὅσα ζῶντος μου ἐλάμβανον, ὡς κεῖσθαι αὐτοῖς κιβαρίου καὶ βεστιαρίου ὀνόματι. Quæro, quam habeat significationem: utrum ut ex prædijs alimenta ipsi capiant: an uero ut præter prædia, & cibaria, & uestiaria ab hęrede percipiant: & utrũ proprietas, an usus fructus relictus sit: & si proprietas relicta sit, aliquid tamẽ superfluum inueniatur in reditibus, quàm est in quantitate cibariorum & uestiariorum: an ad hæredem patronæ pertineat: & si mortui aliqui ex libertis sint, an pars eorum ad fideicommissarios superstites pertineat: & an die cedente fideicommissi, morientium libertorũ portiones ad hæredes eorum, an testatoris decurrant. Modestinus respondit, uidentur mihi ipsa prædia esse libertis relicta, ut pleno dominio hæc habeant, & non per solum usumfructum. & ideo & si quid superfluum tam in reditibus, quàm in cibarijs erit: hoc ad libertos pertinet. Sed etsi decesserit fideicommissarius ante diem fideicommissi cedentem, pars eius ad cæteros fideicommissarios pertinet. post diem autem cedentem si qui mortui sint: ad suos hæredes hæc transmittent. Lucius Titius testamento suo libertis libertabusque suis cibaria & uestiaria à liberis eisdemque hæredibus præstari iussit, nulla conditione addita. Quæro, an si sine patroni liberis ijdem K

liberti

A liberti agant, cibaria & uestiaria accipere possint. Modestinus respõdit. nihil proponi, propter quod petitio eorum, quæ testamento purè legata sunt, non competat.

V. IDEM.

VERBA testamẽti. OMNIBVS LIBERTIS MEIS CIBARIA PRAESTABITIS PRO ARBITRIO VESTRO: NON IGNORANTES, QVOS EX HIS CHAROS HABVERIM. Item alio loco. PROTIMVM, POLYCHRONIVM, HIPPATIVM COMMENDO, ET VT VOBISCVM SINT, ET CIBARIA PRAESTETIS PETO. Quæro, an omnibus cibaria debeant dari: an his tantum, quos commendauit, & cum hæredibus esse iussit. Modestinus re-
B spondit. omnibus libertis cibaria relicta proponi: quorũ modus uiri boni arbitrio statuendus sit.

VI. IABOLENVS.

LEGATIS alimentis, cibaria, & uestitus, & habitatio debebitur: quia sine his ali corpus non potest. cætera, quæ ad disciplinam pertinent, legato non continentur.

VII. PAVLVS.

NISI aliud testatorem sensisse probetur.

VIII. PAPINIANVS.

PECVNIAE sortem alimentis libertorum destinatam, unum ex hæredibus secundum uoluntatem defuncti præcipientem, cauere non esse cogendum, ex persona deficientiũ partes cohæredibus restitui, placuit. ob eam igitur speciem post mortem omnium libertorum, nec indebiti competet actio, nec utilis dabitur. Diuersa caussa est eius, cui legatorum diui-
C sio mandatur. nam ea res præsentem ac momentariam curam iniungit. alimentorum uero præbendorum necessitas oneribus menstruis atq; annuis, uerecũdiam quoq; pulsantibus, adstringitur.

IX. IDEM.

ALIO hærede instituto, ita scripsit. A TE PETO CAI SEI QVIDQVID EX HAEREDITATE MEA REDEGERIS, ILLIS MEIS ALVMNIS DES SINGVLIS DENOS AVREOS, EANDEMQVE SVMMAM PENES TE ESSE VOLO, CVIVS EX INCREMENTO EOS ALERE TE VOLO, RELIQVVM RESTITVES NVMERIO COLLIBERTO NOSTRO. Respondi. quamuis distrahere bona Caius Seius, alio scripto hærede, non possit: tamen cum, alumnis relictam pecuniam ut seruet, ac restituat intra Falcidiam, rectè petiturum: quando de superfluo probari non potest. Eum quoq; libertum inter eos, quibus cibaria, item ue-
D stiaria patrona, quæ uiua præstabat, reliquit: rectè fideicommissum petiturum existimaui, qui annuos uiginti aureos, & menstruum frumentum atq; uinum acceptauit.

X. IDEM.

CVM unus ex hæredibus certam pecuniam præcipere iussus esset, de cuius sorte libertis alimenta præstaret: hæredem quoq; hæredis ad præceptionem admitti placuit. si tamen plures hæredes hæres haberet: intentionem quidem defuncti prima facie refragari, sed aliud probari non oportere. quid enim si cæteros heredes suos euitauit, & quietã ac uerecundam, atq; etiam idoneam, libertis consulens, domum sequi maluit. & ideo ab omnibus hæredibus hæredis alimenta præstabuntur. Verbis fideicommissi purè manumisso præteriti quoq; temporis alimenta reddenda sunt: quamuis tardius libertatẽ recuperauerit, nec hæ-
E res moram libertati fecerit. tunc enim explorari moram oportet, cum de usuris fideicõmissi quæritur, non de ipsis fideicommissis. Alimentis uiri boni arbitratu filiæ relictis, ab hærede suo pro modo legatæ dotis, quam solam pater exhæredatæ filiæ nubẽti dari uoluit, atq; pro incrementis ætatis eam exhibendam esse respondi, non pro uiribus hæreditatis.

XI. PAVLVS.

IS, cui alimenta relicta fuerant, in metallũ damnatus, indulgentia principis restitutus est. respondi. cum & præcedentium annorum rectè cepisse alimenta, & sequentium deberi ei.

XII. IDEM.

LVCIVS Titius libertis suis cibaria & uestiaria annua certorum numorum reliquit, & posteriore parte testamenti ita cauit. EIS OBLIGATOS OB CAVSSAM FIDEICOMMISSI FVNDOS MEOS ILLVM ET ILLVM, VT EX REDITV EORVM ALIMENTA

SVPRASCRI-

SVPRASCRIPTA PERCIPIANT. quæsitum est, an si quanto minores reditus peruenerint, F quàm est quantitas cibariorum & uestiariorum, hæredes ad supplendum eam onerati non debeant: uel si alio anno excessetint, an supplendum sit, quod superiori anno minus perceperint? Paulus respondit, cibaria & uestiaria libertis defuncti integra deberi: neque ex eo, quod postea prædia his pignoris iure testator obligare uoluit, ut ex reditu eorum alimenta perciperent: minuisse eum, uel auxisse ea, quæ reliquerat, uideri.

XIII. SCAEVOLA.

CAIO Seio trecentos aureos legauit, ut ex usuris eius summæ libertis cibaria & uestiaria præstaret, quæ statuerat. codicillis autem eandem summã uetuit dari Caio Seio, sed dari Publio Mæuio uoluit. quæro, an libertis fideicõmissum debeat Mæuius? respondi. Mæ- G uium (nisi aliud, de quo non deliberaretur, doceat sibi à testatore iniunctum) uideri secundum uoluntatem testatoris recepisse ea onera, quæ adscripta erãt ei summæ, quæ in eum codicillis transferebatur. Imperator Antoninus Pius libertis Sextæ Basiliæ. Quamuis uerba testamenti ita se habeant, ut quoad cum Claudio Iusto morati essetis, uobis alimenta & uestiaria legata sint: tamen hanc fuisse defuncti cogitationem interpretor, ut post mortem Iusti eadem uobis præstari uoluerit. Respondi, eiusmodi scripturam ita accipi, ut & necessitas alimentis præstandis perpetuò maneat. Item consultus de tali scriptura, ET TECVM SINT SEMPER VOLO. quæro, cum manumissi ab hærede, cum quo morati diu sint, sed ob grauiorem seruitutem ab eo discesserint: an alimenta his debeantur, quæ negauit se præstare, nisi uice seruitutis his uteretur? respondi, secundum ea, quæ proponerentur, deberi. H

XIIII. MODESTINVS.

MELA ait, si puero uel puellæ alimenta relinquantur, usque ad pubertatẽ deberi. sed hoc uerum non est. tam diu enim debebuntur, donec testator uoluit: aut si non pareat, quid senserit, per totum tempus uitæ suæ debebuntur. certè si usque ad pubertatẽ alimenta relinquantur: si quis exemplum alimentorum, quæ dudum pueris & puellis dabãtur, uelit sequi: sciat Hadrianum constituisse, ut pueri usque ad decimum & octauum, puellæ usque ad decimum quartum annum alantur. & hanc formam ab Hadriano datam obseruandam esse, Imperator noster rescripsit. sed & si generaliter pubertas non sic definiatur: tamen pietatis intuitu in sola specie alimentorum hoc tempus ætatis esse obseruandum, non est inciuile. Sed si alimenta, quæ uiuus præstabat, reliquerit: ea demum præstabuntur, quæ mortis tempore I præstare solitus erat. quare & si fortè uariè præstiterit: eius tamen temporis præstatio spectabitur, quod proximum eius morti fuit. quid ergo, si cum testaretur, minus præstabat, plus mortis tempore, uel contrà? ad hoc erit dicendum, eam præstationem sequendam, quæ nouissima fuit. Quidam libertis suis, ut alimenta, ita aquam quoque per fideicommissum reliquerat. consulebar de fideicommisso: cum in regione Africæ, uel fortè Aegypti ea res agi proponeretur, ubi aqua uenalis est. dicebam igitur esse emolumentum fideicommissi: siue quis habens cisternas id reliquerit, siue non: ut sit in fideicommisso quantam quis sibi esset aquam comparaturus: nec uideri inutile esse fideicommissum, quasi seruitute prædij non possessori uicinæ possessionis relicta. nam & si haustus aquæ, ut pecoris ad aquam adpulsus, est seruitus personæ: tamẽ ei, qui uicinus nõ est, inutiliter relinquitur. in eadem caussa erunt K gestandi, uel in tuo uuas premendi, uel areæ tuæ ad frumenta cæteraque legumina exprimenda utendi. hæc enim aqua personæ relinquitur.

XV. SCAEVOLA.

A' FILIO hærede codicillis Seiæ decem reliquit, & alumno his uerbis. MAEVIO INFANTI ALVMNO MEO QVADRINGENTA DARI VOLO, QVAE PETO A' TE SEIA SVSCIPIAS, ET VSVRAS EIVS QVINCVNCES IN ANNVM VSQVE AD VICESIMVM AETATIS PRAESTES, EVMQVE SVSCIPIAS, ET TVEARIS. quæsitum est, an Seia, postquam legatum suum accepit, si noluerit pecuniam alumno relictam suscipere, uel in suscipienda ea cessauerit: onera alimentorum ex die mortis testatoris compellãda sit agnoscere? respondi, secundum ea, quæ proponerentur, compellandam præstare, cui fideicommissum sit.

A sum sit. Idem quæsijt, an hæres quoque Seiæ in annos uiginti alimenta præstare debeat? respondi debere. Testator concubinæ mancipia rustica numero octo legauit, & his cibaria præstari iussit in hæc uerba. EIS QVE MANCIPIIS, QVAE SVPRA LEGAVI, CIBARII NOMINE AB HAEREDIBVS MEIS PRAESTARI VOLO, QVAE ME VIVO ACCIPIEBANT. quæsitũ est, cum uiuo testatore semper mãcipia rustica tẽpore messium & arearũ delegata fuerint, & eo tempore cibaria ex ratione domini sui nunquam acceperint, excepto custode prædij: an hæres quoque eius temporis, id est messis & arearum, cibaria concubinæ pro mancipijs rusticis præstare debeat? respondi. eum, cuius notio est, æstimaturum. CLAVDIVS. meritò. nam si eodem modo, quo apud testatorem fuerunt, & apud concubinam futura legauit: non debebũtur eius temporis, de quo quæsitum est, cibaria. uerum si uelut in ministerium urbanum ab his transferentur: debebuntur. Titia decedens testamẽto ita cauit. OMNIBVS LIBERTIS LIBERTABVS QVE MEIS CIBARIA ET VESTIARIA, QVAE VIVA PRAESTABAM, DARI PRAESTARI QVE VOLO. quæsitũ est, cum tribus solis eo tempore, quo ea uixit (sicut rationibus cõtinebatur) cibaria & uestiaria præstiterit: an hæres eius à cæteris quoque libertis cõueniri possit: an uero tantum tribus sit obnoxius, qui rationibus ipsius cibaria & uestiaria accepisse reperiuntur? respondit. ab omnibus.

XVI. IDEM.

ALIMENTA & uestiaria libertis suis dedit. quæsitũ est, an quia nominatim à Moderato uno ex hæredibus iussit testator: solus Moderatus debeat, non etiam post mortem Moderati hæredes eius? respondit etiã hæredes teneri. Libertis libertabusque, itẽ quos quasque C testamento codicillis ue manumiserat, alimenta Cõmoda, quæ uiua præstabat dari iusserat. item omnibus libertis libertabusque fundos. quæsitũ est, an ad ea legata admitteretur liberti paterni libertus, cui scribere solebat ita ἀπὸ ἐγὼ φίνης ἡμετέρῳ ἀπελευθέρῳ: epistola etiã emissa ad ordinẽ ciuitatis, unde oriunda erat, petierat, uti publicè, quod medicus esset, salaria ei præstarentur: manifestando literis suis, eum suũ esse libertũ? respondit. eum, cuius notio est, æstimaturũ: ut si quidẽ uiua ea ei præstabat: nihilominus ad fideicõmissum admitteretur: aliter uero, non. Basilicæ libertæ decẽ dedit, quã apud Epictetũ & Callistũ libertos esse uoluit: ut cum fuerit Basilica annorũ uigintiquinque, cum usuris quincuncibus restituerentur: ita, ut ex usuris aleretur, prout ætatem ampliaret. quæsitũ est, an ex alio capite, quo general. tec D libertis libertabusque cibaria & uestiaria & habitationẽ reliquit, etiã Basilicæ deberentur? respondit. secundũ ea, quæ proponerẽtur, nõ deberi: nisi hoc quoque ei datũ probaretur. CLAVDIVS. quia destinauerat alimentis eius usuras pecuniæ, quas specialiter ei prælegauerat.

Qui societatẽ omnium bonorũ suorũ cum uxore sua per annos amplius quadraginta habuit, testamento eandem uxorẽ & nepotẽ ex filio æquis partibus hæredes reliquit, & ita cauit. ITEM LIBERTIS MEIS, QVOS VIVVS MANVMISI, EA QVAE PRAESTABAM, DARI VOLO. quæsitũ est, an & qui eo tempore, quo societas inter eos permansit, manumissi ab utrisque, & cõmunes liberti facti sunt: ea, quæ à uiuente percipiebant, solita ex fideicõmisso petere possint? respondit. non amplius, quàm quod uir pro sua parte præstabat, deberi.

XVII. IDEM.

E SERVOS ad custodiã templi reliquerat, & his ab hærede legauerat his uerbis. PETO FIDEI QVE TVAE COMMITTO, VT DES, PRAESTES IN MEMORIAM MEAM PEDISSEQVIS MEIS, QVOS AD CVRAM TEMPLI RELIQVI, SINGVLIS MENSTRVA CIBARIA, ET ANNVA VESTIARIA CERTA. quæsitũ est, cum templũ nondum esset exstructũ: ex die mortis, an uero ex eo tempore, quo templũ explicitum fuerit, percipere serui legatũ debeãt? respondit. officio iudicis hæredem compellendum, seruis relicta præstare, donec templum exstrueretur. XVIII. IDEM.

LIBERTIS, quos testamento manumiserat, alimentorũ nomine menstruos decem legauerat. deinde codicillis generaliter omnibus libertis menstruos septem, & annuos uestiarij nomine denos legauit. quæsitum est, ex testamẽto, an ex codicillis libertis fideicommissum hæredes præstare debeant? respondit. nihil proponi, cur non ea, quæ codicillis data propo

nerentur, præstari deberent. nam & ab his, quæ testamento cibariorum nomine legata F
essent, recessum esse propter ea, quæ codicillis relicta sunt. Manumissis testamento cibaria annua, si cum matre morabuntur, per fideicõmissum dedit. mater filio triẽnio superuixit: neque cibaria, neque uestiaria eis præstitit, cum in petitione fideicõmissi liberti cessarent. Sed & filia, postea quàm matri hæres exstitit, quoad uixit, annis quatuordecim de hisdem soluendis interpellata non est. quæsitũ est, an post mortem filiæ à nouissimo hærede petere possint, & tam præteriti temporis, quàm futuri, id quod cibariorum nomine & uestiarij relictum est. respondit. si conditio exstitisset: nihil proponi, cur non possent. Ab hæredibus Stichum manumitti uoluit, eique si cum Seio moraretur, cibaria & uestiaria præstari à Seio. deinde hæc uerba adiecit. A TE AVTEM SEI PETO, VT CVM AD ANNVM VICESIMVMQVINTVM PERVENERIS, MILITIAM EI COMPARES: SI TAMEN TE ANTE NON RELIQVERIT. quæsitum est, Sticho statim libertatem consecuto, prius autem defuncto Seio, quàm ad annũ uicesimumquintũ perueniret: an ab his, ad quos bona Sei peruenerunt, militia Sticho comparari debeat: & si placet deberi: utrũ statim militia comparanda sit, an eo tẽpore, quo Seius annos uigintiquinque expleturus fuisset, si superuixisset: respõdit. cum placeat comparandam: non antè deberi, quàm id tempus cessisset. Posthumis hæredibus institutis, & patre, & matre: substitutione facta, actores manumisit, & peculia eis legauit, & annua, & certis libertis suis legata, & alijs exteris plura. deinde post testamentũ factũ nata filia, codicillis ita cauit. SI QVID IN TESTAMENTO, QVOD ANTE HOC TEMPVS FECI, LEGAVI, CVI DARE VOLVI: PETO AB HIS, VTI TERTIAM PARTEM PECVNIAE FILIAE MEAE REDDANT. secundis autẽ tabulis facta pupillari substitutione, impuberibus libertis, quibus à parentibus libertates dedit, eo amplius alterũ tantum, quantũ singulis in numo, præter cibaria & uestiaria, dari uolnit. quæsitũ est. cum superuixisset filia testamento aperto & codicillis, postea autẽ decessisset, & fideicõmissum datũ eidem de restituenda tertia parte ad hæredes suos transmisisset: an etiam cibariorũ & uestiariorum tertiæ partes ei per fideicõmissum datæ esse uideantur: respondi. non uideri. Idem quæsijt, an eorum, quæ codicillis per fideicõmissum relicta sunt, tertia pars ad filiam pertinere debeat: respondi non deberi. Idem quæsijt, an alterũ tantum à substituto legatũ, deducta tertia parte quantitatis legatorũ testamento datorũ, cõputari debeat: ut duæ partes quãtitatis debeat propter codicillos, quibus tertiã partẽ legatorũ ad filiam suã pertinere uoluit: respondi. integrũ ex tabulis substitutionis deberi. Cibaria & uestiaria per fideicõmissum dederat, & ita adiecerat. QVOS LIBERTOS MEOS, VBI CORPVS MEVM POSITVM FVERIT, IBI EOS MORARI IVBEO, VT PER ABSENTIAM FILIARVM MEARVM AD SARCOPHAGVM MEVM MEMORIAM MEAM QVOTANNIS CELEBRENT. quæsitũ est uni ex libertis, qui à die mortis neque ad hæredes accesserit, neque ad sepulchrũ morari uoluerit, an alimenta præstanda sint: respondi, non præstanda.

G

H

I

XIX. IDEM.

TESTAMENTO ita cautum fuit. LIBERTIS MEIS CIBARIA, QVAE'QVE ALIA PRAESTABAM, AB HAEREDIBVS MEIS PRAESTARI VOLO. unus ex libertis ex uoluntate patroni negotij sui gratia quadriennio ante diẽ mortis absuit. ex hac caussa cibaria, quæ antè acceperat, mortis tempore non accepit. cui tamen liberto eodem testamẽto patronus, sicut K
& alijs, quos uiuus manumiserat, legatum quinque dederat. quæsitum est, an isti quoque cibaria & reliqua, quæ cæteris libertis legata sunt, debeantur: respondi. cur non?

XX. IDEM.

STICHVS NVTRICIS MEAE NEPOS LIBER ESTO. CVI DECEM AVREOS ANNVOS DARI VOLO. qui deinde interpositis nominibus eidem Sticho contubernalem eius & libertos legauit. his quæ uiuus præstabat: deinde alio capite libertis omnibus quæ uiuus præstabat, dari iussit. quæro, an Stichus, præter suũ legatũ, & alimenta percipere possit: respondi secundũ ea quæ proponerentur, non posse. Item cum alimenta libertis utriusque sexus reliquerit à republica, & ex prædijs, quæ ei legauit, dari uoluerit: quæro, Sticho cõtubernali & libertis, utrũ ab hærede instituto, an à republica diaria & uestiaria, quæ uiuus dabat, præstari debeant

debeant? respondi. posse benigna uoluntatis interpretatione dici, his quoque à republica præ
A standa. Titia usumfructum fundi legauit Mæuio, eiusque fidei cómisit, ut ex reditu fundi legari præstaret Pamphilę & Sticho annuos cétenos numos, quoad uiueret. quæro, an mortuo Mæuio hæres alimenta debeat? respondi. nihil proponi, cur debeant præstari ab hære de Titiæ, sed nec ab hærede legatarij: nisi id testatrix manifestè probetur uoluisse etiam finito usufructu præstari: si modò id, quod ex usufructu receptum esset, ei rei præstandæ sufficeret. Mater filio hęrede instituto, per fideicommissum libertatem Pamphilo seruo suo dedit. eidem cibariorum nomine legauit quinos aureos, & uestiam in singulos annos quinquagenos, si cum filio eius moraretur. quæro. filio eius defuncto, an alimenta deberentur? respondi. si conditioni paruisset: deberi etiam post mortem.

B

XXI. VLPIANVS.

DIARIIS relictis, neque habitationé, neque uestiarium, neque calcearium deberi, palàm est: quoniam de cibo tantum testator sensit.

XXII. ABVRNIVS VALENS.

CVM alimenta per fideicommissum relicta sunt, non adiecta quantitate: ante omnia inspiciendum est, quæ defunctus solitus fuerat ei præstare. deinde quid cæteris eiusdem ordinis reliquerit. si neutrum apparuerit: tunc ex facultatibus defuncti, & charitate eius, cui fideicommissum datum erit, modus statui debebit. Qui fratris sui libertis alimenta debebat, is testamento uineas cum hac adiectione reliquerat. VT HABEANT, VNDE SE PASCANT. si pro alimentis uineas reliquisset: non aliter eis ex fideicommissi caussa eas præ-
C stari debere, quàm si testamenti obligatione hęredes liberassent: aut si id omissum fuisset, & postea ex testamento agerent, doli mali exceptione tutum hæredem futurum: scilicet si non minus ualent uineæ, quàm alimentorum æstimatio. illam autem adiectionem, VT HABEANT, VNDE SE PASCANT, magis ad caussam prælegandi, quàm ad usumfructum constituendum pertinere.

XXIII. LABEO lib. πιθανῶν.

ROGATVS es, ut quendam educes. ad uictum necessaria ei præstare cogendus es. PAVLVS. cur plenius est ergo alimentorum legatum, ubi dictum est, & uestiarium & habitationem contineri? imò ambo exæquanda sunt.

D

DE AVRO, ARGENTO, MVNDO, ORNAMENTIS, UNGUENTIS, UESTE, UEL UESTIMENTIS, & STATUIS LEGATIS. TIT. II.

I. POMPONIVS.



SI ALII uestimenta, alij uestis muliebris separatim legata sit: detractis muliebribus, & ei adsignatis, cui specialiter legata sunt: reliquum alteri debetur. idem & cum alteri mundus muliebris, alteri argentum omne legatum est, de argento, quod in mundo esset. idem, si duæ statuæ marmoreæ tibi, & deinde omne marmor legatum esset: præter duas, nulla statua marmorea legata est tibi. idem de urbanis seruis tibi legatis, si mihi dispensator legatus sit. Cui certum pondus argenti dare hæres iussus est: ei pecuniam numeratam dando ipso iure liberatur: si in ea pecunia eadem ęstimatio
E fuerit. quod ita uerum est, si non certum genus argenti legatum sit.

II. AFRICANVS.

QVI tibi mandauerat, ut ornamenta in usum uxoris suæ emeres, eidem uxori (ut adsolet) legauit, quæ eius caussa parata erant. tu deinde post mortem mandatoris, ignorās eum decessisse, emisti. non debebuntur mulieri: quoniam ea uerba ad mortis tempus referuntur. at si uiuente testatore, muliere autem mortua emeris: non ineleganter dicetur, inefficax hoc legatum esse: quando non possit uerè dici, eius caussa paratum uideri, quæ prius decessit. eadem dicenda erunt, & si uiuat quidem mulier, sed diuerterit, & quæratur, an post empta ei debeantur, quasi non uideantur uxoris caussa parata.

III. CELSVS.

VXORI legauit,quæ eius caussa parata sunt, & ante mortem diuertit. non deberi:quia F
adempta uideantur,Proculus ait.nimirum facti quęstio est.nam potest nec repudiante adi
mere uoluisse. IIII. PAVLVS.

CVM quidam libertum suum in Asiam misisset ad purpuras emendas, & testamento
uxori suæ lanam purpuream legasset: pertinere ad eam,si quam purpuram uiuo eo liber/
tus emisset,Seruius respondit.

V. AFRICANVS.

APVD Pamphilium libro secundo Quæstionum ita scriptum est. si mulier mandauerit
tibi,ut sibi uniones usus sui caussa emeres:si tu post mortem eius,cum putares eam uiuere,
emeris: Atilicinus negat esse legatos ei,cui mulier ita legauerat.ORNAMENTA,QVAE MEI G
CAVSSA PARATA SVNT,ERVNT VE.non enim eius caussa uideri parata esse, quæ iam
mortua ea empta fuerint. VI. MARCELLVS.

SEIA ab hærede Publio Mæuio ita legauit. ANTONIAE TERTYLLAE DO LEGO AV
RI PONDO TOT,ET VNIONEM CVM HYACINTHIS.postea unionem soluit, necp ullum
mortis tempore inter ornamenta sua unionem reliquit.quæro,an hæres ex caussa fideicom
missi æstimationem rei,quæ in hæreditate non est,præstare debeat? Marcellus respondit,
non debere.Item quæro.si probari possit,Seiam uniones & hyacinthos quosdam in aliam
speciem ornamenti,quod postea pretiosius fecit additis alijs gemmis & margaritis, conuer
tisse:an hos uniones,uel hyacinthos petere possit,& hæres compellatur ornamenta poste/
riori eximere,& præstare? Marcellus respondit,petere non posse.necp enim fieri posse,ut le H
gatum uel fideicōmissum durare existimetur,cum id,quod testamento dabatur, in sua spe/
cie nō permanserit,& quodāmodo exstinctū sit:ut interim omittat, quod etiam dissolutio/
ne ac permutatione tali uoluntas quocp uideatur mutata.

VII. IDEM.

LVCIVS Titius testamento ita scripsit. HAEREDEM MEVM VOLO, FIDEIQVE EIVS
COMMITTO, VT IN PATRIAM MEAM FACIAT PORTICVM PVBLICAM, IN QVA PO
NI VOLO IMAGINES ARGENTEAS, ITEM MARMOREAS. quæro,an legatum ualeat?
Marcellus respondit,ualere:& operis,cæterorumcp,quę ibi testator poni uoluerit, legatum
ad patriam pertinere.intelligi enim aliquod inde ciuitati accedere ornamentum.

VIII. PAVLVS. I

SI ITA legatum esset, VESTEM MEAM,ARGENTVM MEVM DAMNAS ESTO DARE:
id legatum uidetur,quod testamenti tempore fuisset: quia præsens tempus semper intelligi
tur,si aliud comprehensum nō sit.nam cum dicit, VESTEM MEAM, ARGENTVM MEVM:
hac demonstratione MEVM præsens,non futurum tempus ostendit. idem est, & si quis ita
legauerit,SERVOS MEOS. IX. IDEM *lib. V. ad Plautium.*

PLAVTIVS.mulier ita legauit. QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, TITIAE VESTEM,
MVNDVM,ORNAMENTA QVE MVLIEBRIA DAMNAS ESTO DARE. Cassius ait.si nō
appareat,quid sensisset:omnem uestem secūdum uerba testamenti legatā uideri. PAVLVS.
idem Iabolenus scribit:quia uerisimile est(inquit)testatricem tantum ornamentorum uni/
uersitati derogasse,quibus significationem muliebrium accommodasset.accidere eo, quod K
illa demonstratio MVLIEBRIA necp uesti,necp mundo adplicari,salua ratione recti sermo
nis,possit. X. MODESTINVS.

CVM certum auri uel argenti pondus legatum est,si non species designata sit:non mate/
ria,sed ptetium præsentis temporis præstari debet.

XI. POMPONIVS.

QVINTVS Mutius ait.si paterfamiliâs uxori uas,aut uestimentum,aut quippiam aliud
ita legauit, QVOD EIVS CAVSSA EMPTVM PARATVMVE EST:id uidetur legasse,quod
magis illius,quàm communis usus caussa paratum esset. POMPONIVS. sed hoc uerum est,
non solum si ipsius uiri & uxoris,sed etiam si liberorū eius,aut alterius alicuius communis
usus fuerit.id enim uidetur demonstrasse,quod proprio usui uxoris paratum sit. sed quod
Quintus

A Quintus Mutius demonstrat, uas, aut uestimentum, aut quid aliud: efficit, ut falsa sint, quæ subiecimus. multum enim interest, generaliter an specialiter hæc legentur. nam si generaliter, ueluti QVAE VXORIS CAVSSA COMPARATA SVNT: uera est illius definitio. si uero ita scriptum fuerit, VESTEM MEAM ILLAM PVRPVREAM, ut certam demonstraret. licet adiectum sit, QVAE EIVS CAVSSA EMPTA PARATA VE EST, & neque empta, neque parata, neque in usum ei data sit: legatum omnimodo ualet: quia certo corpore legato, demonstratio falsa posita non perimit legatum. ueluti si ita scriptum sit, STICHVM, QVEM EX VENDITIONE TITII EMI. nam & si neque emit, aut ex alia uenditione emit: legatum nihilominus ualet. Planè si ita legatũ fuerit, VASA, aut VESTIMENTA, aut QVAE VXORIS CAVSSA PARATA SVNT: tunc æquè erit uera Quinti Mutij sententia. quo casu sciendum est, B etiam si alienæ res hæ fuerint, quas putauit testator suas esse: hæredem teneri, ut eas det.

XII. PROCVLVS.

SI QVIS legauerit aurum, gemmas, margaritas, quæ in eo auro essent: etiam id aurum, cui neque gemmæ, neque margaritæ inessent, legasse uidetur.

XIII. PAPINIANVS.

SI IMAGINEM legatam hæres derasit, & tabulam soluit: potest dici, actionẽ ex testamento durare: quia imaginis legatum, non tabulæ fuit.

XIIII. SCAEVOLA.

VXORI quis legauit his uerbis, MVNDVM MVLIEBREM OMNEM, ORNAMENTA, ET C QVIDQVID VIVVS DEDI, DONAVI, EIVS CAVSSA COMPARAVI, CONFECI: ID OMNE DARI VOLO. quæsitum est an carrucha dormitoria cum mulis, cum semper uxor usa sit, ei debeatur? respondit. si eius usus caussa habita esset: deberi. Idem quæsijt, an ex eadem clausula uestis, quam ancillis, uel lecticarijs eiusdem uxoris suæ comparauerat, uel fecerat, præstanda esset? respondit, præstandam.

XV. POMPONIVS.

SI STATUAM legauero, & postea ex alia statua brachium ei adiecero: omnimodo statua à legatario uindicari potest.

XVI. SCAEVOLA.

SPECIES auri & argenti Seiæ legauit, & ab ea petijt in hæc uerba. A TE SEIA PETO, D VT QVIDQVID TIBI SPECIALITER IN AVRO ET ARGENTO LEGAVI, ID, CVM MORIERIS, REDDAS, RESTITVAS ILLI ET ILLI VERNIS MEIS: QVARVM RERVM VSVSFRVCTVS, DVM VIVES, TIBI SVFFICIET. quæsitum est, an ususfructus argenti & auri solus legatariæ debeatur? respondit. uerbis, quæ proponerentur, proprietatẽ legatã, addito onere fideicommissi.

XVII. IDEM.

FILIAM in potestate patris manentem mater scripsit hæredem, eique patrem Mæuium substituit, & ita scripsit. QVISQVIS MIHI HAERES ERIT, FIDEI EIVS COMMITTO, VTI ORNAMENTA MEA OMNIA, AVRVM, ARGENTVM, ET VESTIMENTA, QVIBVS EGO VSA SVM, NE VENEANT, ET FILIAE MEAE RESERVENTVR. quæsitum est. cum filia re- E cusante, pater ex substitutione hęres extitisset, & intestatò decessisset, filia autem bonis eius abstineret: an fideicommissum petere possit? respondi secundum ea, quæ proponerentur, uideri utiliter patris fideicommissum. CLAVDIVS. quoniam uerbo seruandi, quod scriptũ est, uideri in id tempus dilatum fideicommissum, quo sui iuris futura esset ea, cui dabatur.

XVIII. VLPIANVS.

SI GEMMA ex annulo legetur, uel aliæ materiæ iunctæ, uel emblemata: rectè legantur, & separantur, & præstanda sunt.

XIX. SCAEVOLA.

QVI uxori suæ legauerat bonorum suorum decimam, & mancipia, & species argenti, quas expresserat: eidem annulos, & uestem reddi ab hæredibus petit, quasi propria uxoris fuissent. quæsitum est, si uxoris non fuerint: an pręstari ex caussa legati deberent? respondit.

legandi animo dedisse ea uideri: nisi contrarium ab hærede probetur. Idem testator fi- F
deicommisit uxori, ut quidquid ad eam ex testamento eius peruenisset, alumno communi
restitueret. quæsitum est, an etiam ea, quæ propria uxoris suæ fuisse testator sciuit, eiq; red-
di præcepit, alumno præstare debeat? respondi, si propria fuissent, non debere: si legato ad-
quirerentur, debere. Mulier testamẽto, & postea codicillis multas species uestis, argenti,
quas uel ipsa se confecisse, uel habere significauit, specialiter per fideicommissum reliquit.
quæsitum est, an non aliæ legatarijs cẽderent, quàm quæ in hæreditate essent inuentæ? re-
spondi. eas cẽdere, quæ inuentæ essent. XX. VLPIANVS.

CVM aurum & argentum legatum est, quidquid auri argentiq; relictum est, legato con
tinetur: siue factum, siue infectum sit. pecuniam autem signatam placet eo legato non conti G
neri. proinde si certũ pondus auri sit legatũ, uel argenti: magis quantitas legata uidetur, nec
ex uasis tanget. sed si argenti facti pondo centũ sint legata: ex facto argento debebitur lega-
tum. unde est quæsitũ apud Celsum, an & uascula possit separare? & scripsit, uascula nõ sepa
raturũ, licet ei optio fuerit relicta. idem Celsus libro decimooctauo Quęstionũ quęrit. si cen
tum pondo argenti fuerint relicta, an replumbari debeant, ut sic adpendantur? & Proculus
& Celsus aiunt, exempto plumbo adpẽdi debere. nam & emptoribus replumbatę adsignã-
tur, & in rationes argenti pondus sic defertur. quæ sententia habet rationem. Planè si cui
uascula argentea, utpută lances quadratæ sint legatæ: plumbum, quo continentur, eum se-
quetur. Simili modo quæritur, si cui argentum legetur, an emblemata aurea, quę in eo sunt,
cum sequãtur? & Pomponius libro quinto ex Sabino distinguit: multũ interesse, certũ pon H
dus ei argenti facti legetur, an uero argentũ factum. si pondus: non contineri. si argentũ fa-
ctum: contineri, quoniam argento cẽdit, quod ad speciem argenti iunctũ est, quemadmodũ
claui aurei & purpuræ pars sunt uestimentorum. Idem Pomponius libris epistolarum. &
si non sunt claui uestimẽtis consuti: tamen ueste legata contineri. item Celsus libro decimo-
octauo Digestorũ, Cõmentariorum septimo scribit. auro legato, ea, quę inaurata sunt, non
deberi. sed nec aurea emblemata, quæ in apsidibus argenteis essent. an autẽ auri appellatio-
ne annuli aurei contineantur, quæritur. & Quintus Saturninus libro decimo ad edictũ scri-
bit cõtineri. lectũ planè argenteũ, uel si qua alia supellex argẽtea sit, argenti appellatione nõ
continetur, si numero argenti habita non est: ut in iunctura argẽtea scio me dixisse quod nõ
in argentario paterfamiliaris ponebat. sed nec candelabra, nec lucernæ argenteæ, uel sigilla, I
quæ in domo reposita sunt, uel imagines argenteę argenti appellatione continebuntur: nec
speculum parieti adfixũ, uel etiam quod mulier mundi caussa habuit: si modò non in argen
ti numero habita sunt. Argento facto legato, Quintus Mutius ait, uasa argentea cõtineri.
ueluti parapsidas, acetabula, trullas, pelues, & his similia: non tamen quæ supellectilis sunt.
Sed si uasa sint legata: non solum ea continentur, quæ aliquid in se recipiant edendi biben-
diq; caussa paratũ, sed etiã, quæ aliquid sustineant. & ideo scutellas, uel promulsidaria conti
neri. Repositoria quoq; continebuntur. nam uasorũ appellatio generalis est. dicimus enim
uasa & uinaria & naualia. Infecti autẽ argenti appellatio rudem materiã continet, id est,
nõ factã. quid ergo, si cœptũ sit argentũ fabricari, nondũ tamẽ perfectũ: utrum facti, an infe-
cti appellatione contineatur, dubitari potest. sed puto magis facti. certè si iam erat factum, K
sed cælabatur: facti appellatione continebitur. an & cælati continebitur. quod cęlari cœpit?
& puto contineri: si cui fortè cælatum sit argentum legatum. Si cui escariũ argentũ legatũ
sit: solum debebitur, quod ad epulandũ in ministerio habuit, id est, ad esum & potũ. unde &
de aquiminario dubitatũ est & puto contineri. nam & hoc propter escam paratur. certè si ca
cabos argẽteos habebat, uel miliariũ argẽteum, uel sartaginem, uel aliud uas ad coquendũ:
dubitari poterit, an escario contineatur. & hæc magis coquinarij instrumenti sunt. Perue-
niamus & ad gemmas inclusas argẽto auroq;. & ait Sabinus, auro argẽtoue cẽdere. ei enim
cẽdit, cuius maior est species. quod rectè expressum est. semper enim, cũ quærimus, quid cui
cedat, illud spectamus, quid cuius rei ornandæ caussa adhibeatur: ut accessio cẽdat principa
li. cẽdãt igitur gemmæ phialis, uel lancibus, inclusæ auro argẽtoue. sed & in coronis mensa-
rum

rum gemmæ cotonis cēdent, ut hæ menſis. & in margaritis quoq; & auro idem eſt. nam ſi
A margaritæ auro ornandi gratia adhibitæ ſunt:auro cedunt.ſi contrà:aurũ margaritis cēdet. idem & in gemmis annulis incluſis. Gemmæ autem ſunt pellucidæ materiæ,quas (ut refert Sabinus libris ad Vitelliũ)Seruius lapillis eo diſtinguebat,quod gemmæ eſſent pellucidæ materiæ,uelut ſmaragdi,chryſolithi,& amethyſti.lapilli autem contrariæ ſuperioribus naturæ.ut obſidiani,ueientani.margaritas autem nec gemmis,nec lapillis contineri, ſatis conſtitiſſe,ibidem Sabinus ait:quia concha apud rubrum mare & creſcit & coaleſcit.murrhina autem uaſa in gemmis non eſſe, Caſſius ſcribit. Auro legato,uaſa aurea continentur:& gemmis,gemmea.ſecundum hoc ſiue gemmæ in aureis ſint uaſis,ſiue in argenteis: auro argento'ue cēdent:quoniam hoc ſpectamus,quæ res cuius rei ornandæ cauſſa fuerit adhibita,nō
B quæ ſit pretioſior.

XXI. PAVLVS.

Si ut habiliter gemmæ geri poſſint,incluſæ auro fuerint: tunc aurũ gemmis cēdere dicimus.

XXII. POMPONIVS.

In argento potorio utrum id duntaxat ſit,in quo bibi poſſit:an etiam id, quod ad præparationem bibendi comparatũ eſt,ueluti colum niuarium,& urceoli: dubitari poteſt. ſed propius eſt, ut hæc quoq; inſint. Vnguentis legatis, non tantum ea legata uidentur, quibus ungimur uoluptatis cauſſa,ſed & ualetudinis:qualia ſunt,commagena,glcucina,crinina,rhodina,ē myrrha quoq;,tum nardinum purum.hoc quidem etiam,quo elegātiores ſint & mundiores,unguntur fœminæ. Sed de aquiminario Caſſius ait, conſultum ſe reſpondiſſe:cum alteri argentum potorium,alteri eſcarium legatum eſſet: eſcario cēdere.

C XXIII. VLPIANVS.

Veſtimenti id eſt, quod detextũ eſt,& ſi deſertũ nō eſt.quod in tela eſt nondũ detextũ, contextum appellatur.ſi quis igitur ueſtem legauerit:neq; ſtamen, neq; ſubtegmen legato continebitur.

XXIIII. IDEM.

Veſtis,an ueſtimenta lēgentur nihil refert. Veſtimentorũ ſunt omnia lanea,lineaq; uel ſerica,uel bombycina,quę induendi,præcingendi,amiciendi,inſternendi, inijciendi,incubandiúe cauſſa parata ſunt,& quæ his acceſſionis uice cedunt:quæ ſunt inſitæ picturę,clauiq;,qui ueſtibus inſuuntur. Veſtimenta omnia aut uirilia ſunt, aut puerilia, aut muliebria,aut cōmunia,aut familiaria. Virilia ſunt,quæ ipſius patrisfamiliās cauſſa parata ſunt: ueluti togæ,tunicæ,palliola,ueſtimenta ſtragula,amphitapa,ſaga,reliquaq; ſimilia. Pueri-
D lia ſunt,quæ ad nullum alium uſum pertinent,niſi ad puerilem:ueluti togæ prætextæ, alicubi & chlamydes,& alia,quæ filijs noſtris comparamus. Muliebria ſunt,quæ matrisfamiliās cauſſa cōparata ſunt,quibus uir non facile uti poteſt ſine uituperatione:ueluti ſtolę, pallia,tunicæ,capitia,zonæ,mitræ,(quæ magis capitis tegendi,quàm ornandi cauſſa ſunt comparata)plagulæ,penulæ. Communia ſunt,quibus promiſcuè utitur mulier cum uiro: ueluti ſi eiuſmodi penula palliúmue eſt,& reliqua quibus ſine reprehenſione uel uir uel uxor utatur. Familiaria ſunt,quæ ad familiam ueſtiendam parata ſunt:ſicuti ſaga,tunicæ,penulæ,lintea,ueſtimenta ſtragula,& conſimilia. Veſtis etiam ex pellibus conſtabit.

XXV. PAVLVS.

Cum & tunicam,& ſtragula pellicia nonnulli habeant.

E XXVI. VLPIANVS.

Argumento ſunt etiam nationes quędam(ueluti Sarmatarum)quę pellibus teguntur. Ariſto etiā coactilia ueſti cēdere ait:ſed & tegumenta ſubſelliorum huic legato cēdere uicē margaritarum.Item fibulæ ornamentorum magis,quàm ueſtis ſunt. Tapeta ueſti cēdunt, quæ aut ſterni,aut inijci ſolent.ſed ſtragula & babylonicas,quæ equis inſterni ſolent, non puto ueſtis eſſe.& faſciæ crurales,peduleſq;, & item pilea ueſtis loco ſunt:quia partem corporis ueſtiunt.alia cauſſa eſt udonum:quia uſum calceamentorum pręſtant.ceruicalia quoque nomine ueſtis continentur. Si quis addiderit VESTEM SVAM: apparet de ea cum ſenſiſſe,quam ipſe in uſus ſuos habuerit. Culcitræ etiam ueſtis erunt.item pelles caprinæ & agninæ ueſtis erunt. Muliebri ueſte legata, & infantilem contineri & puellarum,

& uirginnm, Pomponius libro uicesimosecundo ad Sabinū rectè scribit. mulieres enim omnes dici, quæcunque sexus fœminini sunt. Ornamenta muliebria sunt, quibus mulier ornatur: ueluti inaures, armillæ, uiriolæ, annuli, (præter signatorios) & omnia, quæ ad aliā rem nullam parantur, nisi corporis ornandi caussa: quo ex numero etiam hæc sunt, aurum, gemmæ, lapilli, qui aliam nullam in se utilitatem habent. Mundus muliebris est, quo mulier mundior fit. continentur eo specula, matulæ, unguenta, uasa unguentaria. & si qua similia dici possunt, ueluti lauatio riscus. Ornamentorū hæc sunt. uittæ, mitræ, semimittæ, calantica, acus cum margarita, quam mulieres habere solent: reticula, crocohyphanta. Sed & mulier potest esse munda, non tamen ornata: ut solet contingere in his, quæ se cōmundauerint lotæ in balneo, neque se ornauerint. & contrà est aliqua ex somno statim ornata, non tamen emūdata. margarita, si nō soluta sunt, uel qui alij lapides, siquidē exemptiles sint: dicendum est, ornamentorū loco haberi. sed & si in hoc sint soluti ut recōponantur: ornamentorū loco sunt. quod si adhuc sint rudes lapilli, uel margaritæ, uel gemmæ: ornamentorū loco nō erunt: nisi alia mens fuerit testantis, qui hæc quoque, quæ ad ornamenta parauerat, ornamentorū loco, & appellatione cōprehendi uoluit. Vnguēta, quibus ualetudinis caussa ungimur, mundo non continentur. G

XXVII. PAVLVS.

QVAMVIS quædam ex ueste magis ornatus gratia, quàm quo corpus tegatur, comparentur: tamen quod eo nomine sint parata, potius habenda esse uestis numero, quàm ornamentorum. Similiter ornamentorū esse cōstat, quibus uti mulieres uenustatis & ornatus caussa cœperunt: neque referre, si quædam eorum alium quoque usum præbeant, sicuti mitræ & anademata. quamuis enim corpus tegant: tamen ornamentorum, non uestis esse. H

XXVIII. VLPIANVS.

QVINTVS Mutius libro secundo iuris ciuilis ita definit. argentum factum uas argenteū uideri esse. An cui argentum omne legatum est, ei numi quoque legati esse uideantur, quæritur? & ego puto non contineri. non facilè enim quisquam argenti numero numos computat. item argento facto legato, puto (nisi euidenter contra sensisse testatorem appareat) numos non contineri. Argento omni legato, quod suum esset: sine dubio non debetur id, quod in credito est. hoc ideo: quia non uidetur suum esse, quod uindicari non possit. Cui aurum, uel argentū factum legatum est, si fractum uel collisum sit: non continetur. Seruius enim existimat, aurum uel argentū factum id uideri, quo cōmodè uti possumus. argentum autem fractū aut collisum non incidere in eam definitionē, sed infecto contineri. Cui legatum est aurū omne, quod suum esset, cum moreretur: eius omne aurum fiet, quod tunc paterfamiliâs, cum moreretur, uindicare potuit suū esse. sed si qua distributio eius rei facta est: tunc interest, quomodo sit legatū. Si factum aurū legatum est: omne ad eum pertinet, cui legatum est, ex quo auro aliquid est effectū: siue id suæ, siue alterius usionis caussa paratum esset: ueluti uasa aurea, emblemata, signa, aurum muliebre, & cætera, quæ his rebus sunt similia. sed si infectum legatū est: quod eius ita factum est, ut eo ad rem, ad quam comparatū est, non possit uti sine refectione, quodque ab eo patrefamiliâs infecti numero fuerat: id uidetur legatum esse. Si autem aurum uel argentū signatum legatum est: id paterfamiliâs uidetur testamento legasse, quod eius aliqua forma est expressum: ueluti quæ Philippi sunt, itemque nomismata, & similia. Argento legato, nō puto uentris caussa habita scaphia contineri: quia argēti numero non habentur. Argentū factū rectè quis ita definierit, quod neque in massa, neque in lamina, neque in signato, neque in supellectile, neque in mundo, neque in ornamentis sit. I K

XXIX. ALFENVS.

CVM in testamēto alicui argentū, quod usus sui caussa paratū esset, legaretur, itēque uestis aut supellex: quæsitū est, quid cuiusque usus caussa uideretur esse paratū: utrū ne id argentū, quod uictus sui caussa paratū, paterfamiliâs ad quotidianū usum parasset: an & si quas mensas argēteas, & eius generis argentum haberet, quo ipse non temerè uteretur, sed commodare ad ludos & ad cęteras apparationes soleret? & magis placet, quod uictus sui caussa cōparatum esset, tantū contineri.

XXX. FLORENTINVS.

Si quando

A SI QVANDO alterius generis materia auro argentóue iniecta sit: si factum aurum uel ar/
gentum lẽgetur: & id, quod iniectum est, debetur. utra autem utrius materiæ sit accessio: ui/
su atq; usu rei, & consuetudine patrisfamiliâs æstimandum est.

XXXI. PAVLVS.

SI QVIS ita legauerit, VXORI MEAE MVNDVM, ORNAMENTA, SEV QVAE EIVS
CAVSSA PARAVI, DO LEGO: placet omnia deberi, sicuti cum ita lẽgatur, TITIO VINA,
QVAE IN VRBE HABEO, SEV IN PORTV, DO LEGO. hoc enim uerbum, scilicet SEV, am/
pliandi legati gratia positum est.

XXXII. LABEO.

QVI lancem maximam, minorem, minimam relinquebat, ita legauerat. LANCEM MI/
B NOREM ILLI DO LEGO. mediæ magnitudinis uideri legatam lancem responsum est: si nõ
appareret, quam lancem ex his paterfamiliâs demonstrare uoluisset.

XXXIII. PAVLVS.

PEDICVLIS argenteis adiuncta sigilla ænea, cæteraq; omnia, quæ ad eandem similitudi
nem redigi possunt, argento facto cẽdunt. Auro facto adnumerãtur gemmæ annulis in/
clusæ (quippe annulorũ sunt) cymbia argentea crustis aureis illigata. margaritæ, quæ ita or/
namentis muliebribus contextæ sunt, ut in his adspectus auri potẽtior sit, auro facto adnu/
merantur. aurea emblemata, quæ in lapidibus apsidibusq; argenteis essent, & replumbari
possent: deberi Gallus ait. sed Labeo improbat. Tubero aı̃t, quod testator auri numero ha
buisset, legatũ deberi ait. alioquin aurata & inclusa uasa alterius materiæ auri numero non
C habenda. Argento potorio uel escario legato: in his, quæ dubium est, cuius generis sint,
consuetudinem patrisfamiliâs spectandam: non etiam in his, quæ certum est, eius generis
non esse. Quidam primipilaris uxori suæ argentum escarium legauerat. quæsitũ est, cum
paterfamiliâs in argẽto suo uasa habuerit, quibus & potabat & edebat: an legato hęc quoq;
uasa continerentur? Scæuola respondit, contineri. Item cũ quæreretur de tali legato. HOC
AMPLIVS FILIA MEA DVLCISSIMA È MEDIO SVMITO, TIBÍQVE HABETO ORNA/
MENTVM MEVM OMNE MVLIEBRE CVM AVRO, ET SI QVA ALIA MVLIEBRIA AP/
PARVERINT. cum testatrix negotiatrix fuerit: an non solũ argentũ, quod in domo uel intra
horteũ usibus eius fuit, legato cẽdat: sed etiã quod in basilica fuit muliebre? respondi. si testa
trix habuit propriũ argentũ ad usum suum paratũ: nõ uideri id legatũ, quod negotiãdi caus/
D sa uenale proponi soleret: nisi de eo quoq; sensisse is, qui petat, probet. Neratius Proculũ
refert ita respondisse. uasis electrinis legatis, nihil interesse quantũ ea uasa, de quibus quæri
tur, argẽti aut electri habeãt: sed utrũ argentũ electro, an electrũ argẽto cẽdat. idq; ex adspe/
ctu uasorũ facilius intelligi posse. quod si in obscuro sit: inspiciendũ esse, in utro numero ea
uasa is, qui testamentũ fecit, habuerit. Labeo testamẽto suo Neratię uxori suę nominatim
legauit. VESTEM, MVNDVM MVLIEBREM OMNEM, ORNAMENTA QVE MVLIEBRIA
OMNIA, LANAM, LINVM PVRPVRAM, VERSICOLORIA, FACTA, INFECTA QVE O/
MNIA &c. sed nõ mutauit substantiã rerũ nõ necessaria uerborũ multiplicatio: quamuis La/
beo testamẽto lanã ac deinde uersicoloria scripsit, quasi desierit lana tincta lana esse: detra/
ctoq; uerbo VERSICOLORIA, nihilominus etiã uersicoloria debebũtur, si nõ appareat aliã
E defuncti uoluntatem fuisse. Titia mundum muliebrem Septitiæ legauit. ea putabat sibi
legata, & ornamenta & monilia, in quibus gemmæ & margaritæ inessent, & annulos, & ue/
stem, tam coloriã, quàm uersicoloriam. quæsitũ est, an hæc omnia mundo continerentur?
Scæuola respondit. ex his, quæ proponerentur, duntaxat argentum balneare mundo mu/
liebri contineri. Item cum inaures, in quibus duæ margaritæ elenchi, & smaragdi duo, le
gasset, & postea elenchos eisdem detraxisset: & quæreretur, an nihilominus detractis elen/
chis inaureis deberentur? respondit, deberi si maneant inaureis, quamuis margatitæ his de
tractæ sunt? De alio idem respondit, cum quædam ornamenta mamillarum ex cylindris
trigintaquatuor, & tympanijs margaritis triginta quatuor legasset, & postea quatuor ex cy
lindris, & sex de margaritis detraxisset.

XXXIIII. POMPONIVS.

INTER uestem uirilem & uestimenta uirilia nihil interest: sed difficultatem facit mens legantis, si & ipse solitus fuerit uti quadam ueste, quæ etiam mulieribus conueniens est. itaq; ante omnia dicendum est, eam legatam esse, de qua senserit testator: nō quæ reuera aut muliebris aut uirilis sit. nam & quintus ait, scire se quēdam senatorem muliebribus cœnatorijs uti solitum. qui si legaret muliebrem uestem: non uideretur de ea sensisse, qua ipse quasi uirili utebatur. F

XXXV. IDEM.

SCRIBIT Quintus Mutius. si aurum suum omne paterfamiliâs uxori suæ legasset: id aurum, quod aurifici faciundum dedisset, aut quod ei deberetur, si ab aurifice ei repēsum non esset: mulieri non deberi. POMPONIVS. hoc ex parte uerum est, ex parte falsum. nam de eo, quod debetur, sine dubio. utputā si auri libras stipulatus fuerit: hoc aurum, quod ei debetur ex stipulatu, non pertinet ad uxorem: cum illius factum adhuc non sit. id enim quod suum esset, non quod in actione haberet, legauit. in aurifice falsum est: si aurum dederit, ita ut ex eo auro aliquid sibi faceret. nam tunc, licet apud aurificem sit aurum, dominium tamen non mutauit. manet enim eius, qui dedit: & tantum uidetur mercedem præstaturus pro opera aurifici. per quod eò perducimur, ut nihilominus uxori debeatur. quod si aurū dedit aurifici, ut non tamen ex eo auro fieret sibi aliquod corpusculum, sed ex alio: tunc quatenus dominium transit eius auri ad aurificem (quippe quasi permutationem fecisse uideatur) & hoc aurum non transibit ad uxorem. Item scribit Quintus Mutius. si maritus uxori, cum haberet quinq; pondo auri, legasset ita: AVRVM, QVODCVNQVE VXORIS CAVSSA PARATVM EST, VTI HAERES VXORI DET: etiam si libra auri inde neuisset, & mortis tempore amplius, quàm quatuor libræ non deprehenderentur: in totis quinq; libris hæredem esse obligatum. quoniam articulus EST præsentis temporis demonstrationem in se contineret. quod ipsum (quātum ad iuris obligationem pertinet) rectè dicetur, id est, ut ipso iure hæres sit obligatus. uerum sciendum, si in hoc alienauerit testator inde libram, quod deminuere uellet ex legato uxoris suæ: tunc mutata uoluntas defuncti locum faciet doli mali exceptioni: ut si perseueret mulier in petendis quinq; libris, exceptione doli mali submoueatur. sed si ex necessitate aliqua compulsus testator, nō quod uellet deminuere ex legato: tunc mulieri ipso iure quinq; libræ auri debebūtur, nec doli mali exceptio nocebit aduersus petētem. quod si ita legasset uxori, AVRVM, QVOD EIVS CAVSSA PARATVM ERIT: tunc rectissimè scribit Quintus Mutius, ut hæc scriptura habeat in se demonstrationē legati & argumentū. ideoq; ipso iure, alienata libra auri, amplius quatuor pondo non remanebunt in obligatione: nec erit utendum distinctione, qua ex caussa alienauerit testator. G H I

XXXVI. PAVLVS.

TITIAE AMICAE MEAE, CVM QVA SINE MENDACIO VIXI, AVRI PONDO QVINQVE DARI VOLO. quæro, an hæredes ad præstationem integræ materiæ auri, an ad pretium, & quantum præstandum compellendi sint? PAVLVS respondit. aut aurum ei, de quo quæritur, præstari oportere: aut pretium auri, quanti comparari potest. Item quæro. si lite contestata prætor ita pronuntiauerit, ut materia præstetur: an tutores audiendi sint ab hac sententia pupillum, aduersus quem pronuntiatum est, apud successorem eius in integrum restituere uolentes? Paulus respondit. prætorem, qui auro legato certi ponderis materiam præstari iussit, rectè pronuntiasse uideri. K

XXXVII. SCAEVOLA.

SEIAE DVLCISSIMAE POCVLVM AVREVM, QVOD ELEGERIT, FIDEI HAEREDVM COMMITTO, VT DENT. quæro. cum in hæreditate non sint, nisi trullæ, scyphi, modioli, phialæ: an Seia de his speciebus eligere possit? respondi. cum omnia potui parata, pocula dicantur: posse eam ex his eligere.

XXXVIII. PAVLVS.

ORNAMENTorum appellatione uestem muliebrem non contineri, nec errorem hæredis ius mutasse respondit.

XXXIX. SCAEVOLA.

Titia

A Titia testamento, item codicillis multas species, tam argenti, quàm uestis specialiter per fideicommissum reliquit. quæro an non aliæ species legato cedant, quàm quæ in hæreditate inuentæ essent? respondit. eas cedere, quæ inuentæ essent: de cæteris cauendum, ut si inuentæ essent, præstentur. SEMPRONIAE PIAE HOC AMPLIUS COOPERTORIA TABIANA, ET TUNICAS TRES, CUM PALLIOLIS, QUAE ELEGERIT, DARI VOLO. quæro an ex uniuersa ueste, id est, synthesi tunicas singulas, an & palliola Sepronia eligere possit? respondit. si essent tunicæ singulæ cum palliolis relictæ: ex his duntaxat eligi posse. quod si non essent: hæredem uel tunicã & palliolum ex synthesi præstaturũ, uel ucram æstimationẽ earum. Seia testamẽto ita cauit. SI MIHI PER CONDITIONEM HUMANAM CONTIGE-
B RIT, IPSA FACIAM. SIN MINUS AUTEM: AB HAEREDIBUS MEIS FIERI VOLO. IUBEO-QUE SIGNUM DEI EX LIBRIS CENTUM IN ILLA SACRA AEDE ET IN PATRIA STATUI CUM SUBSCRIPTIONE NOMINIS MEI. quæsitũ est. cũ in eo tẽplo nõ nisi aut ærea, aut argentea tantum sint dona: hæredes Seiæ utrum ex auro, an argento signum ponere compellendi sunt, an æreum? respondi. secundum ea, quę proponerentur, argenteũ ponendum.

XL. IABOLENUS.

Si uxori mundus muliebris legatus esset: ea tantummodo deberi, Ofilius, Labeo responderunt, quæ ex his tradita utendi caussa uxori à uiro fuissent. aliter enim interpretantibus, summam fore captionẽ, si uascularius, aut faber argentarius uxori ita legasset. Cum ita legatum est, ARGENTUM, QUOD DOMI MEAE ERIT, CUM MORIAR: Ofilius nec quod
C depositum esset à se, nec quod commodatũ reliquisset, argentum legatum uideri, respondit. idem Cascellius de commodato. Labeo, quod depositum esset, ita deberi: si præsentis custodiæ caussa, nõ perpetuæ, ueluti depositũ thesauri esset: quia illa uerba QUOD DOMI MEAE ERIT sic accipi debere, ESSE SOLEBAT. & hoc probo. Atteius Seruium respondisse scribit: cui argentum, quod in Tusculano fundo, cum moreretur, habuisset, legatum esset, & quod ante, quàm moreretur, ex urbe in Tusculanum iussu testatoris translatum esset: deberi. contrà fore, si sine iussu translatum esset.

XLI. SCAEVOLA.

Medico suo contubernali & communium expeditionum comiti inter cætera ita legauerat. ARGENTUM VIATORIUM MEUM DARI VOLO. quęsitũ est. cum paterfamiliâs in di-
D uersis temporibus reipublicæ caussa abfuerit: quod uiatorium argentum hoc legato comprehensum esse uideatur? respondit. quod habuisset argentum uiatorium eo tempore, cum testamentũ faciebat, deberi. Vxori suæ testamẽto ita legatum est, SEMPRONIAE DOMINAE MEAE HOC AMPLIUS ARGENTUM BALNEARE. quęsitum est. an etiam id argentũ, quo diebus festis in balneo consueuit uti, legato cedat? respondit. omne legatũ uideri. Mulier decedens ornamẽta legauerat ita, SEIAE AMICAE MEAE ORNAMENTA UNIVERSA DARI VOLO. eodem testamento ita scripserat. FUNERARI ME ARBITRIO VIRI MEI VOLO, ET INFERRI MIHI, QUAECUNQUE SEPULTURAE MEAE CAUSSA FERAM EX ORNAMENTIS, LINEAS DUAS EX MARGARITIS, ET VIRIOLAS EX SMARAGDIS. sed neq; hæredes, neq; maritus, cum humi corpus daret, ea ornamenta, quæ corpori iussus
E erat adijcere, dederunt. quæsitum est. utrum ad eam, cui ornamenta uniuersa reliquerat, pertineant, an ad hæredes? respondit. non ad hæredes, sed ad legatariam pertinere.

DE LIBERATIONE LEGATA. TIT. III.

I. VLPIANUS.


OMNIBUS debitoribus etiam ea, quæ debent, rectè legantur: licet domini eorum sint. Iulianus scribit. si res pignori data legetur debitori à creditore: ualere legatum, habereq; eum actionem, ut pignus recipiat prius, quàm pecuniam soluat. sic autem loquitur Iulianus, quasi debitum non debeat lucrari. sed si alia testantis uoluntas fuit. & ad hoc peruenietur exemplo luitionis.

II. POMPONIUS.

Hæredem

HAEREDEM damnatum à fideiussore non petere, à reo petere posse: sed à reo petere ue F
titum, si à fideiussore petat, reo ex testamento teneri, Celsus putat. idem Celsus ait, nullam
dubitationẽ habere, quin hærede petere à debitore uetito, nec hæres hæredis petere possit.

III. VLPIANVS.

LIBERATionem debitori legari posse iam certum est. sed si chirographũ quis decedens
debitori suo dederit: exceptionem ei competere puto, quasi per fideicõmissum huiusmodi
datione ualitura. Iulianus etiã libro quadragesimo Digestorũ scribit. si quis decedens chi
rographum Sei Titio dederit, ut post mortem suam Seio det, aut si conualuisset, sibi redde/
ret: deinde Titius defuncto donatore Seio dederit, & hęres eius petat debitum: Seium doli
exceptionem habere. Nunc de effectu legati uideamus: & si quidem mihi liberatio sit re/ G
licta, cum solus sim debitor: siue à me petatur, exceptione uti possum: siue non petatur, pos/
sum agere, ut liberer per acceptilationẽ. sed & si cum alio sum debitor (putã duo rei fuimus
promittendi) & mihi soli testator consultum uoluit: agendo consequar, non ut acceptò libe/
rer, ne etiã correus meus liberetur cõtra testatoris uoluntatẽ: sed pacto liberabor. sed quid si
socij fuimus? uideamus, ne per acceptilationẽ debeam liberari. alioquin dum à correo meo
petitur, ego inquietor. & ita Iulianus libro tricesimo secundo Digestorũ scribit. si quidem so
cij nõ simus: pacto me debere liberari. si socij: per acceptilationẽ. Consequenter quæritur,
an & ille socius pro legatario habeatur, cuius nomen in testamento scriptum non est: licet
cõmodum ex testamento ad utrunqȝ pertineat. si socij sunt? & est uerum, non solũ eum, cu/
ius nomen in testamento scriptum est, legatarium habendum: uerum eum quoqȝ, qui non H
est scriptus, si & eius contemplatione liberatio relicta sit. utriqȝ autẽ legatarij habentur & in
hoc casu. nam & si quod ego debeo Titio, sit ei legatum mea gratia, ut ego liberer: nemo me
negabit legatariũ, ut & Iulianus libro eodẽ scripsit. & Marcellus notat, utriusqȝ legatũ esse,
tam meum, quàm creditoris mei, etiã si soluendo fuero. interesse enim creditoris, duos reos
habere.

IIII. POMPONIVS.

QVID ergo est, cum agere poterit creditor ex testamento? non aliter hæres condemnari
debebit, quàm si caueatur ei aduersus debitorem defensum iri. item agente debitore, nihil
amplius hæres præstare debet, quàm ut eum aduersus creditorem defendat.

V. VLPIANVS.

SI quis reum habeat & fideiussorẽ, & reo libertatem lẽget: Iulianus ibidẽ scripsit, & reum I
per acceptilationẽ liberandũ. alioquin si fideiussorẽ cœperit conuenire, alia ratione reus con
uenitur. quid tamẽ, si donationis caussa fideiussor interuenit, nec habeat aduersus reum re/
gressum? uel quid si ad fideiussorẽ pecunia peruenerit, & ipse reum dederit uice sua, ipseqȝ fi
deiusserit? pacto est reus liberandus. alioquin solemus dicere, pacti exceptionem fideiussori
dandam, quæ reo competit. sed cum alia mens sit legantis, alia paciscentis: nequaquã hoc di
cimus. Quod si fideiussori sit liberatio legata: sine dubio (ut & Iulianus scripsit) pacto erit fi/
deiussor liberandus. sed & hic puto interdũ acceptilatione liberandum: si uel reus ipse uerè
fuit, aut in eam rem socius scripsit. Idẽ Iulianus libro eodẽ scripsit. si filiusfamiliâs debitor
fuerit, & patri eius fuerit liberatio relicta: patrẽ pacto liberandũ esse, ne etiam filius libere/
tur. & parui (inquit) refert, si sit aliquid in peculio die legati cẽdẽte, nec ne. securitatẽ enim pa/ K
ter per hoc legatũ consequitur. maximè (inquit) cum rei iudicandæ tempus circa peculiũ spe
ctetur. huic patri similẽ facit Iulianus maritum, cui uxor post diuortium liberationẽ dotis le
gauit. nam & hunc, licet die legati cẽdente soluendo non sit, legatariũ esse: & utrunqȝ ait solu
tum repetere non posse. sed est uerius, quod Marcellus notat, patrẽ repetere posse: nondum
enim erat debitor, cum solueret. maritũ nõ posse, quod debitũ soluerit. patrẽ enim, & si quis
debitorẽ existimauerit: attamen loco esse conditionalis debitoris, quem solutũ repetere pos/
se, non ambigitur. sed si damnatus sit hęres filiũ liberare non adijcit Iulianus, utrum accepti
latione filius, an pacto sit liberandus sed uidetur hic sentire, quasi acceptilatione debeat li/
berari. quæ res patri quoqȝ proderit. quod obtinendũ est: nisi euidenter adprobetur, contra
rium sensisse testatorem: id est, ne filius inquietetur, non ne pater. tunc enim acceptilatione
eum

A eum non liberandum, sed pacto. Idem Iulianus scripsit. si pro filio pater fideiusserit, eiq; liberatio sit legata: cum pacto liberandum, quasi fideiussorem, non quasi patrem. & ideo de peculio posse conueniri. hoc ita demum putat, si duntaxat quasi fideiussorem eum uoluit testator liberari. cæterum si & quasi patrem: & de peculio erit liberandus.

VI. IABOLENUS.

POST emancipationem uero filij catenus pater actionem habebit, quatenus aliquid ex peculio aut in rem uerso præstaturus est. id enim legatorum nomine ad patrem pertinebit, quod eius interierit. Illud quæri potest, an eo quoque nomine pater ex testamento agere possit, ut & filius actione liberetur? quibusdam eousq; extendi actionem placebat: quia pa-
B tris interesse uideretur, si peculium filio post emancipationem cõcessisset, ius eius integrum permanere. ego contrà sentio, nihil quidquam amplius patri præstandum ex eiusmodi scriptura testamenti putans, quàm ut nihil ex eo, quod præstaturus hæredi fuerit, præstet.

VII. VLPIANVS.

NON solum autem, quod debetur, remitti potest: sed etiam pars eius, uel pars obligationis, ut est apud Iulianum tractatum libro tricesimo secundo Digestorum. Si is, qui est stipulatus Stichũ, aut decem, damnauerit hæredem Stichũ non petere: legatum ualere cõstat. sed quid contineat, uideamus. et Iulianus scribit actionem ex testamento in hoc esse uideri, ut debitor acceptò liberetur. quæ res utiq; debitorem & in decem liberabit: quia acceptilatio solutioni comparatur. & quemadmodum si Stichum soluisset debitor, liberaretur: ita &
C acceptilatione Stichi liberari. Sed & si debitorem decem damnatus sit heres uiginti liberare: idem Iulianus scripsit libro tricesimotertio, nihilominus esse liberandum decem. nam & si ei uiginti acceptò ferantur, & in decem liberabitur. sed & si duobus hæredibus institutis, alterum ex his damnauerit creditori soluere: ualet legatum propter cohæredem, eumq; ex testamento acturum, ut creditori soluatur. Liberatio autem debitori legata ita demum effectum habet, si non fuerit exactum id à debitore, dum uiuat testator. cæterum si exactum est: euanescit legatum. unde quærit Iulianus, si ab impuberis substituto sit liberatio relicta, deinde impubes exegerit, quod debetur: an euanescat legatum? & cum constet pupillum in his, quæ à substituto relinquuntur, personam sustinere eius, à quo sub conditione legatur: consequens est, substitutum actione ex testamento teneri, si pupillus à debitore exegerit. i-
D demq; est, & si pupillus non exegerit, sed solummodo litem sit cõtestatus. teneri enim eum, ut remittat actionem. nam & si debitori liberatio sub conditione legata fuisset, & uel lis fuisset contestata, uel etiam exactum pendente conditione: ex testamento actio maneret, liberatione relicta.

VIII. POMPONIVS.

NON solum nostrum debitorem, sed etiam hæredis, & cuiuslibet alterius, ut liberetur, legare possumus. Potest heres damnari, ut & ad certum tempus non petat à debitore. sed sine dubio nec liberare eum intra id tempus debebit. sed & si debitor decesserit: ab hærede eius intra id tempus peti non poterit. Illud uidendũ est, an eius temporis, intra quod heres petere uetitus sit, uel usuras, uel pœnas petere possit? & Priscus Neratius existimabat, committere eum aduersus testamentum, si petisset. quod uerum est. Tale legatum HAERES MEVS A SOLO LVCIO TITIO NE PETITO: ad hæredem Lucij Titij non transit, si ni-
E hil uiuo Lucio Titio aduersus testamentum ab hærede (eo, quod ab eo exigere debitũ tentauit) sit commissum. quoties enim cohæret personæ id, quod legatur: ueluti personalis seruitus, ad hæredem eius non transit. Si uerba liberationis in rem sunt collata: pro eo est, quasi hæres ab eo debitore hæredeq; eius petere uetitus sit: ut adiectio hæredis perinde nihil ualeat, atq; non esset ualitura, ipsius debitoris persona non comprehensa. Is qui reddere rationes iussus est: non uidetur satisfacere, si reliquum reddat, non editis rationibus.

Si hæres uetitus sit agere cum eo, qui negocia defuncti gessit: nõ uidetur obligatio ei prælegata, quæ dolo uel ex fraude eius, qui negocia gessit, commissa sit: ut & testator uideatur id sensisse. & ideo si hæres negociorum gestorum egisset: agens procurator ex testamento incerti doli mali exceptione excludi potest. Et ei liberatio rectè legatur, apud quem depo-

fuero, uel cui commodauero, pignoriue dedero, uel ei, quem ex furtiua caussa nihil dare oportet. F

IX. VLPIANVS.

SI QVIS rationes exigere uetetur (ut est sæpissimè rescriptum) nô impeditur reliqua exigere, quæ quis ipse reliquauit, & si quid dolo fecit, qui rationes gessit. quod si quis & hæc uelit remittere: ita debet legare DAMNAS ESTO HAERES MEVS, QVIDQVID AB EO EXEGERIT ILLA VEL ILLA RATIONE, ID EI RESTITVERE, VEL ACTIONEM EI REMITTERE.

X. IVLIANVS.

SI DAMNATUS hæres fuerit à fideiussore quidem non petere, quod autem reus debet, Titio dare: pacisci debet, ne à fideiussore petat, & aduersus reum actiones suas præstare legatario: quemadmodum damnatus hæres, ne à reo petat, & damnatus dare, quod fideiussor debet: & reo acceptum facere, & legatario litis æstimationem sufferre cogatur. G

XI. IDEM.

SI DEBITOR fideiussorem suum ab hærede suo liberari iusserit: an fideiussor liberari debeat? Respondi debere. Item quæsitum est, an quia mandati actione hæredes tenerentur, inutile legatum esset, quemadmodum quod debitor creditori suo legat? Respondi. quoties debitor creditori suo legaret, ita inutile esse legatũ, si nihil interesset creditoris, ex testamento potius agere, quã ex pristina obligatione. nam & si Titius mandauerit Mæuio, ut pecuniam promitteret, deinde liberari eum iusserit à stipulatore: manifestum est, quãtum intersit promissoris, liberari potius, quàm præstare ex stipulatu, deinde mandati agere.

XII. IDEM.

LVCIVS Titius, cum Erotem actorem haberet, codicillis ita cauit. EROTEM LIBERVM ESSE VOLO, QVEM RATIONES REDDERE VOLO EIVS TEMPORIS, QVOD ERIT POST NOVISSIMAM MEAM SVBSCRIPTIONEM. Postea uiuus Erotem manumisit, & in eodem actu habuit rationes, quas subscripsit usque in eum diem, qui fuit ante paucissimos dies, quàm moreretur. hæredes Lucij Titij dicunt quasdam summas & seruum adhuc Erotem, & postea libertum accepisse: neq; in eas rationes, quæ à Lucio Titio subscriptæ sint, intulisse. quæro, an hæredes ab Erote nihil exigere debeant eius temporis, quo Lucius Titius subscripsit? Respondi. Erotem ex ea caussa, quæ proponeretur, liberationem petere non posse: nisi & hoc specialiter ei remissum esset. H

XIII. IDEM.

SI CREDITOR debitori, qui se exceptione perpetua tueri poterat, legauerit, quoad sibi deberet: nullius momenti legatum erit. atsi idem debitor creditori legauerit: intelligendum erit, exceptionem eum remittere creditori uoluisse. I

XIIII. VLPIANVS.

IDEM est, & si in diem debitor fuerit, uel sub conditione.

XV. IDEM.

SI QVIS in testamento damnatus est, ne à Titio debitore exigat: neq; ipsum, neq; hæredem eius potest conuenire. nam neq; hæredis hæres agere, neq; ab hæredis hærede peti potest. Hæredis autem hæres potest damnari, ne exigat debitorem.

XVI. PAVLVS.

SI EI, cui fundum in quinquennium locaueram, legaui, quidquid eum mihi dare facere oportet oportebitue, ut fineret hæres sibi habere: Nerua & Atilicinus, si hæres prohiberet eum frui, ex cõducto: si iure locationis quid retineret, ex testamento fore obligatum aiunt: quia nihil interesset, peteret, an retineret, totam enim locationem legatam uideri. K

XVII. LABEO.

RELIQVA quoq; in iudicio locationis uenire.

XVIII. PAVLVS.

CASSIVS etiam si habitatio eo modo legata esset: gratuitam habitationem hæres præstare debet: & præterea placuit, agere posse colonum cum hærede ex testamento, ut liberetur conditione. quod rectissimè dicitur.

Cum ita

XIX. MODESTINVS.

A C VM ita testamur. HAERES MEVS DAMNAS ESTO LIBERARE ILLVM, QVOD NEGOCIA MEA GESSIT: ET SI QVID EVM MIHI DARE FACERE OPORTET, AB EO NON EXIGERE: damnatus hæres nec creditas ab eo quoque pecunias exiget. in simili autem legato uix est, ut de eo quoque legando paterfamilias senserit, quod seruis eius peculij nomine debetur.

XX. IDEM.

A VRELIO SEMPRONIO FRATRI MEO NEMINEM MOLESTARI VOLO NOMINE DEBITI, NEC EXIGERE ALIQVID AB EO, QVAMDIV VIVET, NEQVE DE SORTE AVT VSVRA NOMINE DEBITI: ET ABSOLVO ET LIBERO EX PIGNORIBVS EIVS DOMVM ET POSSESSIONEM. caussa perlata, Modestinus respondit. ipsum debitorem,

B si conueniatur, exceptione tutũ esse. diuersum in persona hæredis eius. Caius Seius cum adolcuisset, accepit curatores Publium Mæuium & Lucium Sempronium. sed enim idem Caius Seius intra legitimã ætatem constitutus, cum in fatum concederet, testamento suo de curatoribus suis ita cauit. QVAESTIONEM CVRATORIBVS MEIS NEMO FACIET. REM ENIM IPSE TRACTAVI. quæro. an rationem curæ hæredes adulti à curatoribus petere possint: cum defunctus (ut ex uerbis testamenti apparet) confessus sit, se omnem rem suam administrasse? Modestinus respondit. si quid dolo curatores fecerunt, aut si quæ res testatoris penes eos sunt: eo nomine conueniri eos posse.

XXI. NERATIVS.

C S I ID, quod mihi deberes, uel tibi, uel alijs legauero, idque mihi solueris, uel qualibet alia ratione liberatus à me fueris: exstinguitur legatum. unde Iuliano placet, & si debitori hæres exstiterit creditor, postea que ipse creditor decesserit: legatũ exstingui. & hoc uerũ est: quia cõfusione perinde exstinguitur obligatio, ac solutione. sed si sub cõditione dato legato hæres præoccupauerit & exegerit debitũ: aliud dici oportet: quia in arbitrio hæredis esse non debet, ut quandoque conditione existente, neque ipsi legatario debeatur legatum (si tum uiuat & capere possit) neque ei, ad quem hoc commodum peruenit, si legatarius capere non possit.

XXII. PAPINIANVS.

Q VOD MIHI SEMPRONIVS DEBET, PETI NOLO. non tantum exceptionem habere debitorem: sed & fideicommissum, ut liberetur, petere posse, responsum est.

XXIII. IDEM.

D P ROCVRATOR, à quo rationẽ hæres exigere prohibitus, eoque nomine procuratorem liberare damnatus est: pecuniam ab argentatio debitam ex contractu, quem ut procurator fecit, iure mandati cogetur restituere, uel actiones præstare.

XXIIII. IDEM.

C VM hæres rogatur debitorem suum liberare: de eo tantum cogitatum uidetur, quod in obligatione mansit. itaque si quid ante tabulas apertas fuerit solutum: ad caussam fideicommissi non pertinebit. quod autem post tabulas apertas ante aditam hæreditatem ab eo, qui uoluntatem defuncti non ignorauit, fuerit exactum: dolo proximũ erit, ideoque repeti potest.

XXV. PAVLVS.

L EGAVI Titio, quod mihi debetur, uel adiecta certa quantitate siue specie, uel non adie-

E cta: aut ex contrario, æquè cum distinctione: ueluti TITIO, QVOD EI DEBEO, uel ita, TITIO CENTVM, QVAE EI DEBEO. quæro, an per omnia requirendum putes, an debitum sit? & plenius rogo, quæ ad hæc spectant, attingas. quotidiana enim sunt. respondi. si is, cui Titius debebat, debitum ei remittere uoluerit: nihil interest, hæredem suum iusserit, ut eum liberaret, an prohibeat eum exigere. utroque enim modo liberandus est debitor, & utroque casu competit ultro ad liberandum debitori actio. quod si etiam centum aureorum uel fundi debiti mentionem fecit: siquidem debitor fuisse probetur, liberandus est. quod si nihil debeat: poterit dici, quasi falsa demonstratione adiecta, etiam peti, quod comprehensum est posse. sed poterit hoc dici, si ita legauerit, CENTVM AVREOS, QVOS MIHI DEBET: uel STICHVM, QVEM DEBET, HAERES MEVS DAMNAS ESTO NON PETERE, quod si sic

dixerit, HAERES MEVS CENTVM AVREOS, QVOS MIHI DEBET, DAMNAS ESTO
EI DARE: etiam illud tentari poterit, ut petere poſſit, quaſi falſa demonſtratione adiecta. F
quod mihi nequaquam placet: cum dandi uerba ad debitum ſe referre teſtator exiſtima-
uerit. Contrà autem, ſi debitor creditori lēget: nullam utilitatem uideo, ſi ſine quantitate le-
gauit. ſed & ſi id demonſtret, quod debere ſe confitetur: nulla utilitas eſt, niſi in his ſpecie-
bus, in quibus emolumentum debiti ampliatur. quod ſi centum aureos, quos ſe debere di-
xit, legauit: ſiquidem debet: inutile eſt legatum. quod ſi non fuit debitor: placuit utile eſſe le-
gatum. certa enim numorum quantitas ſimilis eſt Sticho legato cum demonſtratione fal-
ſa. idq; & diuus Pius reſcripſit, certa pecunia dōtis acceptæ nomine legata.

XXVI. SCAEVOLA.

TVTOR decedens aliis hæredibus ſcriptis & pupillo ſuo, cuius tutelam geſſit, tertiā par- G
tem bonorum dāri uoluit, ſi hæredibus ſuis tutelæ cauſſa controuerſiam non fecerit, ſed eo
nomine omnes liberauerit. pupillus legatum pertulit, & poſtea nihilominus petiit, quid-
quid ex diſtractione aliáue cauſſa ad tutorem ſuum ex tutela peruenerit. quæro, an uerbis
teſtamenti ab his exactionibus excludatur? Reſpondi. ſi prius quàm conditioni parēret, fi-
deicommiſſum percepiſſet, & pergeret petere id, in quo contra conditionem faceret: doli
mali exceptionem obſtaturam: niſi paratus eſſet, quod ex cauſſa fideicommiſſi percepiſſet,
reddere. quod ei ætatis beneficio indulgendum eſt.

XXVII. TRIPHONINVS.

VIDEAMVS, ſi ei, cum quo de peculio actio erat, liberatio teſtamento legata ſit: an ſi die,
quo legata cēdere ſolent, nihil in peculio ſit: legatarii loco habeatur. atqui nondum debitor H
fuit: nec procedit, ut emolumentum aliquod ex legato ad eum perueniat, niſi propter ſpem
futuri peculii. nunquid ergo in pendenti ſit, an legatarius fuerit: perinde, atque ſi qua a-
lia cauſſa ſpem legati dubiam faceret? XXVIII. SCAEVOLA.

AVRELIVS Symphorus fideiuſſerat pro tutore quodam, & decedens eius pupillis lega-
uit in hæc uerba. RELLIO LATINO ET RELLIO FELICI SINGVLIS QVI-
NA, CVM QVIS EORVM QVATVORDECIM ANNORVM FVERIT:
AD QVOD TEMPVS PRAESTARI EIS VOLO, SINGVLIS ALIMENTO-
RVM NOMINE MENSTRVOS DENARIOS SENOS, ET VESTIARII NOMINE, ANNV-
OS DENARIOS VIGINTIQVINQVE. QVO LEGATO CONTENTI ESSE DEBETIS,
QVANDO TVTELA VESTRA NON MINIMO DAMNO RATIONEM MEAM AFFLIXE- I
RIT. A VOBIS AVTEM HAEREDES MEI PETO, NE QVID EX RATIONE TVTELAE
AB HIS EXIGERE, VEL OB HOC LEGATA EORVM RETINERE VELITIS. quæſitum eſt.
ſi hæres eius ex cauſſa fideiuſſionis aliquid præſtiterit: an ab hęrede filiorum eius, pro quo
fideiuſſerat, repetere poſſit? Reſpondit. uerbis, quæ proponerentur, id ſolum uideri hære-
dum fideicommiſſum, ne exigerent, quod ex ratione tutelæ, quam ipſe Symphorus admi-
niſtrauerat, ab Relliis ſibi deberetur. Teſtamēto facto debitoribus liberationem relique-
rat poſt inciſo lino, & recognito teſtamento, aliud teſtamentū fecit, in quo repetiit legatum
his uerbis. QVIBVSCVNQVE LEGATA IN EO TESTAMENTO, QVOD INCIDERAM,
DEDI: OMNIA RATA ESSE, QVAECVNQVE SCRIPTA SVNT. VOLO. quæſitum eſt. adi-
ta ex ſequente teſtamento hæreditate: an debitores, quibus priore teſtamento liberatio re- K
licta erat, cōſequi poſſint, ut etiam eius quantitatis nomine, quam poſt prius teſtamentum
debere cœperant, liberarentur: & ſi ab his hæredes petere cœperint, an doli mali exceptio-
ne ſubmouerentur? Reſpondit. non liberari. Titius Seio debitori ſuo ita legauit. DO LE-
GO SEIO DENARIOS DECEM. ITEM DO ILLI QVIDQVID SORTIS ET VSVRARVM NO-
MINE MIHI DEBEAT. prætera generaliter damnauit hæredes, fideiq; eorum commiſit,
uti dārent, reſtituerēt unicuiq; quidquid ei legaſſet. poſtea Seius aliam præterea pecuniam
à Titio mutuatus eſt. quæro, an hæc quoq; pecunia, quæ poſt teſtamentum factum dāta
eſt Seio, legata intelligatur? Reſpondit. cum in præteritum tempus uerba collata propone-
rentur: non eſſe poſterius credendū legatum. Titius teſtamento facto & filiis hæredibus
inſtitutis,

A institutis, de patre tutore suo quondam facto ita locutus est. SEIUM PATREM MEUM LIBERATUM ESSE VOLO AB ACTIONE TUTELAE. quæro, hæc uerba quatenus accipi debeant? id est, an pecunias, quas uel ex uẽditionibus rerum factis, aut ex nominibus exactis in suos usus conuertit, uel nomine suo fœnerauit, filijs & hæredibus testatoris nepotibus suis debeat reddere? Respondit. eum, cuius notio est, æstimaturum. præsumptio enim propter naturalem affectum facit, omnia patri uideri concessa: nisi aliud sensisse testatorem ab hæredibus eius adprobaretur. Mæuia testamento suo alterum ex tutoribus suis actione tutelæ uoluit liberare his uerbis. RATIONEM TUTELAE, QUAM EGIT IULIUS PAULUS CUM ANTISTIO CICERONE, POSCI AB EO NOLO, EOQUE NOMINE OMNINO
B LIBERATUM ESSE VOLO. quæro, an si qua pecunia ex tutela apud eum remansit: peti ab eo possit? Respondit. nihil proponi, cur pecunia, quæ pupillæ fuisset, & apud tutorem posita maneret, legata uideretur. Testamento ita scripserat. TITIO ADFINI MEO QUIDQUID MIHI EX QUACUNQUE CAUSSA DEBEBAT, EI REMITTI VOLO. EOQUE AMPLIUS DECEM DO. codicillis ita scripsit. TITIO HOC AMPLIUS ADFINI ET DEBITORI MEO USURAM PECUNIAE, QUAM MIHI DEBET, AB HAEREDE MEO, DONEC ADVIVET. QUOD SI EXIGERE ULTRA VOLUNTATEM MEAM PUTAVERIT: EIUS SORTIS USURAM EIDEM TITIO AB HAEREDIBUS MEIS, DONEC VIVET, PRAESTARI VOLO. quæsitum est. cum augendi potius, quàm minuendi testator uoluntatem habuerit: an heredes ex caussa fideicommissi Titio teneantur, ut eum omni debito liberent? Respondit.
C secundum ea, quæ proponerentur, uideri minutum legatum, quod primo dederat. Legatum est testamento hoc modo. SEIO CONCEDI VOLO, QUIDQUID MIHI AB EO DEBITUM EST, VEL FIDEM MEAM PRO EO OBLIGAVI. quæro. utrum id solum, quod testamenti facti tempore debebatur, legatum sit: an etiam, si quid ex ea summa usurarum nomine postea accessit, legato cedat? Respondit. uideri omnem obligationem eius debiti per fideicommissum solui uoluisse. Sticho testamento manumisso, fundum instructum & alia legauit, & hæc uerba adiecit. QUEM RATIONEM REDDERE VETO, QUANQUAM INSTRUMENTA PENES SE HABEAT. quæsitum est, an Stichus reliqua, quæ ex administratione actus debuerat, reddere debuerit? Respondit. Stichũ eo nomine non teneri. CLAVDIUS. nemo enim ex seruitutis actu post libertatẽ tenetur, & cõsultatio ad ius debiti relatã
D fuit. retineri ergo reliqua possunt cum peculio, aut ex eo deduci, si legatum est. CENTUM, QUAE APUD APRONIANUM DEPOSITA HABEO, APUD IPSUM ESSE VOLO, DONEC FILIUS MEUS AD ANNOS VIGINTI PERVENERIT; EIUSQUE PECUNIAE USURAM EXIGI VETO. quęsitũ est, an ex caussa fideicommissi Apronianus consequi possit, ne ante tempus à testatore præscriptum ea summa ab eo exigatur? Respondit. secundum ea, quæ proponerentur, consequi posse. Filias hæredes scripserat, quarum fidei commisit in hæc uerba. NE À CAIO SEIO RATIONEM ACTUS REI MEAE, QUAE PER MENSAM, SIVE EXTRA, IN DIEM MORTIS MEAE GESTA EST, EXIGATIS, EOQUE NOMINE EUM LIBERETIS. quæsitum est. cum uniuersas rationes in diem mortis iste administrauerit, & per mensam suam, & extra mensam: an ad rationes reddendas hæredibus teneatur? Re
E spondit. liberationem quidem secundum ea, quæ proponerentur, legatam esse: sed quatenus præstanda sit, ex qualitate disceptationis iudicem æstimaturum. Eum, qui tutelam ipsius administrauerat, & fratrem suum & alios scripserat hæredes: & tutori legauit, quæ impenderat in se & fratrem ipsius decem. quæsitum est, an utile esset in persona eius fideicommissum? Respõdit. si id dederit per fideicommissum, quod debebatur: peti non posse. idẽ quæsit. si in tutoris persona inutile esset: an in persona fratris utile uideretur: quoniam illi proficeret, cuius & ipsius tutelã administrasset? Respondit. fratri inutiliter esse legatum: cum suo debito liberetur. Idem quæsit. si tutor amplecteretur fideicommissum ita, ut in quibusdam stari uelit uerbis testamenti, à quibusdam autem recedat, quod minorẽ quantitatem sumptuum dicat fideicommisso contineri, quàm ipse erogauerat: an audiri deberet? Respõdit. non impediri eum scriptura testamenti, quò minus omne, quod sibi deberi

 probasset

A DE ADIMENDIS VEL TRANSFERENDIS legatis, uel fideicommissis TIT. IIII.

I. PAVLVS.



QVI ACTV legato iter adimit, nihil adimit: quia nunquam actus sine itinere esse potest. II. POMPONIVS.

FVNDO legato adimi ita potest, FVNDVM ILLI PRAETER VSVMFRVCTVM NEQVE DO NEQVE LEGO: ut usufructus in legato relinquatur. sed & fructus adimi potest, ut proprietas relinquatur. Item pars fundi legari adimi potest.

B III. VLPIANVS.

SI QVIS ita legauerit, TITIO FVNDVM DO LEGO. SI TITIVS DECESSERIT: SEMPRONIO HAERES MEVS DARE DAMNAS ESTO: rectè translatum legatū uidetur. sed & si iam mortuo eo, cui legatum erat, easdem res transtulerit, Sempronio debetur. Si quis Titio legauerit sic, TITIO DATO: AVT SI TITIVS ANTEA DECESSERIT, QVAM ACCIPIAT, SEMPRONIO DATO: secundum meram subtilitatem utrique obligatum uideri hęredem, id est & Sempronio & hæredi Titij. sed si quidē mora Titio ab hærede facta est: ad hæredes eius legati exactio transmittitur, Sempronio repellendo. sin autem nulla mora intercessit: tunc Sempronius legatū accipiet, & non Titij hæredes. sed & si ante diem legati cedentem decesserit Titius: soli Sempronio debetur legatum. Idem dicendum est, & fideicommissa-
C tia hæreditate puero data, aut si ante restitutam decessisset, matri eius relicta: ut si puer ante diem legati cedentem decessisset, matri daretur: si post ea, ad pupilli hæredes fideicommissum transmittatur, utpote re ipsa mora subsecuta. sed & cum quis ita legasset, HAERES MEVS TITIO DATO. SI NON DEDERIT: SEMPRONIO DATO: ita demū Sempronio debetur, si dies eius in personam Titij non cessisset. Si quis ita legauerit, HAERES MEVS TITIO FVNDVM DATO, ET SI TITIVS EVM FVNDVM ALIENAVERIT, HAERES MEVS EVNDEM FVNDVM SEIO DATO: oneratus est hæres. non enim à Titio fideicommissum relictum est, si alienasset fundum, sed ab hærede eius legatum est. hæres igitur debebit doli exceptione posita, prospicere sibi cautione à Titio de fundo non alienando. Si quis plus, quàm dedit, ademerit: adēptio ualet. ueluti si quis uiginti legauerit, & quadraginta ademe-
D rit. Si loci usumfructum leget testator, & iter adimat: non ualet ademptio, nec uiciatur legatum: sicuti qui proprietatem fundi legat, iter adimendo legatum non minuit. Si duobus Titijs separatim legauerit, & uni ademerit, nec appareat, cui ademptum sit: utrique legatum debetur: quemadmodum & in dando, si non appareat, cui datum sit, dicimus neutri legatum. Si Titio fundus purè, eidemque sub cōditione legatus sit, deinde postea ademptus sit sic, TITIO FVNDVM, QVEM SVB CONDITIONE LEGAVI, HAERES MEVS NE DATO: ex nulla datione debetur: nisi specialiter dixerit, purè cum legatum uelle accipere. Conditio legati an adimi possit, uel hæreditatis, uel statuliberi, uidendū. & Iulianus scribit, in statulibero detractam conditionē non repræsentare libertatem. Papinianus quoque libro decimooctauo Quæstionum scribit, generaliter conditionem adimi non posse. nec enim datur
E conditio (inquit) sed adscribitur, quod autem adscribitur, nō potest adimi, sed quod datur. sed melius est, sensum magis, quàm uerba amplecti: & conditiones, sicut adscribi, ita adimi posse. Cum Titio centum testamento legasset, & eidem codicillis ita legasset, TITIO QVINQVAGINTA DVNTAXAT, NEC AMPLIVS HAERES MEVS DATO: non amplius quinquaginta legatarium petiturum. Non solum autem legata, sed & fideicommissa adimi possunt, & quidem nuda uoluntate. unde quæritur, an etiam inimicitijs interpositis fideicommissum non debeatur? & si quidē capitales uel grauissimæ inimicitię intercesserint: ademptum uidetur, quod relictum est, sin autem leuis offensa: manet fideicōmissum. secundum hoc & in legato tractamus, doli mali exceptione opposita.

IIII. IDEM.

QVOD SI iterum in amicitiam redierunt, & pœnituit testatorem prioris offensæ: le-

gatum uel fideicommissum relictum redintegratur. ambulatoria enim est uoluntas defuncti usque ad uitæ supremum exitum.

V. CAIVS.

SICVT adimi legatum potest, ita & ad alium transferri: ueluti hoc modo, QVOD TITIO LEGAVI, ID SEIO DO LEGO. quæ res in persona Titij tacitam ademptionem continet.

VI. PAVLVS.

TRANSlatio legati fit quatuor modis. aut enim à persona in personam transfertur: aut ab eo, qui dare iussus est, träsfertur, ut alijs detur: aut cum res pro re datur, ut pro fundo decem aurei: aut quod purè datum est, transfertur sub conditione. sed si id, quod à Titio dedi, à Mæuio dem: quamuis soleant esse duo eiusdem rei debitores: tamen uerius est, hoc casu ademptum esse legatum. nam cum dico, QVOD TITIVM DARE DAMNAVI, SEIVS DARE DAMNAS ESTO: uideor dicere, ne Titius det. Item si pro fundo decem, decem legentur: quidam putant, non esse legatum prius ademptum. sed uerius est, ademptum esse. nouissima enim uoluntas seruatur. G

VII. VLPIANVS.

QVOD si alij legetur sub conditione, quod alij purè legatum est: non plenè recessum uidetur à primo: sed ita demum, si conditio sequentis exstiterit. cæterum: si hoc animo fuerit testator, ut omnimodo recessum à primo putauerit: dicendum erit, à primo ademptum legatum.

VIII. IVLIANVS.

ET IDEO si uiuo restatore mortuus fuerit is, in quem translatum legatum fuerit: nihilo magis ad eum, à quo translatum fuit, pertinebit. H

IX. VLPIANVS.

CVM centum, quæ quis purè reliquit, conditione adiecta iterũ eidem legauit: siquidem quasi aliam hanc summam esse uoluit: & quod purè relictũ est, statim debebitur: & quod sub conditione adscriptum est, si conditio exstiterit. quod si eandem summã mutata uoluntate sub conditione reliquit: pura datio conditionalis effecta uidebitur. quarè si in eodem testamento, in quo centum adscripserat, postea quinquaginta reliquerit: siquidem alia uoluit esse hæc quinquaginta: centum quinquaginta debebuntur. sin uero quinquaginta tantum deberi uoluit: quinquaginta tantum debebuntur. idem est, & si in codicillis id fuerit factum.

X. IVLIANVS.

SI LEgatum purè datum Titio adimatur sub conditione, & pendente conditione Titius decesserit: quamuis conditio defecerit: ad hæredem Titij legatum non pertinebit. nam legatum, cum sub conditione adimitur, perinde est, ac si sub contraria conditione datum fuisset. Quod si ita legatum est, TITIO DECEM HAERES MEVS DATO. SI TITIO NON DEDERIT: EADEM DECEM SEMPRONIO DATO: si moriatur Titius ante diem legati, Sempronius legatum utiliter petet. translatum enim legatum intelligi debebit. I

XI. IDEM.

QVI hominem legat, & Stichum adimit, non perimit legatum, sed extenuat.

XII. VLPIANVS.

VT STIchum legatarius eligere non possit. K

XIII. MARTIANVS.

DIVI Seuerus & Antoninus rescripserunt, cum testator postrema scriptura, quapiam ratione motus, pessimum libertum esse adiecisset: ea, quæ priore scriptura ei relicta fuerãt, adempta uideri.

XIIII. FLORENTINVS.

LEGATA inutiliter data ademptione non confirmantur: ueluti seruo à domino hærede instituto purè legatum, si sub conditione adimatur. nam purè legatum si sub cõditione adimatur, sub contraria conditione datum intelligitur: & ideo confirmatur. ademptio autem quò minus, non quò magis legatum debeatur, interuenit. Quibus ex caussis datio legati inutilis est, ex eisdem caussis etiam ademptio inefficax habetur: ueluti si uiam pro parte adimas, aut pro parte liberum esse uetes.

Cum

XV. PAVLVS.

A CVM seruus legatus à testatore & alienatus, rursus redemptus sit à testatore: non debetur legatario, opposita exceptione doli mali. sanè si probet legatarius nouã uoluntatẽ testatoris: non submouebitur. XVI. IDEM.

NIHIL interest, inducatur, quod scriptum est, an adimatur.

XVII. PAVLVS.

NIHIL prohibet priorem scripturam posteriore corrigere, commutare, rescindere.

XVIII. MODESTINVS.

REM legatã testator uiuus alij donauit. omnimodo exstinguitur legatum. nec distinguimus, utrum propter necessitatẽ rei familiaris, an mera uoluntate donauerit: ut si necessitate B donauerit, legatum debeatur: si nuda uoluntate, non debeatur. hæc enim distinctio in donantis munificentiam non cadit: cum nemo in necessitatibus liberalis existat.

XIX. IDEM MODESTINVS *respondit.*

SI ADIMENDO legatum, quod Mæuio relictum sit, fideicommissum ab eo datum defuncti ctus reuocare noluit: hæredes ex caussa fideicommissi conueniri posse, rectè probari.

XX. POMPONIVS.

SI TRANSFERAM legatum in eum, cum quo nobis testamenti factio non est, siue in seruũ proprium, cui sine libertate legauero: licet eis non debeatur, nec illi tamẽ debebitur, cui fuit ademptum. XXI. LICINIVS RVFINVS.

C LEGATVM nulli alij adimi potest, quàm cui datum est. quapropter si filio aut seruo alieno legatum fuerit: domino aut patri legatum adimi non potest.

XXII. PAPINIANVS.

EX PARTE hæres institutus, etiã legatũ acceperat. cũ testator inimicitijs grauissimis persecutus, cum testamentum aliud facere instituisset, nec perficere potuisset, præterijt. hæreditariæ quidem actiones ei non denegabuntur: sed legatũ si petat, exceptione doli mali submouebitur. XXIII. IDEM.

PATER inter filios facultatibus diuisis, filiam ex ratione primipili commodorum trecentos aureos accipere uoluit, ac postea de pecunia commodorum possessionem comparauit. nihilominus fratres & cohæredes sorori fideicõmissum præstabunt. nõ enim assumptum D uidetur, quod in corpus patrimonij uersum est. cum autem inter filios diuiso patrimonio res indiuisas ad omnes cohæredes pertinere uoluisset: ita possessionem ex commodis comparatam diuidi placuit, ut in eam superflui precij filia portionem hæreditariã accipiat. hoc enim eueniret in bonis pecunia relicta.

XXIIII. IDEM.

LEGATVM sub conditione datum cum transfertur, sub eadem conditione transferri uidetur: si non conditio priori personæ cohæreat. nam si quis uxori sublatis liberis legauerit: repetita conditio nõ uidetur, quæ fuit in persona mulieris necessaria. Pater hortos instructos filiæ legauit. postea quædam ex mancipijs hortorum uxori donauit. siue donationes confirmauit, siue non confirmauit: posterior uoluntas filiæ legato potior erit. sed & si non E ualeat donatio: tamen minuisse filiæ legatum pater intelligitur.

XXV. IDEM.

ALTERI ex hæredibus præceptionem prædij dedit. mox alteri præstari aduersus debitorem actiones ad eum finem mandauit, quo prædium fuerat comparatum. cum postea distracto prædio citra ullam offensam eius, qui præceptionem acceperat, precium in corpus patrimonij redisset: non esse præstandas actiones cohæredi respondi.

XXVI. PAVLVS.

SI SERVO cum libertate dato legato, & alienato, adimatur libertas: quamuis alieno inutiliter adimatur: tamen legatum ad emptorem non peruenturũ. & meritò. constitit enim ademptio, quia possit redimi: sicut datio, cum in eum confertur, qui faciendi testamenti tempore fuit testatoris, deinde alienato codicillis libertas datur. quid ergo, si eum, quẽ liberum

esse

esse quis iusserat, manumiserit uiuus, deinde codicillis libertatẽ ei ademerit: uideamus, an perdiderit legatum uana ademptio libertatis. quod quidam putant. sed superuacua scriptu F
ra non nocet legato. XXVII. IDEM.

SI SERVVS legatus est, & ei aliquid: si alienato eo adimatur, quod legatum est: ualet ademptio: quia & legatum potest procedere, si redimatur. Seruo legato, & inter uiuos manumisso, si legatum adimatur: nullius momenti ademptio est. igitur legatum, quod ipsi datum est, capiet. nam & si rursus in seruitutem inciderit: non tamen legatum eius resuscitabitur. nouus enim homo uidetur esse.

XXVIII. PAVLVS.

SI TIBI certam rem legauero, & rogauero te, ut eam Titio restitueres: deinde eandẽ rem tibi fideicommisero, nec rogauero te, ut alij eam præstares: quæritur, an in tua potestate sit, G
ex caussa fideicommissi eligere, ut fideicommissum non præstes? & magis posteriorem scripturam testamenti placuit seruari.

XXIX. IDEM.

LIBERTUS, qui in priore parte testamenti legatum acceperat, & ingratus postea eadẽ scriptura à testatore appellatus est: commutata uoluntate actionem ex testamẽto habere non potest. XXX. SCAEVOLA.

ALVMNAE suæ Semproniæ plura legauerat. quædam ex his abstulit: quædam, ut præstarentur ab hærede suo, petijt. in quibus & uiginti dari uoluit his uerbis. HOC AMPLIVS DO LEGO, DARI QVE VOLO VIGINTI AVRI LIBRAS. & adiecit. FIDEI QVE TVAE ATTI COMMITTO, VT IN PRIMIS SERORIS SOROREM TVAM PRO TVA PIETATE H
ET REGERE ET TVERI VELIS. ET SI PVTAVERIS EAM AD BONAM VITAE CONSVETVDINEM REVERSAM, ITA VIGINTI AVRI LIBRAS EI REDDERE, CVM MORIERIS: VT INTERIM TAMEN REDITVS EIVS, ID EST VSVRAS SEMISSES EI PRAESTES. postea codicillis ad Mæuium legatarium easdẽ uiginti libras auri transtulit, & fidei eius commisit in hæc uerba. VIGINTI LIBRAS AVRI, QVAS TESTAMENTO SEMPRONIAE ALVMNAE MEAE RELIQVI, EAS DARI VOLO MAEVIO, CAVTIONIBVS INTERPOSITIS, VT EX EA SVMMA EIDEM SEMPRONIAE, QVAMDIV ADVIXERIT, PRAESTET MENSTRVOS DENARIOS QVINQVE, ET VESTIARII NOMINE DENARIOS CENTENOS VICENOS QVINOS, ID QVE FIDEI VESTRAE COMMITTO. CERTA SVM AVTEM TE MAEVI PRO TVA PIETATE PETITVRVM AB HAEREDE : VO, VT VOLVNTAS I
MEA IN PERSONAM ALVMNAE MEAE DVRET. quæsitum est, an Mæuius legatarius cogendus sit post mortẽ suã uiginti libras auri Semproniæ restituere, sicut rogatus fuerat Attius hæres? respondit. secundum ea, quæ proponerentur, uiginti quidem auri libras nõ cogendũ præstare: sed alia, quæ ab eo alumnæ relicta sunt, deberi & à Mæuio & ab hærede eius, donec uiuat alumna. Titia testamento Seiam libertam eandemq́ collactaneam ex parte duodecima hæredẽ instituerat. Pamphilo liberto suo prædia per fideicõmissum dedit, in quibus & σύγκλησιν prædiorũ, quæ appellabatur circa Colonam. eidemq́ liberto cum postea per epistolã alias etiã res donauit, in ea de Seia & Pamphilo ita locuta est. Κληρονόμοις μου χαίρειν. βούλομαι βέβαια εἶναι τὰ ὑποτεταγμένα, ἃ καὶ ἔφθασα εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Παμφίλου πεποιημένα. ἐὰν Σεία ἡ σύντροφος μου κληρονόμος μὴ γένηται, ἐξ οὗ γέγραφα αὐτὴν μέρους. βούλομαι αὐτῇ δοθῆναι σύγκλησιν περὶ τὴν κολώνην. quæsitum est. cũ Seia liberta, omissa parte hæreditatis ei testamẽto adscripta, ex codicillis fideicõmissum, id est σύγκλησιν circa Colonã eligat: an si Pamphilus ex caussa fideicõmissi eadem prædia uindicet, doli mali exceptione submoueri debeat? respondi. translatum uideri fideicõmissum prædiorũ, id est σύγκτησιν, quæ est circa Colonam. Seia liberta ab hæredibus petierat, ut si in prouincia decessisset, sexaginta Lucio Titio darentur, ut is corpus eius curaret, & in patriã reportaret: & adieceerat hæc uerba. CVI CONCEDI VOLO, SI QVID EX EA PECVNIA SVPERERIT. eadem die codicillos ad hæredes suos ita scripserat. PETO A VOBIS, VT SIVE IN PROVINCIA, SIVE IN VIA ALIQVID MIHI HVMANITVS ACCIDERIT: CORPVS MEVM CVRETIS

A TIS ET IN CAMPANIAM, ET IN MONVMENTVM FILIORVM MEORVM REPORTARI. quæsitum est, an id, quod superfuerit ex sexaginta, Lucio Titio tacitè ademerit? respondit. ademptum uideri. Qui filias ex disparibus portionibus testamento hæredes instituerat, penè omnium bonorum suorum eodem testamento diuisioné fecit. deinde hæc uerba adiecit. τὰ δ' λοιπὰ πάντα τῶν ὑπαρχόντων μου, ὁμοίως καὶ τὰ τῆς κληρονομίας βάρη ἴσαι μόνων τῶν δύο θυγατέρων Πρίμης καὶ Σεκούνδης, ἢ τῆς ἐξ αὐτῶν περισώσης. postea codicillis longè aliam diuisionem fecit bonorum suorum inter easdem, inter quas & testamento diuiserat: quædam tamen nulli nominatim dedit. quæsitum est, an Prima & Secunda filiæ ex uerbis testamenti consequi possint, ut solæ habeant ea, quæ nominatim nulli relicta sunt in diuisione, quæ nouissimè à patre facta est? respódit, nó à tota uoluntate recessum uideri, sed his
B tantum rebus, quas reformasset. Cum post apertas tabulas testaméti Priscianus uixerit. de cuius legata portione hęreditatis mater epistola ita cauerat, QVONIAM COGNOVI PRISCIANVM FILIVM MEVM IN EXTREMIS ESSE: IVSTISSIMVM ET PIISSIMVM DVXI, PORTIONEM EIVS HAEREDITATIS, QVAM EI TESTAMENTO DEDERAM, LEGARE MARIANO FRATRI MEO ET IANVARIO MARITO MEO AEQVIS PORTIONIBVS. ET SI QVID AMPLIVS EI LEGAVERAM, ET ID (SI QVID HVMANITVS EI CONTIGERIT) DO LEGO, DARIQVE EIS VOLO: postea ex eadem infirmitate Priscianus decessit. quæsitum est, an legatum quoque eius ad Ianuarium & Marianú ex caussa fideicómissi pertineat? respondit. posse uideri (si decessisset ex ea infirmitate) omnimodo & legatum ad eos, de quibus quæreretur, transtulisse.

C XXXI. IDEM.

FILIO ex parte hærede instituto, duos fundos cum mancipijs & instruméto omni legauit. idem uxori plura legata & seruos Stichum & Damam legauit sed cum in altero ex fundis filio prælegatis cognouisset uillicum non esse: Stichum misit, & tam rei rusticæ, quàm rationibus fundi præfecit. quæsitum est, Stichus utrum ad uxorem, an ad filium pertineret? respondit cum memor erat eorum, quæ testaméto cauisset: Stichú his prædijs, in quæ translatus est, actorem cédere, nec uxorem posse Stichum ex fideicómissi caussa petere. Matri suæ hæredi ex parte institutæ quatuor prædia legauit, & fidei eius cómisit, ut ex his duo socero restitueret. deinde codicillis socero ademit fideicómissum. quęsitum est, an nihilominus ex prælegatione ad matrem pertinerent? respondit. nihil proponi, cur ad matrem pertinerent. Seia testaméto suo legauit Titio auri pondo quinque. Titius accusabat eam, quod
D patrem suum mandasset interficiendum. Seia post institutam accusationem codicillos confecit, nec ademit Titio priuigno legatum, & ante finé accusationis decessit acta caussa. pronunciatum est, patrem Titij scelere Seiæ non interemptum. quæro. cum codicillis legatum, quod in testamento Titio dederat, non ademerit: an ab hæredibus Seiæ Titio debeatur? respondit, secundum ea, quæ proponerentur, non deberi. Filiæ, quam in potestate habebat, inter cætera legauit peculium. Idem post testamentum factum pecuniam à debitore filiæ exegit, & in suam rationem conuertit. quæro, an filia eo nomine cum hæredibus patris agere possit? respondit. si probaretur, non adimendi animo factum: agere posse.

XXXII. VENVLEIVS.

DETRAHERE legatis uel adijcere, si nihil præter numeratam pecuniá legatú sit, prom-
E ptum est. cum uero res corporales interueniunt: & scriptura difficilior fit, & obscura ob id portio. Cum libertas adimitur: legata seruis relicta nihil attinet adimi.

DE REBVS DVBIIS. TIT. V.

I. PAPINIANVS.


FVNDVM Mæuianum aut Seianum Titio legauerat. cú uniuersa possessio plurium prædiorum sub appellatione fundi Mæuiani rationibus demonstraretur: respondi, non uideri cætera prædia legato uoluisse defunctú cédere, si fundi Seiani preciú à fundi Mæuiani precio nó magna pecunia distingueretur.

II. IDEM.

Ciuibus

Civibvs ciuitatis legatum uel fideicõmissum datum, ciuitati relictum uidetur. F

III. PAVLVS.

In ambiguo sermone non utrunque dicimus, sed id duntaxat, quod uolumus. itaque qui aliud dicit, quam uult: neque id dicit, quod uox significat, quia non uult: neque id, quod uult, quia id non loquitur.

IIII. IDEM.

Pavlvs respondit. id, quod conditionis implendæ caussa dandum est, sine dubio certis & incertis personis dari debere, ut fideicommissi petitio possit competere.

V. IDEM.

Pavlvs respondit. cum nomen fideicommissarij testamento adscriptum non sit: nulli personæ, neque certæ, neque incertæ datum fideicommissum uideri, indubitatum est. G

VI. CAIVS.

Qvidam relegatus facto testamento post hæredis institutionem & post legata quibusdam data ita subiecit. SI QVIS EX HAEREDIBVS CAETERIS QVE AMICIS, QVORVM HOC TESTAMENTO MENTIONEM HABVI, SIVE QVIS ALIVS RESTITVTIONEM MIHI IMPETRAVERIT AB IMPERATORE, ET ANTE DECESSERO, QVA ME I GRATIAS EGERIM: VOLO DARI EI, QVI ID EGERIT, A CAETERIS HAEREDIBVS AVREOS TOT. unus ex his, quos hæredes scripserat, impetrauit ei restitutionem, & antequam id sciret, decessit. cum de fideicõmisso quæreretur, an deberetur? consultus Iulianus respondit, deberi. sed & si non hæres, uel legatarius, sed alius ex amicis curauit cũ restitui: & ei fideicommissum præstari. Si tibi & posthumo suo uel alieno hæreditatem restituere quis rogauerit. H

VII. MAETIANVS.

Vel ex parte posthumum hæredem instituisset, legatúmue similiter uel fideicõmissum dedisset.

VIII. CAIVS.

Vtrvm ita posthumus partem faciat, si natus sit, an & si natus nõ sit, quæritur? ego commodius dici puto. si quidem natus non est: minimè eum partem facere, sed totum ad te pertinere, quasi ab initio tibi solido relicto. sin autem natus fuerit: utrosque accipere, quantum cuique relictum est: ut uno nato, pars tibi dimidia debeatur: duobus natis, tertia tibi debeatur: tribus natis (quia tergemini quoque nascuntur) quarta. & nostra quidem ætate Serapia Alexandrina mulier ad diuum Hadrianum perducta est cum quinque liberis, quos uno fœtu enixa est. sed tamen quod ultra tres nascitur, ferè portentosum uidetur. Cum quidam pluribus hæredibus institutis, unius fideicommisisset, ut cum moreretur, uni ex cohæredibus, cui ipse uellet, restitueret eam partem hæreditatis, quæ ad eum peruenisset: uerissimum est, utile esse fideicommissum. nec enim in arbitrio eius, qui rogatus est, positum est, an omnino uelit restituere, sed cui potius restituat. plurimum enim interest, utrũ in potestate eius, quẽ testator obligari cogitat, faciat, si uelit dare: an imposita necessitate dandi, soli ei distribuendi liberum arbitrium concedat. Quæsitum est. si cohæredes ex disparibus partibus scripti sint: utrum partes suas in uiriles partes restituere singulis debeant, an pro portionibus hæreditarijs, ex quibus hæredes scripti sunt? & placuit, si testator ita restitui iussisset partem, si aliquam pecuniam dedisset: siquidem æquas partes iussi fuerint dare: conueniens uideri esse, etiam ex fideicommisso æquas partes ei restitui oportere. si uero dispares in ea pecunia distribuenda significasset testator, ut uideatur hæreditarijs portionibus congruere: consentaneum esse, etiam fideicommissum pro hæreditarijs partibus eis restitui debere. I K

IX. PAVLVS.

Si inter uirum & uxorem donatio facta fuerit: priore defuncto, cui donatũ est, ad eum res redit, qui donauerat. quod si simul tam is, cui donatum est, quàm is, qui donauerit: quæstionis decidendæ gratia magis placuit ualere donationẽ: eo maximè, quod donator non superuiuat, qui rem concedere possit.

X. TRIPHONINVS.

Qvi duos impuberes filios habebat, ei qui supremus moreretur, Titium substituit. duo impuberes simul in naue perierunt. quæsitum est, an substituto, & cuius hæreditas deferatur?

A tur: dixi. si ex ordine uita decessissent: priori mortuo frater ab intestato hæres erit, posterio ri substitutus. in ea tamen hereditate etiam ante defuncti filij habebit hæreditatem. in proposita autem quæstione, ubi simul perierunt: utrum quia neuter frater superstes fuit, quasi utrique ultimi decessisse uideantur: an uero neutri, quia comparatio posterioris decedētis ex facto prioris mortui sumatur, quęritur: sed superior sententia magis admittēda est, ut utrique hæres sit. nam & qui unicum filium habet, si supremum morienti substituit, non uidetur inutiliter substituisse: & proximus adgnatus intelligitur etiam qui solus est, quique nemi nem antecedit. & hic utrique, quia neutri eorum alter superstes fuit, ultimi primique obierūt.

Cum bello pater cū filio perisset, materque filij quasi postea mortui bona uindicatet, adgnati uero patris quasi filius ante perijsset: diuus Hadrianus credidit patrē prius mortuū.

B Si cum filio suo libertus simul perierit: intestati patrono legitima defertur hæreditas: si non probatur superuixisse patri filius. hæc enim reuerētia patronatus suggerente dicimus.

Si maritus & uxor simul perierint: stipulatio de dote ex capitulo SI IN MATRIMONIO MULIER DECESSISSET habebit locum: si non probatur illa superstes uiro fuisse. Si Lucius Titius cum filio pubere, quem solum testamēto scriptum hæredem habebat, perierit: intelligitur superuixisse filius patri, & ex testamento hæres fuisse, & filij hæreditas successoribus eius defertur: nisi contrarium adprobetur. quod si impubes cum patre filius perierit: creditur pater superuixisse: nisi & hic contrarium adprobetur.

XI. VLPIANVS.

C SI FVERIT legatum relictum ex cognatis meis, qui primus capitolium ascenderit: si simul duo uenisse dicantur, nec appareat, quis prior uenerit: an impeditur legatum? uel si ei, qui monumentū fecerit. & plures fecerint: uel ei, qui maximus natu est, & duo pares ætate sint? sed & si legatum Sempronio amico fuerit relictum, & duo sint æqua charitate coniuncti: aut si duobus eiusdem nominis fuerit legatum (putā Sempronijs) mox Sempronio ademptū sit, nec appareat, cui ademptū sit: utrū datio in utriusque persona infringatur, an ademptio nulla sit, quæri potest? Item si ex pluribus seruis eiusdem nominis uni uel quibusdā libertas relicta est? & uerius est, in his omnibus etiā legata & libertates impediri: ademptione autem in utrunque ualere. Planè si ita ancilla libertatē acceperit, SI PRIMVM MAREM PEPERERIT, LIBERA ESTO: & hæc uno utero marem & fœminam peperisset: siquidē certum est, quod prius ēdidisset: non debet de ipsius statu ambigi, utrum libera sit, nécne. sed

D nec filiæ. nam si postea ēdita est: erit ingenua. sin autem hoc incertū est, nec potest per subtilitatem iudicialem manifestari: in ambiguis rebus humaniorem sententiam sequi oportet: ut tam ipsa libertatem consequatur, quam filia eius ingenuitatē, quasi per præsumptionē priore masculo ēdito.

XII. IVLIANVS.

QVOTIES libertis ususfructus legatur, & ei, qui nouissimus superuixerit, proprietas: utile est legatum. existimo enim omnibus libertis proprietatem sub hac conditione, SI NOVISSIMVS SVPERVIXERIT, dari.

XIII. IDEM.

QVOTIES in actionibus aut in exceptionibus ambigua oratio est: commodissimum est id accipi, quo res, de qua agitur, magis ualeat, quàm pereat.

E XIIII. IDEM.

SI IS, qui ducenta deposuit, ita lēget Seio, CVM DVCENTIS, QVAE APVD EVM DEPOSVI, TRECENTA LEGO: singulæ summæ separatæ quidem certam habent demonstrationem, coniunctione uero tali incidunt in ambiguitatem. sed dicendum est, non trecenta, sed quingenta deberi: quia duę summæ iunguntur. Si quis lēget, FVNDVM SEIANVM HABERES MEVS ATTIO CVM DIONE MAEVII SERVO DATO: dubitatur quidē, Dioni quoque fundus legatus sit, an Dio cum fundo legatus sit. sed magis dicendum est, non solum fundum, sed etiam seruum Dionem esse legatum: maximè, si nullas iustas caussas habuit Dio ni legandi. Cum ita stipulationem concipimus, SI HOMINEM AVT FVNDVM NON DEDERIS, CENTVM DARE SPONDES? utrunque est faciendum, ne stipulatio committatur:

id est, siue alterū, siue neutrū factū sit, tenebit stipulatio. idemq́ue est euidenter, cum proposi- F
tis specialiter pluribus rebus, quas fieri uolumus, ita stipulamur, SI QVID EORVM FA-
CTVM NON ERIT? ueluti STICHVM, ET DAMAM, ET EROTEM SISTI? SI QVIS EORVM
NON STITERIT, DECEM DARI? necesse est enim omnes sistere, ut stipulationi satisfiat. uel
(ut propius accedamus) fingamus ita stipulationē factam, SI STICHVM, ET DAMAM, ET
EROTEM NON STITERIS, DECEM DARI? neq; enim dubitamus, quin æquè omnes sisti
oporteat. Vtrum ita concipias Stipulationem, SI ILLVD AVT ILLVD FACTVM NON
ERIT: an hoc modo, SI QVID EORVM FACTVM NON ERIT, QVAE VT FIERENT, COM
PRAEHENSA SVNT, hoc interest: quod quamuis altero facto, uerū sit, hoc aut illud uerè fa
ctum esse: non ideo tamē uerū erit, hoc aut illud factū nō esse. nam simul ea possunt esse ue- G
ra, quamuis inter se contraria sunt: quia cum significatio non ex uniuerso, sed ex aliquo su-
mitur: si uerum aliquid inde sit, ueram efficit totam orationem: sicut è contrario duæ oratio
nes pugnantia continētes simul falsæ sunt. ueluti si qui liberorū partim puberes, partim im
puberes decesserint. nā & hoc falsum erit, omnes impuberes decessisse: & illud, omnes pu-
beres decessisse id accidit, quia significatio sumitur ex uniuerso, in quo si aliquid falsum est,
totam orationē falsam efficit. animaduertendum igitur est, quid sit, de quo quæritur. nā cū
ita concipio, SI ILLVD AVT ILLVD FACTVM NON ERIT: quæri debet, an aliquid factum
non sit. illius effectus hic est, ut neutrum fiat: huius autē, ut utrunq; fiat. nec in illo prodest
aliquid non fecisse, si aliquid factum sit: neq; in hoc aliquid fecisse, si aliquid factum nō sit.
proinde si quis interroget, EORVM QVID, QVAE TIBI OBIICIVNTVR, FECISTI? ille ne- H
get: hoc exprimit, EORVM QVID, QVAE OBIICIVNTVR, NON FECI, id est nihil horū fe-
ci. Si quis autem plura in stipulatum deducat, quorum unum fieri uelit: ita comprehēde-
re debet, ILLVD AVT ILLVD FIERI SPONDES? SI NIHIL EORVM FACTVM ERIT, TAN
TVM DABIS? Item si paterfamiliâs in testamento ita scripserit, SI QVIS MIHI FILIVS
AVT FILIA GIGNETVR, HAERES MIHI ESTO. SI MIHI FILIVS AVT FILIA HAERES
NON ERIT, SEIVS ESTO: non satis uoluntatē suam declarauit, si non aliter extraneū hære-
dem esse uolet, quàm si neq; filius neq; filia hæres sit. hoc enim modo concipi oportet, SI MIHI
NEC FILIVS NEC FILIA HAERES ERIT. potest autem interdum superior scriptura esse ne
cessaria: si quis cum filium & filiam habeat, utrunq; hæredem instituere uelit. sed siue alter
futurus hæres sit, extraneum miscere: siue neutri, extraneum substituere. sed procliuius est, I
sententiā testatoris sic esse interpretandam: ut siue filius, siue filia nati ei fuerint: extraneus
non admittatur, nisi specialiter hæc testator expressit.

XV. MARTIANVS.

SI QVIS ita scripserit, ILLIS, QVI TESTAMENTVM MEVM SIGNAVERVNT, HAERES
MEVS DATO DECEM. Trebatius utile legatū esse putat. quod Pomponius uerius esse exi-
stimat: quia ipsum testamentum confirmatur testibus adhibitis. quod uerū esse existimo.

XVI. IDEM.

QVAEdam sunt, in quibus res dubia est, sed ex post facto retroducitur, & apparet quid
actum sit. ut ecce si res legata fuerit, & deliberante legatario eam rem hæres alij tradiderit.
nam si quidē uoluerit legatarius habere legatū: traditio nulla est. si uero repudiauerit: ualet. K
Tantundem est, & si pecuniam hæreditariam legatam crediderit hæres. nam si quidē non
repudiauerit legatarius: alienam pecuniam credidit. si uero repudiauerit: suam pecuniā cre-
didisse uidetur. quid ergo si consumpta fuerit pecunia? utiq; idem erit ex euentu dicēdum.

XVII. IDEM.

QVOD de pariter mortuis tractamus, & in alijs agitatum est. ut ecce si mater stipulata
esset dotem à marito, mortua filia in matrimonio sibi reddi, & simul cum filia perijsset: an
& hæredibus matris actio ex stipulatu competeret? & diuus Pius rescripsit, non esse com-
missam stipulationem: quia mater filiæ non superuixit. Idem quæritur, si extraneus, qui
dotem stipulatus est, simul cum marito decesserit, uel cum ea, propter quam stipulatus est:
an ad hæredem suum actionem transmittat.

Idem

A XVIII. PAVLVS.

IDEM est, si dos uxori prælegata sit, & simul cum marito perierit.

XIX. MARTIANVS.

SED & in illo quæritur, si pariter pupillus, & qui ei substitutus erat, frater necessarius decesserit: frater fratri hæres existat, an contrà? uel si duo inuicem necessarij substituti sunt, & unà perierint: an hæredes exstitisse uideantur? uel alter alteri, si inuicem hæreditatem rogati fuerint restituere? in quibus casibus si pariter decesserint, nec appareat, quis ante spiritū emiserit: non uidetur alter alteri supetuixisse. Sed & circa legem Falcidiam, si dominus cū seruis simul uita functus sit, serui quasi in bonis eius mortis tempore fuerint, non computantur.

B XX. VLPIANVS.

SI cognatis legatum sit, & hi cognati quidem esse desierint, in ciuitate autem maneant: dicendum, deberi legatum. cognati enim testamenti facti tempore fuerunt. certè si quis testamenti facti tempore cognatus non fuit, mortis autem tempore factus est per adrogationem: facilius legatum consequitur. Si quis cognationi lēget: idem est, atq; si cognatis legasset.

XXI. PAVLVS.

CVM senatus tēporibus diui Marci permiserit collegijs legari: nulla dubitatio est, quin si corpori, cui licet coire, legatum sit, debeatur. cui autē non licet, si lēgetur: non ualebit, nisi singulis lēgetur. hi enim nō quasi collegiū, sed quasi certi homines admittētur ad legatum.

XXII. IDEM.

C VBI est uerborū ambiguitas, ualet quod acti est. ueluti cū Stichum stipulet, & sint plures Stichi: uel hominē Carthagini, cū sint duæ Carthagines: semper in dubijs id agēdum est, ut q̄ tutissimo loco res sit bona fide contracta: nisi cum apertè contra leges scriptum est.

XXIII. LABEO.

CVM pubere filio mater naufragio perijt. cum explorari nō possit, uter prius exstinctus sit: humanius est, credere filium diutius uixisse.

XXIIII. CAIVS.

SI MVLIER cum filio impubere naufragio perijt: priorem filiū necatum esse intelligitur.

XXV. MARCELLVS.

CVM in testamento ambiguè aut etiam perperam scriptum est: benignè interptetari, & D secundum id, quod credibile est, cogitatum, credendum est.

XXVI. CELSVS.

QVEM HAEREDI MEO DIXERO VELLE ME LIBERVM ESSE, LIBER ESTO. CVI VT DARE DAMNAS SIT HAERES MEVS DIXERO, EI HAERES MEVS DAMNAS DARE ESTO. testatoris uoluntas (si quibusdam argumentis apparebit, de quo dixit) adimplēda est.

XXVII. IDEM.

CVM quæritur in stipulatione, quid acti sit: ambiguitas contra stipulatorem est.

XXVIII. MODESTINVS.

SI QVIS de pluribus unum manumitti uoluerit, nec appareat, de quo manumittendo testator senserit: nulli eorum fideicommissaria libertas competit.

E XXIX. LABEO.

QVI habebat Flaccum fullonem & Philonicum pistorem, uxori Flaccum pistorem legauerat. qui eorum, & num uterq; debebitur? placuit primo eum legatum esse, quem testator legare sensisset. quod si non appareret: primum inspiciendum esse, an nomina seruorū dominus nota habuisset. quod si non nota habuisset: eum deberi, qui nominatus esset, tamets si in artificio erratū esset. sin autem ignota nomina seruorum essent: pistorem legatum uideri perinde, ac nomen ei adiectum non esset.

XXX. SCAEVOLA.

PLVRES testamento manumiserat: in quibus Sabinam & Cyprogeniā, cum quisq; eorum ad tricesimum annum ætatis peruenisset, & cum liber quisq; eorum esset, certam summam dare uoluit: & coniuncta scriptura ita cauerat, SABINAE ET CYPROGENIAE DARI

CVM AD STATVTAM AETATEM PERVENERINT, SINGVLIS DECEM. ET HOC AMPLIVS ALIMENTORVM NOMINE IN ANNOS SINGVLOS, QVOAD VIVENT, SINGVLIS DECEM. quæsitũ est, utrũ omnibus manumissis alimenta debeātur, an uero Sabinæ & Cyprogeniæ solis? respõdi, secundũ ea, quæ proponerētur, uideri omnibus alimēta legata.

DE HIS, QVAE POENAE CAVSSA RELINquuntur TIT. VI.

I. AFRICANVS.


FILIO etiã familiãs uel seruo hærede instituto, si in patris dominiue pœnam illicitè uel probrosè datũ est, nullius momēti legatũ esse respondit. nõ enim id solũ, quod in hæredis, sed omne, quod in cuiusq; lucrũ aliquod ex ultima uoluntate sentiētis, pœnã in testamēto scriptũ sit, nullius momēti habēdum esse. G

II. MARTIANVS.

POENAM à conditione uoluntas testatoris separat. & pœna, an conditio, aut translatio sit, ex uoluntate defuncti apparet: idq; diuus Seuerus & Antoninus rescripserunt.

DE REGVLA CATONIANA TIT. VII.

I. CELSVS.


CATONIANA regula sic definit. quod si testamenti facti tempore decessisset testator, inutile foret: id legatum, quandocunq; decesserit, non ualere. quæ definitio in quibusdam falsa est. quid enim, si quis ita legauerit, SI POST CALENDAS MORTVVS FVERO, TITIO DATO? an cauillamur? nam hoc modo, si statim mortuus fuerit: non esse datum legatũ uerius est, quàm inutiliter datum. item si tibi legatus est fundus, qui scribendi testamenti tempore tuus est: si eum uiuo testatore alienaueris: legatum tibi debetur, quod non deberetur, si testator statim decessisset. H

II. PAVLVS.

SED & si sic legauerit, SI FILIA MEA TITIO NVPTA ERIT: sufficere uisum est, si mortis tempore nupta inueniatur, licet testamenti facti tempore fuerit impubes.

III. PAPINIANVS.

CATONIANA regula non pertinet ad hæreditates, neq; ad ea legata, quorũ dies non mortis tempore, sed post aditam hæreditatem cēdit. I

IIII. VLPIANVS.

PLACET Catonis regulam ad conditionales institutiones non pertinere.

V. IDEM.

REGVLA Catoniana ad nouas leges non pertinet.

DE HIS, QVAE PRO NON SCRIPTIS habentur TIT. VIII.

I. IVLIANVS.

SI QVIS hæreditatem, uel legatum sibi adscripserit: quæritur, an hęreditas, uel legatum pro non scripto habeatur? & quid si substitutũ habeat huiusmodi institutio? respondi. pars hæreditatis, de qua me consuluisti, ad substitutum pertinet. nam senatus, cum pœnam legis Corneliæ constitueret aduersus eum, qui sibi hæreditatem uel legatum scripsisset: eodem modo improbasse uidetur, quo improbatæ sunt illæ, QVA EX PARTE ME TITIVS HAEREDEM SCRIPTVM IN TABVLIS SVIS RECITAVERIT, EX EA PARTE HAERES ESTO: ut perinde haberentur, ac si insertæ testamento non fuissent. K

II. ALFENVS.

QVAE in testamēto scripta essent, neq; intelligerētur, quid significarent: ea perinde esse, ac si scripta non essent. reliqua autem per seipsa ualere.

Si in

A III. MARTIANVS.

Si in metallum damnato quid extra caussam alimentorum relictum fuerit: pro non scripto est, nec ad fiscum pertinet. nam pœnæ seruus est, non Cæsaris. & ita diuus Pius rescripsit. Sed & si post testamentum factum hæres institutus, uel legatarius in metallū damnatus sit: ad fiscum non pertinet. Item si seruo alieno quid legatum fuerit, & postea à testatore redemptus sit: legatum exstinguitur. nam quæ in eam caussam peruenerunt, à qua incipere non possunt, pro non scriptis habentur.

IIII. VLPIANNVS.

Si eo tempore, quo alicui legatum adscribebatur, in rebus humanis non erat: pro non B scripto hoc habetur. sed & si in hostium potestate erat, quo tempore testamentū fiebat, neque ab hostibus redijt: pro non scripto erit. & ita Iulianus scribit.

V. IDEM.

Qvod quis sibi adscripserit, si alij restituere à testatore iussus est: cum onere fideicommissi id apud hæredē remanet, quamuis pro non scripto sit. idē est & in testamento militis.

DE HIS, QVAE VT INDIGNIS AVFERuntur. TIT. IX.

I. MARTIANVS.

Divi Seuerus & Antoninus rescripserunt, quasi indignum carere legato seu fi- C deicommisso libertum, quæ ei ex testamento patroni relicta fuerant, cum patronum suum post mortem eius quasi illicitæ mercis negociatorem detulerat, quamuis & præmium meruerit.

II. IDEM.

Avfertvr hæreditas ex asse, & ad fiscum pertinet, si emancipatus filius cōtra tabulas bonorum possessionem patris, ut præteritus petierit, & ex substitutione impuberis adierit hæreditatem. Item si quis contra mandata duxerit uxorē ex ea prouincia, in qua officium aliquod gerit: quod ei ex testamento uxoris acquisitum est, diui Seuerus & Antoninus rescripserunt, retinere eum non posse: tanquam si tutor pupillam contra decretum amplissimi ordinis in domum suam duxisset. utroq; ergo casu, & si ex asse hæres institutus adierit D hæreditatem, fisco locus fit. nam quasi indigno ei aufertur hæreditas. per contrarium autē ducta tam ab eo, qui officium in prouincia gerebat, quàm à tutore illicitè: magis est, ut dicatur capere ex testamento, nec quasi indignam esse repellendam. idem erit, si quis uiui ignorantis bona uel partem bonorum alicuius cognati donauerit. nam quasi indigno aufertur.

III. IDEM.

Indignvm esse diuus Pius illum decreuit (ut & Marcellus libro duodecimo Digestorū refert) qui manifestissimè comprobatus sit id egisse, ut per negligentiam & culpam suā mulier, à qua hæres institutus erat, moreretur.

IIII. VLPIANVS.

Papinianvs libro quinto Quæstionum ait. si quis unū hæredem quasi per falsum ad- E scriptum accusauit: legatum ei non auferri à cohærede relictum, quem non inquietauit.

V. PAVLVS.

Post legatum acceptum non tantum licebit falsum arguere testamentum, sed & testamentum non iure factum contendere. inofficiosum autē dicere non permittitur. Ille, qui non iure factum contendit, nec obtinuit: non repellitur ab eo, quod meruit. ergo qui legatum consecutus, postea falsum dixit: amittere debebit, quod cōsecutus est. De eo uero, qui legatum accepit, si neget iure factum esse testamentum, diuus Pius ita rescripsit cognati Sophronis, licet ab hærede instituto legata acceperunt: tamen si is eius cōditionis fuerit uisus, ut obtinere hæreditatem non possit, & iure intestati ad eos cognatos pertineat: petere hæreditatem ipso iure poterunt. Prohibendi autem sint, an non: ex utriusq; persona, conditione, ætate, cognita caussa à iudice constituendum erit. Amittere id, quod testamento me-

ruit,& cum placuit,qui tutor datus excusauit se à tutela,sed si consecutus fuerit:non admittetur ad excusationem.diuersum puto in eo,qui legatum tantum meruit,& à matre pupilli tutor petitus,excusare se maluit hic enim nihil contra iudicium defuncti fecit.sed hoc legatum,quod tutori denegatur,non ad fiscum transfertur,sed filio relinquitur, cuius utilitates desertæ sunt. Si pater accusauerit testamentum,uel dominus: denegabitur ei actio etiam eius,quod filio eius, uel seruo legatum est, si ad ipsos emolumentum rei peruenturum est. quod si personam illorum spectet: diuersum dicendum est. Si seruum suum rogatus sit manumittere,qui legatum meruit,uel etiam ipsi seruo utrunque datum sit:dicẽdum est,non debere obesse seruo factum domini:sed à fisco redimendum,ut manumittatur:si tamen uelit seruum uendere:quia non potest cogi, qui iudicium spreuit defuncti. Si filiusfamilâs falsum accusauerit testamentum:uidendum est,an denegari debeat actio patri. & puto, si inuito patre accusauit:non esse denegandam patri actionem. Si is,cui rogatus sum legatum restituere,falsum dixerit:restituere id fisco debebo. Qui accusauit falsum,hæres legatario exstitit,uel hæredi scripto. nihil huic nocere dicendum est.similis est ei, & qui in officiosum dixit. Aetati eius,qui accusauit,ignoscitur: & maximè,si tutor, uel curator dicere falsum,uel inofficiosum uelint.& ita imperatores Seuerus & Antoninus rescripserũt. His quoque,qui testimonio suo intentionẽ adiuuauerũt accusatoris,denegãda est actio. idemque diuus Seuerus decreuit. Sunt,qui putant(& rectè) & ei denegandam, qui accusatori adfuerit,& fideiussor pro eo exstiterit. Quidam & præsidem indignum putãt,qui testamentum falsum pronunciauit:si appellatione intercedente,hæres scriptus obtinuit. Aduocatum fisci, qui intentionem delatoris exsequitur, in omnibus officij necessitas satis excusat. F G H

Qui principale testamentum arguit,& à secũdis tabulis repellendus est. item à codicillis ad testamentum factis,licet non confirmatis.non idem sequendum est,si secundas tabulas uel codicillos coarguit:quia non utrunque hoc casu improbasse uidetur. An libertas ei seruo data,qui testimonio suo infringere uoluerit testamẽtum,auferri debeat,uidendum est. fideicommissum utique non est dignus consequi:& de libertate diuus Pius iudicauit, ea esse priuandum. Ei qui tutor datus est,non prodest ad accusationem,quod falsum dixit, sed à legato remouetur. Qui mortis caussa donationem accepit à testatore,non est similis in hac caussa legatario.alia caussa est eius, qui propter testamentum à legatario uel à statu libero accipere iussus est.hic enim ut indignus repellitur: & Falcidiæ beneficium hæredi scripto auferri debere,diuus Pius & diuus Marcus putauerunt. Omnes, qui ut indigni repelluntur,submouendi sunt à præmio,quod secundum edictũ diui Traiani datur his, qui se deferunt. I

VI. MARCELLVS.

RESCRIPTVM est à principe,hæredem rei,quam amouisset, quartam non retinere. & ideo si is,qui quadringenta habebat,uniuersa quadringenta legasset,& hæres centum subtraxisset:trecentorum quartam retinebit(septuagintaquinque scilicet)& ducẽta uigintiquinque dabit legatarijs.sed ex centum,quæ subripuit,legatarijs quidẽ dabit septuagintaquinque:reliqua,id est uiginti quinque,ad fiscum uenient.

VII. MODESTINVS.

QVI Titij testamentum falsum dixit,nec obtinuit:hæredi eius hæres existere prohibendus non est:quia non principaliter in Titij hæreditatem succedit. K

VIII. CAIVS.

INDIGNO hærede pronunciato,adempta hæreditate, confusas actiones restitui non oportet.

IX. VLPIANVS.

SI INIMICITIAE capitales interuenerint inter legatariũ & testatorem, & uerisimile esse cœperit,testatorem noluisse legatum siue fideicommissum præstari ei, cui adscriptum relictum est:magis est,ut legatum ab eo peti non possit. sed & si palàm,& apertè testatori maledixerit, & infaustas uoces aduersus eum iactauerit: idem erit dicendum. si etiam status eius controuersiam mouit:denegatur eius,quod testamento acceperit, persecutio. ex qua specie statim fisco defertur.

In frau

X. CAIVS.

A IN FRAUdem iuris fidem accommodat,qui uel id,quod relinquitur,uel aliud tacitè promittit restituturum se personæ,quæ legibus ex testamēto capere prohibetur:siue chirographū eo nomine dederit,siue nuda pollicitatione repromiserit. Si quis ei, qui capere possit,rogatus fuerit restituere, & is mortis tempore prohibeatur hoc legibus capere : non dubito, quin & si deficit fideicommissum,apud eum tamen, qui rogatus est restituere, manere debeat:quia nulla fraus eius interuenisse uidetur : nisi si in futurum casum fidem accommodauerit,id est,ut licet capere legibus prohiberi cœperit, restituat. Rectè dictum est, si pater filio,quem in potestate habebat, tacitam fidem interposuerit:non debere id filio nocere,quia parendi necessitatem habuit.

XI. PAPINIANVS.

B HAERES,qui tacitam fidem contra leges accommodauit:in ea parte,in qua fraudem adhibuit, Falcidia nō utitur.& ita senatus censuit.sed si maior modus institutionis,quàm fraudis fuerit:quod ad Falcidiam attinet,de superfluo quarta retinebitur.

XII. IDEM.

CVM quidam scripsisset hæredes,quos instituere non poterat : quamuis institutio non ualeret, neq; superius testamentū ruptum esset:hæredibus tamen ut indignis, qui non habuerunt supremam uoluntatē,abstulit iam pridem senatus hæreditatem.quod diuus Marcus in eius persona iudicauit,cuius nomen peracto testamento testator induxerat. caussam enim ad præfectos ærarij misit.uerum ab eo legata relicta salua manserunt. de præceptio-
C nibus eidem dātis uoluntatis erit quæstio.& legatum ei non denegabitur : nisi hoc euidenter testatorem uoluisse appareat.

XIII. IDEM.

CLAVDIVS Seleucus Papiniano salutem.Mæuius in adulterio Sempronię damnatus, eandem Semproniam non damnatam duxit in uxorem . qui moriens eam hæredem reliquit.quæro,an iustum matrimonium fuerit,& an mulier ad hæreditatem admittatur? Respondi.neq; tale matrimonium stare,neq; hæreditatis lucrum ad mulierem,sed quod relictum est,ad fiscum pertinere.sed & si talis mulier uirum hæredem instituerit:& ab eo quasi ab indigno hæreditatem auferri dicimus.

XIIII. IDEM.

D MVLIEREM,quæ stupro cognita in contubernio militis fuit (& si sacramento miles solutus,intra annum mortem obierit)non admitti ad testamentum iure militię factum:& id, quod relictum est,ad fiscum pertinere,proximè tibi respondi.

XV. IDEM.

HAEREDI, qui falsos codicillos esse dixit,neq; obtinuit,hæreditas nō aufertur.si tamen aliquid à cohærede codicillis acceperit:eius actio denegabitur.itaq; si bonorum inter hæredes diuisionem defunctus codicillis fecerit:partes quidem hęreditarias,in quibus legatum consistere non potuit,tenebit:sed Falcidię beneficio non utetur,si tantum in amissis portionibus erit,quod Falcidiam æquitate compensationis recuset.

XVI. IDEM.

E CVM secundis tabulis pater impuberi filio fratris filios cohæredibus dātis substituisset, ac substituti fratris filij post mortem pueri matrem eius partus subiecti ream postulassent, ut hæreditatem patrui legitimam obtinerent : uictis auferendam esse partem hæreditatis ex caussa substitutionis respondi,quia sententiam secundum se dictam ex testamento non haberent. Quoniam stuprum in ea contrahi non placuit , quæ se non patroni concubinam esse patitur:eius,qui concubinam habuit, quod testamēto relictum est, actio non denegabitur:idq; in testamento Coccej Cassiani clarissimi uiri,qui Rufinam ingenuam pleno amore dilexerat,optimi maximiq; principes nostri iudicauerūt:cuius filiā,quam alumnam testamento Cassianus nepti cohæredem datam appellauerat, uulgo quæsitam apparuit. Cum hæredis nomen mutata uoluntate paterfamiliàs, incisis omnibus, induxisset,

atque ideo fisco portionis emolumentum adiudicatum fuisset: eam rem legatarijs non obesse, qui retinuerant uolūtatem, diuo Marco placuit. & ideo cum suo onere fiscum succedere. F

XVII. IDEM.

HAEREDEM, qui sciens defuncti uindictam omisit, & insuper habuit fructus: omnes restituere cogendum existimaui: nec probè desideraturum, actionem confusam restitui. deceptum autem ignoratione facti, bonæ fidei possessoris defensionem habiturum (ante motam scilicet controuersiam) si ratio fructuum subducatur, nec improbè confusam actionem reddi postulaturum. XVIII. IDEM.

EVM, qui tacitum fideicommissum in fraudem legis suscepit, eos quoque fructus, quos ante litem motam perceperit, restituere cogendū respondi (quod bonæ fidei possessor fuisse non uideretur) exemplo bonorum fisco uindicatorum. post motam autem de tacito fideicommisso controuersiam, ante percepta fructuum precia cum usuris esse restituenda respondi: sed & omnium fructuum, quorum precia percepta fuerāt. quod si fructus in usu habuisset: eorum pretia tantum restitui satis esse. sed diuus Seuerus bonorum tacitè relictorum, citra distinctionem temporis fructus duntaxat deberi, non etiam usuras eorum benignè decreuit. quo iure utimur. Bonis uniuersis ex caussa taciti fideicommissi fisco restitutis, hæredem onus æris alieni non spectare conuenit. nec aliud seruatur morte non defensa. si quid tamen ob aditam hæreditatem actionibus aut seruitutibus confusis amiserit: auxilio restitutionis non merebitur. Pro parte hæres institutus, prædij legatum acceperat, & hereditatem non capienti restituendi tacitum ministerium susceperat. quanquam legatum pro ipsius parte non constitisset, ideoque portionem istam pro hærede possideret: tamen ei prædium integrum esse relinquendum respondi. neque enim ratione iuris ac possessionis uarietatem inducere diuisionem uoluntatis. G H

XIX. PAVLVS *respondit.*

SI scriptis hæredibus ideo hæreditas ablata esset, quod testator aliud testamentū mutata uoluntate facere uoluisset, & impeditus ab ipsis esset: ab uniuerso iudicio priore recessisse eum uideri. XX. HERMOGENIANVS.

EI, QVI mortem uxoris non defendit, ut indigno dos aufertur.

XXI. PAVLVS.

PORTIONES quoque eorum fisco uindicantur, qui mortem libertorū suspectò decedentium non defenderunt. omnes enim hæredes, uel eos qui loco hæredis sunt, officiosè agere circa defuncti uindictam conuenit. I

XXII. TRIPHONINVS.

TVTOREM, qui sui pupilli nomine falsum, uel inofficiosum testamentū dixit: non perdere sua legata, si non obtinuerit, optima ratione defenditur. & si libertum patris pupilli sui nomine capitis accusauerit: non repelli à bonorum possessione contra tabulas: quia officij necessitas, & tutoris fides excusata esse debet: nec quisquam iudicum calumnia notabit tutorem, qui non suis simultatibus accusationem sub nomine pupilli instituit, sed cogente fortè matre pupilli, uel libertis patris instantibus. & si tutor reum aliquem postulauerit pupilli nomine, & ideo non sit exsecutus, quod interim ad pubertatem pupillus peruenerit: non oportet dici in Turpilianum eum senatuscōsultum incidisse. discreta sunt enim iura (quamuis plura in eandem personā deuenerint) aliud tutoris, aliud legatarij. & cum non suæ personæ iure, sed pupilli accusauerit: propriam pœnam mereri non debet. denique pupillo relicta in eo testamento, nisi à principe conseruata sint, pereunt: adeo ille est accusatoris defensor, & quasi patronus. idem & Sabinus scripsit libris ad Vitellium. K

XXIII. CAIVS.

SI QVILIBET hæres ex cuiuscunque testamento tacitè rogatus fuerit, ut quadrantem, quem legis Falcidiæ beneficio retinuit, non capienti restituat: æquè locus erit senatusconsulto. neque enim multum intererit inter tale fideicommissum, & cum quis id, quod ad se ex hæreditate peruenerit, restituere rogatus sit.

Si testa-

A XXIIII. PAPINIANVS.

SI TESTAMentum patris iure factum filius negauerit: quoniam de iure disputauit, non iudicium impugnauit, aut accusauit: retinet defuncti uoluntatem.

XXV. IDEM.

SI GENER socerum hæredem reliquerit: taciti fideicommissi suspitionem sola ratio paternæ affectionis non admittit.

XXVI. *apud Scæuolam lib.* XXX. *Digest.* CLAVDIVS *notat.*


SI VIVO TEstatore decesserit is, cui illicitè legatum relictum erat: non à fisco hoc uindicatur, sed apud eum, à quo relictum est, remanet.

B

DIGESTORVM SEV PANDECTARVM LIBER TRICESIMVS QVINTVS.

DE CONDITIONIBVS ET DEMONSTRAtionibus, & caussis, & modis eorum, quæ in testamento scribuntur TIT. I.

C I. VLPIANVS.



LEGATIS, quæ relinquuntur, dies aut certus, aut incertus, aut conditio adscribitur, aut (si nihil horum factum sit) præsentia sunt, nisi uel ipsa conditio insit. Cum dies certus scriptus est, quàuis dies nondum uenerit, solui tamē possunt: quia certum est ea debitum iri. Dies autem incertus est, cum ita scribitur, HAERES MEVS, CVM MORIETVR, DECEM DATO. nam diem incertum habet mors eius. & ideo si legatarius ante decesserit, ad hæredem eius legatum non trāsit: quia non cessit dies uiuo eo, quamuis certum fuerit hæredem moriturum. Inest autem conditio legatis, ueluti cum ita legamus, QVOD EX ARESCVSA NATVM FVERIT, HAERES DATO: aut FRVCTVS, QVI EX FVNDO PERCEPTI FVERINT, HAERES DATO: aut SERVVM, QVEM ALII NON LEGAVERO, SEIO DATO.

D

II. VLPIANVS.

CONDITionum quædam sunt, quæ quandoque impleri possunt etiam uiuo testatore: ut putā SI NAVIS EX ASIA VENERIT. nam quandocunque uenerit nauis, conditioni paritum uidetur. quædam sunt, quæ non nisi post mortem testatoris: ueluti SI DECEM DEDERIT. SI CAPITOLIVM ASCENDERIT. nam ut paruisse quis conditioni uideatur: etiam scire debet, hanc conditionem insertam. nam si fato fecerit: non uidetur obtemperasse uoluntati.

III. IDEM.

E OBTINVIT impossibiles conditiones testamento adscriptas pro nullis habendas.

IIII. POMPONIVS.

SI HIS legatum est, quibus patronus legata præstat: temperare debet prætor conditionem: ut & patrono, & hæredibus scriptis, pro portione dentur conditionis explendæ gratia. Si ita scriptum sit, SI IN QVINQVENNIO PROXIMO TITIO FILIVS NATVS NON ERIT. TVM DECEM SEIO HAERES DATO: si Titius ante mortuus sit, non statim Seio decem deberi: quia hic articulus TVM extremi quinquennij tempus significat.

V. PAVLVS.

CONDITionibus pupillus & sine tutoris authoritate parēre potest. nec quem mouerit, quod expleta conditione necessarius hæres aliquando esse potest. nam hoc iure potestatis fit, non conditionis expletæ. Item seruus, uel filiusfamiliàs sine iussu patris, uel domini

conditionem implere possunt: quia eo facto nemo fraudatur.

VI. POMPONIVS.

MVLTA testamento non committitur ab hærede, nel legatario, uel eo, qui ex ultima uoluntate aliquid lucratur, qui alicuius arbitratu monumentum facere iussus est: si is, cuius arbitrium est, non uiuat, uel adesse non possit, aut ei arbitrari nolit. Si seruos certos quis manumisisset, hæres esse iussus erat. quibusdam ex his ante mortuis: Neratius respōdebat, defici eum conditione: nec æstimabat, parere posset conditioni, nec ne. sed Seruius respondit, cum ita esset scriptum, SI FILIA ET MATER MEA VIVET: altera iam mortua, non defici conditione. idem est & apud Labeonem scriptum. Sabinus quoque & Cassius, quasi impossibiles eas conditiones in testamento positas pro non scriptis esse. quæ sententia admittenda est. G

VII. VLPIANVS.

MVTIANÆ cautionis utilitas cōsistit in cōditionibus, quæ in nō faciendo sunt cōceptæ: utputā SI IN CAPITOLIVM NON ASCENDERIT, SI STICHVM NON MANVMISERIT, & in similibus. & ita & Aristoni, & Neratio, & Iuliano uisum est. quæ sententia ex constitutione diui Pij comprobata est. Nec solum in legatis id placuit: uerum in hæreditatibus quoque idem remedium admissum est. unde si uxor maritum suum, cui dōtem promiserat, ita hæredem scripserit ex parte, SI DOTEM, QVAM EI PROMISI, NEQVE PETIERIT, NEQVE EXEGERIT: denunciare eum posse cohæredi, paratum se acceptò facere dōtem, uel cauere: & ita adire posse hæreditatem. sed si ex asse sit institutus maritus sub ea conditione: quoniam non est, cui caueatur: non impediri eum, quò minus adeat hæreditatem. Nam iure ipso uidetur impleta conditio: eo, quod non est, quem possit de dōte conuenire ipso adeunte hæreditatem. H

VIII. POMPONIVS.

SI QVIS ita legauerit, DVM VXOR MEA CVM FILIO ERIT, HAERES MEVS EI TANTVM DATO: si ea latitans patronum, de medio discesserit, ut tamen consilium retineret habendi secum liberos: deberi ei legatum, Trebatius & Labeo aiunt: quia non omne momentum exigendum sit, ut cum liberis sit, sed ut eam mentem & id propositū habeat, ne filium à semet dimittat, néue per eam stet, quò minus cum ea filius educetur.

IX. VLPIANVS.

SOLEMVS dicere: eum, qui in tempus liberorū uxori lēgat: de his non sensisse, quos iam tunc uxor habuit, cum testaretur maritus. I

X. IDEM.

HAEC conditio FILIAE MEAE, CVM NVPSERIT talis est, ut qui testatus est, impleri solummodo conditionem uoluerit, non etiam sātis exigi, quando. & ideo si uiuo testatore nupserit: post testamentum factum impleta conditio uidetur: præsertim, cum conditio hæc talis sit, ut semel impleri debeat. Sed enim non omnes coniunctiones implent conditionem. putā enim nondum nubilis ætatis in domum mariti deductam. non paruit cōditioni. Sed & si ei coniuncta sit, cuius nuptijs ei interdictum sit, idem dicemus. An tamen nubendo postea parere conditioni possit, quasi non nupserit, dubitari potest. Et si testator de primo nuptiali iugo sensit: puto defectam conditionem. benignè tamen dicendum est, nondū conditionem impletam defectam. Si sic legatum sit, SI NAVIS EX ASIA VENERIT, & ignorante restatore nauis uenerit testamenti facti tempore: dicendum, pro impleta haberi. Et si cui legatum est sic, CVM PVBES ERIT: simili modo hoc erit dicendum. K

XI. PAVLVS.

SI IAM facta sunt, quæ conditionis loco ponuntur, & sciat testator: quæ iterum fieri possunt, exspectentur, ut fiant. si uero nesciat: præsenti debeantur. Item sciendum est, promiscuas conditiones post mortem impleri oportere: si in hoc fiant, ut testamento pareatur: ueluti, SI IN CAPITOLIVM ASCENDERIT, & similia. non promiscuas, etiam uiuo testatore existere posse: ueluti, SI TITIVS CONSVL FACTVS FVERIT.

XII. VLPIANVS.

Si ita

A SI ITA legatum sit, QVONIAM FILIVS MAIOR EX ARCA MEA DE-
CEM SVSTVLIT, HAERES MINOR FILIVS DECEM E MEDIO SVMI-
TO: debetur legatum: quia idcirco relictum est. ut conditio filiorum exæquaretur. & sanè
hæc caussa est. nanque caussa in præteritum, pœna in futurum confertur.

XIII. PAVLVS.

SI FVNDVS alicui legatus fuerit, si pupillo uel furioso pecuniam dĕdisset: uidetur exples-
se conditionem, curatori uel tutori dando.

XIIII. POMPONIVS.

TITIVS, SI STATVAS IN MVNICIPIO POSVERIT, HAERES ESTO. si paratus est po-
B nere: licet locus à municipibus ei non dătur: Sabinus, Proculus, hæredem eum fóre: &
in legato idem iuris esse dicunt.

XV. VLPIANVS.

CVM fuerit sub hac conditione legatum, SI IN FAMILIA NVPSIT: uidetur im-
pleta conditio statim, atque ducta est uxor: quamuis nondum in cubiculum mariti uene-
rit. nuptias enim non concubitus, sed consensus facit.

XVI. CAIVS.

IN his, quæ extra testamentũ incurrunt, possunt res ex bono & æquo interpretationem
capere: ea uero, quæ ex ipso testamento oriũtur, necesse est secundum scripti iuris rationem
expediri.

XVII. IDEM.

C DEMONStratio falsa est, ueluti si ita scriptum sit: SERVVM STICHVM, QVEM DE TI-
TIO EMI. FVNDVM TVSCVLANVM, QVI MIHI A SEIO DONATVS EST.
Nam si cõstet, de quo homine, & de quo fundo senserit testator: ad rem non pertinet, si
is, quem se emisse significauit, donatus sit: aut quem donatum sibi esse significauit, emerit.
Igitur & si ita seruus legatus sit, STICHVM COQVVM, STICHVM SVTOREM TITIO LE-
GO: licet neq; coquus, neq; sutor sit, ad legatarium pertinebit, si de eo sensisse testatorẽ con-
uenerit. Nam & si in persona legatarij designanda aliquid erratum fuerit, cõstet autem, cui
legare uoluerit: perinde ualet legatum, ac si nullus error interuenisset. Quod autem iuris
est in falsa demõstratione, hoc uel magis est in falsa caussa: ueluti ita, TITIO FVNDVM DO,
QVIA NEGOCIA MEA CVRAVIT. item FVNDVM TITIVS FILIVS MEVS PRAECIPI-
D TO, QVIA FRATER EIVS EX ARCA TOT AVREOS SVMPSIT. Licet enim frater huius
pecuniã ex arca non sumpserit: utile tamen legatũ est. at si cõditionaliter concepta sit caussa
ueluti hoc modo, TITIO, SI NEGOCIA MEA CVRAVIT, FVNDVM DO.
TITIVS FILIVS MEVS, SI FRATER EIVS CENTVM EX ARCA SVM-
PSIT, FVNDVM PRAECIPITO: ita utile erit legatum, si & ille negocia mea curauit,
& huius frater centum ex arca sumpsit. Quod si cui in hoc legatum sit, ut ex eo aliquid fa-
ceret: pută ut monumentum testatori, uel opus aut epulum municipibus faceret, uel ut ex
eo partem alij restitueret: sub modo legatum uidetur.

XVIII. IDEM.

IS, CVI sub cõditione nõ faciendi aliquid relictũ est: ei scilicet cauere debet Mutiana cau-
E tione, ad quem iure ciuili deficiente cõditione hoc legatũ, eáue hæreditas pertinere potest.

XIX. VLPIANVS.

IN CONDITIonibus primum locum uoluntas defuncti obtinet, eaq; regit conditiones.
deniq; & in ea conditione, SI FILIA MEA CVM TITIO NVPTA ERIT: placuit non semper
mortis tempus obseruari, sed uoluntate patrocinante tardius produci. Hæc scriptura, SI
PRIMVS HAERES ERIT, CENTVM DARE DAMNAS ESTO, pro conditione non est
accipienda. magis enim demonstrauit testator, quando legatum debeatur, quàm conditio-
nem inseruit: nisi fortè hoc animo fuerit testator, ut faceret conditionem. proinde nec illud
dicendum erit facere conditionem, QVIDQVID MIHI EPHESI OPORTET DA-
RI, HOC DO LEGO. Sed si sic lĕget, SI PRIMVS MIHI HAERES NON ERIT,
DAMNAS ESTO SECVNDVS DARE, & Primus hæres extiterit: legatum non debebitur. si

Primus adierit cum secundo: non exstitisse conditionem, nequaquam ambigendum est. F

Si patronus, contra tabulas bonorum possessione accepta, debitam portionem occupet: legata, quæ sic dáta sunt, SI PATRONVS HAERES NON ERIT, non debet cohæres patroni præstare. Si à Primo ita legatum sit, SI SECVNDVS HAERES NON ERIT, VIGINTI TITIO DATO: simili modo à Secundo si eidem Titio ita legatum sit, SI PRIMVS HAERES NON ERIT, & ambo hæredes exstiterint: legati conditio deficiet. si alter hæres exstitit, alter non exstitit: legatum debebitur. MARCELLVS apud Iulianum libro uicesimoseptimo Digestorum notat. non dubitamus, quin turpes conditiones remittendæ sint: quo in numero plerunque sunt etiam iurisiurandi.

XX. IVLIANVS.

MVLTVM interest, conditio facti, an iuris sit. nam huiusmodi conditiones, SI NAVIS EX ASIA VENERIT. SI TITIVS CONSVL FACTVS FVERIT: quamuis impletæ sint, impedient hæredem circa adeundam hæreditatē, quamdiu ignorarit eas impletas esse. Quæ uero ex iure uenient: ex his nihil amplius exigendum, quàm ut impletæ sint. ueluti si quis se filiumfamiliâs existimat, cum sit paterfamiliâs: poterit adquirere hæreditatē. quarè & ex parte scriptus hæres, qui ignorat, an tabulæ testamenti apertæ sint, adire hæreditatem poterit. G

XXI. IDEM.

QVOTIES sub conditione mulieri legatur, SI NON NVPSERIT, & eiusdem fideicommissum sit, ut Titio restituat, si nubat: commodè statuitur, & si nupserit, legatum eam petere posse, & non esse cogendam fideicommissum præstare. H

XXII. IDEM.

QVI duobus hæredibus decem dăre iussus est, & fundum sibi habere: uerius est, ut conditionem scindere non possit, ne etiam legatum scindatur. igitur quamuis alteri quinque dĕderit, nullam partem fundi uindicabit: nisi alteri quoque adeunti hæreditatem reliqua quinque numerarit: aut illo omittente hæreditatē, ei, qui solus adierit hæreditatem, tota decem dĕderit.

XXIII. IDEM.

IVRE ciuili receptum est: quoties per eum, cuius interest cōditionem non impleri, fit quò minus impleatur: ut perinde habeatur, ac si impleta conditio fuisset. quod plerique & ad legata, & ad hæredum institutiones perduxerunt. Quibus exemplis stipulationes quoque committi quidam rectè putauerunt, cum per promissorem factum esset, quò minus stipulator conditioni parēret. I

XXIIII. IDEM.

CVM uir uxori, quandocunque liberos habebit, fundum legauit: si mulier diuortio facto liberos ex alio procreauerit, deinde soluto secundo matrimonio ad priorem maritum redierit: non intelligitur expleta conditio. quod testatorem uerisimile non est de his liberis sensisse, qui se uiuo ex alio suscepti fuissent.

XXV. IDEM.

HAEC scriptura, SI VIGINTI DEDERIT, AVT IVRAVERIT SE ALIQVID FACTVRVM, unam conditionem exprimit habentem duas partes. quarè quicunque hæres scriptus erit sub conditione, SI IVRAVERIT SE DECEM DATVRVM, AVT MONVMENTVM FACTVRVM: quamuis uerbis edicti ad hæreditatem uel legatum admittatur: tamen compellitur facere id, quod facturum se iurare iussus est, sŏlo iureiurando remisso. Cum eadem res alteri purè, alteri sub conditione legatur: aut cum alter purè, alter sub conditione hæres scriptus est: pars legati uel hæreditatis deficiente conditione adcrescit etiam hæredi eius, cui purè legatum est, uel hæreditas dăta est: si tamen hæreditas eius adita fuerit. K

XXVI. ALFENVS.

IN TESTAMENTO quidam scripserat, ut sibi monumentum ad exemplum eius, quod in uia Salaria esset Publij Septimij Demetrij, fieret: & nisi factum esset, hæredes magna pecunia multarētur. & cum id monumentum Publij Septimij Demetrij nullum reperiretur, sed Publij Septimij Damæ esset, ad quod exemplum suspicabātur eum, qui testamentum fecerat, monumentum sibi fieri uoluisse: quærebant hæredes, cuiusmodi monumentum se

facere opor-

A facere oporteret:& si ob eam rem nullum monumentum fecissent,quia non reperiretur, ad quod exemplum facerent,num pœna tenerentur? Respondit,si intelligeretur, quod monumentum demonstrare uoluisset is,qui testamentum fecisset: tametsi in scriptura ita non esset:tamē ad id,quod ille se demonstrare animo sensisset,fieri debere.sin autem uolūtas eius ignoraretur:pœnam quidem nullam uim habere,quoniam ad quod exemplū fieri iussisset monumentum,id nusquam exstaret: tamen omnimodo secundum substantiā & dignitatē defuncti exstrui debere. XXVII. PAVLVS.

FILIAE suæ ita quis legauit, SI ATTIA FILIA MEA ARBITRATV LVCII TITII NVPSERIT, EI TOT HAERES MEVS DATO. Titio ante testatorem mortuo Attia nupserat.
B quærebatur,an legatum ei deberetur? respondit,deberi. TITIA VXOR MEA OPTATO PHILARGYRVM PVERVM ET AGATHEAM ANCILLAM, QVI MEI ERVNT, CVM MORIAR.is qui testamentum fecit, Agatheam,quam testamenti tempore habuit,uendidit.postea ancillas emit,& ex his uni Agatheæ nomen imposuit.quæsitum est,an hæc legata uideretur? respondit,legatā uideri. XXVIII. IVLIANVS.

HAEC conditio, SI IN CAPITOLIVM ASCENDERIT, sic recipienda est,cum primum potuerit capitolium ascendere.

XXIX. IDEM.

SI SEPARATIM mihi totus fundus purè,tibi sub conditione legatus fuerit, & tu decesseris antè,quàm conditio exstiterit : non habebo necessitatem implere conditionem : utpotè
C cum(etiam si conditio defecerit)pars,quam uindicaturus eras,mihi adcrescat.

XXX. AFRICANVS.

IN testamento ita erat scriptum, STICHVS ET PAMPHILA LIBERI SVNTO. ET SI IN MATRIMONIVM COIERINT, HAERES MEVS HIS CENTVM DARE DAMNAS ESTO. Stichus ante apertas tabulas decessit.respōdit,partem Stichi defectam esse.sed & Pamphilam defectam conditione uideri:ideoq; partem eius apud hæredem remansuram. sed & si uterq; uiueret,& Stichus nollet eam uxorē ducere,cum mulier parata esset nubere: illi quidem legatum deberi,Stichi autem portionem inutilem fieri. nam cum uni ita legatum sit, TITIO SI SEIAM VXOREM DVXERIT, HAERES MEVS CENTVM DATO: siquidē Seia moriatur,defectū conditione intelligi. At si ipse decedat: nihil ad hæredem suū eum trans
D mittere:quia morte eius conditio defecisse intelligatur.utroq; autem uiuente,siquidem ipse nolit uxorem ducere:(quia ipsius facto conditio deficit)nihil ex legato eum consequi. muliere autem nolente nubere,cum ipse paratus esset:legatum ei deberi.

XXXI. IDEM.

QVAMVIS rationes reddere nihil aliud sit,quàm reliqua soluere:tamen si & statuliberi & hæredis culpa(sine fraude tamen serui)minus solutum sit,& bona fide redditas esse rationes existimatum fuerit:liberum fore & nisi ita obseruetur:neminem qui sub conditione ita manu missus esset,unquam ad libertatem peruenturum:si per imprudentiam minus solutum esset.hæc ita accipienda esse ait:si quando is,qui rationes reddere iussus sit, per aliquē errorē sine dolo malo ita rationes reddiderit,ut dominus quoq; circa coputationē erraret.

E XXXII. PAVLVS.

FALSA demonstratio neq; legatario,neq; fideicommissario nocet,neq; hæredi institu to:ueluti si fratrem dixerit,uel sororem,uel nepotem,uel quodlibet tale.& hoc ita iuris ciuilis ratione,& constitutionibus diuorum Seueri & Antonini cautum est. Sed si controuersia sit de nomine inter plures:qui probauerit sensisse de se defunctum,ille admittetur. Sed & si cui quasi liberto,id est,inter libertos legatum fuerit:nō idcirco legatū amittit, quia postea annulos ab Imperatore acceperit.nam honor eius auctus est,non cōditio mutata.& ita diui Seuerus & Antoninus rescripserunt. Si quis legauerit rem ita,si mortis tempore eius erit,nec tunc eius inueniatur:nec æstimatio eius legata uidebitur. Quid ergo si quis ita scripserit, STICHVM ET PAMPHILVM TITIO DO LEGO, SI MEI ERVNT, CVM MORIAR, & unū ex his alienauerit? an uel alter possit à legatario uindicari? & placet uindicari.nam hunc ser

monem, licet pluralis ſit, pro eo oportet accipi, atq; ſi ſeparatim dixiſſet, STICHVM, SI MEVS ERIT, CVM MORIAR. PAMPHILVM, SI MEVS ERIT, CVM MORIAR. F

XXXIII. FLORENTINVS.

SI NOminatim alicui lẽgetur ita, LVCIO TITIO: an per demonſtrationem corporis uel artificij, uel officij, uel neceſſitudinis, uel adfinitatis, nihil intereſt. nam demõſtratio plerũq; uice nominis fungitur. nec intereſt, falſa, an uera ſit: ſi certum ſit, quem teſtator demõſtrauerit. Inter demonſtrationem & conditionem hoc intereſt: quod demonſtratio plerunque factam rem oſtendit, conditio futuram.

XXXIIII. POMPONIVS.

LEVISSIMA libertatis conditio ea intelligenda eſt, quæ ad libertatẽ perducit, quamuis natura grauior & durior ſit. G

XXXV. MARCELLVS.

PVBLIVS Mæuius teſtamẽto ſuo ita cauit. QVISQVIS MIHI HAERES HAEREDES VE ERVNT: DO LEGO, FIDEI QVE EORVM COMMITTO, VT DENT CAIO SEIO SORORIS MEAE FILIO IN HONOREM CONSVLATVS QVADRINGENTA. uiuo Mæuio Seius conſul deſignatus eſt, & munus ẽdidit. deinde ex calendis Ianuarijs conſulatũ ingreſſus eſt, atq; ita Mæuius deceſſit. quæro, an quadringenta Seio debeantur? Marcellus reſpondit, deberi.

Titia codicillis de prædijs, quæ teſtamento Septitiæ reliquerat, ita cauit. A TE PETO SEPTITIA, VT FILIO MEO, CVM ANNORVM SEDECIM ERIT, EADEM PRAEDIA RESTITVAS. QVOD SI FILIVS MEVS SEDECIM ANNOS NON IMPLEVERIT: PETO, VT EA REDDAS RESTITVAS PVBLIO MAEVIO ET CAIO CORNELIO. quæro, cum Septitia deceſſerit, deinde filius quindecim annos agens defunctus ſit: an repræſentetur fideicommiſſum decimoquinto anno impleto? & an hæredes Septitiæ reſtituere P. Mæuio & Caio Cornelio debeant? Marcellus reſpondit. Septitiam ius, quod in his prædijs habuiſſet, hæredi ſuo reliquiſſe. etenim uideri contra uoluntatem teſtatoris repræſentationem fideicommiſſi deſiderari, ut amplius ad ſubſtitutos perueniat, quàm ad puerum peruenire, uel à Septitia, uel ab hæredibus potuiſſet. & uerba quidẽ uideri repræſentare fideicõmiſſum. ſed nõ eſſe uериſimile, ut maturius uoluerit teſtatrix ad ſubſtitutos id transferri. nec quidquã mutare, quod Septitia antè deceſſit. nam & ſi puer uiueret, non prius Septitiæ hæredes, quàm Septicia, poſſent conueniri. H

XXXVI. PAVLVS.

SI QVIS eum, quem ipſe manumittere non poterat, legarit ita, ut eum legatarius manumitteret: & ſi à legato non repellatur, nõ eſt compellendus, ut manumittat: quoniam toties ſecundum uoluntatem teſtatoris facere compellitur, quoties cõtra legem nihil ſit futurum. idq; Neratius ſcribit. & tamen à legato non eſſe eum repellendum: quoniam magis legatarium aliquod commodum teſtator in hoc ſeruo, quàm hæredem, habere uoluiſſet. I

XXXVII. IDEM.

SI ITA ſcripſero, QVANTVM CODICILLIS TITIO LEGAVERO: licet codicillis legatum explicetur: tamen ex teſtamento ualet ſola quantitas, quæ in codicillos delata eſt. Nam & apud ueteres legata talia fuerunt, QVANTVM EI PER EPISTOLAM SCRIPSERO. QVANTVM EX ILLA ACTIONE DETRAXERO, HAERES DATO.

XXXVIII. IABOLENVS. K

QVAE conditio ad genus perſonarum, non ad certas & notas perſonas pertineat: eam exiſtimamus totius eſſe teſtamenti, & ad omnes hæredes inſtitutos pertinere. at quæ conditio ad certas perſonas accommodata fuerit: eam referre debemus ad eum duntaxat gradum, quo hæ perſonæ inſtitutæ fuerunt. Cum in teſtamento ſcriptum erat, VT ALIQVID IN FORO FIAT, neq; adſcriptum erat, in quo foro: Labeo ait, ſi non appareat, quid mortuus ſenſerit: in eius municipij foro faciendum, in quo is, qui teſtamentum fecit, domicilium habuerit. quam ſententiam ego quoq; probo.

XXXIX. IDEM.

QVIBVS diebus uicinus tuus te uia publica (cum ad parendum conditioni ire uelles) ire prohibuit, nec per te ſtetit, quò minus agendo ob calumniam eum ſubmoueas: hi dies con-

ditioni

A ditioni non imputabuntur. Quidam ita legauerat, SI PVBLIVS CORNELIVS IMPENSAM, QVAM IN FVNDVM SEIANVM FECI, HAEREDI MEO DEDERIT: TVNC HAERES MEVS PVBLIO CORNELIO FVNDVM SEIANVM DATO. Cascellius aiebat, etiam pretium fundi dari debere. Ofilius impensæ uerbo negat pretium significari: sed eos duntaxat sumptus, quos in eum postea, quàm emptus esset, fecisset. Idem Cinna scribit: adiecto eo, quod non deductis fructibus impensarũ ratio haberi debeat. & magis uerum puto. Quidam Titio centũ legauerat, deinde infra ita iusserat. QVAS PECVNIAS CVIQVE LEGAVI, EAS HAERES MEVS, SI MATER MEA MORITVR, DATO. mortuo patrefamiliâs, Titius uixerat, & uiua matrefamiliâs decesserat. mortua matre hęredibus Titij legatum deberi, Ofilius B respondit: quoniam non sub conditione esset legatũ, sed antè legatũ purè, deinde soluendi dies adiecta. uideamus (inquit Labeo) ne id falsum sit: quia nihil interest, utrũ ita scribatur, QVAS PECVNIAS CVIQVE LEGAVI, EAS HAERES MEVS, SI MATER MEA MORITVR, DATO: an ita, NISI MATER MEA MORIATVR, NE DATO. utrobiq; enim sub conditione datum uel ademptum esse legatũ. Labeonis responsum probo. Dominus seruo aureos quinq; sic legauerat. HAERES MEVS STICHO SERVO MEO, QVEM TESTAMENTO LIBERVM ESSE IVSSI, AVREOS QVINQVE, QVOS IN TABVLIS DEBEO, DATO. nihil seruo legatum esse, Namusa Seruium respondisse scribit: quia dominus seruo nihil debere potuisset. ego puto secundum mentẽ testatoris naturale magis, quàm ciuile debitum spectandum esse, & eo iure utimur. Qui dotalẽ fundũ nullũ habebat, ita legauerat. FVNDVM COR C NELIANVM, QVEM ILLA MIHI DOTI DEDIT, EI HAERES DATO. Labeo, Ofilius, Trebatius responderunt, fundum nihilominus legatũ esse: quia cum fundus Cornelianus in rerum natura sit, demonstratio falsa legatũ non perimit. Thermius minor, quorũ arbitratu monumentũ sibi fieri uellet, testamẽto scripserat: deinde ita legauerat. LVCIIS PVBLIIS, CORNELIIS AD MONVMENTVM MEVM AEDIFICANDVM MILLE HAERES MEVS DATO. Trebatius respõdit, pro eo habendum, ac si ita legatũ esset, si satisdedissent se ita ad monumentum ex ea pecunia facturos. Labeo Trebatij sententiã probat: quia hęc mens testantis fuisset, ut ea pecunia in monumentũ consumeretur. Idem & ego & Proculus probamus.

XL. IDEM.

LEGATA sub cõditione relicta nõ statim, sed cũ cõditio exstiterit, deberi incipiũt. ideoq; D interim legari non potuerunt. XLI. AFRICANVS.

FILIO familiâs legatum est sub hac conditione, si in potestate patris mansisset. magis patri uideri legatum ait, & patrem suo nomine legatum petere. Idem iuris esse, & si seruo similiter lẽgetur. argumentum rei fit, quod & si cibaria seruis Titij lẽgẽtur: proculdubio domini esse, non seruorum legatũ. XLII. PAVLVS.

PLAVTIVS. hæres rogatus est à liberto testatore, ut perceptis sibi decem totam hæreditatem ei uenderet. Postea patronus defuncti bonorũ possessionem contra tabulas petierat, & partem hæreditatis, quæ debebatur, abstulerat. Proculus & Cassius fideicommissarium pro rata, quod soluit, repetere debere aiunt. PAVLVS. hoc iure utimur. nam quemadmodũ præstatione fideicõmissorum & legatorũ hæres exoneratur per prætorẽ: ita etiam ipse par E tem consequi debet. Diuersum est, si Falcidia interueniat, & minuat legatum. Nam his casibus nihil repetetur: quod in solidum conditioni paretur. Item scinditur ius dandi, si is, cui legatum est, non potest partem hæreditatis sibi relictam totam capere. nam uerius est, partem cum præstare debere, partem illos, qui auferunt ab eo, quod plus relictum est, quàm à lege conceditur. Neratius libro primo Responsorũ scribit. ex duobus scriptis hæredibus si unus rogatus sit tibi hæreditatem restituere, tu Titio certam summam dare, & beneficio legis Falcidiæ in restituendo hæres utatur: quanto minus tibi præstiterit, tanto minus te Titio præstare, non esse iniquum.

XLIII. IDEM.

QVI hæredi dare iussus est, seruo alieno instituto, non domino dare debet. nam & si alio hærede instituto, iussus est seruo Titij dare, ipsi seruo datur: quia quæ facti sunt, non trans

eunt ad dominum: quemadmodum si mihi aut seruo Titij stipulatus sim: non Titio, sed seruo eius dari potest. & hæc uera sunt. Sed cum hæredi dare iussus est: uideamus, ne domino dandum sit. & consequens est, & hic seruo dari. Certè statuliber, quin domino dare debeat, non est dubium. cõtrà qui domino dare debet, nõ implet conditionem, dando seruo eius: nisi si dominus consenserit. nemo enim in tali specie conditionem, nesciente me uel nolente, implere potest. Cum hæreditas ex Trebelliano senatusconsulto restituta est: hæredi dandum est, ut impleatur cõditio: nec hoc restituendum est ex caussa fideicommissi. sed cum suspectam adijt, & restituit: dubitatur, an ei auferendũ sit. & benignius est, & in hoc casu nihil ei auferri. Si autẽ me hærede instituto controuersia mihi fiet hæreditatis: si cauet legatarius, euicta hæreditate reddi legatũ: & ipsi cauendum est de eo, quod dedit. sed si iussus sis mihi dare decem, & accipere hereditatem ex senatusconsulto: decẽ tibi ex caussa fideicõmissi non restituam. Si duorũ seruo legatum sit sub conditione dandi: non posse per partes conditioni pareri quidam aiunt, sed semel dandã pecuniã. sed ego contrà puto. Si pars rei legatæ usucapta sit: an in solidũ parendũ sit, dubito. & potest dici, pro parte parẽdum ex sententia testatoris. PLAVTIVS. uni ex hæredibus fundum legauit, si centũ hæredibus dedisset. deducet suam partem hæreditariã, & reliquam summã hæredibus pro portione eorum dabit. At si hæres ex parte ita institutus esset, si hæredibus decem dedisset: non aliter esset hæres, quàm si tota decem cohæredibus dedisset: quia nõ antè ad hæreditatẽ admitteretur, quàm si omnẽ summã dedisset. Nam & cum seruus testamento liber, & ex parte hæres ita scriptus esset, si hæredibus decẽ dedisset: constitit nõ aliter eum liberũ hæredẽq; futurũ, quàm si tota decem cohæredibus dedisset. PAVLVS. hoc iure utimur. XLIIII. IDEM.

F G H

IVLIANVS ait si hæredi legatarius, cui sub conditione legatum erat, SI HAEREDI DECEM DEDERIT, id quod ei debebat, hæres acceptò tulisset: non quidem uideri conditioni paruisse quasi dederit: sed quasi per hæredem stet, quò minus pareat, posse petere legatum, quasi exstiterit conditio. XLV. IDEM.

SI INTRA diem (exempli gratia) centesimũ ita imperatum sit statulibero, ut pecuniam solueret, nec initium temporis eius quod futurum esset, adscriptum sit: adita hæreditate cedere dies incipit: quia absurdum uisum est, ante diem præterire, quàm is existeret, quem oporteret accipere. & hoc in omnibus, qui hẽredi dare iussi sunt, dicendum est. igitur & legatario ex adita hẽreditate ad parẽdum conditioni tempus cõputabitur. Seruo libertatẽ ita dedit. ILLE, SI MEVS ERIT, LIBER ESTO. legatũ uel hæreditatẽ sine conditione ei dedit. deinde cum alienauit. debebitur domino eius legatũ uel hæreditas, & iussu eius adiri poterit: nam id expressit SI MEVS ERIT in libertate dãda. quo futurũ erat, uti impediretur libertas, etiãsi expressum non esset. Sæpenumero tamen mutatur rei effectus: quanquã id expresserit testator, quod & si non fecisset, inesset tamen. I

XLVI. IDEM.

NON PVTAbam diem fideicõmissi uenisse, cum decimumsextũ annum ingressus fuisset, cui erat relictum, cum ad decimumsextum annum peruenisset. & ita etiam imperator Aurelius Antoninus ad appellationem ex Germania iudicauit.

XLVII. CELSVS. K

SI INtra annos decem hẽres dare damnatus, aut quis liber esse iussus est: nouissimo eius temporis die legatum debebitur, & libertas obtinget.

XLVIII. VLPIANVS.

SI CVI libertas data sit directò sub hac cõditione, si rationes reddidisset: arbitrum à consulibus dari diuus Pius permisit his uerbis. Aditi à uobis amplissimi consules, arbitrum dabunt, qui excussis rationibus, non tantum quæ reliqua sunt Epaphroditi, constituent: uerũ etiam quas rationes, quæq; instrumenta tradere, aut exhibere dominis suis debeat. cuius sententiæ cum fuerit satisfactum: non impedietur Epaphroditi libertas.

XLIX. MODESTINVS.

SVB diuersis conditionibus disiunctim positis liber esse iussus, eam conditionem eligere potest

A potest, quæ sibi leuior esse uidebitur. Legato uero eo modo relicto: legatarium nouissimæ conditioni parere oportet. Hæredi decē dăre iussus,& liber esse:& hæredis hæredi dando perueniet ad libertatē. Quod nō similiter in legatarij persona custodiri Publicius scripsit.

L. IDEM.

NONNVNQVAM contingit, ut quædam nominatim expressa officiant, quamuis omissa tacitè intelligi potuissent, nec essent obfutura. quod euenit, si alicui ita legatur, TITIO DECEM DO LEGO, SI MAEVIVS CAPITOLIVM ASCENDERIT. nam quamuis in arbitrio Mæuij sit, an capitolium ascendat,& uelit efficere, ut Titio legatū debeatur: non tamen poterit alijs uerbis utiliter legari, SI MAEVIVS VOLVERIT, TITIO DECEM DO. nam in alienam uoluntatem conferri legatum non potest. inde dictum, expressa nocent, non expressa non nocent.

LI. IDEM.

SI QVIS seruum liberum esse iusserit, si hæredi rationes reddidisset, posteaq; cum rationes reddere uetuerit, quasi puram facturus libertatem: competit ei ex testamento libertas.

LII. IABOLENVS.

SI QVIS legata, quibus dies adposita non esset, annua bima trima die dăte iussisset:& alicui, cum pubes esset, pecuniam legasset: id quoq; legatum annua bima trima die post pubertatem præstandum esse, in commentarijs Caij scriptum est: quia magis conditio, quàm dies legato adiecta esset. contrà ego sentio: quia fere dies ponitur ad proroganda ea, quę ad præsens tempus, non etiam quæ in futurum legata sunt: diesq; pubertatis habet aliquam

C temporis demonstrationem. Duobus eadem res, si hæredi centum dědissent, legata est: si alter ex his quinquaginta děderit, partem legati consequetur:& pars eius, qui non děderit alteri cum sua conditione adcrescet.

LIII. IDEM.

MAEVIVS, cui fundus legatus est, si Callimacho, cum quo testamenti factionem non habebat, ducenta dědisset: conditioni parere debet,& ducenta dăre, ut ad eum legatus fundus pertineat: licet animos non faciat accipientis. Quid enim interest, utrum tali personæ dăre iubeatur, an aliquo loco ponere, uel in mare deijcere? neq; enim illud, quod ad talem personam peruenturum est, testamenti nomine, sed mortis caussa capitur.

LIIII. IDEM.

D CVI fundus legatus est, si decem děderit: partem fundi consequi non potest, nisi totam pecuniam numerarit. Dissimilis est caussa, cum duobus eadem res sub cōditione legata est. in hac enim quæstione statim à testamento, quo pluribus conditio adposita est, diuisa quoque in singulas personas uideri potest.& ideo singuli pro sua parte, & conditioni parere, & legatum capere possunt. nam quamuis summa uniuersæ conditionis sit adscripta enumeratione tamen personarum potest uideri esse diuisa. in eo uero, quod uni sub conditione legatum est, scindi ex accidente conditio non debet: & omnis numerus eorum, qui in locum eius substituuntur, pro singulari persona est habendus.

LV. POMPONIVS.

QVAESITVM est, an si iussus fuerit seruus quinq; operas extraneo dăre, ut liber sit, conditio

E talis sit recipienda: ut quemadmodum (scindi) circa pecuniæ dătionem dicitur, ita & circa præstationem operarum dicamus? sed hoc iure utimur: ut quemadmodum dictum est, si pecuniam ex peculio suo det extraneo, admitti eum ad libertatem: ita & si operam præstiterit, necesse sit eum admitti ad libertatem. Itaq; in proposito sapienter faciet hæres, si impedierit eum, quò minus præstet & operas. hac enim ratione seruus perueniet quidem ad libertatem, sed operis eius extraneus non utetur.

LVI. IDEM.

SI ANCILLÆ alienæ, cum ea nupsisset, legatum sit: Proculus ait, utile legatū esse: quia possit manumissa nubere.

LVII. VLPIANVS.

INTERCIDIT legatum, si ea persona decesserit, cui legatum est sub conditione. Quid ergo, si non decesserit, sed in ciuitate esse desierit? putā alicui legatū si cōsul fuerit, & is in insulam

deportatus est. nunquid nõ interim extinguitur legatum, quia restitui in ciuitatem potest? F quod probabilius esse arbitror. non idem erit dicendũ, si ea pœna in eum statuta fuerit, quę irrogat seruitutem: quia seruitus morti adsimilatur.

LVIII. PAVLVS.

IN FACTO consistentes conditiones uarietatem habent, & quasi tripertitam recipiunt diuisionem: ut quid detur, ut quid fiat, ut quid obtingat: uel retrò, ne detur, ne fiat, ne obtingat. ex his dandi faciendiq; conditiones in personas collocantur, aut ipsorum, quibus quid relinquitur, aut aliorum: tertia species in euentu ponitur. Fiscus ijsdem conditionibus parēre debet, quibus persona, à qua ad ipsum, quod relictũ est, peruenit. sic etiã cũ suo onere hoc ipsum uindicat. LIX. VLPIANVS. G

SI VIR uxori ad tempus liberorũ legauerit: dubitari potest, an de his dũtaxat filijs sensisset testator, qui post mortem eius nati fuissent: an de his, qui uiuo eo ab eo suscepti fuissent post testamentũ factũ, cũ manēte matrimonio decessisset? uerũ æquũ est proficere: siue uiuo marito, siue post mortē nascantur. LX. TERENTIVS.

SED SI hoc specialiter expressit testator: etiam si ex alio post mortem suam liberos procreauerit, nihilominus eam ad legatum admitti. Cuidam non solidum capienti amplius lege concessa portione relictum est, si hæredi aliquid dedisset. quæritur, an id, quod conditionis implendæ caussa dederit, consequi ex caussa legati possit, quasi nõ capiat id, quod eroget: an uero id extra sit, nec ideo magis ex bonis testatoris amplius capiat, quàm capturus esset, si sine conditione legatum esset? & Iulianus rectissimè scribit, tanto amplius eum capturum, quantum conditionis implendæ caussa dare eum oporteret. nec interesse, hæredi, an extraneo dare iussus sit: quia computatione facta, quæ semper in persona eius introduceretur, non amplius lege concessa portione ad eum subsideret. Cum uir uxori, SI A' LIBERIS NON NVPSERIT, in annos singulos aliquid legauit: quid iuris sit? Iulianus respondit, posse mulierem nubere, & legatum capere. Quod si ita scriptum esset, SI A' LIBERIS IMPVBERIBVS NON NVPSERIT: legem locum non habere, quia magis cura liberorum, quàm uiduitas iniungeretur. H

LXI. CAIVS.

CVM ita legatum sit, SI TITIO NON NVPSERIT: uel ita, SI NEQVE TITIO, NEQVE SEIO, NEQVE MAEVIO NVPSERIT, & deniq; si plures personæ comprehensæ fuerint: magis placuit, cuilibet eorum, si nupserit, amissuram legatum: nec uideri tali conditione uiduitatem iniunctam, cum alij cuilibet satis comodè possit nubere. uideamus, & si ita legatũ sit, SI TITIO NVPSERIT. & quidem si honestè Titio possit nubere: dubium non erit, quin nisi paruerit conditioni, excludatur à legato. si uero indignus sit nuptijs eius iste Titius: dicendum est, posse eam beneficio legis cuilibet nubere. quæ enim Titio nubere iubetur, cæteris omnibus nubere prohibetur. Itaq; si Titius indignus sit: tale est, quale si generaliter scriptum esset, SI NON NVPSERIT. Imò (si uerum amamus) durior hæc conditio est, quàm illa SI NON NVPSERIT. nam & cæteris omnibus nubere prohibetur: & Titio, cui inhonestè nuptura sit, nubere iubetur. LXII. TERENTIVS. I

HOC MODO legato dato, SI LVCIO TITIO NON NVPSERIT: non esse legi locum, Iulianus aiebat. quod si ita scriptum esset, SI ARICIAE NON NVPSERIT: interesse, an fraus legi facta esset. nam si ea esset, quę alibi nuptias non facile posset inuenire: interpretandũ, ipso iure rescindi, quod fraudandæ legis gratia esset apscriptum. legem enim utilem reipublicæ, sobolis scilicet procreandæ caussa latam, adiuuandam interpretatione. K

LXIII. PAVLVS.

LEGATO sub conditione relicto, si hæres, à quo sub conditione legatum est, pendente conditione moriatur: hæredem suum obligatum relinquit.

LXIIII. MODESTINVS.

HAERES statuliberum, cui in euentum conditionis fideicommissum restituere rogatus erat, manumisit. quæro, an fideicommissum ei præstare debeat? Herennius Modestinus respondit.

A respondit. quanquam statuliberum hæres manumiserit: tamen fideicommissum, quod sub
iisdem conditionibus relictũ ei debet, ita præstare cogitur: si conditiones impletas esse præ/
tenderit, aut per eum steterit, quò minus impleantur.

LXV. LABEO.

Cum sub hac conditione fundus alicui legatus esset, SI SERVVM NON MANVMISE/
RIT, & si manumiserit, legatum fundi ad Mæuium translatum esset: legatarius de non li/
berando satisdĕdit, & legatum accepit, & postea liberauit. quæro, an aliquid Mæuio dĕtur?
Respondi. si cui ita legatũ esset, SI SERVVM NON MANVMISERIT: satisdatione interpo/
sita accipere ab hærede legatum poterit. & si postea seruum manumiserit: commissa stipula
B tione, hæredi uel fundum, uel quanti ea res est, restituet: eoq; casu hæres ei, cui ex sequenti
conditione legatum debuit, restituet.

LXVI. IDEM.

Si ita legatum esset, CVM NVPSERIT: si nupta fuerit, & hoc testator scierit, alterum
matrimonium erit exspectandum: nihilq; intererit, utrum uiuo testatore, an post mortem
ea iterum nupserit.

LXVII. CAIVS.

Si ita expressum erit, TITIO, SI VOLVERIT, DO LEGO: apud Labeonem Proculus
notat, non aliter ad hæredem legatarij pertinere, quàm si ipse legatarius uoluerit ad se per/
tinere: quia conditio personæ iniuncta uideatur.

LXVIII. PAPINIANVS.

Duos mater filios sub conditione emancipationis ex partibus hæredes instituit, eisq;
C plurium rerum præceptionem purè dĕdit hæreditatem adierũt. patrem à legatorum com/
modo illa quoq; ratio debet submouere: quod emancipando filios, obsecutus uoluntati,
supremum iudicium uxoris suæ custodiri uoluerit.

LXIX. IDEM.

Titio centum ita, ut fundum emat, legata sunt. non esse cogendum Titium cauere, Se/
xtus Cæcilius existimabat: quoniam ad ipsum duntaxat emolumẽtum legati rediret. Sed
si filio fratris alumno minus industrio prospectũ esse uoluit: interesse hæredis credendum
est: atq; ideo cautionem interponendam, ut & fundus comparetur, ac postea non aliene/
tur. Titio centum relicta sunt, ita ut Mæuiam uxorem, quæ uidua est, ducat. cõditio non
remittetur. & ideo nec cautio remittenda est. Huic sententiæ non refragatur, quod si quis
D pecuniam promittat, si Mæuiam uxorem non ducat, prætor actionem denegat. aliud est e/
nim eligendi matrimonij pœnæ. metu libertatem auferri, aliud ad matrimonium certa le/
ge inuitari. Titio centum relicta sunt ita, VT À MONVMENTO MEO NON RECEDAT,
uel VT IN ILLA CIVITATE DOMICILIVM HABEAT: potest dici, non esse locum cautio/
ni, per quã ius libertatis infringitur. Sed in defuncti libertis alio iure utimur. TITIO GE/
NERO MEO HAERES MEVS DOTIS SEIAE FILIAE MEAE NOMINE CENTVM DATO. le/
gati quidem emolumentum ad Seiam, quæ dõtem habere incipit, pertinebit. sed quia non
tantum mulieri, sed Titio quoq;, cui pecuniam legauit, consultum uidetur: propè est, ut i/
pse legatarius intelligatur, & legatum petere debeat. Si post diuortium genero pecuniam
hæres soluerit: æquè liberabitur: quoniam in dõtem solutio conuertitur. constante autem
E matrimonio, etiã prohibente muliere, Titio rectè soluetur. hoc enim & mulieris interest, ut
incipiat esse dõtata. nam & si quis ipsam quoq; petitionem habere responderit, eaq; pecu/
niam petat, neq; dõtis fieri uelit: non dubiè doli exceptione submouebitur. antè nuptias ue
ro, Titio uel muliere defunctis, legatum apud hæredem manet. Quod si nolit eam uxorem
ducere: caussæ legati (quod ad mulieris personam attinet) satisfactum intelligitur. Sed Ti/
tio legatum petenti nocebit exceptio doli. Sabinus autem existimabat, nupta muliere Ti/
tio, sine cautione legatum deberi: quoniam pecunia dõtis efficeretur. sed cum ante nuptias
(quia purum legatum est) peti potest: cautio MVLIERI PECVNIAM REDDI necessaria erit.
Quod si maritus uitio suo caussa ceciderit, neq; soluẽdo sit: nũquid aduersus hæredẽ mulie/
ri, quę nihil deliquit, succurri debeat ob eam pecuniã, quæ doti fuerat destinata? sed quoniã
ambo legati petitionẽ habuerunt: saluã habebit: non soluta pecunia uiro, mulier actionem.

LXX. IDEM. F

Cvm tale legatum esset relictum Titię, SI A LIBERIS NON DECESSERIT: negauerunt
eam rectè cauere: quia uel mortuis liberis legati cōditio possit existere: sed displicuit senten-
tia. non enim uoto matris opponi tam ominosa interponendæ cautionis interpretatio de-
buit. Et cum patronus liberto certam pecuniā legasset, si à liberis nō discessisset: permisit Im
perator, ueluti Mutianā cautionē offerri. fuit enim periculosum ac triste, libertū coniunctū
patroni liberis eorundē mortem expectare. Titius hæredem institutū rogauit post mor-
tem suam hæreditatem restituere, si fideicommissi cautio non fuisset petita. Mutianæ cau-
tionis exemplum ante constitutionem remissæ cautionis locum habere non potuit: quoniā
uiuo eo, cui relictum est, impleri conditio potuit. Quid ergo, si ita scriptū esset, PETO POST G
MORTEM TVAM RESTITVAS HAEREDITATEM, ITA NE SATIS FIDEICOMMISSI PE
TATVR, NEVE RATIO EXIGATVR? sine dubio per huiusmodi uerba non interponen-
dæ quidē cautionis conditio uidebitur adscripta, rationi uero non exigendæ modus adhibi
tus: scilicet, ut culpa, non etiam dolus remissus intelligatur. idq́ in eius persona, qui negotia
gessit, cuiq́ rationis reddendæ necessitas fuerat testamento remissa, rescriptū est. SI ARBI
TRATV TITII SEIA NVPSERIT, HAERES MEVS FVNDVM DATO. uiuo etiam Titio sine
arbitrio Titij eam nubentem legatum accipere respondendum est: eamq́ legis sententiam
uideri, ne quod omnino nuptijs impedimentum inferatur. Sed si Titius uiuo testatore dece
dat: licet conditio deficit: quia tamen suspensa quoq́ pro nihilo foret, mulieri succurretur.

MAEVIAE SI NON NVPSERIT, FVNDVM, CVM MORIETVR, LEGO. potest dici, & si nu H
pserit, eam confestim ad legatum admitti. Non idem probatur, si certus dies incertus ue a-
lius legato fuerit adscriptus. Falsam caussam legato non obesse, uerius est: quia ratio le-
gandi legato non cohæret. sed plerunq́ doli exceptio locum habebit, si probetur aliâs lega-
turum non fuisse. Falsam conditionem Cassius & Cælius Sabinus impossibilem esse di-
xerunt: ueluti PAMPHILVS SI, QVOD TITIO DEBEO, SOLVERIT, LIBER ESTO: si modò
nihil Titio fuit debitum. quod si post testamentū factum testator pecuniam exsoluit: defe-
cisse conditionem intelligitur. Falsam legati demonstrationem non facere legatum, Sa-
binus respōdit: ueluti si quis, cum Titio nihil legasset, ita scriptum reliquerit: EX CENTVM
QVAE TITIO LEGAVI QVINQVAGINTA HAERES SEIO DATO. idq́ sumpsit ex defun
cti uoluntate: quia non animo legandi, sed deminuendi legatum, quod falso datum existi- I
maret, ita scriberet. propter falsam tamen demonstrationem legati non plus Seius adseque
tur, quàm si uerè demonstratum fuisset. LXXI. IDEM.

Titio fundus, si in Asiam non uenerit: & idem, si peruenerit, Sempronio legatus est.
cum in omnibus conditionibus, quę morte legatariorum finiuntur, receptum est, ut Mutia
na cautio interponatur: hæres cautionem à Titio accepit, & fundum ei dedit. si postea in A-
siam peruenerit: Sempronio hæres, quod ex stipulatu cautionis interpositæ cōsequi potest,
utili actione præstare cogitur. sed si cautio medio tempore defecerit, quæ sollicitè fuerat exa
cta non de suo præstabit hæres. Sed quia nihil potest ei obijci: satis erit actiones præstari. si
tamē, cum Titius in Asiam uenisset, Sempronius prius, quàm legatum accipiat, decesserit:
hæredi eius debebitur, quod defunctus petere potuit. K

LXXII. IDEM.

Mvlieri & Titio usus fructus, si nō nupserit mulier, relictus est. si mulier nupserit: quàm
diu Titius aduiuet, & in eodem statu erit, partē usus fructus habebit. tantum enim beneficio
legis ex legato mulieri esse concessum intelligendum est, quantum haberet, si conditioni pa
ruisset: nec si Titius, qui conditione defectus est, legatum repudiet, ea res mulieri proderit.

LXXIII. IDEM.

Dies incertus conditionem in testamento facit.

LXXIIII. IDEM.

Fideicommissum à filijs relictum, SI QVIS EX HIS SINE LIBERIS DIEM SVVM OBI-
ERIT, adoptionis commento non excluditur.

Auia

A LXXV. IDEM.

AVIA, quæ nepotem sub conditione emancipationis pro parte hæredem instituerat, ita postea codicillis scripsit. HOC AMPLIVS NEPOTI MEO, QVÀM QVOD HAEREDEM INSTITVI, LEGO PRAEDIA ILLA. Conditionem emancipationis repetitam uideri placet: quamuis auia nullam in legatis, ut in hæreditate substitutionem fecisset. nam & cum seruus purè quidem liber, hæres autem sub conditione scriptus, & si hæres non exstiterit, legatum accipere iussus est: in legato repetitam uideri libertatem, diuus Pius rescripsit. Mutiana cautio locum non habet, si per aliam conditionē actio legati differri possit. TITIO, SI MVLIER NON NVPSERIT, HAERES CENTVM DATO. quam pecuniā eidē mulieri Titius te-

B stituere rogatus est. si nupserit mulier: die legati cedēte, fideicōmissum petet. remoto autem fideicōmisso, legatarius exemplum Mutianæ cautionis non habebit. Pater exhæredatæ filiæ tutores dedit, eosq́; si mater eius impubere filia cōstituta uita decessisset, ad rem gerendam accedere iussit. cum uxori mandatū esset, ut moriēs filiæ cōmuni decies quinq; restitueret: non tutores uidebantur sub conditione dati, nec si quid aliud interea puella quæsisset, eius administrationē prohiberi: cautio quoq; fideicōmissi matri remissa uidebatur. quocū que enim indicio uoluntatis cautio legatorū uel fideicōmissorum remitti potest. itaq; si cautionis non petendę conditio legato uel fideicōmisso præscribatur: conditionē ea tes non faciet. non enim deficiet, si quis eam desiderauit, onere cautionis nō secuto: quod aduersus inuitum hodie iure publico sequi non potest, postea quàm remitti posse cautionē placuit.

C LXXVI. IDEM.

CVM pupillus aut tutor eius conditionem in persona pupilli collatam impedit: tam legati, quàm libertatis iure communi cōditio impleta esse uidetur. Disiunctiuo modo conditionibus adscriptis, alteram defecisse non oberit, altera uel postea impleta. nec interest, in potestate fuerit accipientis conditio, an in euentum collata.

LXXVII. IDEM.

HAERES MEVS, CVM MORIETVR TITIVS, CENTVM EI DATO. purum legatum est: quia non conditione, sed mora suspenditur. non potest enim conditio non existere. HAERES MEVS, CVM IPSE MORIETVR, CENTVM TITIO DATO. legatum sub conditione relictum est, quamuis enim hæredem esse moriturū certum sit: tamen incertum est, an legata-

D rio uiuo dies legati non cēdat. & non est certum ad eum peruenturum legatū. Qui post Mutianam cautionem interpositam legatum accepit, si contra cautionem aliquid fecerit: stipulatione cōmissa, etiam fructus hæredi restituet. hoc enim legatarius & in exordio cauere cogitur. Quamuis usufructus cum morietur legatarius, inutiliter lēgetur: tamē cautionis Mutianæ remedium, usufructu quoq; sub conditione alicuius non faciendi legato, locū habet. Quod in fraudem legis ad impediendas nuptias scriptū est: nullam uim habet. ueluti TITIO PATRI CENTVM, SI FILIA, QVAM HABET IN POTESTATE, NON NVPSERIT, HAERES DATO. uel FILIOFAMILIAS, SI PATER EIVS VXOREM NON DVXERIT, HAERES DATO.

LXXVIII. IDEM.

E EAS CAVSSAS, quæ protinus agentem repellunt, in fideicommissis non pro conditionalibus obseruari oportet. eas uero, quæ habent moram cum sumptu: admittemus cautione oblata. nec enim parem dicemus eum, cui ita datum sit, si monumentum fecerit: & eum, cui datum est, ut monumentum non faciat.

LXXIX. PAVLVS.

IVLIVS Paulus Aufidio. Quęsisti, si ita in testamēto cautū esset, STICHVS, SI RATIONES REDDIDERIT, CVM CONTVBERNALI SVA LIBER ESTO, EIS QVE HAERES DECEM DATO: an Sticho mortuo, antequàm rationes redderet, uel pariatore, uel reliqua habente, libera sit mulier: & an de legato idē accipiamus, libertate data, si rationes reddiderit. Hac cōditione rationū reddēdarū iussus uidetur reliqua reddere, si qua habet, cū fide actus sui. quæ si nulla sunt: purè accepisse libertatē uidebūtur. & si post aditā hæreditatē decessit: cōpetente libertate

libertate,etiam legatum eos cōsecutum est.quod si cum adhuc reliqua haberet,decessit: sub F
eadem conditione & cōtubernalis eius libertatem accepisse uidetur, & defectam conditionem.Sed non inelegāter illud dicetur:Stichum quidem sub conditione manumissum contubernalem autem eius purè:& illam coniunctionem non ad coniungēdam conditionem, sed ad necessitudinem demonstrandam pertinere.tunc enim demum pro impleta habetur conditio,cum per eum stat,qui si impleta esset,debiturus erat.

LXXX. CALLISTRATVS.

CVM seruus ita liber esse iussus sit, SI RATIONES REDDIDERIT, EIQVE FVNDVM HAERES DARE DAMNAS ESTO: uideamus,utrum conditio libertati proposita sit,an uero & legato.& quidem si libertati soli accipiamus propositam:nullus tractatus amplius superest.nam legatū purum inuenitur.& ideo inutile fit.quod si cōditio etiā legato in- G
sita sit:(quod quidam rectè putant)simul cum libertate dies quoq; legati utiliter cēdit. quid ergo continetur his uerbis, SI RATIONES REDDIDERIT? quidam hoc aiunt,si reliqua reddiderit:quasi nihil intersit,utrum sub hac conditione SI RELIQVA,an sub hac, SI RATIONES REDDIDERIT.Sed nos neq; conditionem meram putamus esse, quæ in datione existat:neq; meram conditionē,quæ in facto sit:sed eam conditionē, quæ ex quadam mistura consistat.nam non utiq; si ille in folle reliqua obtulerit,liber erit.non enim testator hoc sensit:sed illud,ut rationes reddat,quomodo seruus reddere solet:id est legendas offerre rationes primum,deinde computādas,ut explorari possit,imputationes probè, an improbè referantur:rectè relata accepta,an nō rectè.ita enim incipit quidē res à facto, peruenit autem H
ad pecuniam.inest his uerbis etiam,hæredes notitia instrui rationū,ut sciant quid in quaq; ratione scriptū sit.Nam quod ipse uiuus facturus erat,id ab hæredibus suis fieri iussisse intelligitur.ille autem utiq; solebat non sic seruo suo ostendenti reliquas rationes subscribere: sed ita,ut legeret,examinaret,exciperet.itaq; & cum seruo sub hac conditione testamento libertas datur, SI RATIONES REDDIDERIT:non hanc solam habet significationem, si cautiones instrumentaq; omnia actus sui exhibuerit hæredi: sed & si reliqua soluerit.

LXXXI. PAVLVS.

LVCIVS Titius ita testamentum fecit. AVRELIVS CLAVDIVS NATVS EX ILLA MVLIERE, SI FILIVM MEVM ESSE SE IVDICI PROBAVERIT, HAERES MIHI ESTO. Paulus respondit filium de quo quæreretur,non sub ea conditione institutum uideri,quæ in pote- I
state eius esset.& ideo testamentum nullius esse momenti.

LXXXII. IDEM.

ILLIS LIBERTIS ALIMENTORVM NOMINE, SI CVM FILIO MEO MORATI FVERINT, MENSTRVOS DENARIOS CENTENOS, ET VESTIARIA DARI VOLO. liberti in obsequio fuerunt,quàmdiu adolescēs ad militiam promoueretur.qua caussa effectum est, ut quibusdam Romæ relictis proficisceretur,& apud castra defunctus est.quæsitum est, an ab hæredibus eius alimenta debeantur?Paulus respondit.conditionē quidem in persona libertorum,qui cum filio defuncti morati sunt,aut per eos non stetit,quo minus morarētur, mortuo filio testatoris defecisse nō uideri.sed si testator propter filij utilitatem his, qui cum eo morati fuissent,alimenta præstari uoluisset:contra uoluntatem defuncti petentes audiri K
non oportere.

LXXXIII. SCAEVOLA.

TITIA hæredis instituti liberos habentis filij fideicommisit,uti rem eius uniuersam restitueret filijs eius,libertis'ue eorum,cum ipsi petissent sine ulla iuris cauillatione.quæro, an his uerbis, CVM ILLI A TE PETIERINT, conditio fideicommisso adscripta uideatur? respondi,non uideri.

LXXXIIII. MARCELLVS.

IVLIANVS noster eum,qui decem dare,& ita liber esse iussus esset,si à uiuente manumissus esset:non aliter legatum,quod ei cum libertate datum esset,habiturum, quàm si conditioni libertatis paruisset.idem in emptore,si alienatus esset.Sed id tunc locum habet, cum omnimodo simul cum libertate legatum adquiri potuit,licet legato imposita non sit: ueluti cum in tempus libertatis collatū esset legatum. Cum uero libertas sub conditione,legatū autem

A autem præsenti die datum est:in hoc quæstio est,an constiterit legatum. Etenim nec Catonianæ sententiæ locum in proposito esse:quia & si statim testator decessisset, non tamen omnimodo inutile esset legatum:cum posset conditio libertatis ante aditam hæreditatem impleri,& legatum manumisso deberi:nisi fortè necessarius hæres exstitisset.tunc enim omnimodo inutile erit legatum ipso iure:quia sub cõditione acceperit libertatem.

LXXXV. VALENS.

QVOD traditum est,in legatis nouissimam,in libertatibus leuissimam conditionẽ spectandam esse. LXXXVI. CAIVS.

ID EST quæ ipsi seruo commodior sit.

B LXXXVII. VALENS.

NON AD ea duntaxat pertinet,quæ sæpius sub diuersis conditionibus: sed etiam quæ primo purè,deinde sub conditione dantur. Itaq; quod hæres purè dare iussus est, quod'ue purè legatum est,cum idem ex interuallo sub conditione legatũ est:posterius ualet. si prius sub conditione,deinde purè legatũ est:præsens debetur. quod si purè legatũ, ex continenti hæres sub conditione damnatus,aut rogatus est dare:perinde est,ac si iuncta subiecta scriptura idem legatum esset,uel ut præsens uindicari(si hoc uoluerit legatarius)uel cum conditio exstiterit,ab hærede peti possit: nisi cum commemoratione superioris legati, posterius scriptum fuerit:ueluti STICHVM, QVEM ILLI LEGAVI, HAERES MEVS EI, SI ILLVD FACTVM ERIT, DATO. Tunc enim reuocãdi animo præsens legatum,& sub cõditione dandi

C ita scripsisse uidebitur.& si ante conditionẽ rem uindicet:doli exceptio locũ habere poterit.

LXXXVIII. CAIVS.

PER FIdeicommissum uariè data libertate:non leuissima spectanda est, sed nouissima: quia posterior uoluntas potior haberi debet.cui consonat & rescriptum diui Antonini.

LXXXIX. MARTIANVS.

CONDItionum,quæ in futurum conferuntur,triplex natura est:ut quædam ad id tempus,quo testator uiuat:quædam ad id,quod post mortem eius futurum sit: quædam ad alterutrum pertineant:tempus autem uel certum,uel infinitum comprehendatur.quę omnia non minus in fideicommissis,quàm institutionibus ac legatis incidere solent:ut hæc conditio, TITIAE, SI MIHI NVPSERIT, non dubiè,nisi uiuente testatore:illa autem, SI AD EXE

D QVIAS FVNERIS MEI VENERIT, nisi post mortem,impleri non possit:illa uero, SI FILIO MEO NVPSERIT, uel uiuente,uel mortuo testatore,impleri possit. Et prima quidem ac tertia ex relatis conditionibus,infinitum tempus habent. quandocunq; enim nupserit, impletur conditio.secunda ad certum tempus adscripta est.

XC. VLPIANVS.

SI CVI legatum fuerit relictum,isq; rogatus fuerit liberos suos emancipare: an cogi debeat manumittere? Et retineo me dixisse,deficere eos à petitione fideicommissi. neq; enim prætor fideicommissarius eos ad libertatem tuetur ut seruos. Papinianum quoq; libro nono Responsorum scribere referebam,non esse cogendum emancipare filios suos. Arbitror tamen extra ordinem debere constitui:eum,qui agnouerit,quod sibi relictum est hac con-

E templatione,ut liberos suos emanciparet:cogendum emancipare. neq; enim debet circumueniri testantiũ uoluntas. Sic deinde hoc accipiendum, quemadmodũ si sub conditione liberorum emancipandorum ei fuisset legatum relictum:uel ita,ut eos emanciparet. Cui rei consequens est,quod diuus Seuerus rescripsit.nam cum quædam mulier nepotes suos hæredes instituisset,& ipsum filium cohæredem filijs suis dedisset,eosq; inuicem substituisset, rogassetq; filium,ut filios emanciparet,non autem rogasset,ut hæreditatem eis restitueret: ex autoritate diui Seueri emancipare eos compulsus est,hisq; restituere hęreditatem.& adiectum est, si id tardius faceret, quasi ex mora usuras præstaturum. uideri enim cum: qui moram faceret emancipationis,moram etiam restitutioni fideicommissi facere.

XCI. PAPINIANVS.

PATER filio suo cohæredes sine ulla conditione filias ipsius dedit,ac petijt, ut filias suas emanci-

emanciparet, ita ut curatores à prætore acciperent. filij uideri fidei commisisse placuit, ut eas F
sui iuris constitutas, ad hæreditatem auiæ peruenire pateretur: nec ad rem pertinere, si por/
tionem filiarum iure substitutionis quæsisset.

XCII. HERMOGENIANVS.

Cum ita datur libertas, SI TITIO, QVI NON EST HAERES, DECEM DEDERIT: certa persona demonstratur, ac propterea in persona eius tantum conditio impleri potest. Sanè si cum cesserit dies, pecuniam conditione comprehensam statuliber habuerit: iure constituto, nulli dando, consequetur libertatem. Diuersa caussa est legatarij, in cuius persona placuit conditionem deficere: si antè, quàm dederit legatarius pecuniam, Titius moriatur. Ex his uerbis, SI HAEREDI, uel SI HAEREDI TITIO DECEM DEDERIT, LIBER ESTO: non tantum hæredi, sed etiam hæredis hæredi dando, peruenit ad libertatem. at si nullus hæredi successerit: iure constituto, nulli dando, ad libertatem perueniet. G

XCIII. IDEM.

LEGATVM sub conditione relictum, & ad alium translatum, si non conditio personę cohæreat: sub eadem conditione translatum uidetur.

XCIIII. PAVLVS.

TITIO ususfructus serui legatus est: & si ad eum pertinere desijsset, libertas seruo data est. Titius uiuo testatore decessit. libertas non ualet: quia cõditio nec initium accepit. PAVLVS. ergo & si uiuet Titius, & capere non potest, idem dicendum est. desijsse enim non uidetur, quod nec incipit. Serui usufructus mulieri, quoad uidua esset, legatus est. idem seruus, si ea nupsisset, liber esse iussus est. si mulier nupserit, liber erit: quia potior est legato libertas. H

XCV. IDEM.

MVNICIPIBVS, si iurassent, legatum est. hæc conditio non est impossibilis. PAVLVS. quemadmodum ergo pareri potest per eos? itaque iurabunt, per quos municipij res gerũtur.

XCVI. IDEM.

MEA RES sub conditione legari mihi potest: quia in huiusmodi legatis non testamenti facti tempus, sed conditionis expletæ spectari oportet.

XCVII. PAPINIANVS.

CONDITIONES extrinsecus, non ex testamento uenientes, id est, quæ tacitè inesse uidentur, non faciunt legata conditionalia. I

XCVIII. IDEM.

TITIAE, si nupserit, ducenta: si non nupserit, centum legauit. si nupserit mulier: ducenta, non etiam centũ residua petet. ridiculum est enim eandem, & ut uiduã, & ut nuptã admitti.

XCIX. IDEM.

PATER Seuerinam Proculam Ælio Philippo cognato nuptijs testamento designauit. eidem filiæ prædium, si Aelio Philippo nupsisset, uerbis fideicõmissi reliquit. quod si nõ nupsisset: idem prædium Philippo dari uoluit. nondũ uiripotens puella diem suum obijt. Respondi, cum in conditionibus testamentorũ uoluntatem potius, quàm uerba considerari oporteat: Aelio Philippo fideicõmissum ita datum uideri, si ei Procula defuncti filia nubere noluisset. Quarè cum ea prius, quàm uiripotens fieret, ita decesserit: conditionem extitisse non uideri. Ita fideicõmisso dato, VOLO RESTITVAS, SI SINE LIBERIS DECEDAS: conditio deficit ex uoluntate, uel uno filio superstite relicto. Conditionũ uerba, quæ testamento præscribuntur, pro uoluntate considerantur. & ideo cum testamento tutores dari (quoniã interea puer adoleuerat) id egerint, ut curatores ipsi cõstituerentur: cõditio fideicõmissi talis præscripta, SI TVTELAM IN ANNVM DECIMVMOCTAVVM GESSERINT, defecisse non uidebitur. Socrus nurui fideicõmissum ita reliquerat, SI CVM FILIO MEO IN MATRIMONIO PERSEVERAVERIT. diuortio sine culpa uiri post mortẽ socrus facto, defecisse cõditionẽ respõdi: nec ante diẽ fideicõmissi cædere, quàm mori cœpit nupta, uel maritus. & ideo nec Mutianã cautionẽ locũ habere: qa morte uiri cõditio possit existere. Fideicõmissa mẽstrua & annua sub ea cõditione liberto relicta, QVA'MDIV RES PATRONI FILIAE GESSERIT: K

& si

A & si præstari necesse est, filia prohibente res suas administrari: tamen uoluntatem filia mutante, conditionem resumunt, quoniam plura sunt.

C. IDEM.

CVM auus filium ac nepotem ex altero filio hæredes instituisset, à nepote petijt, ut si intra annum tricesimum moreretur, hæreditatem patruo suo restitueret. nepos liberis relictis intra ætatem suprâscriptam uita decessit. fideicommissi conditionem coniectura pietatis respondi defecisse: quod minus scriptum, quàm dictum fuerat, inueniretur.

CI. PAVLVS.

SI ITA legatum sit, TITIO POST DECEM ANNOS DATO, SI SATIS AB HAEREDE

B NON EXEGERIT, & Titius intra decimum annum decesserit: ad hæredem suum transmittit legatum: quia moriente eo conditio exstitit.

CII. IDEM lib. IIII. Responsorum respondit.

EVM, qui post apertum testamentum deportatus, & restitutus est, fideicommissum petere posse, cuius conditio postea exstiterit, quàm ciuitatem Romanam recipiat.

CIII. POMPONIVS.

SI FVNDUM à testatore sub conditione legatum hæres alij pendente cōditione legauit: postea existente conditione, quæ priore testamento præposita fuerat: neque proprietas à priore legatario recedet, nec locum religiosum in eo fundo hæres facere, nec seruitutem imponere poterit. sed & imposita seruitus finietur, existente conditione.

C

CIIII. IVLIANVS.

HOC genus legati, SI TITIO NON NVPSERIT, perinde habendum est, ac si post mortē Titij legatum fuisset. & ideo nec Mutiana satisdatione interposita, capere legatū potest. sed & alij nubendo, nihilominus legatum consequit.

CV. CAIVS.

ALIQVANDO accidit, ut sub conditione datum legatum, purū intelligatur: ueluti quod sub eadem conditione relictum est, sub qua etiam hæres alius institutus est. item quod sub hac conditione relictum est, SI HAEREDITATEM ADIERIT. ex diuerso quoque purum datum legatum conditionale uidetur: ueluti quod sub cōditione ademptum est: quia sub contraria conditione datum intelligitur.

D

CVI. SCAEVOLA.

LIBERTIS omnibus legauit domum, & hæc uerba adiecit, VT IN EA HABITENT LIBERTI, NEC DE NOMINE EXEAT, ET VT AD VNVM, QVI NOVISSIMVS EXSTITERIT, PERVENIAT: ET EO AMPLIVS EISDEM LIBERTIS MEIS DARI VOLO FVNDVM SEIANVM. quæsitum est, an conditio adposita, ne de nomine exiret, ad sequens quoque legatum pertineret? Respondi pertinere.

CVII. IDEM.

A TESTATORE rogatus, ut acceptis centum numis restitueret hæreditatem Titiæ cohæredi suæ, adita hæreditate decessit. similiter & Titia, antequàm daret centum. quæsitum est, an hæres Titiæ offerēdo centum fideicommissi partem hæreditatis consequi possit? respon

E di. hæredem conditioni parēre non posse. CLAVDIVS. magno ingenio de iure aperto respondit: cum posset dubitari, an in proposito conditio esset.

CVIII. POMPONIVS.

SI INVITIS hæredibus ex peculio statuliber pecuniā Titio det: liber quidem fit: sed Titius, qui inuitis hæredibus sciens acceperit, pro possessore uidetur eam pecuniam possidere: ut auocare eam hi, qui inuiti fuerunt, possint.

CIX. IDEM.

QVI sub conditione rationum reddendarum liber esse iussus est, docere debet, constare fidem omnibus, quæ ab eo gesta sunt: ut neque subtraxerit quid ex his, quæ acceperit: neque expressum rationibus præscripserit, quod non dederit. sed & quod reliquum per contextum scriptum est remanere apud eum, soluere debet. neque enim aliter liber esse potest,

quàm si hoc modo conditioni, sub qua data est libertas, satisfecerit. Cæterum debitores, cũ F
quibus ipse contraxit, non utiq; in diem mortis domini sui fuisse idoneos præstare cogen/
dus est: sed eo tempore, quo his creditum est, eius conditionis fuisse, ut diligens paterfamili
âs his crediturus fuerit.

CX. IDEM.

TALES conditiones, SI MONVMENTVM (putã) FECERINT, pluribus propositæ, non
possunt, nisi in omnibus simul personis existere. ITEM SI SYMPHORO ET IANVARIO
CENTVM TITIVS PRAESTITERIT, FVNDVM EI LEGO. Symphoro mortuo, an legatum
perijsset? sed hoc quoq; sic puto interpretandum: ut si dum quisq; eorum uiueret, præstitis/
set. sed benigna interpretatione esse dicendum: si non post moram Titij Symphorus deces/ G
sit: debere & partem dimidiam Ianuario dantem, partem fundi dimidiam legatarium con
sequi. De illo quoq; quæritur. fundus quibusdã legatus est, si pecuniã certam in funus,
impensasq; perferendi corporis in aliã regionem dedissent: num nisi uterq; dederit, neutri
est legatum: quoniã conditio, nisi per utrũq;, expleri nõ potest? sed hoc humanius interpre/
tari solemus: ut cum duobus fundus legatus sit, si decem dedissent: & alteri dando partẽ, le/
gatum quoq; debeatur. Priscus respondit, statuliberũ non utiq; ibi, ubi paterfamiliâs de
cesserit, aut ubi ipse relictus sit, aut ubi uelit, rationem reddere debere: sed interim proficisci
ad eũ, cui reddere debeat: utiq; si is reipublicæ caussa aberit. uerissimum est autem, ut aliâs
aliud ex persona locoq; sit æstimandum.

CXI. PAVLVS. H

CVM filius rogatus fuisset à patre, si antè q; res suas administrare posset, decessisset, hęre
ditatẽ Titio restitueret: & egressus uiginti annos decessisset: rescriptũ est, fideicõmissũ deberi.

AD LEGEM FALCIDIAM. TIT. II.

I. PAVLVS.

LEX ETIAM Falcidia lata est, quæ primo capite liberam legandi facultatem
dedit his uerbis. QVI CIVES ROMANI SVNT, QVI EORVM POST HANC LE/
GEM ROGATAM TESTAMENTVM FACERE VOLET, VT EAM PECVNI/
AM, EASQVE RES, QVIBVSQVE DARE LEGARE VOLET, IVS POTESTAS/
QVE ESTO. (ut hac lege sequenti licebit.) Secundo capite modum legatorum constituit I
his uerbis. QVICVNQVE CIVIS ROMANVS POST HANC LEGEM ROGATAM TESTA
MENTVM FACIET, IS QVANTAM CVIQVE CIVI ROMANO PECVNIAM IVRE PVBLI
CO DARE LEGARE VOLET, IVS POTESTASQVE ESTO: DVM ITA DETVR LEGATVM I
NE MINVS, QVAM PARTEM QVARTAM HAEREDITATIS EX EO TESTAMENTO
HAEREDES CAPIANT. EIS, QVIBVS QVID ITA DATVM LEGATVMVE ERIT, EAM PE
CVNIAM SINE FRAVDE SVA CAPERE LICETO. ISQVE HAERES, QVI EAM PECVNI/
AM DARE IVSSVS DAMNATVSVE ERIT, EAM PECVNIAM DEBETO DA/
RE, QVAM DAMNATVS EST. Lex Falcidia etiam ad eos, qui apud hostes moriuntur,
propter legẽm Corneliam pertinere uidetur: quod ea lex perinde eorum testamenta confir
met, atq; si in ciuitate decessissent. propter quam fictionem & lex Falcidia, & omnes testa/ K
mentariæ pertinent: quæ tamen possint locum habere. Ad eos, qui omissa caussa testa/
menti possident hæreditatem, non pertinet lex Falcidia: sed per edictum prætoris induci/
tur potestas legis. idẽq; est, si iusiurandi cõditio remissa sit. Sed & si seruo suo testator data
libertate legauit: quanq; differtur in id tempus, quo liber futurus est: itẽ si ei, qui apud ho/
stes est: aut ei, qui nondũ natus est, datũ sit aliquid: hæc lex locũ habebit. Ad municipum
quoq; legata, uel etiam ea, quæ deo relinquuntur, lex Falcidia pertinet. Non solum autẽ
ad res proprias testatoris legatas, sed ad alienas quoq; lex pertinet. & omne, quod ex bonis
defuncti erogatur, refertur ad hanc legem: siue in corpore constet certo incertoue, siue pon/
dere, numero, mẽsura ualeat: aut etiam si ius legatũ sit, aut usus fructus, aut quod in nomini/
bus est. Itẽ si ita legatum sit, HAERES MEVS SEIO PENVM DATO. SI NON DEDERIT,

A DECEM DATO: quidam putant, omnimodo in legato decem esse: penum autem mortis caussa capi, nec in Falcidiam imputare id hæredem posse. Ego autem didici, si in continenti hæres penum soluerit: uideri hoc legatum esse, & in legē Falcidiā imputari posse. Et quod dixi incōtinenti: id accipiendum cum aliquo spacio. quod si iam mora facta, soluerit hæres penum: tunc nec legatum eum accepisse, nec in Falcidiam imputari posse. iam enim transfusum legatum esse, & decem deberi. Idemq; erit, etiam si ab initio ita legatum datum sit. SI PENVM NON DEDERIT, DECEM DATO: quia hic penus nō est legata: & penus, si datur, mortis caussa capitur: quia deficit legati conditio. Si usufructus legatus sit, qui & diuidi potest, non sicut cæteræ seruitutes indiuiduæ sunt: ueteres quidem æstimandum totum u-B sumfructum putabant, & ita constituendum, quantum sit in legato. Sed Aristo à ueterū opinione recessit. ait enim, posse quartam partem ex eo, sicut ex corporibus, retineri. Idq; Iulianus rectè probat. Sed operis serui legatis: cum neq; usus, neq; usufructus in eo legato esse uideatur: necessaria est ueterum sententia, ut sciamus, quantum sit in legato: quia necessariò ex omnibus, quæ sunt facti, pars decedere debet: nec pars operæ intelligi potest. Imò & in usufructu, si quæratur, quantum hic capiat, cui usufructus datus est: quantum ad cæterorum legatorum æstimationem, aut etiam huius ipsius, ne dodrantem excedat, legatum: necessario ad ueterum sentētiam reuertēdum est. Si quis creditori suo, quod debet, legauit: aut inutile legatum erit, si nullum commodum in eo uersabitur: aut si propter repræsentationis (putà) commodum utile erit, lex quoq; Falcidia in eo commodo locum habebit. Si lega-C tarius possessionem nactus est, & non potest auocari ei res, quia uoluntate hæredis errantis nactus est possessionem: dabitur actio hæredi, ut id, quod supra dodrantem est, offeratur.

Interdum omnimodo necessarium est solidum solui legatario: interposita scilicet stipulatione: QVANTO AMPLIVS, QVAM PER LEGEM FALCIDIAM CEPERIT, REDDI: ueluti si quæ à pupillo legata sunt, non excedant modum legis Falcidiæ. Veremur autem, ne impubere eo mortuo, alia legata inueniantur, quæ contributione facta dodrantem excedant. idem dicetur, & si principali testamento quædam sub conditione legata sunt, quæ an debeantur incertum est. & ideo si hæres sine iudice soluere paratus sit: prospiciet sibi per hanc stipulationem. Id, quod ex substitutione cohæredis ad cohæredem peruenit, proficit legatarijs. is enim hæres similis est ex parte purè, ex parte sub conditione hæredi instituto. sed ea, D quæ ab eo legata sunt, si omiserit aditionem, non augebuntur: scilicet si ab eo nominatim data sunt, non QVISQVIS MIHI HAERES ERIT. Si cohęredis mei portio exhausta sit, mea integra, & illam uindicauero: Cassius confundendas esse partes existimat. Proculus contrà. in qua specie & Iulianus Proculo adsensit. quam sententiam probabiliorem esse puto. Sed & diuus Antoninus iudicasse dicitur, commiscendas esse utrasq; partes in computatione legis Falcidiæ. Si cohæredem meum post aditam hæreditatem adrogauero: non dubitabitur, quin separandæ sint portiones perinde, atq; si cohæredi meo hæres exstitissem. Si in annos singulos legatū sit Titio: quia multa legata et cōditionalia sunt: cautioni locus est, quę in edicto proponitur, QVANTO AMPLIVS CEPERIT, REDDI. Id, quod natura hęreditati debetur, & peti quidem non potest, solutum uero non repetitur: non esse computandum E in hæreditate, quidam putant. Sed Iulianus & hoc ex euentu augere patrimonium, aut non augere existimat: & hæreditario iure id quoq; capi, ideoq; & in restitutionem hæreditatis uenturum. Si debitor creditori hæres existat: quamuis confusione liberetur: tamen locupletiorem hæreditatem percipere uidetur, ut computetur ei, quod debet, quamuis aditione confusum sit. De impensa monumenti nomine facta quæritur, an deduci debeat? & Sabinus ita deducendum putat, si necessarium fuerit, monumentum exstruere. Marcellus consultus, an funeris monumentiq; impensa, quantam testator fieri iussit, in ære alieno deduci debeat? respondit, non amplius eo nomine, quàm quod funeris caussa consumptum sit, deducendum. nam eius, quod in exstructione monumenti erogatum sit, diuersam esse caussam. nec enim ita monumenti ædificationem necessariam esse, ut sit funus ac sepultura. Idcirco eum, cui pecunia ad faciendum monumentum legata sit, Falcidiam passurum.

F

II. MARCELLVS.

Nec amplius concedendum erit, quàm quod sufficiat ad speciem modicã monumenti.

III. PAVLVS.

Si haeres institutus eam hæreditatem, quæ soluendo non est, uendiderit: uix quidem poterit persuaderi, non fuisse eam hæreditatem soluendo, quæ emptorem inuenerit. uera autem ratione nihil legatarijs debebitur: quia magis ex stultitia emptoris uidetur habere hæres institutus, quàm ex bonis defuncti. nam & è contrario, si malè uendideris res hæreditarias, non erit hoc legatariorum detrimentum. Ita ergo commodum debet esse hæredis, si bene res administrauerit. Sed & si is, qui soluendo non est, legauerit, & hæres cum creditoribus deciderit, ne solidum solueret, & ob eam decisionem factum sit, ut aliquid retineret: nihil tamen legatarijs debiturum, quia eam pecuniam non ex hæreditate, sed ex decisione habeat. G Item si reipublicæ in annos singulos legatum sit: cum de lege Falcidia quæreretur, Marcellus putabat: tantum uideri legatum, quantũ sufficiat sorti ad usuras trientes eius summæ, quæ legata est, colligendas.

IIII. PAPINIANVS.

Fvndo mihi legato sub conditione, pendente legati conditione hæres me hæredem instituit, ac postea legati conditio exstitit. in Falcidiæ ratione fundus, non iure hæreditario, sed legati, meus esse intelligitur.

V. IDEM.

Verbis legati uel fideicommissi nõ necessariè ciuitati relinquitur, quod ex caussa pollicitationis præstari necesse est. H Itaq; si debiti modum testamento dominus decesserit: superfluum dũtaxat Falcidia minuetur. quarè nec fideicommitti legatarijs poterit. Quod si dies, aut conditio legatum fecerit: non utilitatis æstimatio, sed totum petetur, quod datum est. nec si uiuo testatore dies uenerit, aut cõditio fuerit impleta: fiet irritum, quod semel cõpetit.

VI. VENVLEIVS.

Si vir uxori hæres exstiterit, & in funus eius impenderit: non uidebitur totum quasi hæres impendere: sed deducto eo, quod quasi dotis nomine, quã lucrifacit, cõferre debuit.

VII. PAPINIANVS.

Lege Falcidia interueniente, legata seruitus (quoniam diuidi non potest) non aliter in solidum restituetur, nisi partis offeratur æstimatio. I

VIII. IDEM.

In lege Falcidia, æris alieni ratione in hæreditate relicti, quod unus ex hæredibus soluere damnatus sit, ipse solus habebit.

IX. IDEM.

In Falcidia placuit, ut fructus postea percepti, qui maturi mortis tempore fuerint, augeant hæreditatis æstimationem fundi nomine, qui uidetur illo in tempore fuisse preciosior. circa uentrem ancillę uero nulla temporis admissa distinctio est. nec immeritò: quia partus nondum ēditus, homo non rectè fuisse dicitur.

X. IDEM.

Qvod supra quadrantem ad hæredem potest peruenire, supra dodrantem in pecunia legatum non onerat hæredem: ueluti hæreditas pupilli, si fortè substitutus sit exhæredato, qui patri pupilli hæres exstitit. K

XI. IDEM.

In ratione legis Falcidiæ retentiones omnis temporis hæredi in quadrantem imputãtur. Si seruus sub conditione libertate data, uita decessit: siquidem impleta conditio fuerit quandoq;: hæredi non uidebitur perisse. Quod si defecerit: in contrariũ ratio trahit. sed, quanti statuliber, moriens fuisse uidebitur. Imperator Marcus Antoninus decreuit: hæredes, quibus pars bonorum ablata est, non in ampliorem partem, quàm pro ea parte, quę relicta est, legatorum nomine teneri. Cum quidam parte dimidia bonorum adempta fuisset relegatus, itē q; prouocatione interposita testamento postea facto obisset, atque post mortem

A mortem eius non iustè appellatum esse pronunciatum esset:quæsitum est, utrum æris alieni loco pars dimidia abscederet,ut residua sola uideretur fuisse in bonis:an uero succurri hæredi necessarium esse uideretur. Sed uidetur succurri debere:cum animus litigantis obtinendi uotum hanc opinionem admittat. Si seruus testamento manumissus ante aditam hæreditatem decedat:hæredi quidem perisse intelligitur.sed cuius precij erit,qui si uiueret,non æstimatetur? nam & eos,qui moriente domino ea ualetudine affecti fuerant,ut eos non posse uiuere certum esset:tamen si postea moriantur,hæreditati perijsse responsum est. nec aliud in his,qui sub eodem tecto fuerunt,cum dominus à familia necaretur. Quod uulgò dicitur,in tabulis patris & filij unam Falcidiam seruari:quam potestatem habeat, uidendum est.quamuis enim substitutus,quæ à pupillo relicta sunt,cum filius hæres exstiterit,ut quodlibet æs alienum debeat:tamen propter ea,quæ secundis tabulis data sunt, contributioni locus est.secundum quæ poterit euenire,ne substitutus quicquam retineat, uelut longè plus habeat quarta paternæ hæreditatis.Quid ergo, si non sufficiat pupilli hæreditas legatis,cum patris suffecerit? de suo quadrante nimirum dabit substitutus:quoniam pater legauit de suo.nec ad rem pertinet, quod ex nullo testamento præstatur ultra uires patrimonij:cum in hac parte iuris legata, quæ secundis tabulis relinquuntur,quasi imprimis sub conditione relicta intelligantur. Si filio suo duos substituerit,& alterius portionem onerauerit: tractari solet,an ex persona sua Falcidiam possit inducere substitutus, quam pupillus non haberet, uel unus.pupilli substitutus. Et facilè quis dixerit consequenter

C prioribus,quæ de patrimonij ratione dicta sunt:non esse Falcidiæ locum,& ultra uires portionis conueniendum alterum substitutum.Sed uerior est diuersa sententia: perinde huic quartam relinquendam existimantium,atque si ita,patris hæres exstitisset. ut enim opus patris & contributio legatorum inde capiunt & formam & originem:ita plures substituti subducta persona pupilli, reuocandi sunt ad intellectum institutionis. Quid tamen dicemus de altero substituto,qui non est oneratus:si fortè nondum legata pupillus à se relicta soluerit, & aliquid ultra dodrantem sit:in omnibus & ipsum Falcidiam habiturũ? At quin quartam habet, neque idem patitur instituti comparatio.rursus si negemus:aliud apertè quàm quod uulgo probatum est,respondetur.Itaque uarietas existet:ut is quidem, qui proprio nomine oneratus est,uelut institutus desideret quartam:alter autem, qui non est

D oneratus ut substitutus (licet portio eius largiatur) non in solidum conueniatur propter calculi confusionem. Huic consequens est, ut si pupillo de Falcidia cautum fuit,duobus stipulatio committatur: uidelicet in ea quantitate, quam unusquisque sibi detinere potuisset. Quæsitum est, si quis pupillo cohæredem substituisset, quemadmodum ratio legis Falcidiæ inquiri debeat? & quale sit,quod uulgo dicatur, legatorum rationem separandam? dixi.quantum ad legata,quæ pater à filio,item à substituto reliquit:nullam fieri posse separationem:cum communi calculo subijciantur,& inuicem inducant contributionem: sed legata,quæ à substituto extero data sunt,permisceri cęteris non oportere.Ideoq; quartam pupillo datæ portionis habere substitutum, quamuis suam portionem habeat,ut institutus:& aliam caussam esse eius,qui ex uarijs portionibus hæres scriberetur.Ibi enim le-

E gatorum confundi rationem non minus quàm si semel fuisset nuncupatus ex ea portione, quæ conficeretur ex pluribus:neque referre,purè sæpe,an sub diuersis conditionibus sit hęres institutus. Si quis exhæredato filio substituit hæredẽ institutum,& ab eo tabulis quoque secundis legauerit:necessariò ratio confundetur:cũ ideo legata ualere dixerit Iulianus à substituto relicta, quod idem patri hæres exstitetit.

XII. IDEM.

SI DEbitor creditore hærede instituto petisset,ne in ratione legis Falcidiæ ponenda creditum suum legatarijs reputaret:sine dubio ratione doli mali exceptionis apud arbitrum Falcidiæ defuncti uoluntas seruatur.

XIII. IDEM.

SI TAcitum fideicommissum seruus iniungente domino susceperit: habiturum eum legis Falcidiæ beneficium, quia parêre domino debuerit, constitutum est. idemq; placuit in filia, quæ fuit in patris potestate. F

XIIII. IDEM.

PATER filiam, quæ à uiro diuerterat, hæredem pro parte instituit. ab ea petijt, ut fratri & cohæredi suo portionem hæreditatis acceptam, deducta sexta, restitueret: admissa cõpensatione dotis in Falcidiæ ratione, si pater dotem consentiente filia non petisset: Falcidiam quidem iure hæreditario, dotem autem iure proprio filiam habituram respondi: quia dos in hæreditate patris non inueniretur. Auia nepotibus hęredibus institutis fidei cõmisit, ut omissa retentione, quæ per legem Falcidiam ex alio testamento competebat, solida legata fratribus & cohęredibus soluerent. rectè datum fideicommissum respondi: sed huius quoq; onus in contributione uenire. Duobus impuberibus substitutum, utriq; hęredem existentem, in alterius hęreditate Falcidia non uti conuenit: si de bonis alterius impuberis quartam partem hęreditatis patris, quę ad filios peruenerit, retineat. Quod si fratri legitimus hęres exstitit, & impuberi supremo substitutus: portio quidem paternorum bonorum, quam intestatus purè accepit, rationi Falcidię non confundetur: sed quartam eius tantum portionis substitutus retinebit, quam impubes accepit, qui substitutum habuit. G

XV. IDEM.

QVOD bonis iure Falcidiæ contribuendum est à debitore, cui mortis caussa pacto debitum remissum est: in factum concepta replicatione retinebitur. Frater cum hęredem sororem scriberet, alium hęredem ab ea, cui donatum uolebat, stipulari curauit, ne Falcidia uteretur, & ut certam pecuniam, si contrà fecisset, pręstaret. priuatorum cautione legibus non esse refragandum constitit & ideo sororem iure publico retentionem habituram, & actionem ex stipulatu denegandam. Non idcirco minus Falcidiæ rationem in cæteris annuis legatis admitti uisum est, quod primo ac secundo anno sine ulla detractione fuisset legatario soluta. Quod auus ex caussa tutelæ nepoti debuit, cum auo nepos solus hæres exstitisset: ratio Falcidiæ si poneretur, in ære alieno bonis deducendum, respondi. nec ad rem pertinere, quod hæredem auus, idemq; tutor rogauerat, ut si sine liberis ante certam ętatem decederet, tam hæreditaria bona, quàm propria restitueret. non enim ex hoc hæreditatem debito compensatam uideri: cum uel ideo maximè declaretur non esse compensationem factam, quoniam hæredem suum habere propria bona defunctus ostendit. Planè si conditio fideicommissi fuerit impleta fructus hæreditatis post mortem aui percepti, pari pecunia debito tutelæ compensabuntur. sed quartam hæres nepoti de bonis duntaxat, quæ moriens auus reliquit, retinebit. Cum fideicommissum ex uoluntate matris à patre moriente debitum esset filio: pater hæreditatem suam, quam in filium conferebat, compensari uoluit cũ eo, quod filio deberetur. si ratio Falcidiæ poni cœperit: fini quadrantis, quem ex bonis patris cum effectu percepit, compensabitur: atque ita superfluum æris alieni dodranti tantum contrahetur. Ex donationibus in uxorem collatis, quod hæres eius reddere uiro cogitur, in bonis mulieris non erit. nam ita fit locupletior, ut tanto pauperior esse uideatur. quod autem hæres inde minuit: uiro non perit. Fructus prædiorum sub conditione uerbis fideicommissi relictos, in caussam fideicommissi non deductos, hæres in ratione Falcidiæ sic acceptò facere sibi cogitur, ut quartam quartæ fructus ex die mortis, bonorumq;, quæ mortis tempore fuerunt, habeat: nec ad rem pertinet, quando Falcidia lex admissa sit. nam & si maximè post impletam conditionem fideicommisso locum habere cœperit: tamen ex die mortis fructus quadrantis apud hæredem relinqui necesse est. Fideicommissum portionis supplendæ gratia, pro qua matrem filius hæredem instituit, eidem matri datum ratione Falcidiæ minuetur: & eam pecuniam mater supra quartam suæ portionis percipiet. Quarta, quæ per legem Falcidiam retinetur: æstimatione, quam testator fecit, nõ magis minui potest, quàm auferri. H I K

A XVI. SCAEVOLA.

Si ex pluribus rebus legatis hęres quasdam soluerit: ex reliquis Falcidiam plenam per doli exceptionem retinere potest etiam pro his, quæ iam data sunt. Sed & si una res sit legata, cuius pars soluta sit: ex reliquo potest plena Falcidia retineri.

XVII. IDEM.

Si post missionem faciat codicillos miles, & intra annum decedat: ex testamento, quod in militia iure militari fecit, plena legata: ex codicillis, habita Falcidiæ ratione, præstari debere dicitur. sed res ita expedietur. si cum quadringēta haberet, testamento quadraginta, codicillis centum legauerit: ex quinta parte, id est octoginta, quæ ad legatarium ex codi-
B cillis peruenirent, si Falcidiam non pateretur: quartam, id est uiginti hæres retinebit.

XVIII. PAVLVS.

Si filius familiâs, qui militauerat, decedens patris sui fidei commisisset codicillis, ut peculium suum castrense Titio post mortem restitueret: quærebatur, an ut hæres quartam deducere posset. Dixi, legem Falcidiam inductam esse à diuo Pio & in intestatorum successionibus propter fideicommissa. sed in proposito nec hæreditatem esse: quamuis placeret mihi, extraneo hærede instituto, fieri hęreditatem eius aditione. nam cum apud patrem remanet: ius pristinum durat, & peculium est. nec huic contrarium est, quod in testamēto eius qui apud hostes decessit, exercetur Falcidia. nam fictio legis Corneliæ & hęreditatem & hęredem facit. Sed nemo dubitabit, quin debeat id quoque indulgeri legis beneficium, si qui-
C dem patrisfamiliâs bona restituere cogatur: & hęres scriptus, omissa ex testamento aditione, exemplo edicti legatorum nomine conuenietur. His consequens erit, ut si ex fructibus medio tempore quartam & quartę fructus habuerit pater: etiam Treballianum senatusconsultum inducamus, & utiles actiones exerceri possint, fiatque hæreditas post restitutionem.

XIX. SCAEVOLA.

Si dignum decem fundum damnetur hęres quinque uendere: sine dubio quinque erunt imputanda Falcidiæ.

XX. IDEM.

Si a seruo meo hærede instituto mihi lēgetur, & mihi adquiratur hæreditas: negat Męcianus id legatum in Falcidiam computari: quia non debeatur.

D XXI. PAVLVS.

Si pupillus, cui sine tutore authore decem mutuo data sunt, legatum à creditore meruerit sub hac conditione, SI DECEM, QVAE ACCEPIT, HAEREDI REDDIDERIT: una numeratione & implet conditionem, & liberatur naturali obligatione: ut etiam in Falcidia hęredi imputentur, quamuis non imputarentur, si tantum conditionis implendę caussa data fuissent. adeò autē & soluere uidetur: ut repudiato legato, uel Sticho, qui legatus est, mortuo: nihil replere possit. Si ego & seruus meus hæredes instituti sumus ex diuersis partibus, nec à seruo erogatus est dodrans: his quibus à me legatum est, contra Falcidiam proderit, quod ex portione serui ad me peruenit supra Falcidiam eius portionis. ex contrario si seruo meo seruus, & decem mihi legata fuerint: serui Falcidia ex decē mihi legatis non retinetur,
E exemplo eodem Falcidię. nam quartam retineo ex persona serui, quamuis de mea portione nihil exhaustum sit.

XXII. IDEM.

Nesennius Apollinaris Iulio Paulo. ex facto dominæ species eiusmodi incidit. Titia filias suas tres numero æquis ex partibus scripsit hæredes, & à singulis legata inuicem dedit. ab una tamen ita legauit, tam cohęredibus eius, quàm extraneis, ut Falcidiæ locus sit. Quæro, an aduersus cohæredes suos, à quibus legata & ipsa accepit, uti possit Falcidia: & si non possit, uel doli exceptione submouenda sit: quemadmodum aduersus extraneos computatio Falcidiæ iniri possit? Respondi. id quidem, quod à cohærede legatorum nomine percipitur, non solet legatarijs proficere, quò minus Falcidiam patiantur. sed cū is, qui legatum

præstaturus est, ab eodem aliquid ex testamento petit: non est audiendus, desiderans uti F aduersus eum Falcidiæ beneficio: si id, quod percepturus est, ex uoluntate testatoris suppleat, quod deducere desiderat. Planè cæteris legatarijs nō uniuersum, quod cohæredibus præstat, imputabit: sed quantum daturus esset, si nihil ab eo percepisset. Seruo hærede instituto, si à domino fideicommissa, à seruo legata data sunt: prius ratio legatorum habēda est: deinde ex eo, quod superest, fideicommissorum. dominus enim ideo tenetur, quod ad eum peruenit. peruenit autem, quod deductis legatis superest. planè falcidiam exercet. Sed & si dominus, omissa hæreditatis aditione, seruum sibi substitutum adire iussit: prius erogantur, quæ ab ipso domino data sunt: tunc eorum, quæ à seruo relicta sunt, ratio initur, si patitur Falcidia. Si debitori liberatio legata sit: quamuis soluendo non sit: totum legatum cō G putatur, licet nomen hoc non augeat hæreditatem, nisi ex euentu. Igitur si Falcidia locum habeat: hoc plus uidetur legatum, quod huic legatum est. cætera quoque legata minuentur per hoc, & ipsum hoc per alia. capere enim uidetur eo, quod liberatur. Sed si alij hoc nomē legetur: nullum legatum erit, nec cæteris contribuetur.

XXIII. SCAEVOLA.

SI FVNdus mihi legetur & uia: in Falcidiæ ratione (si tantum sit in uia, quanto amplius est in Falcidia) integer fundus capietur, & uia peribit. sed si uia legetur, nec soluendo sit hæreditas: non debebitur. uidēdum etiam, si fundo & uia legato, minus ex utroque desideretur, quàm si uiæ precium. & potest coacta ratione dici, non tantum fundum solidum capi, sed etiam ut doli exceptio tantum sarciat, quantum deest: ne plus habeat, quàm Falcidia deside- H rat: ut tunc solum uia intercidat, quoties plus Falcidia desiderat, quàm est uiæ precium.

XXIIII. PAVLVS *lib. Responsorum respondit.*

FALCIDIÆ legis rationem (si haberi oporteat) ita habendam, ac si res, quæ ab hærede subtractæ sunt, in hæreditate relictæ non fuissent. Idem respondit. partus ancillarum ante diem fideicommissi editos ad hæredes eius, qui rogatus est, pertinere, eosque in quartam, & quartæ fructus computandos, si de lege Falcidia quæstio incidat. Idem respondit. fructus ex propria re hæredis, quæ legata est, post diem fideicommissi cedentem perceptos: & si non sint restituendi fideicommissario: hæredi in quartam imputari non solere.

XXV. SCAEVOLA.

MARITVM suum & filium communem æquis partibus hæredes instituit. quæsitum I est. an in ratione legis Falcidiæ imputandum sit marito, quod ad eum ex eadem hæreditate per filium peruenit? Respondi. si ex institutione filij tantum peruenerit, quantum ad Falcidiam satis sit: nihil quartæ nomine deducendum. A liberto, cui fundum legauerat, per fideicommissum Seiæ annua decem dedit. quæsitum est. si lex Falcidia liberti legatum minuit: an Seiæ quoque annuum fideicommissum imminutum uideatur, cum reditus largiatur annuam præstationem? respondi. secundum ea, quæ proponerentur, non uideri minutum: nisi alia mens testatoris probetur.

XXVI. IDEM.

LINEAM margaritorum trigintaquinque legauit. quæ linea apud legatarium fuerat mortis tempore. quæro, an ea linea hæredi restitui debeat propter legem Falcidiam? respō K dit. posse hæredem consequi, ut ei restituatur: aut (si malit) posse uindicare partem in ea linea, quæ propter legis Falcidiæ rationem debet remanere. Quæsitum est, an precium statuarum Falcidia pati debeat? respondit, debere.

XXVII. IDEM.

SEIVS ET AGERIVS SI INTRA DIEM TRICESIMVM MORTIS MEAE REIPVBLICAE NOSTRAE CAVERINT, CONTENTOS SE FVTVROS TOT AVREIS, LEGIS FALCIDIAE BENEFICIO OMISSO, HAEREDES MIHI SVNTO. QVOS INVICEM SVBSTITVO. QVOD SI VOLVNTATI MEAE NON CONSENSERINT: EXHAEREDES SVNTO. quæsitum est,

A est,an hæredes instituti hæreditatem adire possint,si conditioni parere nolint,cum habeāt
substitutos eadem conditione præscripta?Respondit. Seium & Agerium primo loco insti/
tutos perinde adire posse,ac si ea cōditio,quæ fraudis caussa adscripta est,adscripta nō esset.

XXVIII. MAETIANVS.

PATER quoq; in legatis,quæ filius dedit,alio hærede instituto, legis Falcidiæ ratio/
nem patitur.

XXIX. MARTIANVS.

SI A ME tibi fideicommissum uel legatum est,tuq; id post tempus rogatus sis mihi re/
stituere:non puto hoc imputandum esse in Falcidiam:quia incipio postea quasi fideicom/
B missarius id recipere.

XXX. MAETIANVS.

IN RAtione legis Falcidiæ mortes seruorum,cæterorumq; animalium,furta,rapinę, in/
cendia,ruinæ naufragia,uis hostium,prædonum,latronum,debitorum facta peiora nomi
na,in summa quodcunq; damnum(si modo culpa legatarij careant)hæredi pereunt quem/
admodum ad hæredis lucrum pertinent fructus, partus ancillarum,& quæ per seruos ad/
quisita sunt ut stipulationes,rerum traditiones,legata,hæreditatesue his datæ,cæteræ dona
tiones item seruitutes,quibus liberata prędia preciosiora fierent: actionesq; adquisitę,ut
furti,damni iniurię,similesq;,quorum nihil in rationem legis Falcidię cadit. Vendere au
tem,uel emere iussus certo precio fundum aliam'ue quampiam rem:in legis Falcidię ratio/
C ne,(cum quantum sit legatum,requiratur)tantum eo nomine inducet,quanto pluris mino/
risue sit res ea quantitate,quam quo precio testator accipi dariue iussit. sed ei quidem por/
tioni,quę legatis deductis facienda erit,amplius deducetur.quippe non nostri caussa capit
precium:sed eo deducto reliquum precium legatum esse,prorsus intellectum est. Diligen
ter animaduertendum est,ne quod dicitur,damna post mortem testatoris illata ad solum
hęredem respicere,usquequaque & sine ulla distinctione recipiatur.quod enim remota le/
ge Falcidia in totum iuris foret:hoc idem foret & in ea parte,quę lege Falcidia constituere/
tur.hoc enim attinet,damna postea facta non deduci,ne amota portio legatis fideiue com/
missis detrahatur. Verum est autem:his solis,quę pondere,numero, mensura constant:
nec damno postea incidente,ex portione,quę fieri solet,ad ęstimationem eorum bonorum
D quę mortis tempore fuerunt,quidquam detrahi. Certis uero corporibus,& his ipsis ita reli
ctis,PECVNIAM,QVAM IN ILLA ARCA:VINVM,QVOD ILLIS DOLIIS:PONDVS AR/
GENTI,QVOD IN ILLIS HORREIS HABEO:si non culpa hęredis deperierunt,uel deterio/
ra sunt facta:proculdubio aut nihil debebitur,aut eorum, quę exstabunt, qualia erunt,ea
portio debebitur,quę per legem Falcidiam efficiatur ex ęstimatione bonorū,quę mortis te
statoris tempore fuerint. Incertæ autem res relictæ distinctionem recipiunt.nam si ex su/
is rebus incertam rem testator reliquisset,VELVTI ARGENTVM,QVOD ELEGERIT,& o/
mne argentum testatoris interisset sine culpa hæredis:nihil deberetur.si uero argenti pon/
dus pure relictum esset:quamuis omne argentum testatoris deperisset:admissa lege Falci/
dia,portio eius quantitatis sumetur,quæ fuit in bonis eo tempore,quo testator decessit:nec
E ad deminuendā eam quidquam damna postea incidentia proficient.res tamen,quę interie
rint,pro nulla parte,ac ne æstimatio quidem debebitur:non magis, quàm si omnes res per
speciem enumeratæ relictæ essent. Tametsi autem in legis Falcidiæ ratione, quæ condi/
tionis implendæ caussa hæredi sunt data,in quartam non computantur:tamen id,quod nō
figura conditionis accipere iussus est ab eo,cui hæreditatem restituere rogatus est: Celso &
Iuliano nostro placuit computari,quemadmodum si ea summa hæres uendere eas res ius/
sus esset:quia non conditionis implendæ caussa,sed quodammodo pro precio inferre sunt
iussi.quo loco amplius quęsitum est,an fideicommissarius quoq; inuitus cogatur dare eam
summam, & recipere hæreditatem, quasi & ipsius fidei commissum esset.Sed id uerisimi/
le nō est: cum talis oratio magis ipsius caussa, quàm contra ipsum posita uideatur. Cum
lex Falcidia interuenit: non ueniunt in contributionem, quæ ipsi hæredi à semetipso

uel

uel seruo eius legata fidei ue commissa sunt. alia caussa est eorum, quæ in die certa dantur. F nam si libertatis dies cœperit cedere: ei debebuntur, & in contributionem uenient. ac ne ea quidem, quæ quis seruis suis inutiliter sine libertate legauit, fideiúe eius commisit, in computationem eius legis cedunt. Res, quas neque per fideicommissum relinqui posse certū est, in legis Falcidiæ computationem non ueniunt.

XXXI. POMPONIVS.

SI, CVI fideicommissum soluitur, sicut is, cui legatum est, satisdare debet, quod amplius ceperit, quàm per legem Falcidiam ei licuerit, reddi: ueluti cum propter conditionem aliorū fideicommissorum uel legatorum legis Falcidiæ caussa pendebit. Sed & (secundum Cassij & ueterum opinionem) si à pupillo fideicommissa capiantur: propter ea, quæ à substituto G erunt relicta, cauere debebit, is cui soluitur. Nam quamuis repetitio sit horum, quæ fideicōmissi nomine non debita soluantur: tamē satisdato cautum debet esse ei, à quo pecunia proficiscetur, ne damnum sentiat deficiente eo, cui solutum erit.

XXXII. MAETIANVS.

POENALES actiones (siue legitimæ, siue honorariæ) exceptis popularibus, in bonis actoris non ideo minus computandæ sunt, quia morte reorum intercidere possunt è contrario autem eædem actiones nihil bonis rei, defuncto eo, detrahunt. Sed nec in actoris quidē bonis, defuncto eo, iniuriarum actio poterit computari: quia et ipsa simul cum eo intercidit, uti ususfructus, & id, quod in dies, menses, annosue singulos alicui, quoad uiuat, debetur. etenim ea demum obligatio rei bonis deminutionem præstat, quæ in hæredem transit. nec H contrarium est, quod uiuente reo, eo minus in bonis eius intelligebatur. nam & si ita stipulatus esset, ut cum moreretur, debere ei inciperet: tamen augerentur bona eius, quemadmodum si ipse sub eadem conditione promisisset, defuncto eo minuerentur. honorariæ quoque actiones, quæ intra certum tempus à prætore promittuntur, tum bonis actoris defuncto eo augmentum, tum rei uero decessionem (si tales erunt, ut in hæredē quoque transeant) præstabūt. Iulianus scribit. si utriusque hæredis pars exhausta sit legatis, & alter ex hæredibus cautionem prætoriam acceperit à legatarijs: non æqualiter, sed pro suo modo legis Falcidię rationem, & actionem ex stipulatu habiturum. omnes enim prætorias stipulationes eiusdē interpretationis esse. nam constare ex iudicatum solui stipulatione (siue à parte actoris, siue rei plures hæredes exstitissent) non omnibus, nec aduersus omnes actionem cōtingere: sed I duntaxat ijs, qui uicissent aduersus uictos, hisque, aduersus quos res defensa non esset, aduersus eos, qui rem non defendissent. Annua, bima, trima die centenis aureis legatis: ex omnibus summis, non tantum ex posterioribus portionem legis Falcidiæ detrahi placuit. Si Titio uiginti legatis, portio per legem Falcidiam detracta esset, cū ipse quoque quinque Seio rogatus esset restituere: Vindius noster tantum Seio pro portione ex quinque detrahendū ait, quantum Titio ex uiginti detractum esset. quæ sententia & æquitatem & rationem magis habet: quia exemplo hæredis legatarius ad fideicommissa præstanda obligabitur: nec quia ex sua persona legatarius inducere legem Falcidiam non possit, idcirco quod passus esset, non imputaturum: nisi fortè testator ita fidei eius commisisset, ut totum quidquid ex testamento cepisset, restitueret. si autem manumittere uel seruum suum, uel alienum rogatus sit: omnimodo præstare debebit libertatem. nec hoc cōtrarium est superiori: quia fauor K libertatis sæpe & alias benigniores sententias exprimit.

XXXIII. PAVLVS.

SI SERuus tibi legatus sit, eumque rogatus sis manumittere, nec præterea capias, unde quartā, quæ per Falcidiam retinetur, recipere possis: senatus censuit, cessare Falcidiam.

XXXIIII. MARCELLVS *apud Iulianum lib. XXXV. notat.*

IN TEstatoris seruo nō erit Falcidię locus. si uero pecuniā, aliudue quid legauerit, fideique legatarij commiserit, ut alienum seruum uel legatarij manumitteret: locus erit.

XXXV. VLPIANVS.

PLANE si quid sit præterea legatum ipsi seruo: Falcidiæ locum fore, senatus declarauit.

unde

A unde Scæuola ait in eo, quod præterea seruo legatum sit, ita Falcidiam admittendam: ut inde & quod pro seruo præstandum est, sumatur.

XXXVI. PAVLVS.

Sed si non seruus ipse legatus sit, sed pecunia, rogatusq; sit legatarius seruum suum manumittere: Falcidiam patietur, & nihilominus cogetur manumittere: quia tanti æstimasse uidebitur seruum suum. quod si alienus seruus fuerit: in eo non plus, quàm accepit, ad rediméndum cogetur impendere. sin uero hæres seruum rogatus sit manumittere: placet preciũ eius, ut æs alienum, deducendum esse. Si solus seruus legatus, & fideicommissaria libertate donatus fuerit (licet Falcidia interueniente) totus uindicari petiue potest. sed & si aliud præ

B terea capiat legatarius: adhuc seruus totus peti potest. quartam autem utriusq; ex legato retinendam, ne impediatur libertas. Si incertum sit, an libertas præstari debeat (ueluti si sub conditione, uel post tempus data sit) nunquid incerto eo, an præstetur (cum possit aut seruus mori, aut conditio deficere) interim Falcidia admittenda est: deinde cum libertas competere uel deberi cœperit, tum legatarius illam partem recipiet, quam Falcidia detraxit. Cæcilio placebat, si quid ex operis eius medio tempore consecutus fuerit hæres: id in precium eius erogare eum debere propter legis Falcidiæ rationem.

XXXVII. VALENS.

Eius serui æstimatio perinde, ac statuliberi fieri debet. sed & si hæres seruum alienum rogatus est manumittere: placuit, ut etiam huius precium ex æstimatione hæreditatis de-

C beat deduci.

XXXVIII. HERMOGENIANVS.

Statuliber hæredis non auget familiam. Communes serui in utriusq; patrimonio connumerantur. Cuius usufructus alienus est, in dominio proprietarij connumeratur: pignori dati, in debitoris: sub lege commissaria distracti, item in diem addicti, in uẽditoris.

XXXIX. PAVLVS.

Aeris alieni loco deducuntur, non solum precia eorum, quibus libertas data est, & eorum, qui supplicio sunt affecti: sed & eius, quem prætor propter indicium proditæ mortis, aut detectæ coniurationis reorum, libertate donauit.

XL. HERMOGENIANVS.

D Ad ueterani testamentum (siue paterfamiliâs, siue filiusfamiliâs sit) licet intra annum missionis decedat, lex Falcidia pertinet. Si cui, si decem dedisset, uiginti fundus fuisset legatus: is in toto fundo legatarius habebitur.

XLI. PAVLVS.

Dolo carere non uidetur, si iam mota quis controuersia hæreditatis, legata sine cautionibus det.

XLII. IDEM.

Serui, qui apud hostes sunt, post mortem testatoris reuersi (quod ad Falcidiam pertinet) locupletiorem faciunt hæreditatem.

XLIII. IDEM.

E Falcidia interuenire non potest, si statuliber de alieno dedit, non de bonis defuncti: uel aliàs est homo liber, qui conditionem impleuit.

XLIIII. VLPIANVS.

In Falcidia æstimatio precij rerum ex ueritate facienda est.

XLV. PAVLVS.

In lege Falcidia non habetur pro puro, quod in diem relictum est. medij enim temporis commodum computatur. In his legatis, quæ sub conditione relicta sunt: Proculus putabat, cum quæreretur de lege Falcidia, tantum esse in legato, quãti uẽnire posset. quod si est: & deductio sic potest fieri, ut tantum uideatur inde deberi, quanti nomen uẽnire potest. sed hæc sententia non probatur. cautionibus ergo melius res temperabitur.

QVI

XLVI. VLPIANVS. F

Qvi quod per legem Falcidiam retinere poterat, uoluntatem testatoris secutus spopõdit se daturum: cogendus est soluere.

XLVII. IDEM.

Lex Falcidia (si interueniat) in omnibus pensionibus locum habet. sed hoc ex postfacto apparebit, utputã in annos singulos legatum relictum est. quàmdiu Falcidia nondum locum habet: integræ pensiones annuæ dabuntur. sed enim si annus uenerit, quo fit, ut contra legem Falcidiam ultrà dodrantem aliquid debeatur. eueniet, ut retro omnia legata singulorum annorum minuantur. Nunquam legatarius uel fideicommissarius (licet ex Trebelliano senatusconsulto restituitur ei hæreditas) utitur legis Falcidiæ beneficio. G

XLVIII. PAVLVS.

Cvm emptor uenditori, uel contrà, hæres exstitit: euicto homine, utrum duplum in æs alienum deducere uel computare debeat, an simplum: duplum enim esset, si alius hæres exstitisset. & benignius est, eodem hærede existente simplum ei imputari.

XLIX. IDEM.

Plavtivs seruo, quem tibi legaueram, fundum legaui. Atilicinus, Nerua, Sabinus primum in seruo rationem legis Falcidiæ habendam, & quotta pars ex eo decederet, eam partem in fundo legato inutilem futuram: deinde ex reliquis partibus fundi legis Falcidiæ portionem decessuram, sicut ex omnibus legatis. Cassius quod seruo pars lege Falcidia decedat, incipere seruum fieri communem hæredis & legatarij. communi autem seruo cum legatum sit, totum pertinere ad socium: quia in eam personam legatum consistere possit. qua ratione semel ex fundo partem lege Falcidia decessuram. Pavlvs. Cassij sententia utimur. nam & diuus Pius rescripsit, seruo communi fideicommissum datum totum ad socium pertinere. Interdum euenit, ut propter rationem legis Falcidiæ sequens legatum exstinguatur: ueluti si fundus, & ad eum uia legata sit per alium fundum. nam si pars fundi remanserit in hæreditate: non potest procedere uiæ legatum: quia per partes seruitus adquiri nõ potest. H

L. CELSVS.

Non est dubium, quin ea legata, à quibus submouere hæres exceptione petitorem potest, in quartam ei imputentur, ne cæterorum legata minuantur.

LI. IVLIANVS lib. LXI. Digestorum. I

Nec interest, utrum ab initio quasi inutile fuerit, an ex accidente postea in eum casum peruenerit legatum, ut, actio ei denegaretur.

LII. MARCELLVS lib. IX. Digestorum.

Ex asse patronum hæredem instituit libertus, cum ducentos aureos in bonis haberet: & legauit filio centum uiginti, extraneo reliqua. deminutio legati, quod extraneo præstatur, proficit filio ad consequenda solida, quæ ei legata sunt. quacunque enim ex caussa legata non præstantur: imputantur hæredi in quartam partem, quæ propter legem Falcidiam remanere apud eum debet.

LIII. CELSVS.

Si propter ea, quæ sub conditione legata sunt, pendet legis Falcidiæ ratio: præsenti die data non tota uindicabuntur. K

LIIII. MARCELLVS.

Pater filium, ex quo tres habebat nepotes, hæredem instituit, fideique eius commisit, ne fundum alienaret, & ut in familia eum relinqueret. filius decedens tres filios scripsit hæredes. quærendum est, an omnino quasi creditores unusquisque in ratione legis Falcidiæ aliquid possit deducere: quia in potestate sua habuerit pater, cui ex his potius relinqueret. sed hac ratione nemo in Falcidiæ ratione quidquam deducet. quod uidendum, ne durè constituatur. utique enim in alieno ære habuit fundum, quippe cum necessitate obstrictus fuisset filijs eum relinquendi.

LV. IDEM.

CVM

A Cvm Titio in annos singulos dena legata sunt, & iudex legis Falcidiæ rationem inter hæredem & alios legatarios habeat: uiuo quidem Titio tanti litem æstimare debet, quanti uenire id legatum potest: in incerto posito, quamdiu uicturus sit Titius. mortuo autem Titio: non aliud spectari debet, quàm quid hæres ex ea caussa debuerit.

LVI. IDEM.

Cvm quo de peculio agi poterat, hæres creditori exstitit. quæritur cuius temporis peculium computari oporteat in Falcidia lege? Pleriq; putant, quod tunc in peculio fuerit, cum adiretur hæreditas, inspiciendum. ego dubito: quoniam mortis tempus in ratione legis Falcidiæ ineunda placuit obseruari. quid enim interest, peculium serui post mortem creditoris
B deminutum sit, an debitor pauperior factus? Aliquis dicet. quid ex cōtrario, si ante aditam hæreditatem adquisierit seruus? & ego quæram. quid, si debitoris, qui tunc non erat soluendo, ampliatæ facultates fuerint? & cum in isto placuerit, ex post facto uberiorem uideri fuisse hæreditatem: sicuti cum conditio crediti exstitit post mortem, ita etiam peculij incrementum pleniorem faciet hæreditatem. SCAEVOLA notat. quid ergo, si idem seruus defuncto & alij dena debuerit, & una decem habeat? augetur scilicet & his hæreditas: decem, quę defuncto naturaliter debebantur, in hæreditate manentibus. Is, qui in bonis duntaxat unum seruum habebat, legauit eum Titio, & fidei eius commisit, ut post triennium manumitteret. debet ex eo, quod interim ex operis serui ad Titium peruenire potest, quarta apud hæredem remanere: quemadmodum si directò post triennium seruo libertatem dědisset, eiúsque usumfructum ei legasset, aut ei proprietatem per fideicommissum reliquisset.
C Stichum tibi, seruo tuo decem legauit: uel contrà, tibi decem, seruo tuo Stichum, libertatemq; Stichi fidei eius commisit. lex Falcidia minuit legata. redimere ab hærede partem debes, quemadmodum si tibi utrunque legasset. Sæpius euenit, ne emolumentum eius legis hæres consequatur. nam si centum aureorum dominus uigintiquinque alicui dědérit, & cum instituerit hæredem, & dodrantem legauerit: nihil aliud sub occasione legis Falcidiæ interuenire potest: quia uiuus uidetur hæredi futuro prouidere.

LVII. IDEM.

Cvm dotem maritus alicui legauerit, ut uxori restituatur: non habere legem Falcidiam locum, dicendum est. & sane in plerisq; ita obseruatur, ut omissa interpositi capientis perso
D na spectetur. LVIII. MODESTINVS.

Legis Falcidiæ beneficium hæres etiam post longum tempus mortis testatoris implorate non prohibetur. LIX. IDEM.

Beneficio legis Falcidię indignus esse uidetur, qui id egerit, ut fideicommissum intercidat. præterea & qui non capienti rogatus est restituere hæreditatem, senatuscōsulto Plautiano non conceditur quartam retinere: sed ea quarta, quam non retinuit, ad fiscum pertinet ex rescripto diui Pij.

LX. IABOLENVS.

Cvm pater impuberi filiæ hæredem substituit: id, quod ei legatorum nomine à patre obuenit (cum hæreditas ad substitutos pertinet) in computationem legis Falcidiæ non uenit. Legato petito, cum in litem iuratū est: ratio legis Falcidiæ, non eius summæ, in quam
E legatarius iurauit, haberi debet: sed eius, quanti reuera fuit, quod petitum est. nam id, quod pœnæ caussa adcreuit, in legem Falcidiam non incidit.

LXI. IDEM.

Alienvs fvndus ibi legatus est. hunc cùm hæres emere, nisi infinito precio, non posset: emit multo pluris, quàm quanti erat. qua emptione factum est, ut legatarij ad legem Falcidiam reuocarentur. quæro. cum si fundus tanti, quanti reuera est, emptus esset, legata non fuerant excessura ius legis Falcidiæ: an hoc ipso hæres institutus partem reuocandi à legatarijs ius habeat, quod ex uoluntate defuncti pluris emerit fundum, quàm quanti erat? Respondit. quod amplius hæres, quàm precium fundi, legatario soluit: id in lege Falcidia imputari non potest: quia negligentia eius nocere legatarijs non debet: ut

Pp pote cum

pote cum is confitendo ueram æstimationem præstare poterat. F

LXII. VLPIANVS.

In lege Falcidia hoc esse seruandum Iulianus ait, ut si duo rei promittendi fuerint, uel
duo rei stipulandi: siquidē socij sint, in ea re diuidi inter eos debeat obligatio, atq; si singuli
partem pecuniæ stipulati essent, uel promisissent. quod si societas inter eos nulla fuisset: in
pendēti esse, in utrius bonis cōputari oporteat id, quod debetur, uel ex cuius bonis detrahi.
Corpora, si qua sunt in bonis defuncti, secundum rei ueritatem æstimanda erunt, hoc
est secundū præsens preciū: nec quidq; eorū formali precio æstimandum esse, sciēdum est.

LXIII. PAVLVS.

Precia rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter finguntur. G
nec enim qui filium naturalem possidet, tanto locupletior est, quod eum, si alius posside/
ret, plurimo redempturus fuisset. sed nec ille, qui filium alienum possidet, tantum habet,
quanti eum patri uendere potest: nec exspectandum est, dum uendat: sed in præsentia
non quasi filius alicuius, sed quasi homo æstimatur. eadem caussa est eius serui, qui noxam
nocuit. nec enim delinquendo quisq; preciosior fit. Sed nec hæredem post mortem testato/
ris institutum seruum tanto pluris esse, quo pluris uēnire potest, Pedius scribit. esse enim
absurdum, ipsum me hæredem institutum non esse locupletiorem, antè quàm adeam: si au
tem seruus hæres institutus sit, statim me locupletiorem effectum: cum multis caussis acci/
dere possit, ne iussu nostro adeat. adquiri nobis certè, cum adierit esse autem præposterum,
ante nos locupletes dici, quàm adquisierimus. Cuius debitor soluendo non est, tantū ha/ H
bet in bonis, quantum exigere potest. Nonnullam tamen precij uarietatem loca tempo/
raq; afferunt. nec enim tantidem Romæ ut in Hispania oleum æstimabitur: nec continuis
sterilitatibus tantidem, quanti secundis fructibus: dum hic quoq; non ex momentis tem/
porum, nec ex ea, quæ raro accidit, caritate precia constituantur.

LXIIII. VLPIANVS.

Si in testamento ita scriptum sit, HAERES MEVS LVCIO TITIO DECEM DARE DA/
MNAS ESTO. ET QVANTO QVIDEM MINVS PER LEGEM FALCIDIAM CAPERE PO/
TERIT, TANTO AMPLIVS EI DARE DAMNAS ESTO: sententiæ testatoris standum est.

LXV. PAVLVS.

Si fundus legatus sit quinquaginta dignus sub hac conditione, SI QVINQVAGINTA I
HAERES DEDERIT: pleriq; putant utile esse legatum, quia cōditionis implendæ caussa dă/
tur. nam constat etiam Falcidiā eum pati posse. sed si quinquaginta aurei legati sint, si quin/
quaginta dĕdisset: dicendum est, inutile esse legatum, & magis ridiculum esse.

LXVI. VLPIANVS.

Circa legem Falcidiam in eo, quod sub conditione, uel in diem alicui relictum est, hoc
obseruandū est. si decem sub conditione alicui fuerint relicta, eaq; cōditio post decennium
fortè exstiterit: non uidentur decem huic legata, sed minus decem: quia interuallum tempo
ris, & interusurium huius spacij minorem facit quantitatem decem. Sicuti legata non de/
bentur, nisi deducto ære alieno aliquid supersit: nec mortis caussa donationes debebuntur,
sed infirmabuntur per æs alienum. quarè si modicum æs alienum interueniat: ex re mortis K
caussa sibi donata nihil aliquis consequitur.

LXVII. TERENTIVS.

Qvoties cuidam amplius legatum est, quàm ei capere licet, & lex Falcidia locum ha/
bet: prius Falcidiæ ratio habenda est, scilicet ut subducto eo, quod lex Falcidia excep erit,
reliquum (si non excedat statutam legi portionem) debeatur.

LXVIII. MAXIMVS *ad L. Falcidiam.*

Haereditatum computationis in alimentis faciendæ hanc formam esse Vlpianus scri/
bit, ut à prima ætate usq; ad annum uicesimum quantitas alimentorum triginta annorum
computetur, eiusq; quantitatis Falcidia præstetur. ab annis uero uiginti usq; ad annum ui/
cesimumquintum annorum uigintiocto. ab annis uigintiquinq; usque ad annos triginta,
annorum

A annorum uigintiquinq;. ab annis triginta usq; ad annos trigintaquinq;, annorum uiginti
duorũ. ab annis trigintaquinq; usq; ad annos quadraginta, annorũ uiginti. ab annis qua-
draginta usq; ad annos quinquaginta, annorũ computatio fit, quod eius ætati usq; ad an-
num sexagesimum deerit, remisso anno uno. ab anno uero quinquagesimo usq; ad annum
quinquagesimumquintum, annorum nouem. ab annis quinquagintaquinq; usque ad an-
num sexagesimum, annorum septem. ab annis sexaginta (cuiuscunq; ætatis sit) annorum
quinq;. eoq; nos iure uti Vlpianus ait & circa computationem usufructus faciendam. soli-
tum est, tamen à prima ætate usq; ad annum tricesimum, computationem annorum trigin-
ta fieri. ab annis uero triginta, tot annorum computationem iniri, quot ad annum sexagesi-
mum deesse uidentur. nunquam ergo amplius, quàm triginta annorũ computatio initur.
B sic deniq; & si reipublicæ usufructus legetur (siue simpliciter, siue ad ludos) triginta anno-
rum computatio fit. Si quis ex hæredibus rem propriam esse contendat, deinde hæredi-
tariam esse conuincatur: quidam putant, eius quoq; Falcidiam non posse retineri: quia ni-
hil interfit, subtraxerit, an hæreditariam esse negauerit. quod Vlpianus rectè probat.

LXIX. POMPONIVS.

VSVFRuctu bonorum legato, æs alienum ex omnibus rebus deducendũ est: quoniam
post senatusconsultum nulla res est, quæ non cadat in usumfructum legatum.

LXX. VLPIANVS.

FALCIDIAE stipulatio statim committitur, ubi conditio legati uel debiti exstitit.

LXXI. PAVLVS.

C POTEST hæres in uendenda hæreditate cauere, ut & lege Falcidia interueniente solida
legata præstetur: quia ea lex hęredis caussa lata est: nec fraus ei fit, si ius suũ deminuat hęres.

LXXII. CAIVS.

QVANTITAS PATRimonij. deducto etiam eo, quidquid explicandarum uenditio-
num caussa impenditur, æstimatur.

LXXIII. IDEM.

IN QVantitate patrimonij exquirenda, iussum est mortis tempus spectari. qua de caussa
si quis centum in bonis habuerit, & tota ea legauerit: nihil legatarijs prodest, si ante aditam
hæreditatem per seruos hæreditarios, aut ex partu ancillarum hæredirariarum, aut ex fœ-
tu pecorum tantum accesserit hæreditati, ut centum legarorum nomine erogaris habiturus
D sit hæres quartam partem: sed necesse est, ur nihilominus quarta pars legatis detraharur. &
ex diuerso si ex cẽtum septuagintaquinq; legauerit, & ante aditam hæreditatem in tantum
decreuerint bona (incendijs fortè, aut naufragijs, aut morte seruorum) ut non plus, quàm
septuagintaquinq;, uel etiam minus relinquatur: solida legata debentur: nec ea res damno-
sa est hæredi, cui liberum est non adire hæreditatem. quæ res efficit, ut necesse sit legatarijs,
ne destituto testamento nihil consequantur, cum hærede in portione legatorum pacisci.
Magna dubitatio fuit de his, quorum cõditio mortis tempore pendet: id est, an id, quod
sub conditione debetur, in stipulatoris bonis adnumeretur, & promissoris bonis detrahã-
tur. sed hoc iure utimur, ur quanti ea spes obligationis uẽnire possit, in tantum stipulatoris
quidẽ bonis accedere uideatur. promissoris uero decedere. & cautionibus res explicari po-
E test, ut duorum alterum fiat: ut aut ita ratio habeatur, tanquam purè debeatur: aur ita, tan-
quam nihil debeatur. deinde hæredes & legatarij inter se caueant, ut existente conditione,
aut hęres reddat, quanto minus soluerit: aut legatarij restituant, quanto plus consecuti sint.
Sed & si legata quædam purè, quædam sub conditione relicta efficiant, ut existenre condi-
tione lex Falcidia locum habeat: purè legata cum cautione redduntur. quo casu magis in u-
su est, solui quidem purè legata perinde, ac si nulla alia sub conditione legata fuissent: caue-
re autem legatarios debere ex euentu conditionis, quod amplius accepissent, id redditum
iri. cuius generis cautio necessaria esse uidetur, & si quibusdam seruis eodem testamẽto sub
conditione libertas dãta sit, quorum precia conditione existente bonis detrahuntur. In
diem relicta legata alterius esse iuris, palàm est: cũ ea omnimodo tam ipsi legatario, quàm

hæredibus eius deberi certum sit.sed tanto minus erogari ex bonis intelligẽdum est,quantum interea,donec dies obtigit,hęres lucraturus ęst ex fructibus uel usuris. Ergo optimum quidem est,statim ab initio ita testatorem distribuere legata,ne ultra dodrãtem relinquat. quod si excesserit dodrantem:pro rata portione per legem ipso iure minuuntur. uerbi gratia.si is,qui quadringenta in bonis habuit, tota ea quadringenta erogauit:quarta pars legatarijs detrahitur.si trecẽta quinquaginta legauerit:octaua.quod si quingenta legauerit,habens quadringenta: initio quinta, deinde quarta pars detrahi debet.ante enim detrahendum est, quod extra bonorum quantitatem est: deinde quod ex bonis apud hæredem remanere oportet. LXXIIII. IDEM. F

QVOD autem dicitur,si ex iudicio defuncti quartam habeat hæres,solida præstanda esse legata:ita accipere debemus,si hæreditario iure habeat.itaq; quod quis legatorum nomine à cohęrede acceperit,in quadrantem ei non imputatur.sed si ideo legatum ei dãtũ est, ut integra legata uel fideicõmissa prę̨stet:deneganda erit actio legati,si lege Falcidia uti malit. G

LXXV. IDEM.

ID AVTEM, quod conditionis implendæ caussa,uel à cohærede,uel à legatario,uel à statulibero dãtur, in Falcidia non imputatur : quia mortis caussa capitur. sane si à statulibero peculiares numos accipiat: pro sua parte quadranti eos imputare debet : quia pro ea parte non mortis caussa capere, sed hæreditario iure eos habere intelligitur. qua ratione placuit legata,quæ legatarij non capiunt, cum apud hæredes subsederint, hæreditario iure apud eos remanere intelligi,& ideo quadranti imputanda:nec quidquam interesse utrum statim ab initio legatum non sit,an quod legatum est,remanserit. H

LXXVI. IDEM.

IN SINGulis hæredibus rationem legis Falcidiæ componendam esse, non dubitatur. & ideo si Titio & Seio hæredibus institutis semis hæreditatis Titij exhaustus,Seio autẽ quadrans totorum bonorum relictus sit:competit Titio beneficium legis Falcidiæ.

LXXVII. IDEM.

QVOD si alterutro eorum deficiente,alter hæres solus exstiterit:utrum perinde ratio legis Falcidiæ habenda sit,ac si statim ab initio is solus hæres institutus esset : an singularum portionum separatim caussæ spectandæ sunt? & placet, si eius pars legatis exhausta sit, qui hæres exstiterit: adiuuari legatarios per deficientem partem, quæ non est legatis onerata: quia & legata,quæ apud hæredem remanent, efficiunt,ut cęteris legatarijs aut nihil aut minus detrahatur.si uero defecta pars fuerit exhausta: perinde in ea ponendam rationem legis Falcidiæ,atq; si ad eum ipsum pertineret,à quo defecta fieret. I

LXXVIII. IDEM.

IN DVPLicibus testamentis siue de patrimonio quæramus, ea sola substantia spectatur, quam pater cum moreretur habuit. nec ad rem pertinet, si post mortem patris filius, uel adquisierit aliquid,uel deminuerit.siue de legatis quæramus:tam ea quæ primis,quàm ea, quæ secundis tabulis relicta sunt,in unum contribuuntur:tanquam si ea,quæ à filij hęrede reliquisset testator,à suo hærede sub alia conditione legasset.

LXXIX. IDEM.

SI IS,qui quadringenta in patrimonium habebat,à filio impubere hærede instituto ducenta legauerit,eiq; Titium & Seium hæredes substituerit,& à Titio centum legauerit: uideamus quid iuris sit, si nondum solutis legatis pupillus decesserit, & ob id ea legata utriq; deberent? solus hæres Titius utetur lege Falcidia.cum enim ducenta ex hæreditate pupilli ad eum pertineant : ducenta legatorum nomine debet : centum ex ducentis, quæ pupillus debebat.centum,quæ ipse dãre iussus est.itaq; ex utraq; quantitate quarta deducta, habebit quinquaginta.in persona uero Seij lex Falcidia non interuenit:cum ad eum ex hæreditate pupilli ducenta pertineant,& debeat legatorum nomine centum ex ducentis,quæ à pupillo relicta sunt. quod si pupillus soluat legata : debent curare tutores pupilli, ut caueant legatarij. Quędam legata diuisionem non recipiunt.ut ecce legatum uię itineris,actusue. K

ad nullum

A ad nullum enim ea res pro parte potest pertinere. Sed & si opus municipibus hæres facere iussus est: indiuiduum uidetur legatum. neq; enim ullum balineum, aut theatrum, aut stadium fecisse intelligitur, qui ei propriam formam, quæ ex consumatione contingit, non dederit. quorum omnium legatorum nomine, & si plures hæredes sint, singuli in solidum tenentur. hæc itaque legata, quæ diuiduitatem non recipiunt, tota ad legatarium pertinent. sed potest hæredi hoc remedio succurri: ut æstimatione facta legati, denunciet legatario, ut partem æstimationis inferat. si non inferat, utatur aduersus eum exceptione doli mali.

LXXX. IDEM.

SED ususfructus legatus uenit in computationem legis Falcidiæ. nam diuisionem recipit: adeo, ut si duobus legatus fuerit, ipso iure ad singulos partes pertineant. Dos relegata extra rationē legis Falcidiæ est: scilicet quia suam rem mulier recipere uidetur. sed de his
B quoq; rebus, quæ mulieris caussa emptæ paratæ essent, ut hæ quoq; extra modum legis essent, nominatim ipsa Falcidia lege expressum est.

LXXXI. VLPIANVS.

QVAEREbatur. cum is, qui solum in nomine quadringenta in bonis habebat, ipsi debitori liberationem, Scio autē quadringenta legauerit: si debitor uel soluendo non sit, uel centum facere possit: quantum quisq; habeat interuentu legis Falcidiæ. Dicebam. legem Falcidiam ex eo, quod refici ex hæreditate posset, quartam hæredi tribuere: residuū dodrantem inter legatarios distribuere. quarè cum nomen minus soluēdo est in hæreditate: eius, quod
C exigi potest, pro rata fit distributio: residui uenditio facienda est, ut id demum in hæreditate computetur, quanti nomen distrahi potest. Sed cum debitori liberatio relinquitur: ipse sibi soluendo uidetur, & (quod ad se attinet) diues est. quippè si ei mortis caussa accepto feratur id, quod debet, quadringenta cepisse uidebitur, licet nihil facere possit. sensisse enim liberationem plenam uidetur: quamuis nihil facere possit, si soli ei liberatio relicta est. & ideo Falcidia interueniente, trecenta acceptò illi fieri debent, residua centū durabunt in obligatione. & siquidem facere posse cœperit: exigentur ab eo duntaxat usque ad centum. idemq; erit dicendum, & si mortis caussa accepto ei quadringenta ferantur. Vnde eleganter dicitur, acceptilationem in pendenti fore: ut siquidem mortis tempore quadringenta tota inueniantur, in trecenta ualeat acceptilatio. si uero præterea aliquid inueniatur, quod
D quadrantem suppleat: hæredi in quadringenta acceptilatio proficiat. Quod si debitor iste quadringentorum duntaxat centum facere potest: quia sibi soluendo est, necesse habebit centum refundere. Cum igitur debitor sibi soluendo est: eueniet, ut si hærede aliquo instituto ipsi debitori liberatio, & alij quadringenta legata sint: siquidem soluendo sit debitori centumquinquaginta ex trecentis retineat, alia centum quinquaginta legatario prǽstentur. hæres centum habeat. Sin uero centum tantum facere possit: hæredi ex refecto quarta seruanda est. sic fiet, ut centum quæ prǽstari possunt, in quatuor partes diuidantur: tres partes ferant legatarij, hæres uiginti quinq; habeat. Debitor, qui soluendo non est, secum centum quinquaginta cōpenset: de residuis centum quinquaginta, quę exigi non possunt, uenditio fiet nominis: idque, quasi solum in bonis fuerit, repræsentatur. quod si nihil facere debitor
E potest: æquè in centum quinquaginta acceptò liberādum esse, de residuo uenditionem nominis faciendam, Neratius ait. quod & nos probamus.

LXXXII. IVLIANVS.

SI CREDitor filij tui hæredem te instituerit, & legis Falcidię rationē ponas: peculij quantitas, quod aditæ hæreditatis tempore fuit, in quadrantem tibi imputabitur.

LXXXIII. IDEM.

REPERITVR casus, quo hæres agere potest, quamuis testator agere non potuerit: neluti si tutor, cum solueret legata, non interposuerit stipulationē, quanto plus, quàm per legem Falcidiam capi licuerit, solutum fuerit, reddi: pupillus eo quidem nomine tutelæ non aget, sed hæredi eius hoc quoq; nomine tutor obligatus erit.

LXXXIIII. IDEM.

A cultates paternæ per caussam hæreditariam ex substitutione ad eum perueniant: potest dici legata ab eo relicta præstanda esse, habita ratione legis Falcidiæ in his bonis, quæ pater mortis tempore reliquerit. Nec huic contrariũ est, quod cum ex hæredato pater legatum dederit, nihilo magis substitutus legatis obligabitur: quia eo casu non hæreditatis paternæ portio, sed legatum ad eum peruenit. dicet aliquis. quid ergo, si exhæredatus filius nõ ex substitutione fratri suo heres exstiterit: sed aut lege, aut per interpositam personã, atque ita impubes decesserit? sic quoque existimandus erit substitutus legata minimè debere. nã quantum interfit, exhæredatus filius ex substitutione fratri suo hæres existat, an alio modo: uel ex eo apparet, quod aliâs ab eo legare pater potuit, aliâs non potuit. est igitur rationi con-
B gruens, ne plus iuris circa personam substituti testator habeat, quàm habuerat in eo, cui eum substituebat. Cohæres pupillo datus si pro parte sua legata, habita legis Falcidiæ ratione, præstiterit, deinde impubere mortuo ex substitutione hæres exstiterit, & semis pupilli legatus exhaustus erit: ex integro legis Falcidiæ ratio ponenda erit: ut contributis legatis, quæ ab ipso, & quæ à pupillo data fuerant, pars quarta bonorũ apud eum remaneat. licet enim pupillo hæres existat: tamen circa legem Falcidiam perinde ratio habetur, ac si patri hæres exstitisset. nec aliter augebuntur legata, quæ ab ipso ultra dodrantem data fuerunt: quàm augentur, cum ex parte hæres institutus, & cohæredi suo substitutus, deliberante cohærede, legata habita ratione legis Falcidiæ soluerit, deinde ex substitutione alteram quoque partem hæreditatis adquirat.

C LXXXVII. AFFRICANVS.

QVI quadringenta habebat, trecenta legauit, deinde fundum tibi dignum centum aureis sub hac conditione legauit, si legi Falcidiæ in testamento suo locus non esset. quæritur, quid iuris est? dixi τῶν ἀπόρων hanc quæstionem esse, qui tractatus apud dialecticos τοῦ ψευδομένου dicatur. etenim quidquid constituerimus uerum esse, falsum reperietur. nanque si legatum tibi datum ualere dicamus: legi Falcidiæ locus erit, ideoque deficiente conditione non debebitur. rursus si quia conditio deficiat, legatum ualiturum non sit: legi Falcidiæ non locus erit. porrò si legi locus non sit: existente conditione legatum tibi debebitur. cum autem uoluntatem testatoris eam fuisse appareat, ut propter tuum legatum cæterorum legata minui nollet: magis est, ut statuere debeamus tui legati conditionem defecisse. Quid ergo di-
D cemus, si ducenta legauit, & tibi similiter sub eadem conditione ducenta legata esse proponantur? nam aut exstitisse, aut defecisse legati tui cõditionem, ut aut totum, aut nihil tibi debeatur: & iniquum, & contra uoluntatem testatoris existimabitur. rursus partem deberi, rationi non congruit: quando necesse est, totius legati conditionem uel exstitisse, uel defecisse. ergo per exceptionem doli mali tota ea res temperanda erit. quarè cum quis tale quid consequi uelit: sic consequetur, SI QVO AMPLIVS LEGAVI, VEL LEGAVERO, QVAM PER LEGEM FALCIDIAM LICEBIT: TVM QVANTVM AD SVPPLENDVM QVADRANTEM DEDVCI OPORTET EX EO LEGATO, QVOD TITIO DEDI, HAERES MEVS DAMNAS ESTO DARE. Qui ducenta in bonis relinquebat, legauit mihi centum præsenti die, tibi æquè centum sub conditione. post aliquantum temporis exstitit conditio: ita tamen, ut
E ex reditu eius summæ, quæ tibi relicta est, non amplius, quàm uigintiquinque reciperet. legis Falcidiæ ratio ita habenda erit hæredi: ut uigintiquinque conferre ei debeamus, & amplius fructus scilicet medij temporis, qui (uerbi gratia) efficiant quinque. cum igitur triginta sint conferenda: quidam putant quina dena ab utroque nostrum conferenda esse. quod minimè uerum est. licet enim eandem quantitatem acceperimus: manifestum tamen est, aliquanto uberius esse meum legatum: quarè statuendum erit, tanto minus in tuo legato esse, quantũ ex fructibus eius hæres perceperit. secundum quod in proposita specie computationem ita iniri oportet, ut ex septem partibus ego quatuor, tu tres conferamus: quandoquidem quarta pars amplius in meo, quàm in tuo legato est.

LXXXVIII. MARTIANVS.

DIVI Seuerus & Antoninus rescripserunt, pecuniã relictam ad alimenta puerorũ, Fal-

cidiæ subiectam esse:& ut idoneis hominibus collocetur pecunia,ad curam suam reuocatu rum præsidem prouinciæ. Diui Seuerus & Antoninus generaliter rescripserunt Bono nio Maximo:usuras præstaturum eum,qui frustrationis caussa beneficium legis Falcidiæ implorauit. F

LXXXIX. FLORENTINVS.

SI HAERES,cuius fideicõmissum est,ut accepta certa pecunia hæreditatẽ restituat, à uo luntate eius,qui testamentum fecit,discedat,& postea legis Falcidiæ beneficio uti uolet: & si non detur ei id,quo accepto hæreditatem restituere rogatus est:tamen fideicõmissum re stituere cogi debet:quoniam quod ei paterfamiliâs dari uoluit.legis Falcidiæ commodum præstat.

XC. MAETIANVS.

IN QVARtam hæreditatis,quam per legem Falcidiam hæres habere debet, imputãtur G res,quas iure hęreditario capit,nõ quas iure legati,uel fideicõmissi,uel implẽdæ cõditionis caussa accipit. nã hæ in quartã nõ imputãtur.Sed in fideicõmissaria hæreditate restituẽda: siue legatum datum est hæredi,siue præcipere,uel deducere,uel retinere iussus est: in quar tam id ei imputatur.pro ea uero parte,quam accipit à cohærede,extra quartã id est, quod à cohærede accipitur. sed & si accepta pecunia hæreditatem restituere rogatus sit:id, quod accipit,in quartam ei imputatur,ut diuus Pius constituit. sed & quod implendæ conditio nis caussa fideicommissum hæredi datur,in eadem caussa esse admittendum,sciendum est. si quid uero implendæ conditionis caussa hæres accipiat:legatarijs in Falcidię computatio ne non prodesse.& ideo si centum prædium defunctus legauerit,si quinquaginta hęredi le gatarius dederit:centum legatis computationem fieri,& quinquaginta extra hæreditatem H haberi,ne in quartam ei imputentur.

XCI. MARCELLVS.

SI MILES testamento facto partem dimidiam hæreditatis suæ tibi restitui iusserit,dein de post missionem factis codicillis alteram partem Titio restitui rogauerit: siquidẽ post an num missionis suæ decesserit:& tibi & Titio hæres quartam partem retinebit: quia eo tem pore testator decessit,quo testamentum eius ad beneficium principale pertinere desierat.si uero intra annum missionis decesserit: solus Titius deductionem quartæ partis patietur: quia eo tempore fideicõmissum ei relictum est, quo testator iure militari testari nõ potuit.

XCII. PAPINIANVS.

ACCEPTIS à Mæuio centũ,hæreditatem Mæuio restituere, pecuniamq́ post mortem I suam Titio dare rogatus est. quanquam hæc centum quartam bonorum efficiant: tamen propter sequens fideicommissum quartæ retentioni locus erit. tunc enim ex constitutione diui Hadriani Falcidiæ satisfacit ea quantitas,cum apud hæredem remanet.sed Falcidiam patietur solus,cui hæreditas relicta est.nam in centum,quæ mortis caussa capiuntur,admit ti Falcidia nõ potest. Planè si quis ita scripsit,ACCEPTIS CENTVM,PETO RESTITVAS HAEREDITATEM,neq́ personam dantis demonstrauerit: quasi retentam & præceptam pecuniam,si quartæ sufficiat,inducere Trebellianum.

XCIII. SCAEVOLA.

FILIO & filia scriptis hæredibus,singulis certa prælegauit: sed longè minus filiæ,cui etiã domum obligatam prælegauit cũ instrumentis,& quicquid ibi fuerit,& adiecit hæc uerba. K SED EA CONDITIONE LEGO, VT QVICQVID AERIS ALIENI IN EA DOMO ERIT, TI TIVS LIBERTVS FILII MEI SOLVAT, ET SIT EIS VTRISQVE DOMVS COMMVNIS. quæsitum est.si filia legis Falcidiæ beneficio uti uolet ad quartam retinendam:an ex hære ditate,quæ ei relicta est,deducto ære alieno,eius,quod superfuerit, quartam consequi de beat.respondit.iure quidem id postulaturam:uerum non aliâs ea,quę ei data sunt,acceptu ram (si modo ea quartam suppleant) quàm uoluntati defuncti soluendum præstando pa reret.

XCIIII. IDEM.

MARITVS uxoris res extra dotem constitutas administrauit: eaq́ decedens ante ratio nem sibi redditam administrationis,ex asse eundem maritum hæredem reliquit: eiusq́ fi deicommisit,ut decem uncias filio communi, cum moreretur,restitueret, duas antẽ uncias nepoti

A nepoti.quæsitum est, an id quoq;, quod ex administratione rerum apud maritũ resedisse constiterit,cum cæteris pro rata decem unciarum filio restitui debeat?respõdit.id,quod de buisset hæreditati,in rationem uenire debere. Filiæ,quã mater rogauerat,si impubes decessisset,restituere hæreditatem Titio,paruus legitimus hæres exstitit. in ratione legis Falcidiæ ponenda desiderat deduci sortes, ex quarũ usuris alimenta impubes defuncta ex persona testatricis suæ pluribus debita præstitit.quæsitum est,an si eas deduxerit,cauere debeat,defunctorum alimentariorum portiones pro modo sortium se restituturum?respondit. debere cauere. Post aditam hæreditatẽ triennio exacto legatarijs hæres legẽ Falcidiam opposuit idcirco,quod administrarit tutelas testator,quarum ratio nondum reddita sit: & B quod neget tantum redigi ex nominibus posse,quantum in cautione deductum est. quæsitum est,an rationis defuncti,& omnium instrumentorum hæreditariorum,& pupillarium rationum,legatarijs desiderantibus,hæres de scribendi potestatem facere debeat:ne in potestate eius sit proferre,quod uelit,& per hoc in fraudem legatarij inducantur?respõdit.ad iudicis officium pertinere,explorare ea,per quæ probetur,quatenus sit in bonis.

XCV. IDEM.

Miles si dum paganus erat,fecerit testamentum, militiæ tempore codicillos: lex Falcidia in codicillis locum non habet,in testamento locum habebit.

SI CVI PLVS, QVAM PER LEGEM FALCIDIAM licuerit,legatum esse dicatur. TIT. III.

C

I. VLPIANVS.



Si cvi plus,quàm licuerit,legetur,& dubitare iustè possit,utrum lex Falcidia locũ habitura sit,nec ne:subuenit prætor hæredi,ut ei legatarius satisdet:ut si apparuerit eum amplius legatorum nomine cepisse, quàm ex lege Falcidia capere licebit:quanti ea res erit,tantam pecuniam det,dolusq; malus ab eo abfuturus sit.neq; interest,utrũ in primis tabulis hoc fiat,an in pupillaribus,an in utrisq;. etenim legem Falcidiam semel esse admittendam,etiam si duplex sit testamentum, iam conuenit: contributis scilicet legatis,tam his,quæ ab ipso pupillo,quàm his,quæ ab substituto impubere relicta sunt.& si non fuisset interposita stipulatio ex persona pupilli:tutelæ actio hære D di pupilli aduersus tutorem competit.Sed(ut Pomponius ait)& ipsi pupillo,& hæredi eius poterit committi stipulatio. quo casu uiuo eo, Falcidia incipit locum habere.de tutelæ quoque actione idem scribit. Marcellus ait.qui quadringenta in bonis habebat,impuberem filium hæredem instituit,eiq; substituit Titium & Seium.si nihil à pupillo testator legauit, sed à Titio trecenta:utrum ducenta(inquit)præstabuntur,an centum quinquaginta? nam trecenta nullo modo eum præstare.mihi uidetur uerius, non amplius eum parte sua erogare compelli:certè nec minus. secundum quod eueniet, ut non soli committatur stipulatio, sed omnibus hæredibus interponenda sit. sed caussa cognita Falcidiam locum habere, & legatorum modus facit,& æris alieni onus.& si quidem euidens æs alienum est,uel certum: facilis est com putatio.si autem adhuc incertum est:quia forte uel conditio eius pendet, uel creditor litem contestatus est,& needum lis finita est:dubitabitur, quantum legatarijs de E beatur propter incertum. hodie tamen subsimile aliquid fit in fideicõmissis. Cum dicitur lex Falcidia locũ habere,arbiter dari solet ad ineundam quantitatẽ bonorũ: tametsi unus aliquid modicum fideicõmissum persequatur.quæ computatio præiudicare non debet cæteris,qui ad arbitrium immissi non sunt. Solet tamen ab hærede etiam cæteris denunciari fideicommissarijs,ut ueniant ad arbitrium,ibiq; caussam suam agant. plerunq; etiam creditoribus,ut de ære alieno probent.habet tamen rationem in legatarijs, item in fideicommissarijs:ut si offerat integrum,quod relictum est,hæres desiderans caueri sibi hac stipulatione,audiatur. Si legata quædam pręsenti die relicta sunt,quædam sub cõditione:interponenda erit ista stipulatio propter legata conditionalia:dummodo ea legata,quæ præsenti sint,integra soluantur.Iulianus denicq; scribit.si purè & sub conditione legata fuerint: an

existente

existente conditione,lex Falcidia locum habeat?non aliter legatorum,quæ purè data sunt actionem dati debere:quàm si cautum fuerit hæredi,quanto amplius, quàm per legẽ Falcidiam licuerit,ceperit,reddi. Idem Iulianus scribit.eum,cui quadrans sub conditione, & dodrans purè legatus est:cauere debere,quãto amplius,quàm per legem Falcidiam liceat, ceperit,reddi. Hæc stipulatio ideo locum habet,quia & si repeti potest id, quod solutum est:tamen fieri potest,ut non sit soluendo is,cui solutum est,ac per hoc pereat,quod datum est. In mortis caussa quoq; donationibus potest dici, hãc stipulationem esse interponendam. Hæc uerba stipulationum, QVOD AMPLIVS LEGATORVM NOMINE CEPERIT, QVAM EX LEGE FALCIDIA CAPERE LICEBIT,non tantum eum comprehendunt, qui amplius accepit, quàm ei Falcidia permisit,ut reddat partem hanc,& habeat partem: uerumetiam eum, qui totum debet restituere.etenim sciendum est legem Falcidiã interdum partem eius,quod datum est,interdum totum reuocare.cum enim habita ratione æris alieni Falcidia incatur:plerunq; euenit,ut emergente debito,uel conditione æris alieni existente,totum,quod legatum est,exhauriatur.sed & libertatum conditio interdum existens,efficiet legatum omnino non deberi:quippe cum habita ratione libertatum, & deductis pretijs eorum,tunc demum legatorum incatur ratio. In quibusdam autem testamentis Falcidia quidem locum non habet:ueruntamẽ ita obseruatur,ut licet quadrantem hæres non retineat:tamen hactenus legata debeantur,quatenus patrimonij uires sufficiunt, utiq; deducto ære alieno. Item deductis precijs eorum,qui libertatem in testamẽto uel directam, uel fideicommissariam acceperunt.Sed & legatario cauendum est, à quo fideicommissum relinquitur. Interdum non legis Falcidiæ, sed etiam alterius legis in hac stipulatione ratio faciẽda est.utputã si patronus ex asse hæres institutus sit,& purè quincunx legatus sit,& sub conditione aliquid supra debitam patrono partem.nam in hunc casum ratio facienda est illius legis,quæ patronos uocat,non legis Falcidiæ. Si res,quæ legata est,apud legatarium interierit:probandum est,exceptione succurri ei,qui promisit. F G H

II. PAPINIANVS.

ETIAM SI,quanti ea res sit,promisit.

III. VLPIANVS.

NISI dolo ipsius aliquid factum sit.tunc enim etiam ex doli clausula,quæ in ista stipulatione continetur,tenebitur,& replicatione repelli poterit. Hæc cautio,quę propter legem Falcidiam interponitur,fideiussorum habet præstationem. Si in plures dies pecunia legata est,cum certum sit,legem Falcidiam locum habere: non stipulationi, sed computationi locum esse Pedius ait:ut æstimetur quanti sit, quod in diem legatum est,& tantũ credatur legatum esse, quantum efficiat æstimatio : ut pro modo eius ex omnibus legatis statim legis Falcidiæ ratio habeatur. Quoties futurum est, ut palàm sit,& ante diem uenientem iam Falcidiam locum habere:toties computatio eius fit.nam si conditio in mora est:exspectabimus conditionem,quoad existat. si autem dies superest : iam hic intercapedinis temporis habita ratione atq; æstimatione,sic de Falcidia disputabimus,& committi stipulationem dicemus. Quamuis autem omnes legatarij & fideicommissarij necesse habeant hac stipulatione cauere:tamẽ quibusdam remitti,diui fratres rescripserunt : utputã his,quibus minuta alimenta sunt relicta.Pompeiæ enim Faustinæ rescripserunt sic.nõ candẽ caussam esse decem aureorum,quos annuos tibi testamento Pompeiæ Crispinæ patronæ tuæ relictos proponis,atq; fuit alimentorũ & uestiarij libertis relictorũ, quibus propterea cautionis onus remittendum existimauimus. Item sciendum est,fiscum hanc cautionẽ nõ pati: sed perinde conueniri posse,ac si cauisset.cæteros autẽ cuiuscunq; dignitatis sint(licet etiã legata perceperint)cõpelli debere ad cauendũ,diuus Pius rescripsit.ex quo rescripto etiã illud accipimus,quod etiã post soluta legata uoluerit stipulationẽ interponi. Si legatarius hæredi,qui controuersiam hæreditatis patitur iam,uel sperat,de restituendo legato sibi præstito cauerit:& euicta hæreditas sit,sed negligentia,uel dolo eius, qui legatum præstitit:dicemus non committi stipulationẽ propter uiri boni arbitriũ, quod inest huic stipulationi. I K

Item

A Item si ipse, qui præstitit legatū, ex alia caussa sibi euicerit: utputā quia inuenitur sequenti testamento hæres scriptus, in quo legatum iste legatarius non acceperat: dicemus cōmitti stipulationem propter uiri boni arbitrium. Et generaliter ubicunq; hęreditatem, uel quantitatem, uel emolumentum præstitit is, qui hac stipulatione sibi prospexerat: dicendum est ibi committi eam: si modo culpa absit ab eo, qui stipulatus est. Quæsitū est, an & sæpius committatur? & placet, etiam sæpius eam committi, si per partes ablata sit hæreditas. Si legatum fuerit præstitum ante interpositam hanc stipulationem: an condici possit, ut cautio ista interponatur? mouet quæstionem, quod ea, quę per errorem omissa uel soluta sunt, condici possunt. & hic ergo quasi plus solutum uidetur ex eo, quod cautio intermissa est. & B ait Pomponius, condictionem interponendæ satisdationis gratia competere. & puto hoc, quod Pomponius ait, probandum utilitatis gratia.

IIII. PAVLVS.

HAEC autem satisdatio locum habet, si iusta caussa esse uidebitur. nam iniquum erat, omnimodo caueri, nondum illata controuersia litis: cum possint ei lusoriæ minę fieri. ideoq; eam rem prætor ad cognitionem suam reuocat. Si duo ex testamento hæreditatem in solidum sibi uindicent, fortè quod eiusdem nominis sint: tam in possessorē, quàm in petitorem competunt actiones & creditoribus & legatarijs. Hæc cautio utiq; necessaria est, si quis pecuniam suam soluat, uel suam rem tradat. si uero pecuniam soluat hæreditariā, uel rem tradat: quidam non putant cauēdum: quia nec teneri possit eo nomine uictus, cū non C possideat, uel dolo fecerit, quò minus possideat. Hoc si ante motam controuersiam soluat. quod si postea: tenebitur culpæ nomine. Sed cum de nomine inter duos quæstio est: nunquid non sit cauendum ei, qui hæreditariam rem tradat: quia omnimodo unus liberatur, quemadmodum si æs alienum hæreditarium soluatur? sed si petitor suā pecuniam soluat, aut tradat rem suam: non habet, unde retineat. & ideo necessaria est ei cautio.

V. MARCELLVS.

VIDEAMUS, an stipulatio QVO AMPLIVS COEPERIS, QVÀM PER FALCIDIAM LICVERIT, DARI? aduersus eum non sufficiat, qui legatum alij restituere ex fideicōmissi caussa debet. sufficiet autem dici, quasi nihil ei fideicommissum esset. cauebit autem soli legatario & is, qui fideicommissum accipiet: nisi fortè malit legatarius circuitu sublato hæredi ca D ueri. sed & legatario præterea cauendum est, si (ut plerunq; æquū est) pro rata ex fideicommisso retinere ei concedendum est: quamuis tantum ex legato apud eum sit remansurum, ut sufficere possit ad præstandum fideicommissum.

VI. CALLISTRATVS.

CVM non facilè satisdationem offerre legatarius uel fideicōmissarius possit, & futurum sit, ut propter hoc à petitione liberalitatis ex testamēto submoueatur: nunquid onus satisdationis remittendum ei erit? quod uidetur adiuuari rescripto diui commodi in hęc uerba. Is, cuius de ea re notio est, aditus si compererit, ideo cautionem à te exigi, ut à fideicommissi petitione auertaris. onus satisdationis tibi remitti curabit.

VII. PAVLVS.

E DIVVS Pius ab eo, qui annua legata percipere ad distribuendum iussus erat, uetuit cautionem exigi CESSANTIVM PARTES REDDI: nisi apertè cauere iussus esset.

VIII. MAETIANVS.

SI HAERES partem bonorum, uel etiam uniuersa bona delata ad fiscum diceret, constaret autem de fideicommisso: decretum est, ut petitori caueri EVICTA HAEREDITATE RESTITVI, soluerit.

IX. IDEM.


SI NON in controuersia sit proprietas, sed usus fructus: (potest enim rei, cuius proprietas Titio legata est, ususfructus alij legari.) tunc de eo restituendo non hæredi, sed Titio caueri debet. interdū, & si ab hærede legetur ususfructus Titio, cauendū est: ueluti si detracto usufructu proprietas ei legetur, ususfructus Seio. Quid enim attinebit hoc casu hæredi caueri, ad quem emolumentū intercidentis ususfructus nō sit spectandum? uerū si usufructu Seio legato

legato, proprietas Titio legetur, ut cum ad Seium pertinere defecit, habeat proprietatem: tunc hæredi caueri oportebit à fructuario, ab hærede autem Titio: quia non sit certum usu fructu intercepto ad Titium proprietatem reuersuram. F

DIGESTORVM SEV PANDECTARVM LIBER TRICESIMVS SEXTVS.

AD SENATVSCONSVLTVM TREBELLIANVM TIT. I. G

I. VLPIANVS.



Explicito tractatu, qui ad fideicommissa singularum rerum pertinet, transeamus nunc ad interpretationem senatusconsulti Trebelliani. factum est enim senatusconsultum temporibus Neronis octauo calendis Septembribus Anneo Seneca & Trebellio Maximo consulibus, cuius uerba hæc sunt. CVM AVTEM ESSET AEQVISSIMVM, IN OMNIBVS FIDEICOMMISSARIIS HAEREDITATIBVS, SI QVA DE HIS BONIS IVDICIA PENDERENT, EX HIS EOS SVBIRE, IN QVOS IVS FRVCTVSQVE TRANSFERRETVR, POTIVS QVAM CVIQVE PERICVLOSAM ESSE FIDEM SVAM: PLACVIT ET ACTIONES, QVAE IN HAEREDES HAEREDIBVSQVE DARI SOLENT, EAS NEQVE IN EOS, NEQVE EIS DARI, QVI FIDEI SVAE COMMISSVM (SICVTI ROGATI ESSENT) RESTITVISSENT: SED EIS, ET IN EOS, QVIBVS EX TESTAMENTO FIDEICOMMISSVM RESTITVTVM FVISSET: QVO MAGIS IN RELIQVVM CONFIRMENTVR SVPREMAE DEFVNCTORVM VOLVNTATES. CENSVERVNT. H Sublata est hoc senatusconsulto dubitatio eorum, qui adire hæreditatem recusarent, seu metu litium, seu prætextu metus. Quanquam autem senatus consultum subuentum uoluit hæredibus: subuenit tamen & fideicommissario. nam in eo, quod hæredes, si conueniantur, exceptione uti possunt, hæredibus subuentū est. in eo uero, quod si agant hæredes, repelluntur per exceptionem, quodque agēdi facultas fideicommissarijs competit: procul dubio consultum est fideicommissarijs. I Hoc autē senatusconsultum locum habet, siue ex testamento quis hæres sit, siue ab intestato, rogatusque sit restituere hæreditatem. in filij quoque familiás militis iudicio, qui de castrensi peculio, uel quasi castrensi testari potest, senatusconsultum locum habet. Bonorum quoque possessores, uel alij successores ex Trebelliano restituere poterunt hæreditatem. De illo quæritur. an is, cui ex caussa fideicommissi restituta est hæreditas ex Trebelliano senatusconsulto, ipse quoque restituēdo ex eodem senatusconsulto transferat actiones? & Iulianus scribit, etiam ipsum transferre actiones, quod & Marcianus probat, & nobis placet. Sed & quoties qui rogatus est duobus restituere hæreditatem, alteri purè uel in diem, alteri sub conditione, suspectam dicit: ei, cui erat rogatus purè uel in diem restituere, interim uniuersam hæreditatem restitui, senatus censuit. cum autem exstiterit conditio: si uelit alius fideicommissarius partē suam suscipere, trāsire ad eum ipso iure actiones. K Si filio uel seruo hærede instituto, rogatoque restituere hæreditatem, dominus uel pater restituat: ex Trebelliano transferuntur actiones. quod est etiā si suo nomine rogati sint restituere. idem & si ipsi filio pater rogatus sit restituere hæreditatem. Sed & si tutor uel curator adolescentis uel furiosi rogatus sit restituere hæreditatem: sine dubio Trebelliano locus erit. Fuit quæsitum, si ipsi tutori rogatus sit restituere pupillus, an ipso autore restitutionem facere possit? & est decretum à diuo Seuero, non posse tutori se autore restitui hæreditatem: quia in rem suam autor esse non possit. curatori tamen adolescētis ab adolescente

A adolescente poterit restitui hæreditas: quoniã necessaria non est curatoris autoritas ad restitutionem. Si autẽ collegium uel corpus sit, quod rogatum est restituere: decreto eorum, qui sunt in collegio uel corpore, in singulis (inspecta eorum persona) restitutionem ualere. nec enim ipsi sibi uidetur quis horum restituere. Si hæres percepto fundo rogatus sit hæreditatem restituere: ex Trebelliano senatusconsulto restituet hęreditatem. nec multũ facit, si fundus pignori datus est. neque enim æris alieni personalis actio fundũ sequitur, sed eum, cui hæreditas ex Trebelliano senatusconsulto restituta est. sed cauendum est hæredi à fideicommissario, ut si fortè fundus fuerit euictus, à creditore habeat cautum. Iulianus autẽ cauendum non putat: sed æstimandum fundum, quãti ualeat sine hac cautione, hoc est, quantum uendere possit sine cautione. & si possit tanti uendere non interposita cautione, quan-
B tum facit quarta pars bonorum: ex Trebelliano transituras actiones. si minoris: retẽto eo, quod deest, similiter ex Trebelliano restitutionem fieri. quæ sententia multas quæstiones dirimit. Si is, qui quadringenta in bonis habebat, trecenta legauerit, & deductis ducentis rogauerit hæredem Seio restituere hæreditatem: an trecentorum onus fideicommissarius subeat, an uero hactenus quatenus ad eum ex hæreditate peruenit? Iulianus ait, cõpetere quidem aduersus eum trecentorum petitionem: non autem amplius, quàm in ducenta actionem aduersus fideicommissarium daturum, in hæredem autem centum. & mihi uidetur uera esse Iuliani sententia: ne damnum fideicommissarius sentiat ultra, quàm ad eũ ex hæreditate quid peruenit. neminem enim oportet plus legati nomine præstare, quàm ad
C eum ex hæreditate peruenit, quamuis Falcidia cessaret, ut rescripto diui Pij continetur. Denique nec ex militis testamento plus legatorum nomine præstatur, quàm quantitas est hæreditatis, ære alieno deducto: nec tamen quartam retinere fideicõmissario permittitur. Inde Neratius scribit, si hæres rogatus restituere totam hæreditatem, nõ deducta Falcida, rogato & ipso alij restituere, restituat: non utique debere eum detrahere fideicõmissario secundo quartam, nisi liberalitatem tantum ad priorem fideicommissarium hæres uoluit pertinere. Si quadringenta habens ducenta legauerit Titio, & partem dimidiam hæreditatis Sempronio restituere rogauerit: ex Trebelliano restitutionem faciẽdam Iulianus ait, & legatorum petitionem scindi: sic, ut centum quidem petantur ab hærede, centum uero alia legatarius à fideicommissario petat. quod idcirco dicit Iulianus: quoniam secundum hanc ra-
D tionem integram quartam habet, id est centũ integra. Idem Iulianus scribit. si is, qui quadringenta in bonis habebat, trecenta legasset: & deductis centũ, rogasset hæredem, ut hæreditatem Sempronio restitueret: debere dici, deductis centum restituta hæreditate, legatorum actiones in fideicommissarium dari.

II. CELSVS.

Qui quadringenta reliquit, Titio trecenta legauit. hæredis fideicommisit, ut tibi hæreditatem restitueret: isque suspectã iussu prætoris adijt, & restituit. quærebatur, quid legatario dare deberes? dicendum est: quia præsumptum est, uoluisse testatorem cum onere legatorum fideicommissum restitui: tota trecenta te dare Titio debere. nam hæres hic rogatus intelligi debet, ut te suo loco constituat: & quod hæres persunctis omnibus hæreditarijs mu-
E neribus, id est, & post legatorum dationem reliquum habiturus foret, si non esset rogatus & tibi restituere hæreditatem: id tibi restituat. quantum ergo haberet? nempe centum. hæc ut tibi daret rogatus est. itaque sic iucunda est legis Falcidiæ ratio, quasi hęres trecenta Titio dare damnatus, tibi centũ dare damnatus sit. quo euenit, ut si hæreditatẽ sua sponte adijsset: daret Titio ducenta uigintiquinque, tibi septuagintaquinque: non ergo plus Titio debetur, quàm si iniussu prætoris adita hæreditas foret.

III. VLPIANVS.

Marcellus autem apud Iulianum in hac specie ita scribit. si ad hæredis onus esse testator legata dixerit, & hæres sponte adijt hæreditatem: ita debere computationem Falcidiæ iniri, ac si quadringenta per fideicommissum essent relicta, trecẽta uero legata: ut in septem partes trecenta diuidantur, & ferat quatuor partes fideicõmissarius, tres partes lega-

tarius:Quod ſi ſuſpecta dicta ſit hæreditas,& non ſponte hæres adierit & reſtituerit:centũ F
quidem de quadringentis,quæ habiturus eſt hæres, reſidebunt apud fideicommiſſarium:
in reliquis autẽ trecẽtis eadem diſtributio fiet, ut ex his quatuor partes habeat fideicõmiſ-
ſarius,reliquas tres legatarius.nam iniquiſſimum eſt, plus ferre legatariũ ideo,quia ſuſpe-
cta dicta eſt hæreditas,q̃ laturus eſſet,ſi ſponte adita fuiſſet. Quod autẽ in ſuſpecta hære-
ditate dictum eſt,hoc idem dici poteſt in his teſtamentis,in quibus lex Falcidia locũ nõ ha
bet:in multis dico,& ſi qui ſunt alij. Item Pomponius ſcribit. ſi deductis legatis reſtitue-
re quis hæreditatem rogetur:quæſitum eſſe,utrum ſolida legata præſtãda ſint,& quartam
ex ſolo fideicommiſſo detrahere,an uero & ex legatis & fideicommiſſis quartam detrahe-
re poſſit:& refert Ariſtonem reſpondiſſe,ex omnibus detrahendam, hoc eſt & ex legatis G
& ex fideicommiſſis. Res,quæ ab hærede alienatæ ſunt,in quartam imputantur hæredi.

Quidã liberis ſuis ex diſparibus partibus inſtitutis,datis præceptionibus ſic, ut ipſe ma-
ximam partem patrimonij inter liberos ita diuiſiſſet:rogauit eum, qui ſine liberis decede-
ret,portionem ſuam fratribus reſtituere.Imperator noſter reſcripſit, præceptiones quoq;
fideicommiſſo contineri:quia non portionem hæreditariam teſtator commemoraſſet, ſed
ſimpliciter portionem.in portionem autem & præceptiones uideri cecidiſſe. Si is,qui ro-
gatus fuerat hæreditatem reſtituere, ante quæſtionem de familia habitam uel tabulas ape
ruerit,uel hæreditatem adierit,uel quid eorum,quæ ſenatusconſulto prohibentur, fecerit,
ac per hoc publicata fuerit hæreditas:fiſcus cum ſuis oneribus hæreditatem acquirit.quarè
commodum quartæ,quod erat habiturus hæres inſtitutus,id ad fiſcum pertinet,& ex Tre H
belliano actiones tranſeunt.ſed & ſi quia prohibuerit teſtamentarium introducere, uel te-
ſtes conuenire,uel mortem teſtatoris non defenderit, uel ex alia cauſſa hæreditas fiſco uin-
dicata eſt:æquè quartæ quidem commodum ad fiſcum pertinebit, dodrans uero fideicom
miſſario reſtituetur.

IIII. IDEM.

QVIA poterat fieri,ut hęres inſtitutus nolit adire hæreditatem,ueritus,ne damno affice
retur:proſpectum eſt,ut ſi fideicõmiſſarius diceret ſuo periculo adiri,& reſtitui ſibi uelle:co
gatur hæres inſtitutus à prætore adire,& reſtituere hęreditatem.quod ſi fuerit factũ:trans-
eunt actiones ex Trebelliano,nec quartæ cõmodo hæres in reſtitutione utetur.nam cũ alie
no periculo adierit hæreditatem:meritò omni commodo arcebitur. nec intereſt ſoluendo
ſit hæreditas,néc ne.ſufficit enim recuſari ab hærede inſtituto. neq; illud inquiritur,ſoluen I
do ſit hæreditas,an non ſit.opinio enim,uel metus,uel color eius,qui noluit adire hæredita
tem,inſpicitur,non ſubſtantia hæreditatis.nec immeritò.non enim præſcribi hæredi inſti-
tuto debet,cur metuat hæreditatem adire,uel cur nolit:cum uariæ ſint hominum uolunta-
tes,quorundam negocia timentium,quorundam uexationem,quorundam æris alieni cu-
mulum(tametſi locuples uideatur hæreditas)quorundam offenſas uel inuidiam, quorun-
dam gratificari uolentium his,quibus hæreditas relicta eſt,ſine onere tamen ſuo.

V. MAETIANVS.

SED & qui magna præditus eſt dignitate uel autoritate,harenarij,uel eius mulieris,quæ
corpore quæſtum fecit,hæreditatem reſtituere cogetur.

VI. VLPIANVS.

RECVSARE autẽ non tantũ pręſentes,ſed etiã abſentes,uel per epiſtolam poſſunt.nam K
etiam aduerſus abſentes poſtulatur decretũ:ſiue certior ſit eorũ uoluntas,qui recuſant adi-
re & reſtituere hæreditatem, ſiue incerta.adeo præſentia eorum non eſt neceſſaria. Me-
miniſſe autem oportebit,de hærede inſtituto ſenatum loqui.ideoq; tractatum eſt apud Iu
lianum,an inteſtatis locum habeat.Sed eſt uerius,eoq; iure utimur, ut hoc ſenatuſconſul-
tum ad inteſtatos quoq; pertineat:ſiue legitimi, ſiue honorarij ſint ſucceſſores. ſed & in fi-
lio,qui in poteſtate eſt,hoc ſenatuſconſultum locũ habet, & in cæteris neceſſarijs:ut à præ-
tore compellantur immiſcere ſe hæreditati,ſic deinde reſtituere.quod ſi fecerint:tranſtuliſ-
ſe uidebuntur actiones. Si fiſco uacantia bona deferantur,nec uelit bona agnoſcere,& fi-
deicommiſſum reſtituere:æquiſſimum erit,quaſi uindicauerit, ſic fiſcum reſtitutionem fa-

cere

A cere. Item si municipes hæreditatem suspectam dicant hæredes instituti: dicendum erit, cogi eos agnoscere hæreditatem, & restituere. idem quoque erit & in collegio dicendum. Titius hæres institutus, Sempronio substituto, rogatus est ipsi Sempronio hæreditatem restituere. institutus suspectam dicebat hæreditatem. quæritur, an cogēdus sit adire & restituere hæreditatem? & deliberari potest. sed uerius est, cogendum eum: quia interesse Sempronij potest, ex institutione, quàm ex substitutione habere hæreditatem, fortè legatis, uel libertatibus onerata substitutione. nã & si legitimus hæres fuerit is, cui fideicõmissaria hæreditas relicta est, idem dicetur. Si quis alio loco restituere hæreditatẽ iussus sit, & suspectã eam dicat: Iulianus scribit cogendum eum, similemque esse ei, qui in diem rogatus est restituere.

B VII. MAETIANVS.

Sed sciendum est, impendiorum quoque, quæ ad iter explicãdum necessaria essent, rationem haberi debere. nam si ita institutus est, si Titio decem dedisset: non aliter cogetur, quàm si ei pecunia offeratur. sed & salutis ac dignitatis ratio habenda erit. quid enim si morbo adplicitus Alexandriam iussus sit adire, uel nomen uespillonis testatoris ferre.

VIII. PAVLVS.

De aetate quoque & iure, id est, liceát ne ei eò ire, néc ne, æstimabitur.

IX. VLPIANVS.

Sed & si alio loco iussus sit adire, & reipublicæ caussa absit: æque cogendum adire hæreditatem & restituere, Iulianus ait, ubi abest. planè si quis petierit ad deliberationem tempus, & impetrauerit, deinde post tempus deliberationis adierit & restituerit hæreditatem:

C non uidetur coactus hoc fecisse. nec enim suspectam coactus adijt, sed spontè post deliberationem. quod si suspectam dicit: profiteri debet, non sibi expedire hæreditatem. neque hoc dici oportere, non esse soluẽdo: sed profiteri eum oportet, & quod non putat sibi expedire hæreditatem adire. Si quis sub conditione fuit hæres scriptus: pendente cõditione nihil agit, tametsi paratus sit restituere hæreditatem.

X. CAIVS.

Sed & si ante diem uel ante conditionem restituta sit hæreditas, non transferuntur actiones: quia non ita restituitur hæreditas, ut testator rogauit. planè postea, quàm exstiterit conditio, uel dies uenerit, si ratam habeat restitutionem hæreditatis: benignius est, intel-

D ligi tunc translatas uideri actiones.

XI. VLPIANVS.

Apud Iulianum relatum est, si legatum fuerit hæredi instituto relictum, SI HAERES NON ERIT, & ob hoc suspectam dicat hæreditatem, ne perdat legatum: offerri ei oportere quantitatem legati à fideicommissario, deinde cogendum. nec illud admittit Iulianus, ut quasi hæreditatem non adijsset, sic legatum à cohærede petat. adijt enim. sed magis arbitratur à fideicommissario ei præstandum. Sed & si quid aliud sua interesse dicet: non cogetur adire, nisi ei damnũ uel lucrum fideicõmissi sarciatur, uel à prætore onus remittatur, quod recusat. Idem Iulianus ait. si duo fuerunt à patre instituti cũ filio eius impubere, & ijdem substituti filio: sufficere ei, qui fideicõmissum in secundis tabulis accepit, unum ex hæredi-

E bus institutis cogere adire patris hæreditatem. hoc enim facto, confirmatisque patris tabulis, poterunt ex substitutione ambo cogi adire, & restituere hæreditatem. Vtrum autem præsenti, an etiam absenti restitui possit, procuratore adeunte prætorem, uidẽdum est. ego puto, absente quoque fideicommissario cogi posse hæredem institutũ adire & restituere: nec uereri hæredem oportere, ne fortè in damno moretur. potest etenim ei per prætorem succurri, siue cautum ei fiat, siue non, & ante decesserit fideicommissarius, quàm ei restituatur hæreditas. est enim huius rei exemplum capere ex rescripto diui Pij in specie huiusmodi: Antistia decedens Titium hæredem instituit, & libertatem dedit Albinę directam, eique filiam per fideicommissum reliquit, rogauitque, ut filiã manumitteret. sed & Titium rogauit, ut manumissæ albinæ filiæ restitueret hæreditatem. cum igitur Titius suspectã diceret hæreditatem: rescriptum est à diuo Pio, compellendum eum adire hæreditatem. quo adeunte

Albinæ competituram libertatem, eiq; filiam tradendam, & ab ea manumittendam, tutoremq; filiæ manumissæ dandũ: quo autore restituatur hæreditas filiæ statim: quamuis sic fuisset ei rogatus restituere, cum nubilem ætatem complesset. cum autem possit (inquit) euenire, ut ante decedat ea, cui fideicommissaria libertas & hæreditas relicta est: nec oporteat damno affici eum, qui rogatus adijt hæreditatem: remedium dedit, ut si quid horum contigerit, perinde permittantur uenundare bona Antistiæ, ac si hæres ei non exstitisset. Cum igitur demonstrauerit diuus Pius succurri hæredi instituto, qui compulsus adijt: dici potest etiam in cæteris caussis exemplum hoc sequendum, ut (sicubi euenerit) restituatur fideicommissaria hæreditas ei, qui compulit adire, & restituere hæreditatem sibi. F

XII. PAVLVS.

SED cum ab hærede pro parte instituto fideicõmissa hæreditas sub conditione relicta esset: imperator Titus Antoninus rescripsit, nõ esse locum cõstitutioni suæ, neq; pupillum extra ordinem iuuandum: præsertim, si nouum beneficiũ cum alterius iniuria postularetur. G

XIII. VLPIANVS.

ILLE, à quo sub conditione fideicommissum relictum est: caussari quid non poterit, ne conditio deficiat, & hæreat actionibus: cum nullum damnũ sit futurum secundum ea, quæ ostendimus. iam igitur non desideratur hæredis præsentia. Si de testamẽto aliquid quæratur: hæres non debet audiri, si suspectam sibi hæreditatem dicat. nam & si maximè dicatur, uel ius testandi non habuisse eum, qui testatus est, uel de uiribus testamenti, uel de sua conditione: non erit audiendus. quid ergo, si de uiribus fideicõmissi tractetur? hæc quæstio à prætore prætermittenda non erit. sed quid, si fideicõmissarius dicat, adeat prius, & sic de hoc quæratur? credo interdum audiendum fideicommissarium, si cognitio prolixiorẽ tractatum habeat. finge enim uerba fideicommissi de longinquo petenda, & iustam deliberationem de quantitate fideicommissi incidere. dicendum erit, compellendum eum adire, ne prius hæres decedens fideicommissarium decipiat. Tempestiuũ est requirere, per quem quis cogatur adire, & restituere hæreditatem: ueluti si prætor, aut consul fuerit hæres institutus, suspectamq; hæreditatem dicat: an cogi possit adire & restituere? & est dicendũ, prætorem quidem in prætorem, uel consulem in consulem nullum imperium habere. sed si iurisdictioni se subijciant: solet prætor in eos ius dicere. sed & si ipse prætor hæres institutus suspectam dicat, ipse se cogere non poterit: quia triplici officio fungi non potest, suspectam dicentis, & coacti, & cogentis. sed in his omnibus casibus atq; similibus principale auxiliũ implorandum est. Si quis filiusfamiliâs sit, & magistratum gerat: patrem suum, in cuius est potestate, cogere poterit, suspectam dicentem hæreditatem, adire & restituere. H I

XIIII. HERMOGENIANVS.

NAM quod ad ius publicum attinet, non sequitur ius potestatis. Sed & qui repudiauit hæreditatem, cogetur adire, & restituere ipsam hæreditatem, si iustæ caussæ allegentur. planè si bona uẽnierint: non oportet prætorem, ne pupillum quidẽ restituere, nisi ex caussa, ut diuus Pius rescripsit. Si quis compulsus adierit hæreditatem ex testamento, quod secundas tabulas habebat: quæsitum est, an per aditionem & tabulæ secundæ firmarentur, quod uideantur euanuisse, nõ adita patris hæreditate? & Iulianus libro decimoquinto scribit, & sequentes tabulas confirmari. quæ sententia uerissima est. nemo enim dubitat, etiam legata præstari, & libertates competere, & cætera, quæcunq; sunt in testamẽto, perinde ualere, ac si sua sponte hæres hæreditatem adijsset. Qui compulsus hæreditatem adijt: sicuti cæteris commodis caret, ita hoc quoq; casu caret, ne possit pœnitendo quartam retinere. & ita inuenio ab Imperatore nostro & diuo patre eius rescriptum. Non omnis autẽ suspectam hęreditatem repudiatione amissam cogere potest adiri, & sibi restitui: sed is demum, ad quẽ actiones transire possunt. neq; enim æquũ est ad hoc quẽ compelli adire hæreditatem, ut emolumentum quidem hæreditatis refundat, ipse uero oneribus hęreditatis obstrictus relinquatur. quare si fideicõmissum pecuniarum alicui fuerit relictum: cessat compulsio, tametsi indemnitatis cautio offeratur. proinde qui hæreditatẽ rogatur restituere, is demum K

A mum cópellitur restituere. Sed si quis BONA rogatus sit, uel FAMILIAM, uel PECVNIAM,
uel VNIVERSAM REM. XV. PAVLVS.

Vel omnia sua. XVI. VLPIANVS.

Cogi poterit hoc idem, & si PATRIMONIVM fuerit rogatus, & si FACVLTATES, & si
QVICQVID HABEO, & si CENSVM MEVM, & si FORTVNAS MEAS, & si SVBSTANTI-
AM MEAM, & si PECVLIVM MEVM testator dixerit: (quia pleriq; καταχρηστικῶς patrimo-
nium suũ peculiũ dicunt) cogendus erit. de successione enim sua etiam hic rogauit nec igno-
ro: in quibusdam ex his Mætianum dubitare, & dicere uoluntatis esse quæstionem, utrum
de pecunia tantum, an & de successione testator senserit. in ambiguo tamen magis de suc-
B cessione sensum dico, ne intercidat fideicõmissum. Sed & si quis ita rogauerit, QVICQVID
AD TE EX HAEREDITATE BONIS'VE MEIS PERVENIT, ROGO RESTITVAS: cogi po-
terit adire, & restituere hæreditatẽ ex Trebelliano senatusconsulto: quanquam peruenire
propriè dicatur, quod deductis oneribus ad aliquẽ peruenit. Et generaliter autem potest
dici, ita demum quem non posse cogi adire, & restituere hæreditatem, si de re uel de quan-
titate fuerit rogatus. cæterum si de uniuersitate sensisse testatorem appareat: nulla quæstio
est, quin siue suspectam dicat, cogi possit: siue spontè adijt, ex Trebelliano transeant actio-
nes. Inde quæritur. si quis hæreditatem rogatus sit restituere, deducto ære alieno, uel de-
ductis legatis: an suspectam dicens cogi possit adire, & restituere hæreditatem: quia in ipsa
magis id, quod superest ex hæreditate, quàm ipsam hæreditatem restituere sit rogatus: &
C sunt, qui putent (ut Mætianus) inutilem esse hanc deductionem. nec enim posse exinde de-
duci quantitatem: non magis, quàm si fundum quis deducto ære alieno, uel deductis lega-
tis, restituere sit rogatus. neq; enim recipit fundus æris alieni uel legati minutionẽ. Sed Iu-
lianum existimare refert Trebelliano senatusconsulto locum esse, ne dupliciter fideicõmis-
sarius oneretur, cum hæres æs alienum uel legatum deducit: & cum conuenitur à creditori-
bus & legatarijs restituta sibi ex Trebelliano hæreditate, debere aut deductionem eum nõ
pati ab hærede, aut cauere illi hæredem, defensum iri eum aduersus legatarios cæterosq;.

Si quis hæres institutus, rogatus fuerit hæreditatem non totam, sed partẽ restituere: uel
si duobus restituere sit rogatus, & alter ex his uelit sibi restitui hæreditatem, alter recuset: se-
natus censuit, utroq; casu exonerari eum, qui suspectam hæreditatem dicit, totamq; hære-
D ditatem transire ad eum, qui adire cogit. Sed & si quis non hæreditatis suæ partem dimi-
diam rogauit hæredem suum restituere, sed & hæreditatem Seiæ, quæ ad eum peruenerat,
uel totam uel partem eius, hæresq; institutus suspectam dicat: cum placeat illud, quod Pa-
pinianus ait, ex Trebelliano transire actiones: dici poterit (si suspecta dicatur hæreditas) co-
gendum hæredem institutum adire & restituere hereditatem, totamq; hæreditatẽ ad eum,
cui restituitur, pertinere. Sed & si miles rogauerit quem res Italicas restituere, uel res pro-
uinciales: dicendum est, suspectam dicentem cogi adire & restituere. nam (ut eleganter Mæ-
tianus libro VI. fideicommissorum ait) qua ratione ex certa re miles hæredem instituere po-
test, actionesq; ei dabuntur: pari ratione etiã ex Trebelliano transibũt actiones. & quam-
uis placet, cum quis hæreditatem bonaq;, quæ sibi ab aliquo obuenerũt, uel quæ in aliqua
E regione habet, restituere rogat, ex Trebelliano non transire actiones: tamen cõtrarium re-
sponderi debere in militis testamento ait. nam sicuti cõcessum est (inquit) militibus circa in-
stitutionem separare species bonorum: ita & si per fideicõmissum ab institutis hæredibus
id fecerit, in id admittetur Trebellianum senatus consultum. Cum quidam duos hære-
des instituerit, eosq; inuicẽ substituerit, & ab his petierit (siue uterq;, siue alter hæres esset)
ut hæreditas sua ex parte dimidia restitueretur alicui post quinquennium: & si scripti suspe-
ctam sibi hæreditatem dicant, fideicommissarius autem desideret suo periculo adire hære-
ditatem: censuit senatus, ambos hæredes alterúmue cogi adire hæreditatem, & fideicõmis-
sario eam restituere: ita, ut fideicommissario, & aduersus eum actiones competant, quasi ex
Trebelliano restituta hæreditate. Mætianus scribit. cum quis ex fideicommissarijs absit,
& præsentes desiderent suo periculo adiri hæreditatem, translatisq; in solidum actionibus

in eum, qui coëgit, absentes (si uelint fideicōmissum suscipere) à præsente petant: consequenter nec quartam eum retenturum aduersus fideicommissarios suos: quia nec hæres potuerit. Idem Mæcianus quærit, an is, qui duobus uel pluribus rogatus est restituere hæreditatem, cogente aliquo, adire possit: & in horum, qui id nō desiderauerint, portionibus Falcidiæ beneficio uti: siue ipsi quoque desiderent sibi restitui, siue alij in locum eorum successerint: & cum hodie hoc iure utamur, ut totum transeat ad eum, qui coegit: cōsequens erit dicere, quartæ retentionem amisisse eum, qui coactus est: quia in solidū actiones transierint in eum, qui coëgit. planè si proponas fideicommissarium non ita coëgisse, ut tota hæreditas in se transferatur, cum cœperint cæteri desiderare sibi restitui hæreditatem, dicēdum, Falcidia eum uti posse. rectè igitur Mæcianus ait, multum interesse, utrum totam restitui hæreditatem sibi fideicommissarius desiderarit, an suam tantummodo partem. nam si sola pars transferetur: erit in residuo Falcidiæ locus. si tota hæreditas trāslata sit: cessabit huius legis beneficium. Si seruo duorum rogatus quis sit restituere hæreditatem, & alter cogere uelit suspectam dicentem, alter restitui sibi recuset: hoc erit dicendum, quod in duobus, quorum alter suscipere uoluit hæreditatem, alter non. Si pater filio, quem in potestate habet, restituere rogetur hæreditatem: an filius patrem suum, si suspectam dicat hæreditatem, cogere possit? & non est dubium, patrem à filio per prætorem cogi posse. Sed & si id fideicommissum ad castrense peculium spectaturum est, & filiusfamiliâs is fuit, qui munus militiæ sustinebat, alióue quo officio præerat: multo magis dicendum erit, posse eum postulare, ut pater suus cogatur adire & restituere hæreditatem: quamuis contra obsequium patri debitum uideatur id desideraturus. Sed si seruo suo rogatus sit cū libertate quis hæreditatem restituere: siue directa data sit libertas, siue fideicommissaria: dici poterit, eum à seruo suo non posse cogi adire hæreditatem: quamuis si sponte adisset, cogeretur præstare fideicommissariam libertatem & hæreditatem. idque Mæcianus libro septimo de fideicommissis scribit. Idē quærit: si quis paratus sit domino cauere de indemnitate: an possit cogi adire hæreditatem, & maximè, si precium serui offeratur? & rectè ait, non oportere sub incerto cautioni committere se aditioni hæreditatis. Hi, qui solidum capere nō possunt, ex asse hæredes institui, & rogati solidum restituere, adire hæreditatem, & restituere cogentur: cū nihil sit honoris apud eos remansurum. Si ego hæres institutus rogatus sim Stichum manumittere: uel alius legatarius, fidei autem meæ commissum sit, ut Titio hæreditatem restituam: deinde Titij fideicommissum sit, ut Sticho eandem redderet: Stichus cogere me potest adire, & restituere hæreditatem. Talis quoque casus à diuo Pio terminatus est, cum seruo uni ex hæredibus legato per fideicommissum esset ab eo libertas data, & ab altero hæreditas. diuus etenim Pius rescripsit Cassio Extero in hæc uerba. Quoniam Hermias Simiasco Theodoto ex parte hæredi instituto à Pamphilo testatore legatus est, cumque Theodotus, postquam adierat hæreditatem, & prius quàm à cohærede eiusdē Pamphili adiretur hæreditas, ad iustam libertatem perduxit: & ob hoc in eū casum res perducta est, ut is, qui legauit, intestatus esse non possit: Hermia postulante Titius Euarestus compellendus est periculo eius adire, & ex caussa fideicommissi hæreditatem ei restituere.

XVII. IDEM.

EX FACTO tractatum est, an per fideicommissum rogari quis possit, ut aliquem hæredem faciat. & senatus censuit, rogari quidem quem, ut aliquem hæredem faciat, non posse: uerum uideri per hoc rogasse, ut hæreditatem suam ei restituat, id est, quicquid ex hæreditate sua consecutus esset, ut ei restitueret. Iulianus quoque libro quadragesimo Digestorū fideicommissum tale ualere ait, FIDEI TVAE COMMITTO, VT HAEREDITATEM TITII RESTITVAS: cum esset is, qui rogatus erat, à Titio hæres institutus. Non tantum autem si hæredem quem scripsero, potero rogare, ut hæredem faciat aliquem: uerumetiam si legatum illi, uel quid aliud reliquero. nam hactenus erit obligatus, quatenus quid ad eum peruenit. Si quis cauerit, PETO, VT ILLI DES, aut ILLI FIDEICOMMISSVM RELINQVAS, aut ILLI LIBERTATEM ADSCRIBAS, admittenda sunt. nam cum in hæredū institutione

senatus

A senatus utile censuit: de cæteris quoque idem erit accipiendum. Si quis rogatus fuerit, ut si sine liberis decesserit, restituat hæreditatem: Papinianus libro octauo Responsorum scribit. etiam naturalem filium efficere, ut deficiat conditio. & in libertino, eoque conliberto hoc scribit. Mihi autem (quod ad naturales liberos attinet) uoluntatis quæstio uidetur esse, de quibus liberis testator senserit. sed hoc ex dignitate, & ex uoluntate, & ex conditione eius, qui fideicommisit, accipiendum erit. Ex facto tractatum memini. rogauerat quædam mulier filium suum, ut si sine liberis decessisset, restitueret hæreditatem fratri suo. is postea deportatus in insulam, liberos susceperat. quærebatur igitur, an fideicommissi conditio defecisset? nos igitur hoc dicimus. conceptos quidem ante deportationem, licet postea edantur, B efficere, ut cōditio deficiat: post deportationem uero susceptos quasi ab alio non prodesse: maximè cum etiam bona sua quodammodo cum sua caussa fisco sint uindicanda. Si quis rogatus fuerit filijs suis, uel cui ex his uoluerit, restituere hæreditatem: Papinianus libro octauo Responsorum, etiam deportato ei tribuit eligendi facultatem, cui liber factus fideicommissum restitui uelit. sed si seruus pœnæ fuerit cōstitutus, nullo ante concepto filio: iam parere conditioni non poterit, decessisseque sine liberis uidetur. sed cum decedit: electionem illam, quam Papinianus deportato dedit, huic dari non oportet. Si quis autem susceperit quidem filium, uerū uiuus amiserit: uidebitur sine liberis decessisse. sed si naufragio, uel ruina, uel aggressu, uel quo alio modo simul cum patre perierit: an conditio defecerit: uideamus. & magis non defecisse arbitror: quia non est uerum filium eius superuixisse. aut igitur C filius superuixit patri, & extinxit conditionem fideicommissi: aut non superuixit, & extitit conditio. cum autem quis ante, & quis postea decesserit, non apparet: extitisse conditionem fideicommissi, magis dicendū est. Si quis ita fideicōmissum reliquerit, FIDEI TVAE FILI COMMITTO, VT SI ALIENO HAEREDE MORIARIS, RESTITVAS SEIO HAEREDITATEM: uideri eum de liberis sensisse, diuus Pius rescripsit. & ideo cum quidam sine liberis decederet, auunculum ab intestato bonorū possessorē habens: extitisse conditionem fideicommissi rescripsit.

XVIII. IDEM.

IN fideicommissariam hæreditatis restitutionem constat fructus nōn uenire: nisi mora facta sit, aut quis specialiter fuerit rogatus & fructus restituere. Planè fructus in quartā imputantur, ut est rescriptum. Quoties quis rogatur hęreditatem restituere: id uidetur rogatus reddere, quod fuit hæreditatis. fructus autem non hæreditati, sed ipsis rebus accepto feruntur. D Si legatum sit hæredi relictum, & rogatus sit portionem hæreditatis restituere: id solum non debere eum restituere, quod à cohærede accepit. cæterum quod à semetipso ei relictum est, in fideicommissum cadere, diuus Marcus decreuit.

XIX. PAVLVS.

VBI purè fideicommissum dātum est, si adiectū sit, ROGO DES FILIO TVO, FACIAS QVE, VT AD EVM PERVENIAT: rescriptum est, uideri in id tempus dāri, quo capere possit, id est sui iuris fiat. TE ROGO LVCI TITI, HAEREDITATEM MEAM CVM ATTIO PARTIARIS. ex senatusconsulto Trebelliano in eum, cui restituta est hæreditas, actionem competere, Aristo ait: quia pro hoc accipiendū sit, ROGO HAEREDITATEM ILLAM RESTITVAS. nec uerba spectantur senatusconsulti, sed sententia quibuscunque uerbis: dum testator senserit, ut hæreditas sua restituatur. E Qui in distrahēdis cōseruandisue rebus hæreditarijs sumptus factus est, imputari hæredi debet.

XX. VLPIANVS.

SED & si ad tempus liberorum fuerit legatum relictum, & is uxore prægnante decesserit: ad hæredem suum transferet legatum.

XXI. POMPONIVS.

HAERES, cum deberat quartam retinere, totam hæreditatem restituit, nec cauit stipulatione sibi proposita. similem eum esse Aristo ait illis, qui retentiones, quas solas habent, omittunt. sed posse eum rerum hæreditariarum possessionem uel repetere uel nancisci. & aduersus agentem doli mali exceptione uti: posse eum & debitoribus denūciare, ne soluerent.

XXII. VLPIANVS.

Mulier, quæ duobus filijs in potestate patris relictis, alij nupserat: posteriorem maritum hæredem instituit, cumque rogauit liberis suis post mortem patris eorum hæreditatem suam restituere, uel ei, qui eorum superesset. eisdem emancipatis à patre suo, uitricus restituisse hæreditatem dicebatur: mox alter ex filijs uiuo patre decessisse. quærebatur, an is, qui supererat ex filijs, partem fratri suo restitutam petere possit, quasi præmaturè dãtam? Scæuola diuum Marcum in auditorio de huiusmodi specie iudicasse refert. Brasidas quidã Lacedæmonius uir prætorius, cum filijs suis ab uxore diuortio separata, si morte patris sui iuris fuissent effecti, fideicommissum relictum esset: eos emancipauerat. post emãcipationem fideicommissum petebant. decreuisse igitur diuum Marcum refert, fideicommissum eis repræsentandum, intellecta mãtris uoluntate: quæ quia non crediderat patrem eos emancipaturũ, distulerat in mortem eius fideicommissum: non dilatura id in mortalitatem, si eum emancipaturum sperasset. secundum hęc dicebam, & rectè fideicommissum utrisque solutũ. Non est dubitatum, cogi posse hęredem institutum adire & restituere hęreditatem seruis: siue directa, siue fideicommissaria libertas eis dãta fuisset: cum adspernari hæres nõ deberet personam cogentis. habet enim hic quoque aditum: ut (qui licet nondum petere fideicommissariam possit, nec directam sibi uindicare) propter spem tamen libertatis & hæreditatis aditum ad prętorem & per se habeat. Si hæres post multũ temporis restituat, cum præsenti die fideicommissum sit: deducta quarta restituet. fructus enim, qui percepti sunt, negligentia petentis, non iudicio defuncti percepti uidentur. alia caussa est, si sub conditione, uel in diem rogatus fuerit. tunc enim, quod percipitur, submouet Falcidiam: si tantum fuerit, quãtum quarta facit, & quartæ fructus. nam fructus, qui medio tempore percepti sunt, ex iudicio testantis percepti uidentur. Sed enim si quis rogetur restituere hæreditatem, & uel serui decesserint, uel aliæ res perierint: placet non cogi eum reddere, quod non habet. culpæ planè reddere rationem: sed eius, quæ dolo proxima est. & ita Neratius libro primo Responsorũ scribit. Sed si, cum distrahere deberet, non fecit lata culpa, non leui, & rebus suis consueta negligentia: huiusmodi rei rationem reddet. sed & si ædes ustæ sunt, culpæ eius reddet rationem. præterea & si qui partus exstent, & partuum partus: quia in fructibus hi non habentur. sed & ipse, si quem sumptum fecit in res hæreditarias, detrahet. quod si sine facto eius, prolixitate autem temporis ædes usu adquisitæ sint: æquissimũ erit, nihil eum præstare, cum culpa careat. Cum proponeretur quidam filiam suam hæredẽ instituisse, & rogasse eam, ut si sine liberis decessisset, hæreditatem Titio restitueret: eaque dõtem marito dẽdisse certæ quantitatis, mox decedens sine liberis, hæredem instituisse maritum suum: & quęreretur, an dos detrahi posset? dixi, non posse dici in euersionem fideicommissi factum: quod & mulieris pudicitiæ, & patris uoto congruebat. Quarè dicendum est, dõtem decedere, ac si quod superfuisset, rogata esset restituere. quod si tantos fructus ex hæreditate mulier perceperit, ut inde poterit dõti sãtisfieri: dicendũ est, potius fructibus hoc expensum fiendum, quàm fideicommisso. Vt Trebelliano locus sit, non sufficit de hæreditate rogatum esse: sed quasi hęredẽ rogari oportet. Denique si qua portio hæreditatis fuerit legata (legari enim posse etiam portionem hæreditatis placet nobis) rogatusque fuerit hanc partem restituere: proculdubio non fiet restitutio ex senatusconsulto. ideoque nec quarta retinebitur.

XXIII. IVLIANVS.

Quoties paterfamiliãs unum uel duos hæredes cohæredibus suis restituere hæreditatem iubet: intelligitur easdem partes in fideicommisso facere, quas in hęreditate distribuenda fecit. sed si iubeantur hi, quibus fideicommissum dãtur, pecuniam numerare, atque ita fideicommissum recipere: ex quantitate pecuniæ, quam dãre iubentur, uoluntas patrisfamiliãs colligenda est. nam etsi ex dispatibus partibus hęredes scripti æquas partes dãre iubentur: propius est, ut uiriles recipere debeant. si uero summa pecuniæ dandæ cõgruit portionibus hæreditarias portiones accipere debebunt.

XXIIII. PAPINIANVS.

Nonnun-

A Nonunquam aūt ex uoluntate uariè scriptum & iudicatū est: uidelicet si non sub appel-
latione hæredum, sed proprijs nominibus expressis fideicommissum relinquatur.

XXV. IULIANUS.

Quidam ita testamento scripserat, A TE HAERES PETO, FIDEIQUE TUAE COM-
MITTO, UT QUIDQUID EX HAEREDITATE MEA AD TE PERVENERIT, FILIO MEO
PRIMA QUAQUE DIE, VEL SI PRIUS QUID EA ACCIDERIT, MATRI EIUSDEM RED-
DAS. quæritur, si antè, quàm adeatur hæreditas, puer decesserit: an fideicommissum matri
debeatur? Respondi, si puer antè, quàm dies fideicommissi cedat, decesserit: fideicommis-
sum translatum esse ad matrem. postea autem, quàm dies fideicommissi cessit, si decesserit:
B ad hæredem pueri fideicommissum pertinere. Sed an ea uoluntas fuerit patrisfamiliâs, ut
si ante restitutum fideicommissum puer decessisset, matri potius, quàm hæredibus præsta-
retur: prætor æstimabit ex persona matris, & ex persona hæredis pueri. MARCELLUS. sed
testatoris uoluntati congruum est (quandocunque puer decesserit: siue antè, quàm dies fidei-
commissi cēdat, siue postea) ad matrem transferri fideicommissum: si non iam puer hoc ac-
cepit. eoque iure utimur. Si seruo hærede scripto dominus rogatus est eidem seruo restitue-
re hæreditatem, cum liber esset: utile fideicommissum est. Si quis filium suum ex asse hæ-
hæredem instituit, & codicillis, quos post mortem filij aperire iussit, fidei eius commisit, ut
si sine liberis decessisset, hæreditatem suam sorori suæ restitueret: & filius, cum sciret, quod
in codicillis scriptum esset, Stichum seruum hæreditarium testamento suo liberūm esse ius-
C sit: hæredes filij precium omne eius serui sorori defuncti præstare debent, libertate fauore
serui seruata. hoc amplius & si ignorasset filius codicillos à patre factos: nihilominus hære-
des eius precium præstare debebunt, ne factum eius alteri damnum adferat. Sed & si ser-
uus iste à Sempronio hæres institutus sit, eamque hæreditatem postea, quàm ex testamen-
to fratris ad libertatem peruenit, adierit: hæreditatis quoque æstimationem hæredes fratris
sorori eius præstare debent: quia si manumissus nō esset, iussu mulieris adire eam potuisset.
si uero uiuente filio Sempronius decesserit: hæreditas in caussa fideicommissi non deduce-
tur: quippe ab ipso filio adire iussus hæreditatem, ei adquireret.

XXVI. PAULUS.

Omnibus ciuitatibus, quæ sub imperio populi Romani sunt, restitui debere & posse
D hæreditatem fideicommissam, Apronianum senatusconsultum iubet. sed & actiones in eas
placuit ex Trebelliano transferri. sed & municipes ad eas admittuntur.

XXVII. IULIANUS.

Ita tamen, ut hi, quibus hæreditas restituetur, actorem eligant & ad agendum, & ad ex-
cipiendas actiones. Si seruum hæreditarium hæres, qui coactus adijt, iusserit adire hære-
ditatem ab alio eidem seruo relictam, & tunc hæreditatem, quam suspectam sibi esse dixe-
rat, restituerit: an etiam eam hæreditatem, quæ per seruum adquisita sit, restituere debeat,
quæsitum est? dixi, non magis hanc hæreditatem in restitutionem uenire, quàm quod ser-
uus hæreditarius post aditam hæreditatem stipulatus fuisset, & per traditionem accepisset,
aut fructus, qui ex rebus hæreditarijs percepti fuissent: utique si nulla mora fideicommisso fa-
E cta fuisset. sed si quid ante aditam hæreditatē seruus stipulatus fuisset, aut per traditionem
accepisset: id restitui debebit, sicut fructus ante aditam hęreditatem in restitutione ueniunt.
Qui suspectam sibi hæreditatem dicit, nullum commodum ex testamento consequetur,
quod habiturus non esset, si hæres institutus non fuisset, aut non adisset. & ideo si pupillo
substitutus fuerit ita, QUISQUIS MIHI HAERES ERIT, IDEM FILIO MEO
HAERES ESTO: hæreditatē, quæ ad eum peruenerit, restituere cogendus erit. si uero detra-
cto hoc articulo, QUISQUIS MIHI HAERES ERIT, substitutus ita fuerit, TITIUS FILIO
MEO HAERES ESTO: tum si solus patri hæres exstiterit, nihilominus cogendus erit hæ-
reditatem pupilli restituere. si uero cohæredem habuerit: retinebit pupilli hæreditatem:
quia potuit cohærede adeunte (quamuis ipse patris amisisset hæreditatem) ex substitutio-
ne adire. Si pater filium, quem in potestate habebat, hæredem scripserit, & ab eo
petierit,

petierit, ut hæreditatē Sempronio restitueret, isq; suspectam sibi esse dicet: poterit ex Trebelliano senatusconsulto hæreditas restitui. quarè & si non immiscuerit se hæreditati: nihilominus actiones, quæ ei & in eum competebant, ad Sempronium transferentur. A patre hæres scriptus, & exhæredato filio substitutus, si rogatus fuerit hæreditatē, quæ ad eum ex substitutione peruenerit, Titio restituere: cogendus non est uiuo pupillo patris hæreditatem adire: primum, quia sub conditione fideicōmissum dătum est: deinde, quia non probè de hæreditate uiuentis pueri aget. mortuo autem pupillo, compelli debet hęreditatē patris adire. Quod si duo hæredes à patre instituti fuerint, & utriusq; fideicommissum sit, ut exhæredati filij hæreditatem restituerent: sătis erit uel unum cogi adire. hoc enim facto etiam is, qui patris hæreditatem non adijt, filij hæreditatem adire & restituere cogetur. G

Quoties filius emancipatus bonorum possessionem contra tabulas accipit: nulla ratio est compellendi hęredis ad restituendam hæreditatem. & sicut neq; legata, neq; fideicommissa cætera præstare cogitur: ita nec ad restitutionem quidem hæreditatis compelli debet. MARCELLVS. planè non est compellendus adire, si iam filius bonorum possessionem accepit: ne intercidat fideicommissum, mortuo hærede instituto, & omissa à filio bonorum possessione. Qui ex Trebelliano senatusconsulto hæreditatem restituit: siue petat à debitoribus hæreditarijs, siue ab eo petatur: exceptione restitutæ hæreditatis adiuuari, uel submoueri potest. actiones autem fideicommissario competunt, quas hæres habuit eo tempore, quo fideicommissum restituebat. MARCELLVS. sed eas quoq; actiones, quæ sub conditione erant, & quarum dies eo tempore non cesserat, fideicommissario competere placet. H sed antè, quàm restituatur hæreditas, exceptione aliqua hæres adiuuandus non est: cū hoc minus ex caussa fideicommissi restituturus sit. Trebellianum senatusconsultum locum habet, quoties quis suam hæreditatem uel totam, uel pro parte, fidei hæredis commisit. quarè si Mæuius te hæredem instituerit, & rogauerit, ut hæreditatem Titij restituas, tuq; hæreditatem Mæuij adieris: perinde à te fideicommissum petetur, ac si fundum, qui tibi à Titio legatus esset, restituere rogatus fuisses. ideoq; si suspectam Mæuij hæreditatem dixeris: cogi te non oportet eam adire. quod si Mæuius te rogauerit & suam hæreditatem & Titianam restituere, tuq; sponte adieris hæreditatem: uteris legis Falcidiæ commodo, & partem quartam Mæuianæ hæreditatis retinebis, dimidiam & quartam ex fideicommisso restitues. nec intererit eidem utranq; hæreditatem, an alij Mæuianam, alij Titianam rogatus fueris restituere. sed si suspectam Mæuianam hæreditatem dixeris: cogeris eam adire, & restituere ei, cui rogatus fueris. is autem, cui Titianam hæreditatem restituere rogatus fueris, non poterit te compellere ad adeūdum. I Si ex Trebelliano Hæreditatem restituit hæres, & fructus cum prædio retinet, uel ipsa prædia, siue etiam debitor eius, qui testamentum fecit, fuerit: necessarium est actiones aduersus eum fideicommissario dări. MARCELLVS. hoc idem necessariò faciendum est, cum parte hæreditatis restituta, familiæ erciscūdæ iudicium inter eum, qui restituit hæreditatem, & qui recepit, accipietur. Qui rogatus est emancipato filio restituere hæreditatem: cogi debet adire & restituere, quamuis filius contra tabulas bonorum possessionem accipere possit. Si patronus ex parte debita hæres institutus, & rogatus restituere hæreditatem, suspectam sibi esse dicat: puto rectius facturum prętorem, K si coëgerit eum adire hæreditatem & restituere, quamuis possit mutata uoluntate eam partem hæreditatis retinere. Si perceptis quibusdam rebus hæres rogatus sit restituere hæreditatem, & coactus eam adierit: an percipere debeat? Respondi. eum, qui iussu prætoris adijsset hęreditatē, omni cōmodo prohiberi debere. Sed si eidē legatū sit sub hac conditione, si hæres non esset, & suspectā sibi hęreditatē dicat: nō aliter cogendus est adire, quàm ut legata, quæ sub conditione, si hæres non esset, dăta erant, restituantur: non quidem à cohæredibus. ne onerentur: sed ab eo, cui restituta fuerit hæreditas. nam sicut explendæ fidei gratia cogendus est adire hæreditatem, ita ob id ipsum damno affici non debet. Hæres ex asse erat instituta consobrina mea, & eius fideicommissum, ut partem dimidiam hæreditatis statim Publio Mæuio restitueret: alteram partem, cum ipsa moreretur, eidem Publio Mæuio.

A Mæuio. præterea alia aliis legata dãta. Mæuius dimidiam partem hæreditatis ſtatim per-
cepit,& cauit,quod amplius,quàm per legem Falcidiam liceret,cẽpiſſet,redditum iri.ſed &
cæteri legata ſolida acceperunt,& ſimiliter de reſtituendo,quod amplius percepiſſent, caue
runt.mortua conſobrina mea, Publius Mæuius deſiderat ſibi alteram partem hæreditatis
cum fructibus reſtitui.Quęro itaq;,quantum ei reſtituere debeam,utrum quod ſupra qua-
drantem bonorum penes conſobrinam meam remanſerat, nec amplius quidquam : an &
ab aliis,quibus legata ſoluta ſunt,repetere quid debeam,& quantum? item quæro,ſi quod
ab his ex ſtipulatione percepero,& quod apud conſobrinam meam ſupra quadrantem re-
manſerat,non efficiet partem dimidiã hæreditatis:an ex incremento & fructibus eius ſum-
B mæ,quę ſupra quadrantem bonorum penes conſobrinam meam remanſit,ſupplere ei de-
beam duntaxat,ne partem dimidiam hæreditatis quantitas,quæ reſtitueretur,excedat:an
uero (ſicut Publius Męuius deſiderat)quidquid ſepoſito quadrante bonorum,eiusq; qua-
drantis fructibus,perceptum eſt,reſtitui ei debeat? Reſpondi.quod ſupra quadrantem pe-
nes conſobrinam tuam remanſit,ſi adiectis fructibus quantitatem partis dimidiæ hæredi-
tatis,quæ mortis tempore fuit,non minuet:totum Publio Mæuio reſtituendum: nec ex ſti
pulatione ab his,quibus legata ſoluta ſunt,repeti quidquam poteſt.ſi uero fructus quanti-
tatem partis dimidiæ exſuperant:quadranti tuo & fructibus eius accedet. ſi uero fructus e-
ius partis, quæ ſupra quadrantem apud conſobrinam tuam remanſerant, non implerent
quantitatem partis dimidiæ bonorum : ex ſtipulatione agi poterit. In ſumma ratio ita po-
C nenda eſt,ut ſi omni modo quadrantem excedat fructus,& in tantum excreuerit, ut quan-
titatem partis dimidiæ bonorum excedat:etiam id, quod exceſſerit, retineas. Qui ſeruos
ſuos rogatus eſt manumittere,& iiſdem hæreditatem reſtituere:detracto precio ſeruorum,
hæreditatem reſtituere debebit.

XXVIII. AFRICANUS.

Ex asse hæres inſtitutus, partem hæreditatis mihi purè, partem tibi ſub conditione
reſtituere rogatus, cum ſuſpectã diceret, poſtulante me adiit, & mihi totam ex ſenatuſcon-
ſulto reſtituit.quandocunq; cõditio exſtiterit, an fructus partis tuæ reſtituere tibi debeam,
non immeritò dubitatur. & pleriſq; placet, non eſſe eos præſtandos: quia nec ab hærede
præſtarentur, ſi ſua ſponte adiſſet. ſufficere autem ius tuum tibi intĕgrum conſeruari, non
etiam meliorem conditionem tuam fieri. Idem tamen exiſtimabam,ſi ex aſſe hæres inſtitu
D tus mihi quadrantem purè,tibi æquè quadrantem ſub conditione reſtituere rogatus ſit, &
cum ſuſpectam hæreditatem diceret,cogente me adierit: quandocunq; conditio exſtiterit,
ſemiſſem tibi eſſe reſtituendum. ſed nec lege Falcidia in propoſita ſpecie uſurum me puto:
quamuis ſcriptus hæres,ſi ſponte adiſſet,uteretur.

XXIX. MARTIANUS.

Si quis priore facto teſtamento,poſterius fecerit teſtamentum:etiam ſi ex certis rebus
in poſteriores tabulas hæredes inſtituit:ſuperius tamen teſtamentum ſublatum eſt,ut diui
quoq; Seuerus & Antoninus reſcripſerunt.cuius conſtitutionis uerba retuli,cum alia quo-
que præterea in conſtitutione expreſſa ſint. IMPERATORES SEVERUS ET ANTONINUS
COCCEIO CAMPANO. Teſtamentum ſecundo loco factum, licet in eo certarũ rerum hæ-
res ſcriptus ſit,perinde iure ualere,ac ſi rerum mentio facta non eſſet:ſed & teneri hæredem
E ſcriptum,ut cõtentus ſibi rebus dãtis,aut ſuppleta quarta ex lege Falcidia, hæreditatem re-
ſtituat his,qui priore teſtamento ſcripti fuerant, propter inſerta fideicommiſſi uerba, qui-
bus ut ualeret prius teſtamentum expreſſum eſt:dubitari non oportet. & hoc ita intelligen
dum eſt,ſi non aliquid ſpecialiter contrarium in ſecundo teſtamento fuerit ſcriptum.

XXX. IDEM.

Si legatus ſuſpectam hæreditatem dicat, etiam legationis tempore compellendus
eſt accipere iudicium:quia hic non multum officio occupatur.& licet deliberare ſe dicat,an
adeat cogendus eſt adire:ſed non ut ſtatim reſtituat,ſed ut reuerſus domũ (ſi putauerit ſibi
expedire) commodo Falcidiæ uel teſtamenti utatur: uel ſi non putauerit, reſtituat totam
hæreditatem, ne onera patiatur. Si quis bona ſua, uel omnia ſua rogauerit reſtituere:
fideicom-

fideicommissariam restitutionem esse intelligendum est. nam meorum & tuorum appella- F
tione etiam actiones contineri, dicendum est. Si filiofamiliâs uel seruo restituatur hære-
ditas,& postea pater uel dominus ratum habuerit:transeunt ex Trebelliano senatusconsul
to actiones. Multum interest,utrum pars quarta iure hæreditario retineatur, an uero in
re,uel in pecunia.nam superiore casu actiones diuiduntur inter hæredem & fideicommissa
rium, posteriore uero apud fideicommissarium sunt actiones. Et hæredem institutum,
rogatumq́ hæreditatem restituere, percepta aliqua summa,uel re: etiam si in perceptione
minus,quàm quarta pars esset:non amplius principem se uindicaturum. pariter & si sine ul
la perceptione rogatus fuerit hæreditatem restituere,plerunq́ quarta donata est à principe.
& ita diuus Traianus & Hadrianus,& Antoninus rescripserunt. G

XXXI. IDEM.

SI CVI purè libertas,& per fideicõmissum sub conditione hæreditas relicta est: cogitur hæres adire hæreditatem,si suspectam dicat,& restituere:& deficiente conditione libertas ei eripi non potest. Si autem ei, qui in diem libertatem acceperit, hæreditas per fideicommissum relicta erit:suspectam eam interim non posse adiri, diuus Pius Cassio Hadriano rescripsit: cum non possit nondum libero hæreditas restitui,nec rursus contra uoluntatem defuncti libertas præstanda sit. Si sub conditione hæres institutus, rogatusq́ hæreditatem restituere,non uult conditioni parere,& adire hæreditatem: si facti est: conditioni debet parere,& adire,& restituere.uel si in dando sit:offerente fideicommissario,recusante autem hærede factum adimplere, licentia dabitur fideicommissario secundum imitationem dictionis factum implere:& tunc necessitas imponitur hæredi hæreditatẽ adire.cæteræ con- H
ditiones,quæ non sunt in potestate hæredis,ad officium prætoris non pertinent.

XXXII. CELSVS.

BALLISTA filiamfamiliâs hæredem instituit ita. TREBELLIANVS SI CAVERIT COLONIAE PHILIPPENSIVM, SI SINE LIBERIS MORIETVR, QVANTACVNQVE PECVNIA EX HAEREDITATE DE BONIS MEIS AD EVM PERVENIT, EAM PECVNIAM OMNEM AD COLONIAM PHILIPPENSIVM PERVENTVRAM. Respondi. ex his uerbis, quæ proponis, pecuniam (existimo etiam fructus, quos ex hæreditate percepit) restituere eum debere perinde,quasi specialiter hoc testator expressisset.

XXXIII. MARTIANVS.

SCRIBIT Celsus libro uicesimo Digestorum:si is, qui quadringenta in bonis habebat, I
petijt ab hærede suo, ut si sine liberis moretur, quanta pecunia ex hæreditate sua ad eum peruenisset, Mæuio restitueretur: si ex fructibus medio tempore quadringenta perceperit,& sine liberis decesserit:hæredem eius Mæuio quadringenta debiturũ. & cum diu multumq́ tractauerit, an eum augmentum hæres senserit, periculum sustineat, an per contrarium:nouissimè ait, iniquum esse ad fideicommissarium damnum pertinere, ad quem augmentum non pertineat. & an ad supplendum (inquit) quodcunq́ ex quadringentis defuerit, etiam augmentũ ad eum pertinebit:hoc est, ut usq́ ad summam quadringentorum damna & fructus computentur:quod uerius esse arbitror.

XXXIIII. IDEM.

SI EIVS,qui nouissimus ex filijs mortuus esset,partem hæreditatis propinquo uoluit pa K
ter restituere:si simul fratres diem suum obissent:propinquum(si non ostẽderit,quis nouissimus obijsset) ad partem hæreditatis non admitti,sed matrem ex Tertylliano senatusconsulto ad utriusque hæreditatem admitti constat.

XXXV. IDEM.

CVM hæres instituta furiosa esset hæreditatem rogata restituere:curatorem eius,secundum tabulas bonorum possessione accepta,posse transferre actiones,diuus Pius decreuit.

XXXVI. PAVLVS.

CVM hæreditas ex fideicommissi caussa restituta est, si ante eum hærede cõpromissum sit:puto fideicommissarium cauere debere hæredi,sicut cum hæres multa antè. quàm restitueret,

A fuerit,administrauit.nam quod dicitur,retinere eum oportere,non est perpetuum. quid enim si nihil est,quod retineat:ueluti cum omnia in nominibus sunt,aut in corporibus, quæ non possidebat nempe enim is,cui restituta est,omnia persequitur:& tamen hæres iudicijs, quibus conuêtus est,aut stipulationibus,quibus necesse habuit promittere, obstrictus manebit. Ergo non aliàs cogetur restituere,quàm ei caueatur.

XXXVII. VLPIANVS.

RESTITVTA hæreditas uidetur,aut re ipsa,si fortè passus est hæres possideri res hæreditarias,uel totas uel aliquas earum hac mente,ut uellet restituere,& ille suscipere: non si ex alia caussa putauit te possidere. sed & si postea ratam habuit, idem erit dicendum. sed & si B uerbo dixit se restituere,uel per epistolam,uel per nuntium restituat,audietur. sed & si uoluntate tua alij restituerit,in te transibunt actiones. item si alius iussu meo restituet, uel ratam habuerit restitutionem,transisse actiones uidentur. Pupillus autem ipse debet restituere,tutore autore,non tutor sine pupillo,nisi infans est:quia nec mandare actiones tutor pupilli sui potest. nec se quidem autore pupillum restituere sibi potuisse hæreditatem,diuus Seuerus in personam Arrij Honorati pupilli decreuit,qui prior Antonino patruo & tutori suo restituerat. Sed & si pupillo sit restituenda, non posse pupillo sine tutoris autoritate restitui constat.

XXXVIII. PAVLVS.

NON enim tantum solutio est hæreditatis restitutio,sed & successio,cum obligentur.

XXXIX. VLPIANVS.

C SED nec ipsi tutori indistinctè restitui potest.

XL. PAVLVS.

QVAMVIS senatus de his actionibus transferendis loquatur,quæ iure ciuili hæredi & in hæredem competunt:tamen honorariæ actiones trãseunt. nulla enim separatio est: imò etiam caussa naturalium obligationum transit. persona autem hæredis instituti Trebelliano cõtinetur. uerum hoc iure utimur,ut & successor hæredis rectè ex Trebelliano restituat: ueluti hæres,bonorúmue possessor,uel pater dominúsue,quibus adquisita est hæreditas. omnes enim,quod iuris habent,ex Trebelliano senatusconsulto restituere debent nec interest,is,qui institutus est,an pater dominus ue rogatus sit restituere. Nihil interest, cui nostro nomine restituatur: paterfamiliàs sit,an is,qui in aliena potestate est.

D XLI. CAIVS.

MVLIER,an masculus. & ideo seruo quoque uoluntate nostra, uel si postea ratum habuerimus,restitui potest.

XLII. PAVLVS.

QVIA perinde est,atq; si mihi restituta esset hæreditas. Restituta hæreditate iura sepulchrorum apud hæredem remanent.

XLIII. VLPIANVS.

PAPINIANVS tractat:si quis hæres institutus ex semisse rogatus sit restituere hæreditatem,& eam suspectam dicens compulsus adierit,deinde fideicõmissarius ignarus sit adcreuisse portionem hæreditatis post restitutionem scripto hæredi:an opus sit ei alia actione? & ait,securum eum esse posse. de illo planè solo quærendum ait, an opus sit ei noua restitu-
E tione postea,quàm portio adcreuit.

XLIIII. MARCELLVS.

POSTVLANTE Sticho,qui eodem testamento libertatem & fideicommissam hæreditatem acceperat,hæres suspectam adijt. mox Stichus,antequàm moram in recipienda hæreditate faceret,decessit,relicto hærede Titio. quæro,an in Titium,si nolit recipere fideicommissam hæreditatem,actiones ex senatusconsulto competant? respondi. quoniam ferè is, qui compulsus est adire hæreditatem,confestim ei restituet: de manumisso duntaxat senatusconsultum comprehensum est,nec hæredis est facta mentio. potest tamen euenire ut restitutionem distulerit hæres: ueluti si pecuniam ei debuerit defunctus, quam retinere maluit,quàm petere. Cæterum existimo idem in hærede eius constituendum, quod in illo constitutum est. cur enim recusaret,quam recusare non potuit is, cuius hæreditatem suscepit?

Quod si fortè ante hæreditatis restitutionem sine hærede decesserit libertus: perinde bona F
eius creditoribus hæreditarijs uendere permittendũ est, ac si restituta hæreditate decesserit.
Et in huiusmodi quæstione rogo respondeas, an rectè senserim. rogata est filia ex asse hæ-
res restituere hæreditatis partem dimidiam deductis legatis minimis, & ære alieno non
magno, ut legi Falcidiæ locus non sit. mora facta est restitutioni fideicommissi. desidero uer
botenus mihi restitui hæreditatem, ut ex Trebelliano senatus consulto agenti, & ex eo com
petẽtibus actionibus, etiam usuras debitas ex mortis tempore in tempus restitutionis per-
sequar. Item quæro & de pensionibus: quia locationum obligatio in hæreditate fuit. ab hæ-
rede nullos fructus peto. sed illa desiderat refundere me, aut concedere ei actiones usura-
rum & pensionũ. non possum persuadere hæreditatis appellatione, quam rogata erat mihi G
restituere, etiam hanc stipulationẽ usurarũ & pensionũ ad me pertinere. respõdi. omnia hęc
hæreditatis appellatione continentur. quantũ enim ad hoc refert: inter hæc cæteraq́, quæ
sub conditione sunt promissa, aut in annos singulos, uel menses, nihil interest. sanè pro fru-
ctu rei, qui hæreditate continetur, hæc cẽdunt: nec fructus fideicõmissum sequitur, si mora
non intercessit. Sed quia non ut hæres fideicõmissum (ut sic dixerim) suppleat, postulet, sed
qualis nunc est hæreditas, desideret sibi restitui: nequaquã id debet hæres recusare. nam &
quodammodo in partem hæreditatis senatus recipi uoluit fideicõmissarium, & haberi hæ-
redis loco, pro qua parte restituta ei esset hæreditas. Sed cum hæreditarios numos fœnera-
uit, aut ex fundis fructus percepit: nihil eo nomine præstat ei, cui hæreditas per fideicõmis-
sum relicta est, si non intercessit mora: scilicet quia suo periculo fœnerauit, colẽdo ue fundo, H
uel in cogendis fructibus insumpsit operam. nec æquum erat, alterius (ut sic dixerim) procu-
ratorẽ constitui. nullũ autem impendiũ uel opera intercidit hæredis: cum his modis, de qui-
bus est quæsitũ, augmentum hæres recepit. XLV. MODESTINVS.

Qui totam hæreditatem restituere rogatus, quartam retinere non uult, fidumq́ obse-
quium defuncti precibus præbere desiderat: sua sponte adire debebit hæreditatem, quasi
ex Trebelliano eam restituturus. suaserim tamen suspectam potius dicat hæreditatem, coa
ctusq́ à prætore restituat. hoc enim casu ex Trebelliano restituere uidetur, expositoq́ hæ-
reditario metu & uniuersas actiones in eum transferre, qui recipit hæreditatem.

XLVI. IABOLENVS.

Seius Saturninus archicubernius ex classe Britannica testamento fiduciariũ reliquit hę I
redem Valerium Maximum trierarchum à quo petijt, ut filio suo Seio Oceano, cum ad an
nos sedecim peruenisset, hæreditatem restitueret. Seius Oceanus antè, quàm impleret an-
nos, defunctus est. nunc Manlius Seneca, qui se auunculum Seij Oceani dicit, proximitatis
nomine hæc bona petit. Maximus autẽ trierarchus sibi eam uindicat ideo, quia defunctus
est is, cui restituere iussus erat. quæro ergo, utrum hæc bona ad Valerium Maximũ trierar-
chum hæredem fiduciarium pertineãt, an ad Manliũ Senecam, qui se pueri defuncti auun-
culum esse dixit. respondi. si Seius Oceanus, cui fideicõmissaria hæreditas ex testamento
Seij Saturnini, cum annos sedecim haberet, à Valerio Maximo fiduciario hærede restitui
debebat, priusquàm præfinitũ tempus ætatis impleret, decessit: fiduciaria hęreditas ad eum
pertinet, ad quem cętera bona Oceani peruenerunt: quoniã dies fideicõmissi uiuo Oceano K
cessit: scilicet, si prorogando tempus solutionis, tutelam magis hæredi fiduciario permisisse,
quàm incertum diem fideicõmissi constituisse uideatur.

XLVII. POMPONIVS.

Si haeredi eius, cui natura debuerit, aliquis soluerit: ei, cui fideicõmisso hæreditas relicta
sit, id reddendum est. XLVIII. PAVLVS.

Si certa portio hæreditatis alicui relicta proponatur, & is res hæreditarias quasdam
furatus sit: in his rebus, quas subtraxit: denegari ei petitionem oportere, rectè respondetur.

XLIX. PAPINIANVS.

Cum hæreditas ex Trebelliano senatusconsulto restituitur: si res urgeat, & metus sit, ne
per absentiam fortè fideicomissarij dies actionis exeat: hæres iudicium suscipere cogitur.

similiq́

A similiter modo, filio de possessione cōtra tabulas deliberante, scriptus hæres à creditoribus hæreditarijs conuenitur.

L. IDEM.

IMPERATOR Hadrianus, cum Iunius Cerealis filio suo Iunio Simonidi, si in potestate sua esse desisset, hæreditatem restituere rogatus esset, ac multa in fraudem fieri probarētur: restitui hæreditatē filio iussit, ita ne quid in ea pecunia, quàmdiu filius eius uiueret, iuris haberet. nam quia cautiones non poterant interponi conseruata patria potestate: damnum cōditionis propter fraudem inflixit. post decreti autem authoritatē in ea hæreditate filio militi comparari debuit: si res à possessoribus peti, uel etiam cū debitoribus agi oporteret. sed paternæ reuerentiæ congruum est, agenti fortè patri officio iudicis ex accessionibus hæredi-
B tarijs emolumentum præstari.

LI. IDEM.

CVM hæres deductis legatis hæreditatem per fideicōmissum restituere rogatur: nō placet ea legata deduci, quæ peti non poterant. sed cum uxori pro parte hęredi scriptæ dos relegatur, eaque deductis legatis hæreditatem restituere rogatur: etiam si quarta, quam per legē Falcidiam retinet, tantum efficit, quātum in dote est, tamen pro sua portione dotis relegatę partem deducit. cum enim utrunque cōsequitur: nihil interest inter hanc mulierem & quemuis alium creditorem hęredem institutum, & hæreditatem restituere rogatum. idem probatur, & si non deductis legatis fideicommissum relictum ab ea sit.

LII. IDEM.

C SI RES aliena Titio legata fuerit, isque domino rei hærede instituto petierit, ut hæreditatem Mæuio restituat: Mæuius legatum inutiliter petet. non enim poterit consequi, quod ad institutū, id est rei dominum peruenire non poterat. Seruus ab altero ex hæredibus libertatem, ab altero fideicommissum hæreditatis accepit. si neuter adire uelit: nullæ prætoris partes erunt: quia neque propter solam libertatem cōpellitur adire: neque is, à quo libertas data non est, propter eum, qui nondum liber est, ut adeat, compellitur: & senatuscōsulto tūc locus est, cum ab omnibus directa, uel fideicommissaria libertas ab eo datur, à quo hæreditas quoque relinquitur. sed si forte is, à quo libertas data est, portionem suam repudiauit, uel conditione exclusus est: cum portio eius ad alterum peruenerit, defendi poterit, adire cogendum. quid enim interest, quo iure debitor libertatis & hæreditatis idem esse cœperit.

D LIII. IDEM.

NON est cogendus hæres suspectam adire hæreditatem ab eo, cui libertas à legatario, hæreditas ab hærede relicta est: cum status hominis ex legato pendeat, & nemo se cogatur adstringere hæreditarijs actionibus propter legatum. quid enim, si inter moras non manumittente legatario seruus decesserit? si autem uiuo testatore legatarius decesserit: benignè respondetur, cogendum adire, cum in ipsius sit potestate manumisso restituere hæreditatem.

LIIII. IDEM.

TITIVS rogatus est, quod ex hæreditate superfuisset, Mæuio restituere. quod medio tempore alienatum uel deminutum est, id quandoque peti non poterit, si non interuertendi fideicommissi gratia tale aliquid factum probetur. uerbis enim fideicommissi bonam fidē
E inesse cōstat. diuus autem Marcus, cum de fideicōmissaria hæreditate cognosceret: his uerbis, QVIDQVID EX HAEREDITATE MEA SVPERFVERIT, ROGO RESTITVAS, & uiri boni arbitrium inesse credidit. iudicauit enim erogationes, quæ ex hæreditate factæ dicebātur, non ad solam fideicommissi deminutionē pertinere: sed pro rata patrimonij, quod proprium habuit hæres distribui oportere. quod mihi uidetur non tantum æquitatis ratione, uerum exemplo quoque motus fecisse. Cum enim de conferendis bonis fratribus ab emancipato filio quæreretur, præcipuum autem, quod in castris fuerat adquisitum militi, relinqui placeret: consultus Imperator, sumptus, quos miles fecerat, non ex eo tantummodo patrimonio, quod munus collationis pati debuit, sed pro rata etiam castrensis pecuniæ decedere oportere constituit. Propter huiusmodi tractatum Mæuius fideicommissi nomine cautionem exigere debet. quod eò pertinet: non ut ex stipulatione petatur, quod ex fideicommis-

ſo peti non poterit:ſed ut habeat fideiuſſores eius quantitatis,quam ex fideicōmiſſo petere potuit. F

LV. IDEM.

SI PAttoni filius extrario reſtituerit ex Trebelliano hæreditatem:operarum actio,qun transferri nō potuit,apud hæredē manebit:nec ei nocebit exceptio,cum eadē prodeſſe nou poſſet ei,qui fideicōmiſſum accepit.& generatim ita reſpondendū eſt:non ſubmoueri hæredem,nec liberari ex his cauſis,quę nō pertinent ad reſtitutionē. Imperator Titus Antoninus reſcripſit, in tēpus directò data libertate, nō eſſe reputandā hæreditatis reſtitutionē, quādo perſona non eſt,cui reſtitui poſſit. Qui fideicōmiſſariā hęreditatē ex trebelliano,cū ſuſpecta diceretur,totā recepit:ſi ipſe quoq; rogatus ſit alij reſtituere:totū reſtituere cogetur, & in hac quoq; reſtitutione Trebelliano locus erit.quartā em̄ Falcidię iure fideicōmiſſarius G retinere nō potuit.nec ad rē pertinet,quod niſi prior,ut adiretur hęreditas,deſideraſſet:fideicōmiſſum ſecundo loco datū intercidiſſet.cū enim ſemel adita eſt hęreditas:omnis defuncti uoluntas rata cōſiſtit.nec eſt contrariū,quod legata cætera nō ultra dodrantē præſtat.aliud eſt enim ex perſona heredis cōueniri,aliud,ꝓprio nomine defuncti precibus adſtringi. ſecūdū quæ poteſt dici, nō eſſe priore tantū deſiderāte cogendū inſtitutū adire,ubi nulla portio remāſura ſit apud eū:utiq; ſi cōfeſtim,uel poſt tēpus cū fructibus rogatus eſt reddere.ſed et ſi ſine fructibus rogatus eſt reddere, nō erit idonea quātitas ad inferēdā adeūdi neceſſitatē. nec ad rem pertinebit,ſi prior etiā libertatē accepit.ut enim pecuniā,ita nec libertatē accepiſſe ad cogendū inſtitutū ſatis eſt.quod ſi prior recuſauerit:placuit,ut recta uia ſecūdus poſſit poſtulare, ut hæres adeat,& ſibi reſtituat.quid ergo,ſi nō alij,ſed ipſi heredi rogatus ſit reſtituere?quia nō debet eidē quādoq; quarta reddi,quā perdidit,ꝓpter huius portionis retētionē erit audiēdus.Sed nec illud trāslaticiè omittendū eſt:inſtituto,qui coactus eſt adire,fideicōmiſſi petitionē denegandā eſſe.cur enim nō uideatur indignus,ut qui deſtituit ſupremas defuncti preces,conſequatur aliquid ex uoluntate?quod fortius probabitur,ſi poſt impletā conditionē coactus eſt adire.nam pendente conditione durū erit idē probare,cū & Falcidiā pœnitendo potuerit inducere.Nec ignoro poſſe dici, nullo modo fideicommiſſi petitionē denegandam ei,qui iura ſepulchrorū adquiri inſequitur.ſed adeo ſenatus nihil apud eū ex ea parte,quam dereliquit,uoluit relinquere:ut nec Falcidiam exercere poſſit,nec præceptio apud eum relinquatur,nec ſubſtitutio quoq; ſecundarum tabularum ita facta,QVISQVIS MIHI HAERES ERIT.FILIO MEO HAERES ESTO,eidem detur. Cui Titiana hæreditas I ex Trebelliano ſenatuſconſulto reſtituta eſt:Mæuianam hæreditatem,quam Titius defunctus ex Trebelliano Sempronio reſtituere debuit,& ipſe reſtituere poterit,ſicut alius quilibet ſucceſſor. Actiones temporariæ Trebelliani ſolent eſſe, euicta hæreditate ab eo,qui poſtea,ꝙ fideicōmiſſariā reſtituit hęreditatē,uictus eſt:ſcilicet ante reſtitutionē lite cū eo cōteſtata.poteſtas em̄ euictionis tollit intellectū reſtitutionis indebito fideicōmiſſo conſtituto planè ſi fideicōmiſſum ab eo quoq;,qui poſtea uicit,relictū eſt:quia poſſeſſor in ratione reddendæ hæreditatis partē,quā fideicōmiſſario reſtituit,hæredi reputat:defendi poteſt & actiones Trebelliani durare.

LVI. IDEM.

FILIAM fratribus, certis rebus acceptis, hæreditatem reſtituere pater uoluit. ante reſtitutam hæreditatem in poſſeſſionem hæreditatis filiam quoq; mitti placuit.cū aūt interea filij res bonorum inſolidum diſtraxiſſent,item alias pignori dediſſent: hæreditate poſtea reſtituta,conſtitit ex eo facto cæterarum quoq; portionū uenditiones,itē pignora cōfirmari. K

LVII. IDEM.

HAEREDES MEI QVIDQVID AD EOS EX HAEREDITATE BONISVE MEIS PERVENERIT,ID OMNE POST MORTEM SVAM RESTITVANT PATRIAE MEAE COLONIAE BENEVENTANORVM.nihil de fructibus pendente conditione perceptis petitum uideri cōſtitit. Cum ita fuerat ſcriptū,FIDEI FILIORVM MEORVM COMMITTO, VT SI QVIS EORVM SINE LIBERIS PRIOR DIEM SVVM OBIERIT, PARTEM SVAM SVPERSTITI FRATRI RESTITVAT. QVOD SI VTERQVE SINE LIBERIS DIEM SVVM OBIERIT,OMNEM HAEREDITATEM AD NEPTEM MEAM CLAVDIAM PERVENIRE VOLO.defun

cto

A cto altero ſuperſtite filio, nouiſſimo autem ſine liberis: neptis prima quidem facie propter
conditionis uerba admitti non uidebatur. ſed cũ in fideicõmiſſis uoluntatẽ ſpectari cõueni/
at: abſurdũ eſſe reſpondi, ceſſante prima ſubſtitutione patris, nepti petitionẽ denegari, quã
totum habere uoluit auus, ſi nouiſſimus fratris quoq; portionẽ ſuſcepiſſet. PETO DE TE
VXOR CHARISSIMA, VTI CVM MORIERIS, HAEREDITATEM MEAM RESTITVAS FI
LIIS MEIS, VEL VNI EORVM, VEL NEPOTIBVS MEIS, VEL CVI VOLVERIS, VEL CO/
GNATIS MEIS, SI CVI VOLES EX TOTA COGNATIONE MEA. inter filios reſpondi ſub/
ſtitutionẽ fideicõmiſſo factã uideri: circa nepotes aũt cæterosq; cognatos facultatẽ eligendi
datam. ex cæteris autem cognatis, ſi nepotes ſupereſſent, non rectè mulierem electurã pro/
B pter gradus fideicõmiſſo præſcriptos. deficiẽte uero gradu nepotũ: ex cognatis, quam uelit
perſonã, eligi poſſe.

LVIII. IDEM.

DEDVCTA parte quarta, reſtituere rogatus hæreditatem, prius quàm reſtitueret, hære/
ditario debitori hæres exſtitit. quoniã actio eo confuſa Trebellianum redintegrare non po
teſt: pecuniæ quoq; debitæ dodrans ex cauſſa fideicõmiſſi petetur. ſed in eum diem, quo a/
ctio confuſa eſt, uſuræ præteriti temporis, quæ in obligatione, uel in officio iudicis fuerunt,
cõputabuntur. poſterioris ita demũ, ſi mora fideicõmiſſo facta ſit. Cum hæreditas ex fi/
deicõmiſſi cauſſa in tempus reſtituenda eſt: non idcirco nominũ periculum ad hæredẽ per/
tinebit, quod hæres à quibuſdã pecuniam exegerit. Qui poſt tempus hæreditatem reſti/
tuere rogatus eſt: uſuras à debitoribus hæreditarijs perceptas, quarũ dies poſt mortẽ credi/
C toris ceſſit, reſtituere non cogitur. quibus non exactis, omnium uſurarũ actio (nam hæredi/
taria ſtipulatio fuit) ex Trebelliano transfertur. & ideo nec indebiti repetitio erit: ac ſimiliter
& hæreditario creditori (ſi medij temporis uſuræ non ſoluantur) fideicommiſſarium in his
quoq; Trebellianum tenebit. nec ideo quærelæ locus erit, quod de fructibus hæres, quos iu
re ſuo percipiebat, fœnus non ſoluerit. quod ſi fœnus hæres medij temporis ſoluerit: eo no/
mine non erit retentio, cum proprium negocium geſſerit: quippe ſortem reddere creditori
coactus, fideicommiſſario nihil uſurarum medij temporis imputabit. Numis acceptis cẽ
tum, hereditatem reſtituere rogatus, totam pecuniam iure Falcidia percipere uidetur: & ita
diui Hadriani reſcriptum intellectum eſt, tanquam ſi ex bonis numos retenturus fuiſſet.
quod tunc quoq; reſpondendum eſt, cum pro parte hæreditatem cohæredi ſuo reſtituere
D rogatur. Diuerſa cauſſa eſt prædiorum pro hæreditaria parte retentorum: quippe pecunia
omnis de portione retineri poteſt: prædiorum aũt alia portio, non niſi à cohærede, qui do/
miniũ habeat, accipitur. Cum aũt prædia maioris precij, quàm portio hæreditatis, eſſent: in
ſuperfluo prædiorum petenti fideicommiſſario Falcidiam interuenire iuſſum eſt. concur/
rentem enim pecuniam compenſari placuit. Hæreditatem poſt mortem ſuam exceptis
reditibus reſtituere rogatus, ancillarum partus non retinebit. ſed nec fœtus pecorum qui
ſubmiſſi gregem retinent. Ante diem fideicõmiſſi cedentem fructus & uſurę, quas debi/
tores hæreditarij, cũ poſtea ceſſiſſet dies, ſoluerunt: item mercedes prædiorũ ab hærede per/
ceptæ, portioni quadrantis imputabuntur. Cum aũt poſt mortem ſuam rogatus hæredita/
tem reſtituere, res hæreditarias diſtrahere non cogatur hæres: ſortium, quæ de precijs eorũ
E redigi potuerunt, uſuræ propter uſum medij tẽporis perceptæ non uidebuntur. deniq; nec
periculũ mancipiorum aut urbanorũ prædiorum præſtare cogitur. ſed nihilominus uſus &
caſus eorũ quadrantem quoq; deminuit. Quod ex hæreditate ſuperfuiſſet, cum morere/
tur, reſtituere rogatus, fructus ſuperfluos reſtituere nõ uidetur rogatus: cum ea uerba demi
nutionẽ quidẽ hæreditatis admittant, fructuũ aũt additamẽtum nõ recipiãt. Hæres eius,
qui bonorũ ſuperfluũ poſt mortẽ ſuam reſtituere fuerat rogatus: pignori res hæreditarias
datas (ſi non in fraudem id factum ſit) liberare non cogitur.

LIX. PAVLVS.

DEBITOR ſub pignore creditorem hæredem inſtituit, eumq; rogauit reſtituere hæredi/
tatẽ filiæ ſuæ. cũ nollet adire ut ſuſpectam, coactus iuſſu prætoris adijt, & reſtituit. cũ empto
rem pignoris nõ inueniret, deſiderabat permitti ſibi ut iure dominij id poſſideret. Reſpon/

di aditione quidem hæreditatis cõfusa obligatio est.uideamus aũt,ne & pignus liberatum sit,sublata naturali obligatione.atquin siue possidet creditor actor idemq; hæres rem,siue non possidet:uideamus de effectu rei.& si possidet:nulla actione à fideicõmissario conueniri potest:neq; pignoraticia,quoniã hæreditaria est actio:neq; fideicõmissaria, quasi minus restituerit,rectè petetur.quod eueniret,si nullum pignus intercessisset.possidet enim eã rem quasi creditor.sed & si fideicõmissarius rem retineat:& hic Seruiana actione tenebitur.uerũ est enim,non esse solutam pecuniam:quemadmodum dicimus, cum amissa est actio propter exceptionẽ.Igitur non tantum retentio,sed etiam petitio pignoris nomine cõpetit,& solutum non repetitur.remanet ergo propter pignus naturalis obligatio. In re autem integra non putarẽ compellendum adire:nisi prius de indemnitate esset ei cautum,uel soluta pecunia esset.nam & cũ de lucro hæres scriptus absit,quod fortè legatũ acceperit,si hæres non exstitisset:responsum est,non esse cogendum adire,nisi legato præstito.ubi quidem potuit dici,neq; cogendum esse hæredẽ adire quodammodo contra uoluntatẽ defuncti,qui legando cohæredi,si non adijsset,in ipsius uoluntate posuit aditionem.sed cum testator alterutrũ dederit:nos utrunq; præstamus. Ea,quæ dotem dabat,pacta erat cũ marito, ut mortua se in matrimonio,dotis pars matri eius redderetur:nec eo nomine stipulatio à matre interposita est.moriens deinde & matrem & maritũ suum hæredem fecerat:& à matre petierat, ut hæreditatẽ Titio restitueret.iudex aditus de hæreditate diuidenda, partẽ dotis quasi ex utili pacto pro parte matri adiudicauerat.quærebatur,an & ea portio ex caussa fideicõmissi præstanda sit:non esse restituendam puto:quia non quasi hæres,sed quasi mater ex pacto accepit:nec occasione hæreditatis,sed errore ex pacto eam habuit.

LX. IDEM.

PATRONUS ex debita portione hæres institutus,sextam partẽ restituere rogatus restituit.nõ trãseunt ex Trebelliano actiones:quoniã non fuit debitũ,quod restituit.& ideo si per errorẽ fecit,etiã repetetur.

LXI. IDEM.

PAULUS respõdit.his uerbis,SEMPRONI HAEREDEM TE NON SCRIPSI FESTINANS PER INFIRMITATEM,IDEOQVE EI DARI VOLO TANTVM,QVANTVM PRO VNCIA HAEREDITATIS COMPETERET:uideri quidem magis quantitatem,quàm portionẽ hæreditatis relictam.sed sic accipiendum,ut uideatur etiam de uncia restituenda sensisse.

LXII. SCAEVOLA.

A FILIA petij,ut si liberis superstitibus moreretur.partẽ eius,quæ ad eam ex bonis patris peruenisset:quod si sine liberis,uniuersum fratri restitueret.quæritur.defuncta ea in matrimonio,superstite filia:an hæres eius cum parte hæreditatis,eius quoq;,quod dotis nomine datũ erat,partẽ restituere debeat?respõdi.id,quod in dotẽ fuisset,nõ cõtineri in partẽ hæreditatis,quę restituẽda esset.sed & si ex promissione dotis aliquid debitũ fuisset,æris alieni loco habendũ. Alumno certã pecuniam legauit,& eam recipi à Sẽpronio mandauit, & certas usuras alũno præstari uoluit,donec ad uicesimũ annũ perueniret.deinde alumni fideicõmisit,ut si sine liberis decederet,partẽ restitueret Sempronio,partẽ Septiciæ.quæsitum est, defuncto alumno intra annũ uicesimum,an substituti fideicommissa petere possint:an uero in id tẽpus sustinere,quo si uiueret alumnus,uicesimũ annum impleret?Respõdi.secundũ ea quæ proponerentur,posse.

LXIII. CAIVS.

FACTA fideicõmissi restitutione,statim omnes res in bonis fiunt eius,cui restituta est hęreditas,& si nondũ earum nactus fuerit possessionem. Si,qui hæreditatem sibi reddi ab hærede stipulatus sit,ei ex stipulatu agenti restituta fuerit hæreditas: constat nihilominus transferri actiones.hoc ita est,si is,cum quo actum est,restituat hæreditatem.si uero ob id, quod non restituerit,æstimatione hæreditatis condemnatus fuerit:remanent actiones hæreditariæ apud eum,qui condemnatus sit:actor autem quantitatem consequitur. Si hæres scriptus restituerit hæreditatẽ,& postea de hæreditate controuersiã passus uictus sit,aut litem cesserit:durare actiones constitit in fideicommissarium semel translatas. Si quis maiorẽ partẽ restituerit q̃ rogatus est:in eã partem,quæ excedit,nõ transferũtur actiones.

sed

A sed cum percepta aliqua re aut summa rogatus sit hæres restituere, & omissa retentione totam hęreditatē restituerit, rectè dicitur transferri actiones. Si hæres ante restitutam hæreditatem seruum hæreditariū hæredem ab aliquo institutum iusserit adire hæreditatē: negat Iulianus debere hanc hæreditatē restitui: quia de eo rogatus non esset. & hoc est fatendum. requirendū tamen & illud est, num cum incremento hæres restituere rogatus sit hæreditatem. si enim hoc fuerit subsecutū: etiam eam hæreditatē restituere cogitur: nisi euidentissimis probationibus fuerit ab hærede adprobatū, contemplatione sui seruū esse hæredem institutū. Rescripto diui Antonini significatur. si quis accepta à Titio pecunia, quæ quartā hæreditatis contineat, rogatus sit ei restituere hæreditatem: licet tardius detur pecunia, sine B usuris eam dari debere: quia quanto tardius quisq; pecuniā det, tāto tardius ad fideicōmissum perueniat, & medij tēporis fructus perdat. quamobrē si ante datā pecuniā tenuerit hæreditatē: fructus, quos perceperit, restituere hæredi eū oportere. Idē iuris est, & si quis ita hæredis fideicómiserit: ROGO, SI TITIVS TIBI CENTVM DEDERIT, RESTITVAS EI HAEREDITATEM MEAM. Si sub códitione hæres institutus sit, qui suspectā sibi hæreditatem esse dicit: si neq; difficultatē, neq; turpitudinē ullā habet códitio, nec impedimentū aliquod: iubendus est parēre cōditioni, & adire, & ita restituere. si uero turpis, aut difficilis sit cōditio: apertè iniquū est cogi eum explere eam alterius gratia. sed & remitti eā ab initio uisum est. plus enim tribui à prætore ei, qui fideicómissum petit, quàm testator uoluerit, absurdū est. utiq; autem testator, nisi expleta sit conditio, neq; scriptū hęredem ad hęreditatem uocauit, C neq; per hunc illi uoluit restitui hæreditatē. Si dandæ pecuniæ conditio adscripta est hæredi: debet offerre ei pecuniam is, qui poscit fideicómissum, ut hæreditatē impleta conditione possit adire & restituere. Quod si conditio adscripta est, & ea est, quam prætor remittit: sufficit edictum, ut Iulianus ait: & hactenus iubendus est, ut prætorijs constituat actionibus uti, aut petat bonorū possessionem secundū tabulas, ut ita nactus actiones, tunc restituta hæreditate transferat eas ex senatusconsulto. Si uero nominis ferendi conditio est, quam prætor exigit: rectè quidē facturus uidetur, si eam expleuerit. nihil enim mali est, honesti hominis nomen adsumere. nec enim in famosis & turpibus nominibus hanc conditionē exigit prætor. sed tamen si recuset nomen ferre: remittenda est ei códitio (ut Iulianus ait) & permittēdę utiles actiones: aut bonorū possessio secundū tabulas danda est, ut nactus actiones transfe-D rat eas ex senatuscósulto. Si cū suspectā uideret hęreditatē, postulāte me iussu prętoris adieris, & restitueris mihi: ita utar legis Falcidię beneficio aduersus legatarios, si tu quoq; ea lege uti poteras, & quatenus uti poteras. nam si quid præterea à me alicui per fideicómissum relictum sit: id quasi à legatario relictū nó uenit in computationē eius legis, sed extrinsecus numeratur. Si Titius rogatus sit hęreditatē Mæuio restituere, Męuius Seio certā pecuniam, & Titius quartæ retinendæ beneficio aduersus Mæuium usus fuerit: Netátius scribit, Mæuium quoq; Seio eo minus æquū esse præstare, ne ipse de suo damnū sentiat. Iulianus ait, si hæres institutus Titio rogatus sit restituere, substitutus Mæuio: & institutus suspectā sibi hæreditatē esse dicat: desiderante Titio iubendū eum adire & restituere. Si quis bonorum possessoris fideicómiserit de hæreditate restituenda, & is passus fuerit diem bonorū posses-E sionis agnoscendæ transire: aut per hoc tempus, quo is, cui restitui debebit hęreditas, aliqua ex caussa non potuit adire prætorem, & postulare, ut petita bonorum possessione restituatur sibi hæreditas: succurri ei debet, id est, ut restituatur tempus bonorū possessionis admittendæ exhibendi fideicómissi gratia. Admonendi autē sumus, si is qui soluendo non sit, Titio hęrede instituto seruum esse liberum iusserit, & rogauerit Titium hęreditatem eidem restituere: uix esse, ut Titius recusans hæreditatem adire cogatur. nam licet desiderāte seruo Titius adierit hæreditatem: non tamen potest libertas seruo competere, quasi in fraudem creditorum data, licet Titius locuples sit. qua de caussa nec hęreditas ei restitui potest. sed ex sententia legis dicendū est, perinde habendū, ac si is seruus solus liber & hęres scriptus esset, nec Titius hæres esset. LXIIII. MARTIANVS.

SI EIVS pupilli, cui sine tutoris autoritate pecunia credita erat, restituta ex eo senatuscon

ſulto mihi fuerit hæreditas:ſi ſoluam creditori,non repetam.atquin hæres ſi poſt reſtitutio/ F
nem ſoluat:repetet non ob aliud,quàm quod ab eo in me naturalis obligatio tranſlata in/
telligitur.& ſi eius mihi reſtituta ſit hæreditas,qui pupillo ſine tutoris autoritate crediderit,
ſi ſoluerit mihi pupillus,non repetet:at ſi hæredi ſoluerit,repetet,non repetiturus,ſi ante re/
ſtitutionẽ ſoluiſſet. Si neceſſarij hæredes ſub conditione quauis leuiſſima hęredes ſint in/
ſtituti,cui parẽre ſolent:dicendũ eſt cogi reſtituere hęreditatẽ deſiderantibus his,quibus re/
ſtituere rogati ſunt:quia hæreditatis reſtituendæ gratia cõditioni parẽre compellendi erũt.

Si quis rogatus reſtituere hæreditatẽ deceſſerit,antequàm eam reſtituat:hæres eius pote/
rit hæreditatem reſtituere,& ex Trebelliano ſenatuſconſulto tranſibunt actiones.ſed ſi duo
ei hæredes exſtitiſſent:uti quiſq; reſtituiſſet:pro ea parte tranſituras actiones.nam & ſi ipſe G
partẽ reſtituiſſet:pro ea parte interim tranſituras,uerius eſt.ſed & ſi plures hæredes exſtite/
rint ei,qui rogatus eſt reſtituere hæreditatẽ,ſi quidẽ interim reſtituerint,uel cũ ei,cui reſtitui
debuit,plures hęredes exſtiterint:cui reſtituerint,is pro ea parte ex hoc ſenatuſcõſulto habe
bit actiones. Si patronus ex parte debita hęres inſtitutus,rogatus fuerit eam liberis exhę/
redatis defuncti liberti reſtituere:ſi ſua ſpõte adierit:locus erit Falcidiæ.ſi coactus in ſolidũ
tranſibunt actiones ex hoc ſenatuſconſulto.

LXV. IDEM.

SERVO,inuito domino uel ignorante,non rectè reſtituitur hæreditas.ſed ſi poſtea ratũ
habuerit:confirmabitur reſtitutio.uerum ipſi domino adquirentur actiones nec,quia hære
ditatis adquiſitioni ſimilis eſt hæc reſtitutio,iuſſum præcedere oportet:ſed(ut dictũ eſt) etiã
ratihabitio ſubſequi poterit exemplo bonorũ poſſeſſionis.neq; intereſt(quod ad propoſitũ H
attinet)ipſi domino,an ſeruo quis rogetur reſtituere hæreditatẽ:nec in ea re conſenſu aut o/
pere ſerui opus eſt,at quin in bonorũ poſſeſſione,uel in adeunda hæreditate conſenſus eius
neceſſarius eſt.itaq; ſi qui ſuſpectã dicerent hæreditatẽ:poſtulante domino compellendi e/
runt adire & reſtituere hæreditatẽ. Si teſtator rogaſſet hæredẽ, ut reſtituat hæreditatẽ mu
lieri,ſi non nupſerit:dicendũ erit compellendũ hæredẽ,ſi ſuſpectã dicat hæreditatem , adire
& reſtituere eam mulieri,etiamſi nupſiſſet. Idem in cæteris quoq; conditionibus Iulianus
noſter probat,quæ ſimiliter,niſi fine uitæ,expleri non poſſint.ſecundũ quam ſententiã cau/
tione præſtita his,quorum intereſt ab his,quibus reſtitui ſub his conditionibus hęres roga
tus eſt,reſtituet hęreditatẽ. Cũ prętor cauſſa cognita per errorẽ,uel ambitioſè iubet hæredi
tatẽ ex fideicõmiſſo reſtitui:etiã publicè intereſt reſtitui propter rerũ iudicatarũ autoritatẽ. I

Si pupillo infanti reſtituere hęreditatẽ quis rogatus ſit:ſi ſponte adierit,etiã ſeruo eius,&
ipſi pupillo,tutore autore,reſtituetur hæreditas:ſi quidẽ eo,quod fari nõ poteſt, non magis
ea res impeditur,quàm in muto pubere uolente ſibi reſtitui hæreditatẽ.ſi autẽ hæres recu/
ſet adire hæreditatẽ,quemadmodũ res expediri poſſit:difficilè eſt: quia neq; tutore deſide/
rante periculo pupilli adiri hæreditatẽ,Trebelliano ſenatuſconſulto locus ſit futurus:neque
pupillus ipſe id deſiderare poſſit,cum fari nõ poſſit.quod aliquatenus circa mutos expediri
poteſt.nam ſi auditus capaces ſunt,uel interrogati nutu poſſunt ſignificare,uelle ſe periculo
ſuo hæreditatẽ adiri,quomodo abſentes p nuntiũ.ſed & infanti nõ dubito omnimodo ſub/
ueniendũ:idq; ex ſimilitudine iuris ciuilis uel honorarij conſtituendũ eſt.ſiue enim hęres in
ſtitutus eſſet,nõ dubiè pro hęrede tutore autore gerere poſſe uideretur:ſiue de bonorũ poſ/ K
ſeſſione agitaretur,peti ei per tutorẽ poſſet. ideoq; hæres cõpelli per tutorẽ poteſt adire, &
reſtituere hæreditatem.quo exemplo & mutus,qui nihil intelligere poteſt,per curatorẽ ad/
iuuatur. Si ſingulæ res ab hærede traditæ ſint iuſſu meo ei,cui eas uendideram:nõ dubita/
mus mihi intelligi factam reſtitutionem.idem erit,& ſi iuſſu meo tradãtur, cui ego ex fidei/
cõmiſſo,aliáue qua ex cauſſa eas præſtare debueram,uel in creditũ ire, uel donare uoluerã.

LXVI. PAVLVS.

QVI ita inſtitutus eſt,ſi cohæres eius adijſſet:uti poteſt lege Falcidia , & ſi cohæres eius
coactus adiſſet:modò ſi ipſe non coactus adierit hæreditatẽ. Etiam abſentis procuratori,
ſi deſideret,poſſe reſtitui hæreditatẽ ex hoc ſenatuſcõſulto,Iulianus ſcripſit: ſi tamen caueat
de rato habẽdo,ſi nõ euidẽs abſentis uolũtas ſit ſed dicendũ eſt,ut hæres qui ſuſpectã dicat
hęreditatem,

A hæreditatem,non ſit compellendus adire:ſi certum non ſit,an mandauerit: quamuis ei ca-
uceatur,propter fragilitatem cautionis.quod ſi ſponte adierit : non magna captio eſt. ſed a-
ctiones,(ſi non mandauerit)tranſibunt eo tempore,quo ratum habuerit. Si damnum in
ſeruo hæreditario datum ſit.licet per ſeruum hæreditarium hæredi competere actio cœpit:
non tamen tranſit legis Aquiliæ actio ad fideicommiſſarium.hæ enim actiones tranſeunt,
quæ ex bonis defuncti pendent. Si legatus Romæ compulſus adierit hęreditatem, & re-
ſtituerit:cogetur Romæ actiones pati fideicommiſſarius,quamuis hæres non cogeretur.
An ubi defunctus conueniri debuit,& fideicommiſſarius debeat,uidendum eſt : & ſi ſua
ſponte hæres adijt,& reſtituit hæreditatem,an tribus locis fideicommiſſarius defendi de-
B beat:ubi defunctus,& ubi hæres,& ubi ipſe domicilium habeat.oportet itaque ibi fideicom-
miſſarium conueniri,ubi uel domiciliū habet,uel maior pars reſtitutæ hęreditatis habetur.

LXVII. VALENS.

Si postulante me ſuſpectam hæreditatem ex decreto prętoris adieris, & non ego poſtea
eam mihi reſtitui uelim,nec bonis me immiſcere:hoc fieri debet,quod Octaueno non ine-
leganter uidebatur,ut à prætore perinde actiones in me dentur, ac ſi hæreditatem recepiſ-
ſem.quod eſt iuſtius.eo etiam tempore,quo creditorum fraudandorum conſilium inieris,
citra periculum interdicti fraudatorij hæreditatem ſuſpectam adibis,& reſtitues mihi:quia
& remoto fideicommiſſo liberum tibi fuerat uolenti adire hæreditatem,creditores tuos tali
commodo fraudare:& ego nihil turpiter faciā,recipiēdo eam hæreditatē,quam remota po-
C ſtulatione mea creditores compellere te,ut adires,non potuerint. ſed & ſi filius ſuus hæres
patri rogatus à patre hæreditatē mihi reſtituere,cū creditorū ſuorum fraudandorū conſiliū
iniſſet,tanquā ſuſpectā ex decreto prętoris reſtituerit mihi:uix fraudatorio interdicto locus
erit:quia bonis patris eius uenditis,nihil propriū creditores eius ex ea hæreditate ferre po-
tuerint:niſi forte proprij creditores filij audiri debeant,ſi poſtulent, ut dimiſſis patris , eius
bona uendere ſibi permittatur. Si donationis cauſſa ſuſpectam hæreditatem ſibi hæres di
xerit,& reſtituerit ei,qui ſolidum capere non poſſit:aufertur ei id, quod capere non poteſt.
idem dicendum eſt,& ſi citra conſilium donandi fiduciarius hæres id fecerit.

LXVIII. IDEM.

Si hæres ab eo,qui cū moreretur ſoluēdo nō fuerit,rogatus hęreditatē reſtituere,ſuſpe
D ctā ſibi dicat:dubiū nō eſt,qn hodie coactus ex Trebelliano ſenatuſcōſulto reſtituere poſſit.
ſed & ſi ſua ſpōte adierit,ex eodē ſenatuſcōſulto reſtituturus eſt.quamuis cū ſumma aut cer
tum corpus per fideicōmiſſum ab eo,qui ſoluēdo nō fuit,datū eſt:pinde nō debeatur , atque
ſi legatū eſſet.eo enim caſu legatarij,ſuperiore hæredis uice fungi eū,cui fideicōmiſſum reli-
ctū eſt. Si totam hæreditatē rogatus reſtituere ſponte adieris:& ſi ſine deductione quartæ
partis reſtitueris:difficile quidē credideris per ignorantiā magis,non explendi fideicōmiſſi
cauſſa hoc feciſſe,ſed ſi probaueris per errorē te quartā nō retinuiſſe : recuperare eā poteris.

LXIX. NERATIVS.

De evictione prædiorū,uel mancipiorū, uel cæterarū rerum cauere hæres , cū reſtituit
hæreditatem,non debet.quin imò in contrariū caueri hæredi oportet,ſi quid ex his euictū
E eſſet,quæ ab ipſo hærede ueniſſent. LXX. POMPONIVS.

Si haeres inſtitutus Titio rogatus fuerit reſtituere hæreditatē,& rurſus Titius hæredi
poſt tempus:ſufficiunt directæ actiones hæredi. Si hæres antequàm fideicōmiſſario hære
ditatē reſtitueret,alienauerit quid ex hæreditate,aut ſeruū hæreditariū manumiſerit, aut ru
perit quid,uel fregerit,uel uſſerit:nō cōpetit in eum ulla ciuilis actio,reſtituta poſtea hęredi
tate ex Trebelliano ſenatuſcōſulto:ſed ex fideicōmiſſi cauſſa erit hoc,quod deperierit , per-
ſequendū.ſin uero poſt reſtitutā hæreditatē horū quid admiſerit hæres:dicendū, lege Aqui
lia cum eo agi poſſe,ſi ſeruū forte hæreditariū aut uulnerauerit,aut occiderit. Si tempora-
lis actio in hæreditate relicta fuerit:tempus,quo hæres experiri ante reſtitutā hæreditatem
potuit,imputabitur ei,cui reſtituta fuit. LXXI. MAECIANVS.

Omnes, qui de hæreditate deliberant,deſiderante eo,qui ſuo periculo uelit adiri hæ-
reditatem,

reditatem, coguntur adire: licet non statim restituere, sed ut completo tempore deliberatio- F
nis (si expedire sibi compererint hæreditatem) sentiant commodum testamenti eo iure, quo si sponte adissent. sin uero cõtra onerosam crediderint: restituta ea, exonerentur actionibus hæreditarijs.

LXXII. POMPONIVS

HAERES percepto fundo rogatus erat hæreditatem restituere. fundus alienatus erat. Aristo aiebat, uidendum, utrũ omnimodo penes hæredem fundum esse uoluerit testator: an ita demum, si ipsius esset. sed sibi superius placere. ideoq; æstimatio eius retinenda est.

LXXIII. MAETIANVS.

SI HAERES pecuniam hæreditariam crediderit, & in eam caussam pignora acceperit: a- ctiones non competent ei, cui restituta fuerit hereditas aduersus ipsa pignora. sed aliqua du- G
biratio remanebit, si in eum contractũ, qui à defuncto fuerit interpositus, hæres antequàm restitueret hereditatem, pignus acceperit. sed ne sic quidem ipse admittetur ex fideicõmisso. tamen habet aduersus hæredem actionem, ut ei cedat pro pignoris commodo actionem.

Cum ex Trebelliano senatusconsulto restituitur hæreditas: seruitutes, quas mutuò prædia hæredis & testatoris habent, nihilominus ualent.

LXXIIII. PAVLVS.

QVI filium & filiam habebat, testamentum fecerat, & ita de filia sua cauerat. ἐντέλλομαί σοι μὴ διαθέσθαι, πρὶν τέκνα σοι γενέσθαι. pronuntiauit Imperator fideicommissum ex hac scriptura deberi: quasi per hoc, quod prohibuisset eam testari, petisset, ut fratrem suum hæredem faceret. sic enim accipiendam eam scripturam, ac si hæreditatem suam rogasset eam re- H
stituere. Fauius Antoninus impuberem filiũ Antoninũ, & filiam Honoratã relinquens, exhæredatis his, matrem eorũ Iuniam Valerianã hæredẽ instituit: & ab ea trecenta & quasdam res filiæ reliquit. reliquam omnem hæreditatem filio Antonino, cum ad annum uicesimum ætatis peruenisset, uoluit restitui. quod si ante annum uicesimũ decessisset filius: eam hæreditatem Honoratæ restitui præcepit. mater intestata decessit, utrisq; liberis legitimis hæredibus relictis. postea filius annũ agens plenũ nonumdecimũ, & ingressus uicesimũ, necdum tamen eo expleto, decessit, filia hærede Fauia Valeriana sua relicta. à qua amita fideicõmissum ex testamẽto patris portionẽ hæreditatis petierat, & apud præsidẽ obtinuerat. tutores Valerianæ filiæ Antonini egestatẽ eius prætendebant, & recitabant diui Hadriani cõ- stitutionẽ, in qua (quantũ ad munera municipalia) iusserat eũ annũ, quẽ quis ingressus esset, I
pro impleto numerari. Imperator autẽ noster motus & æquitate rei & uerbis testamenti scilicet AD ANNVM VICESIMVM AETATIS: quamuis scire se diceret, à diuo Marco nõ excusatum à tutela eum, qui septuagesimũ annũ ætatis ingressus fuisset: nobis & legis Aeliæ Santiæ argumenta proferentibus, & alia quædam: contra petitricem pronuntiauit.

LXXV. SCAEVOLA. *lib.XVIII. Digestorum.*

EPISTOLAM ad hæredem suum in hæc uerba scripsit. TITIVS CORNELIO HAEREDI SVO. S. A te peto Corneli, quoniam ad te deuoluta est pars matris meæ, item pars Sempronij curatoris quondã mei contraria fortuna: si per hoc totus as meus apud te esse speratur, uti reddas restituas Caio Seio uncias quatuor. Quæsitum est. cum Sempronius in integrum restitutus sit ab Imperatore, à quo fuerat deportatus, & adierit hęreditatẽ: an is quoq; K
rogatus sit, ut ex sua portione restituat hæreditatẽ. respondi. Sempronium quidẽ non proponi rogatum: Corneliũ autem hæredem debere pro rata portione maternarũ defuncti rerum restitutionẽ Seio facere. Mulier hæredis instituti fideicõmisit, ut retenta parte quarta reliquam partem restitueret nurui quondam suæ, cuius fidei commisit in hæc uerba ROGO TE VT ID, QVOD AD TE EX BONIS MEIS PERVENERIT, FACIAS PERVENIRI AD FILIVM TVVM. quæsitum est. quando hoc fideicommissum restituere debeat: utrùm ne post mortem suam, an iam nunc? respondit. ad tempus, quo nurus moreretur, fideicõmissum aptandum esse.

LXXVI. IDEM.

SCAEVOLA respondit. si pater filiũ suum impuberem ex asse scripserit hæredẽ, eiq; codicillis substituerit, deinde filius impubes decesserit: licet substitutio inutilis sit (quia codicillis hæreditas.

A hæreditas,neq; dari neq; adimi poteſt)tamē benigna interpretatione placet,ut mater,quæ
ab inteſtato pupillo ſucceſſit,ſubſtitutis fideicōmiſſo obligetur. quod ſi inuicē fuerint ſub-
ſtituti: & in fideicōmiſſo ſubſtitutionem ualere. uno quoq; eorum mortuo, qui ſuperſunt,
totum accipiunt. LXXVII. IDEM.

HAEREDIBVS inſtitutis filijs utriuſq; ſexus,ſingulos rogauit,ut qui ſine liberis decede-
ret,partem ſuam hæreditatis ſorori fratriúe reſtitueret,aut (ſi frater ſoror ue non eſſet) ma-
tri ſuæ: & hęc uerba adiecit. VOSQVE LIBERI CHARISSIMI HOC FIDEICOMMISSO TE-
NERI INVICEM VOLO, DONEC LIBEROS BINOS EDVCAVERITIS. quæſitum eſt,ſi quis
ex liberis duos filios procreauerit:quamuis ſuperſtites non reliquerit:an hæredes eius fidei
B commiſſum debeant? reſpondit. ſecundum ea quæ proponerentur,uideri fideicommiſſi o-
nere liberatos. Titius nepotes ex filia,& furioſam filiam ſuam hæredem inſtituit:& fidei
commiſit filiæ,ut ſi ſine liberis deceſſiſſet,pars ei data perueniret ad cohæredes. eam furio-
ſam ipſe Titius ut in matrimonio collocauit,& enixa eſt filiam poſt mortem patris. quæſi-
tum eſt.defuncta furioſa,ſuperſtite ex huiuſmodi coniunctione parta filia,an fideicommiſ-
ſum ad cohæredes pertineret? reſpondit.cum filiam reliquiſſe proponeretur, fideicommiſ-
ſum non deberi. CLAVDIVS. nam etſi matrimonium cum furioſa non fuit: ſatis tamen fa-
ctum eſt eiuſmodi conditioni. LXXVIII. IDEM.

LVCIVS Titius inteſtatò moriturus,cum haberet uxorem,& ex ea filiam emācipatam,
codicillis hęc uerba inſeruit. PERTINENT HI CODICILLI AD VXOREM ET FILIAM. ITA
C QVE ROGO QVIDQVID AVT EGO RELIQVERO, AVT VOS IPSAE HABETIS, COMMV
NE VOBIS SIT. QVOD SI NON EGO ROGAREM VOS, PRO VESTRA PIETATE FACERE
TIS. filia inteſtati patris bonorū poſſeſſionē accepit. quæſitū eſt,an aliqua pars hæreditatis
Lucij Titij ex cauſſa fideicommiſſi à filia matri deberetur? reſpondi. ſecundū ea,quæ propo
nerentur,deberi:tantū ſi uxor parata ſit in cōmune bona ſua conferre. Mæuia duos filios
hæredes reliquerat,& eodem teſtamento ita cauit. FIDEI AVTEM HAEREDVM MEORVM
COMMITTO, VTI OMNIS SVBSTANTIA MEA SIT PRO DEPOSITO SINE VSVRIS A-
PVD CAIVM SEIVM ET LVCIVM TITIVM, QVOS ETIAM (SI LICVISSET) CVRATORES
SVBSTANTIAE MEAE DEDISSEM, REMOTIS ALIIS, VT HI RESTITVANT NEPOTI-
BVS MEIS, PROVT QVIS EORVM AD ANNOS VIGINTIQVINQVE PERVENERIT,
D PROPORTIONE: VEL SI VNVS, EI OMNEM. quæſitū eſt,an fideicōmiſſum præſtari à ſcri
ptis hæredibus Lucio Titio & Caio Seio debeat: reſpondi. ſecundum ea, quæ proponeren
tur, Lucium Titium,item Caium Seium fideicōmiſſum petere non poſſe. Tres hęredes
ſcripſit, Męuium fratrem ſuum ex dodrante, Seiū ex ſextante, Stichū eiuſdem Seij ſeruum,
filium autem naturalem Mæuij ex uncia:& fidei cōmiſit Seij,ut Stichum manumitteret in
hæc uerba. A TE PETO SEI, VTI TV STICHVM MANVMITTAS. DEDI, VNDE FACIAS.
ſed & codicillis ita cauit, VNCIAM, EX QVA FECI STICHVM HAEREDEM, SI QVAM SE-
IVS CONTROVERSIAM MOVERIT, AD MAEVIVM FRATREM MEVM REVERTI VO-
LO. TV FRATER SECVNDVM FIDEM ET PIETATEM TVAM, QVIDQVID AD TE PER-
VENERIT EX HAEREDITATE MEA, STICHO FILIO TVO RESTITVES. QVOD VT FA
E CIAS, FIDEI TVAE COMMITTO. quæſitum eſt. cum Seius adierit hæreditatem, & pro-
pter hoc compulſus Stichum manumiſerit:an unciam hæreditatis, ex qua Stichus hæres
eſt inſtitutus, Sticho manumiſſo reſtituere debeat? reſpondit, non proponi Seium roga-
tum unciam ei reſtituere. Idem quæſijt,an ſi aliquam controuerſiam Seius de uncia hac, ex
qua Stichus inſtitutus eſt,facere uelit,& Mæuius unciam ex cauſſa fideicōmiſſi à Seio fue-
rit conſecutus:utrum hanc ſolam unciam,ex qua Stichus inſtitutus eſt,an uero & dodran-
tem,ex quo ipſe Mæuius inſtitutus eſt,eidē Sticho reſtituere debeat? reſpōdi. de omni reſti
tuēdo,quod ad Męuiū quoquo modo peruenit,teſtatricē ſenſiſſe. Pater puerū & puellā in-
ſtituit hęredes,eoſq; inuicē ſubſtituit,& ſi neuter hęres eſſet,eis plures ſubſtituit his uerbis,
SVBSTITVTOS HAEREDES INVICEM SVBSTITVO. eorūdē filiorū fideicōmiſit,ut q eorū
uita ſupeſſet,& ſine liberis intra annū triceſimū moreret,hęreditatē his,quos hæredes ſub-
ſtituerat,

ſtituerat, reſtitueret. filius uita ſororem ſuperauit, & intra triceſimum annum ſine liberis de- F
ceſſit. quæſitum eſt, ex ſubſtitutis uno defuncto ante filium, pars eius, quæ ad cæteros ſub-
ſtitutos, qui ſuperuiuerēt, pertineret: utrum pro uirilibus, an pro hæreditariis portionibus,
quibus eſſent ſubſtituti, pertineret? reſpondi. conſequens eſſe pro his partibus, quibus ſub
ſtituti eſſent, fideicommiſſum pertinere. Mæuia filium hæredem inſtituit ex quincunce,
Titiam filiam ex quadrante, Septitium filium ex triente, cuius fidei commiſit in hęc uerba.
TE ROGO FILI SEPTICI, SI INTRA VICESIMVM ANNVM SINE LIBERIS MORIERIS,
QVIDQVID EX HAEREDITATE MEA AD TE PERVENERIT, HOC FRATRIBVS TVIS
RESTITVAS. quęſitum eſt, Septicio filio defuncto intra uiceſimū annum ſine liberis: hoc fi
deicommiſſum utrum proportionibus hæreditariis ad fratrem & ſororem eius pertineat, G
an uero æqualiter? reſpondi. pro parte hæreditaria. Titia ex aſſe hæres ſcripta, partem di-
midiam hæreditatis Mæuiæ rogata reſtituere, fundum à teſtatore obligatum luere noluit,
ſed cum uendente creditore mandauit redimendum Seiæ. quæſitum eſt, an Titia ex cauſſa
fideicōmiſſi Mæuiæ teneatur? reſpondi. cum rogata hęreditatē reſtituere proponatur: nihil
proponi, cur nō teneatur. CLAVDIVS. Subeſt enim præſtari oportere id, quāto pluris fun-
dus fuit, quam ad creditorē peruenire oportuit. Caio Seio ex ſemiſſe, Titia ex quadran-
te, & aliis ex reliquis portionibus hæredibus inſtitutis ita cauit. FIDEI AVTEM VESTRAE
MANDO CAI SEI ET LVCIA TITIA, VTI POST OBITVM VESTRVM REDDATIS RE-
STITVATIS TITIO ET SEMPRONIO SEMISSEM PATRIMONII ET PORTIONIS EIVS,
QVAM VOBIS DEDI. quæſitum eſt. cum utrinq; adierint hæreditatē, & poſtea Caius Seius H
defunctus ſit, Lucia Titia hærede inſtituta: an hæc Lucia Titia partem dimidiam ſemiſſis,
quam rogatus erat Caius Seius reſtituere, protinus debeat: an uero poſt ſuam demū mor-
tem uniuerſum fideicommiſſum, tam ex ſua perſona, quàm ex Caii Seii datum reſtituere
debeat? reſpondi. Luciam Titiam ſtatim teneri, ut partē dimidiam ſemiſſis ex perſona Seii
reſtituat. Filiam ſuam hæredem ſcripſit, & nepotem, quem ex ea habebat, ei ſubſtituit, &
ita cauit. LVCIO TITIO FRATRIS MEI FILIO GENERO MEO DVCENTOS AVREOS RE-
LINQVO, QVO LEGATO SCIO ILLVM CONTENTVM ESSE: QVONIAM SCRIPSI VNI-
VERSAM REM MEAM EO, QVOD FILIAM MEAM ET NEPOTEM MEVM HAEREDES
SCRIPSI VNIVERSAM SVBSTANTIAM EIS COMMVNICASSE, QVOS INVICEM COM-
MENDO FIDEI PATRIS. filia adita hæreditate, diuertit à marito. quæſitum eſt, an Titius I
quondam eius maritus ſuo uel filii ſui nomine ex fideicommiſſo cōmunionem bonorū con
ſequi poſſit, uiua quondam uxore ſua, uel poſt mortem eius? reſpondi. nihil fideicommiſſi
datum genero proponi, præter ducentos aureos. Idem quæſiit. eandem uxorem marito hæ
rede ſcripto fideicommiſiſſe, ut cum moreretur, filio communi omne, quod ad eum ex hæ-
reditate ſua perueniſſet, reſtitueret: an illæ quoq; res & poſſeſſiones, quæ in dotem datæ, &
poſt diuortium reſtitutæ mulieri fuerant, fideicommiſſo contineantur? reſpondi. quod mu-
lier in bonis ſuis reliquiſſet, id fideicommiſſo contineri. CLAVDIVS. & aliâs de eodem fa-
cto conſultus ita reſpondit: ſiue reſtitutę ſint res, ſecundum id, quod ſuprà reſponſum eſt, in
bonis mulieris computari: ſiue non ſint reſtitutæ, quia ex ſtipulatione de dote reddenda in-
terpoſita reſtituendæ ſint, eo auctiorem hæreditatem computari. Quæ habebat filium, K
& ex eo nepotem, utroſq; in mariti poteſtate, maritum ex aſſe ſcripſit hęredem, eiuſq; fidei
cōmiſit in hæc uerba. TITIVS MARITVS MEVS MIHI HAERES ERIT: PETO, FIDEIQVE
EIVS COMMITTO, VT QVIDQVID EX HAEREDITATE MEA AD EVM PERVENERIT,
CVM MORI COEPIT, ID RESTITVAT CAIO FILIO NOSTRO: ITA TAMEN, VT DECEM
QVIDEM VNCIAS CAIVS, DVAS AVTEM VNCIAS SEIVS NEPOS HABEAT. QVOD VT
FIAT, FIDEI EIVS TITII HAEREDIS MEI COMMITTO. pater emancipauit filium. nepo-
tem amiſit, & ſuperſtite filio dececeſſit. quæſitum eſt, an priore parte ſcripturæ uniuerſa hæ-
reditas patris ex cauſſa fideicommiſſi filio debeatur: & illa ſequentia uerba, ITA TAMEN
VT DECEM VNCIAS FILIVS, DVAS AVTEM NEPOS HABEAT, ex uolūtate defunctæ ita
demum locum habeant, ſi die fideicommiſſi cēdente filius & nepos eorum in natura ſint:

cum

A cum autem non superuixerit ad diem fideicõmissi nepos, sequens scriptura cesset? respondi. ea, quæ proponerentur, ostendere, decem duntaxat uncias filio datas. Hæres institutus uxori rogatus totam hæreditatem restituere, restituit detracta quarta. quæsitum est. cum uxor quartam partem hæreditatis præsenti die, & reliquam post tempus alij rogata à testatore fuisset restituere: an id, quod hæres ei detraxisset quartæ nomine, in restituendo fideicommisso imputari possit? respondi. quatenus cepisset, fideicommisso obstrictam. Hæredum fideicommisit, ut quidquid ex parte tertia hæreditatis peruenisset ad eos, id redderét Caio Mæuio alumno testatoris, cum fuerit annorum quindecim, & subiunxit hæc uerba, INTERIM EX REFECTU HAEREDITATIS, QVI AD VOS PERVENERIT, ALATIS EVM EX

B VSVRIS PRO QVANTITATE NVMORVM REDACTIS. HOC AMPLIVS EIDEM ALVMNO MEO HOMINEM COLLACTANEVM, ET VERNAM SVTOREM, QVI EVM ARTIFICIO SVO MERCEDE DATA ALERE POTERIT. quæsitum est. cum alimenta multo minora præstiterint hæredes scripti, quàm usuræ summæ redactæ competebant: an & residuas præstare compelli debeant totius temporis, an ex die, quo decimumquintũ annum explesset? & cum serui legati ei specialiter, ut ex mercedibus aleretur, statim uénierint: utrũ mercedes, an usuras petere debeat? respondi. secundũ ea, quæ proponerentur, testatorem uideri de omni reditu & mercede seruorũ restituenda sensisse. Pluribus hæredibus institutis, inter his & libertis tribus ex dodrante, cum eisdem fundos per præceptionẽ dedisset: ab his petijt, ne eos alienarent, & ut qui uita superasset, solidos eosdem fundos obtineret. deinde unus ex his li-

C bertis Otacilij fideicõmisit, ut quidquid ad eũ ex hæreditate bonisúe peruenisset: deducto pro ea parte ære alieno, & legatis sibi uiginti aureis, restituat Titio. quæsitũ est, an etiã partes tertias fundorũ prælegatorũ conlibertis eidẽ deducere deberet? respondi. secundũ ea, quæ proponerentur, nõ debere restituere præceptionẽ: cum ipse testator & legata excipi uoluisset. Maritus uxore herede instituta ex parte tertia, & pluribus ei fideicõmissis datis, dotem quoque relegauit his uerbis, SEIAE VXORI MEAE DARI VOLO A FILIIS MEIS SVMMAM DOTIS EIVS, QVAE MIHI PRO EA ILLATA EST: eiusdemque uxoris fideicommisit, ut partem hæreditatis, & quæcunque ei legasset post mortẽ suã, Titio filio cõmuni restitueret: quæsitum est, an summã quoque dotis inter cætera legata ex caussa fideicõmissi filio suo restituere debeat? respõdi. nõ aliâs, nisi manifestũ esset de dote quoque restituẽda testatorẽ sensisse: atque

D etiãsi sensisse cũ hoc fuerit adprobatũ. ita tamen eius quoque petitionẽ fore, si non minus in quãtitate, quæ Falcidiæ nomine remaneret, foret, quàm in quantitate dotis. Rogatus hæreditatẽ restituere Septitio, cum erit annorũ uiginti, interea fundos, quos defunctus pignori acceperat, uendidit: & propterea pignoraticia à debitore cõuentus decessit, hærede relicto Sẽpronio: & iudicio nondũ finito, restituit hæreditatẽ Septitio. quæsitũ est, an eo iudicio nihilominus ipse condemnari debeat: cũ potuerit retinere, uel caueri sibi id, quod ex caussa iudicati præstaturus esset? respõdi. iudicij exsecutionẽ nihilominus aduersus hæredẽ & post restitutã hæreditatẽ mansisse. Hæres eius, qui post mortẽ suã rogatus erat uniuersam hæreditatẽ restituere: minimã quantitatẽ, quã solam in bonis fuisse dicebat, his, quibus fideicommissum debebatur, restituit. postea repertis instrumentis, apparuit quadruplo amplius in

E hæreditate fuisse. quæsitum est, an in reliquũ fideicõmissi nomine cõueniri possit? respondi. secundum ea, quæ proponerentur si non transactũ esset, posse. LXXIX. IDEM.

SI PVPILLUS parenti suo hæres exstitit, & fideicõmissam hæreditatis partẽ restituit, mox abstinet paterna hæreditate: optio deferenda est fideicommissario, ut aut portionẽ quoque pupilli agnoscat, aut toto discedat: aut omnimodo bona uendenda sunt, ut id, quod superfluum est, pupillo seruetur: & si in solidum bona uenire non possunt, omnimodo actiones fideicõmissario denegandæ erunt. erat enim in potestate illius uniuersum suscipere, & si quid plus esset, pupillo seruare. LXXX. IDEM.

MATREM, & auunculum, eosdemque creditores suos hæredes scripsit Lucius Titius, & eorum fidei cõmisit, ut post mortem restituerẽt, quod ex re familiari testatoris superfuerit, Septitio. hæredes non modicã partem bonorũ testatoris consumpserũt, & multos hæredes

A rum iuri fuit subiectus. & ideo si purũ legatum fuit, & post diem legati cedentẽ liber factus
est: apud dominũ legatum relinquet. sed si usufructus fuerit legatus: licet post mortẽ testa-
toris ante aditam hæreditatem sui iuris efficiatur: sibi legatum adquiret.

VI. PAVLVS.

QVOD purè datum est, si sub conditione adimatur, quasi sub conditione legatum habe-
tur. at si extrinsecus suspendatur legatum, non ex ipso testamento: licet antè decedat lega-
tarius, ad hęredem transmisisse legatũ dicimus. ueluti si rem dotalem maritus legauerit exte-
ro, & uxori aliquam pro dotali re pecuniam: deinde deliberante uxore de electione dotis,
decesserit legatarius, atq; legatum elegerit mulier: ad hęredem transire legatum dictum est.
B idq; & Iulianus respondit. magis enim mora, quàm conditio, legato iniecta uidetur. Eo-
rum legatorum, quæ in codicillis relicta sunt, perinde dies cẽdit, atq; testamẽto relictorum.

VII. VLPIANVS.

HAEREDIS aditio moram legati quidem petitioni facit, cessioni diei non facit. proinde
siue purè institutus tardius adeat, siue sub conditione, nec per conditionem impediatur le-
gatarius: securus est. sed & si nondum natus sit hæres institutus, aut apud hostes sit: similiter
legatario non nocebit, eo quod dies legati cessit. Inde dicimus, & si à substituto legatũ sit re-
lictum: quàmdiu institutus deliberat, defuncto legatario non nocebit: si hæres postea insti
tutus repudiarit. nam ad hæredẽ suum transtulit petitionẽ. tantundem est, si ab impuberis
substituto lẽgetur. nam ad hæredem suum legatũ transfert. Tractari tamen potest, si impu-
C beri substitutus damnatus sit, si intra pubertatẽ filius decesserit, Seio centũ dare: an uiuo pu-
pillo defunctus Seius ad hæredem transferat, quasi ea conditio sit expressa, quæ inerat. &
magis est, ad hæredem legatarij transire. Interdum aditio hæredis legatis moram facit: ut-
putà si seruo manumisso uel ei, cui seruus legatus est, & seruo aliquid legatum sit. nam seruo
legati relicti ante aditã hæreditatẽ dies non cẽdit.

VIII. IDEM.

NAM cum libertas non prius competat, quàm adita hæreditate: æquissimum uisum est,
nec legati diem antè cẽdere. alioquin inutile fieret legatum, si dies eius cessisset, antequàm li
bertas competeret. quod euenit, si seruo pure lẽgetur, & liber esse sub conditione iubeatur,
& pendens conditio inueniatur etiam post aditam hæreditatem.

IX. IDEM.

D SI HABITATIO filiofamiliàs, uel seruo legata sit: puto nõ adquiri domino uel patri legatũ,
si ante aditam hæreditatem filius uel seruus decesserit. nam cum personæ cohæreat: rectè di
citur, ante aditam hæreditatem diem non cẽdere.

X. IDEM.

CVM in annos singulos lẽgatur: non unum legatum esse, sed plura constat.

XI. IVLIANVS.

NEC refert singuli aurei in annos singulos lẽgẽtur, an in annum primum mille aurei, in
secundum homo, in tertium frumentum.

XII. VLPIANVS.

NEC semel diem eius cẽdere, sed per singulos annos. sed utrũ initio cuiusq; anni, an uero
finito anno cedat, quæstionis fuit. & Labeo, & Sabinus, Celsus, Cassius, Iulianus: in omni-
bus, quæ in annos singulos relinquuntur, hoc probauerunt, ut initio cuiusq; anni huius le-
E gati dies cẽderet. Inde Iulianus ait, hoc legatũ, si seruo relinquatur, deinde post primum uel
alterum annum sit liber: eum sibi adquirere. Item Celsus scribit (quod & Iulianus probat)
huius legati diem ex die mortis cẽdere, non ex quo adita est hæreditas: & si fortè post mul-
tos annos adeatur hæreditas, omnium annorum legatario deberi. sed & si quotannis sit le-
gatum: mihi uidetur etiam in hoc initium cuiusq; anni spectandum: nisi fortè euidens sit uo
luntas testatoris in annuas pensiones ideo diuidentis, quoniam non legatario consultum,
sed hæredi prospectum uoluit, ne urgeretur ad solutionem. Si in habitationem aliquid,
uel indisciplinam lẽgetur, sic ANNVA uel QVOTANNIS: quibus diebus pensio debetur ha-
bitationis, uel mercedis disciplinarum, ijsdem intelligitur legatum relictum, coniectura uo-
luntatis facta. Nouissimè Pomponius scribit, nihil interesse, utrum in annos singulos,
uel quotannis: an in singulos menses, uel quot mẽsibus: an in singulos dies, uel quot diebus

legetur. ipse quoque huic sententiæ accedo. proinde & si annui legentur tot aurei, idem erit dicendum. Si cui homo generaliter legatus sit: si antequàm uindicet, decesserit: ad hæredem suum legatum transfert. Si Titio sit legatum, quod Seius elegerit, & Seius post electionē decesserit: locus est uindicationi semel adquisitæ. F

XIII. POMPONIVS.

HVIVSMODI legatum, SIVE ILLVD FACTVM FVERIT, SIVE NON, ILLVD DO LEGO, ad heredem non transit: nisi alteruter casus uiuo legatario exstiterit: quoniam caussa, ex qua debeatur, præcedere semper debet: nec, quia certum est alterutrum futurum omnimodo debebitur. nam tale legatum, CVM MORIETVR, HAERES DATO, certum est debitum: & tamen ad hæredem legatarij non transit, si uiuo hærede decedat. G

XIIII. VLPIANVS.

SI VSVS fructus aut decem, utrum legatarius uoluerit, sin legata: utrunque spectandū, & mortem testatoris, & aditionem hereditatis. mortē, propter decem: aditionē, propter usumfructū. quamuis enim electio sit legatarij: tamen nondū electioni locus esse potest: cum proponatur nondum testatorē decessisse, aut eo mortuo hæreditas nondum adita. Inde quærit Iulianus, si post mortē testatoris legatarius decedat, an ad hæredem transferatur decem legatum: & libro tricesimo Digestorū scribit posse dici, decem trāstulisse: quia mortuo legatario dies legati cēdat. argumentū Iulianus pro sentētia sua adfert tale, SEIAE DECEM, AVT SI PEPERIT, FVNDVM HAERES MEVS DATO. nam si antè, quàm pariat (inquit) decesserit: ad hæredē suum decem transmittet. Si ita quis legauerit filiofamiliâs, ut ipsi soluatur: potest procedere legatū, nec imputari hæredi, cur nō patri, sed potius filio soluit. finge enim hoc nominatim expressum ita, ut filio soluat. certè si pater petat: exceptione erit repellēdus. H

Si dies legati cesserit, deinde legatarius in ius alienū peruenerit: ipsi potius debetur legatū, in cuius ipse ius peruenit. transeunt enim cum eo, quæ ei debebātur. sed si sub cōditione fuerit legatū: non transit, sed expectamus conditionē: eique adquiretur, cuius iuris erit, conditionis existentis tempore. quod si sui iuris fuerit: eo tempore sibi potius adquiret.

XV. IDEM.

SI ITA esset liberis fideicōmissum relictū, si morte patris sui iuris essent effecti, nec mortalitate patris sed emancipatione patresfamiliarum cōstituti sint: deberi eis fideicōmissum, nemo dubitauerit: diemque eius emancipatione cessisse, qui morte patris cēderet. I

XVI. IVLIANVS.

CVM ita legatum est, STICHVM, VEL QVOD EX PAMPHILA NATVM ERIT, HAERES MEVS DATO. nō ante dies legati eius cēdet, quàm aliquid ex Pamphila natum fuerit, aut certum fuerit nasci non posse. Cum seruo legato, antequàm hereditas eius, qui legauerat, adiretur, ususfructus ab alio legatus fuerit: & prior hæreditas eius, qui usumfructū legauit, adita fuerit: nulla ratio est, cur diem legati cēdere existimemus, antequàm ea hæreditas quoque, ex qua seruus legatus erat, adeatur: cum neque in præsentia ullum emolumentū hæreditati adquiratur, & (si interim seruus mortuus fuerit) legatū exstinguatur. quarè adita hæreditate existimandū est usumfructū ad eum, cui seruus legatus sit, pertinere. quod si seruus, cui ususfructus legatus fuit, legatus non fuerit: dicendum est usumfructum ad hereditatem pertinere, eo quod dies eius ante aditam hæreditatem non cesserit. K

XVII. IDEM.

CVM legato seruo aliquid legatur: dies eius legati, quod seruo datur, non mortis tempore, sed adita hæreditate cēdit. & ideo impedimento non est regula iuris, quò minus manumisso legatum debeatur: quia & si confestim paterfamiliâs moreretur, non in eiusdem persona & emolumentum legati, & obligatio iuris concurreret. perinde igitur hoc est, de quo quæritur, ac si filio herede instituto patri legatum esset. quod consistere intelligitur eo, quod quamuis statim paterfamiliâs moriatur: potest emancipatus adire hæreditatem, ut patri legatum debeat.

XVIII. IDEM.

IS, CVI legatū ita est, SI QVANDO LIBEROS HABVERIT, SI PRAEGNANTE VXORE

RELICTA

A RELICTA DECESSERIT: intelligitur expleta conditione decessisse, & legatum ualere: si tamen posthumus natus uiuus fuerit. XIX. IDEM.

Cum sine præfinitione temporis legatũ ita datum fuerit, VXORI MEAE PENVM HAERES DATO. ET SI NON DEDERIT, CENTVM DATO: unum legatum intelligitur, & statim peti potest. penoris autem caussa eo tantum pertinet, ut ante litem contestatam tradito peno, hæres liberetur. Quod si ita scriptum sit, SI PENVM INTRA CALENDAS NON DEDERIT, CENTVM DATO: non efficitur, ut duo legata sint, sed ut centũ legata sub conditione uideantur: idcirco si uxor ante calendas decesserit: hæredi suo neq; penũ relinquet, quæ legata non est: neq; centum, quia dies legati non cessit. Cum ab eo mihi fideicõmissum datũ
B est, cui sub conditione legatum est: tale est, quemadmodũ si hęrede instituto sub conditione purè mihi legetur. Si debitori, quod sub conditione debet, legatũ est: pręsens legatum est, agiq; ex testamento statim potest, ut liberatio præstetur. & si post mortem testatoris decesserit: ad hæredem transmittit actionem. hæc dicenda erunt, & si nõ ipsi debitori, sed alij cuilibet similiter legatum esse proponatur. XX. MARCELLVS.

Si cum præfinitione annorum legatum fuerit, uelut TITIO DENA, VSQVE AD ANNOS DECEM: Iulianus libro tricesimo Digestorũ scribit interesse. & si quidem alimentorũ nomine legatum fuerit: plura esse legata, & futurorum annorum legatum legatarium mortuum ad hæredem non transmittere. si uero non pro alimentis legauit, sed in plures pensiones diuisit exonerandi hæredis gratia: hoc casu ait omnium annorũ unum esse legatum, &
C intra decennium decedentem legatarium, etiam futurorum annorum legatum ad hęredem suum transmittere. quæ sententia uera est. XXI. PAVLVS.

Si dies adposita legato non est: præsens debetur, & confestim ad eum pertinet, cui datum est. Dies adiecta, quamuis longa sit, si certa, ueluti calẽdis Ianuarijs cẽtesimis: dies quidem legati statim cẽdit, sed ante diem peti nõ potest. at si incerta, ueluti cum pubes erit, cum in familia filia nupserit, cum magistratum inierit, cum aliquod demũ (quod scribendo comprehendere sit commodum) fecerit: nisi temporis conditio obtingit, neq; res pertinere, neq; dies legati cẽdere potest. Si sub conditione, qua te hęredem institui, sub ea cõditione, Titio legatũ sit: Pomponius putat, perinde huius legati diem cẽdere, atq; si purè relictum esset: quoniam certum esset hærede existente debitum iri. neq; enim per conditionem hære-
D dum fieri incerta legata, nec multũ interesse tale legatum ab hoc, SI ERIT HAERES, DATO. XXII. POMPONIVS.

Si TITIO, cum annorũ quatuordecim esset factus, legatum fuerit, & is ante decimũquartum annum decesserit: uerum est, ad hæredem eius legatum non transire: quoniam non solum diem, sed & conditionem hoc legatum in se contineat: si effectus esset annorũ quatuordecim. qui autem in rerum natura non sit, annorum quatuordecim non esse intelligitur. nec interest, utrum scribatur, SI ANNORVM QVATVORDECIM FACTVS ERIT, an priore scriptura per conditionem tempus demonstretur, sequente per tempus cõditio. utrobiq; enim eadem conditio est. Quædam autem conditiones etiam superuacuæ sunt: ueluti si ita scribat, TITIVS HAERES ESTO. SI TITIVS HAEREDITATEM MEAM ADIERIT, MAEVIO
E DECEM DATO. nam pro non scripto ea conditio erit: ut omnimodo ad hæredem Mæuij legatum transeat, etiamsi Mæuius ante aditam hæreditatẽ decesserit. & idem si ita fuerit scriptum, SI TITIVS HAEREDITATEM MEAM ADIERIT, INTRA DIES CENTVM MAEVIO DECEM DATO. nam hoc legatum in diem erit, non sub cõditione: quia definitio Labeonis probanda est dicentis, id demum legatum ad hæredem legatarij transire, quod certum sit debitum iri, si adeatur hæreditas. Si tantum duos hæredes instituã, & si alter ex his adeat hæreditatem, alicui legem ab omnibus hæredibus: non erit quidem pro superuacuo ea conditio, sed in portione quidem cohæredis ualebit: in ipsius autem, cuius persona in conditione comprehensa est, superuacua erit perinde, atq; si solo cohęrede instituto eo modo legatũ esset. XXIII. VLPIANVS.

Cum in annos singulos relinquitur legatũ: sine dubio per annos singulos inspecta con-

ditione legatarij capere poteſt & ſi plurium ſeruus ſit:ſingulorum dominorum erunt perſonæ ſpectandæ. F

XXIIII. PAVLVS.

SI PENVM hæres dare damnatus ſit,uel fundum,& ſi non dediſſet, decem: ego accepi & penum legatam,& translatam eſſe in decem,ſi noluerit penum hæres dare: & tunc pecuniã deberi,cum interpellatus fundum non dederit. & ſi interea ceſſerit legatarius: tunc hæredi eius non niſi fundum deberi.nanque cum dictum eſt, AT PVBLIVS FVNDVM DATO, perfectum legatum eſt. & cum dicit, SI NON DEDERIT, CENTVM DATO: ſub conditione fundi legatum ademptum uideri eo caſu,quo centum deberi cœperint. quorum quia conditio uiuo legatario non exſtiterit,fortè quia interpellatus hæres non ſit:euenerit,ut ademptio nihil egerit,fundique legatũ durauerit. Planè ſi ſic legatum ſit, SI PENVM NON DEDERIT, DECEM DATO: dicimus non eſſe penum legatum. G

XXV. PAPINIANVS lib. XVII. *Quæſtionum.*

CVM illud aut illud legatur: enumeratio plurium rerum diſiunctiuo modo comprehenſa,plura legata non facit.nec aliud probari poterit, ſi fundum alterum uel alterum ſub conditione legauerit.nam pendente conditione,non erit electio: nec ſi moriatur, ad hæredem tranſiſſe legatũ uidebitur. HAERES MEVS TITIO DATO, QVOD MIHI SEIVS PVPILLVS DEBET. ſi Seius pupillus ſine tutoris autoritate numos accepiſſet, nec locupletior factus eſſet,& petitor ad præſens debitũ uerba retuliſſet:quia nihil ei debet,nullius momenti legatum erit.quod ſi uerbo debiti naturalẽ obligationẽ,& futuram ſolutionẽ cogitauit: interim nihil Titius petet,quaſi tacitè conditio inſerta ſit:non ſecus,ac ſi ita dixiſſet, TITIO DATO, QVOD PVPILLVS SOLVERIT: uel ſi legaſſet,quod ex Areſcuſa natum erit: uel fructus,qui in illo fundo naſcerentur.contrarium non eſt,quod ſi medio tempore legatarius moriatur, & poſtea partus ẽdatur,fructus proueniant,pupillus pecuniam exſoluat: hæres legatarij petitionem habet.nanque dies legati,cui conditio nón adſcribitur,quamuis extrinſecus exſpectanda ſit,cẽdit. H

XXVI. IDEM.

FIRMIO HELIODORO FRATRI MEO DARI VOLO QVINQVAGINTA EX REDITV PRAEDIORVM MEORVM FVTVRI ANNI. poſt ea nõ uideri conditionẽ additam,ſed tempus ſoluendæ pecuniæ prolatum uideri reſpondi: & ex fructibus fundi relicta pecunia non percepta,ubertatẽ eſſe neceſſariam anni ſecundi. Cum ab hæredibus alumno centũ dari uoluiſſet teſtator,eamque pecuniã ad alium transferri,ut in annum uiceſimumquintũ triẽtes uſuras eius ſummæ perciperet alumnus,ac poſt eam ætatẽ ſortem ipſam. intra uiceſimumquintũ annum eo defuncto,tranſmiſſum ad hæredem pueri fideicõmiſſum reſpondi. nam certam ætatem ſortis ſoluendæ præſtitutam uideri,non pure fideicõmiſſo relicto conditionem inſertam.cum autem fideicõmiſſum ab eo peti non poſſet,penes quẽ uoluit pecuniam collocari: propter hæc uerba, EAMQVE ALVMNO MEO POST AETATEM SVPRASCRIPTAM CVRABIS REDDERE, fideicõmiſſum ab hæredibus petendum,qui pecuniã dari ſtipulari debuerunt.ſed fideiuſſores ab eo non petendos,cuius fidem ſequi defunctus maluit. I

Pater annua tot ex fructu bonorũ,quæ uxori legauit,acceſſura filij patrimonio præter exhibitionem,quam æquè matri mandauit,ad annum ætatis eius uiceſimumquintũ uxorem præſtare uoluit.non plura,ſed unũ eſſe fideicõmiſſum,certis penſionibus diuiſum apparuit. K & ideo filio intra ætatem ſupraſcriptã diem functo,reſidui temporis ad hæredem eius fideicõmiſſum tranſmitti.ſed non initio cuiuſque anni peti pecuniam oportere.quod ex fructibus uxori datis pater filio præberi uoluit.cæterum ſi pecuniam annuam pater alimentis filij deſtinaſſet:non dubiè perſona deficiente cauſſa præſtandi uidetur exſtincta.

XXVII. SCAEVOLA.

FILIVM familiãs ex parte purè inſtituit hęredẽ,eique fideicõmiſſum dedit,& eodẽ teſtamẽto ita cauit. QVOD EGO LVCIVM TITIVM HAEREDEM INSTITVI: ITA EVM ADIRE HAEREDITATEM VOLO, SI IS PATRIA POTESTATE LIBERATVS FVERIT. quęſitum eſt,an à cohæredibus eius adita hæreditate,legati filiofamiliãs dati dies ceſſerit? reſpõdit. ſi purè ſit datũ: à cohærede filij pro hęreditaria parte fideicõmiſſum peti poſſe. Menſtruos

denarios

A denarios denos manumissis legauit. quæsitum est, cum absentibus hæredibus ex senatusconsulto libertatem sint consecuti: ex quo tempore eis cibaria debeantur? respondi, secundum ea, quæ proponerentur, ex eo tempore his cibaria deberi, quo liberi esse cœperunt.

XXVIII. IDEM.

SI FUNDUS instructus relictus erit, quæritur quemadmodum dari debeat: utrum sicut instructus fuit mortis tempore, an eo tempore, quo facti sunt codicilli, an quo peti cœperit? respondit, ea, quibus instructus sit fundus, cum dies legati cedat, deberi.

XXIX. VALENS.

ROGO QVANDOQVE VT HAERES MEVS TITIO DECEM DET. utique decem hæres debebit. sed quando, dubitari potest. utique cum primum potuerit, & dies cedit, & ab ipso petitur.

B

XXX. LABEO.

QVOD pupillæ legatum est, QVANDOCVNQVE NVPSERIT: si ea minor, quàm uiripotens, nupserit: non antè ei legatum debebitur, quàm uiripotens esse cœperit: quia non potest uideri nupta, quæ uirum pati non potest.

XXXI. SCAEVOLA.

VXORI ex parte sextante hæredi institutæ substituit, & hæredum fideicommisit, si uxor hæres non erit, dotem ei & alia quædam dari. post mortem mariti uxor ante conditionem, & priusquàm adiret hereditatem, decessit. quæsitum est, an dies fideicommissi, cum moritur, cessisse uideatur, ideoque hæredibus eius debeatur? respondi, si uxor prius decessit, quàm hæreditatem adiret: uideri diem fideicommissi cessisse.

C

VT LEGATORVM SEV FIDEICOMMISSOrum seruandorum caussa caueatur. TIT. III.

I. VLPIANVS.

LEGATORVM nomine satisdari oportere prætor putauit, ut quibus testator dari fieriue uoluit, his diebus ut detur uel fiat: dolumque malum absuturum stipulentur. Semper autem satisdare cogitur, cuiuscunque sit dignitatis, uel quarumcunque facultatum hæres. nec sine ratione hoc prætori uisum est. sicuti enim hæres incumbit possessioni bonorum: ita legatarios quoque carere non debere bonis defuncti, sed aut satisdari eis: aut si satis non detur, in possessionem bonorum uenire prætor uoluit. Non solum

D autem omnibus legatarijs, sed & successoribus legatariorum satisdari debere, iam constat: quamuis isti non ex iudicio defuncti, sed successionis necessitate, quasi ad æs alienum admittatur.

Sed & procuratoribus legatariorum satisdandum est, eoque iure utimur. planè si ei, qui in potestate alicuius erit, legatum sit: cauebitur ei, cuius iuri subiectus est. Non solum autem legatorum nomine hæredes cauent, sed & successores eorum. is etiam, cui ex senatusconsulto restituta est hæreditas, nihilominus ad cautionem compellitur. nec non & qui per alios hæredes existunt, uel honorarij successores ad satisdationem compelluntur. Planè si quis omissa stipulatione litem de legato contestatus est: probandum est, cessare debere stipulationem. Idemque in fideicommissis quoque probandum est. Si cui sit legatum uel fideicommissum relictum, & si id perdidisset, rursus relictum: uideamus, an satis sequentis legati uel fideicommissi petere possit.

E movet quæstionem, an fideicommissum hoc siue legatum debeatur, & quoties debeatur, & an ipse legatarius cauere debeat se non perditurum? De his omnibus exstat rescriptum diui Pij ad Iunium Mauricium tale. Clodio Structulo secundum ea, quæ epistola continentur, legata siue fideicommissa ex testamento Clodij Felicis præstari debent citra necessitatem cauendi, nihil ex his deminuturum se. nam quod fidei hæredis ab eodem testatore commissum est, ut si Structulus perdidisset, quod ei in testamento relictum est, rursus hæres ei id restitueret: non eò pertinet, ut aut Structulo priorum legatorum nomine satisdatio iniungenda, aut onerandus sit hæres in infinito, ut quoties is perdiderit, restituere ei tantundem debeat: sed ut per fideicommissum posterius duplicata legata eius uideantur: nec amplius ad periculum hæredis pertineat, si quid postea ipse consumpserit, exsoluto ei postetiore fideicommisso. Rescripto ergo ostensum, legatarium heredi non debere cauere se non perditurum. uersa uice an hæ-

res de sequenti legato siue fideicõmisso cauere debeat, quęritur. & putem non oportere ei ca F
ueri: cum in suo arbitrio habeat, ne perdat id, quod sibi relictũ est: quamuis si quis inspexe/
rit, quod sub cõditione relictũ est: dicere deberet satisdationẽ exigendam. certè siue ex asse,
siue ex parte quis legatũ debeat, cauere debet: siue institutus sit hæres, siue substitutus. Bel
lissimè quæritur, an hæc stipulatio incrementum ex fructibus uel usuris sentiat? & rectè pla
cuit ex mora incrementũ habituram stipulationẽ, ut id, quod oportebit, comprehendat.

Si quis sub conditione legatũ stipulatus, pendente, conditione decesserit, stipulatio eua/
nescit: quia legatũ non transmittitur: & huic stipulationi easdem caussas & conditiones ines/
se sciendũ est. proinde si qua sit exceptio, quæ petenti legatũ opponi solet: eandẽ ex stipulatu
quoque agenti opponendã esse placet. Procuratori eius, qui absens esse dicitur, si stipulanti G
legati nomine respõdeat hæres: Ofilius ait, ita caueri debere, si is, cuius nomine cauet, uiuat:
uidelicet ne teneatur illo antè defuncto. Itẽ quæritur, in hac stipulatione utrũ ipsæ res ueni/
ant, quæ legatæ sunt: an uero pretia earũ? & est uerius, in hanc stipulationẽ res uel pretia de/
duci. Si decẽ, quæ in arca erant, mihi legata sint, & tibi eorũ ususfructus legatus sit: si purè
utrique legatũ sit relictũ: is, cui proprietas legata est, ipso iure decẽ uindicabit. fructuariũ autẽ
ex senatusconsulto acturũ & quinque usumfructũ petiturũ cõstat. Sed cum decẽ uindicat pro/
prietarius: per exceptionẽ doli repellitur, qua fructuarius de restituendis quinque hæredi ca/
uit. Planè si decẽ aureorũ possessionẽ legatarius habeat: Marcellus ait, dandã uel hæredi, uel
fructuario utilem actionẽ in legatariũ: si modò ei caueatur. sed si sub conditione ei decem le/
gata sint: fructuariũ interim decem oblata cautione habiturũ. legatario uero, cui proprietas H
relicta est, interim legatorũ stipulatio præstanda est. Sed & si omiserit stipulationẽ: existen
te cõditione, ad exhibendũ eum posse agere, Marcellus ait. sed si ignorãs hæres legatũ decẽ
fructuario dedit: ad exhibendũ eum non teneri palàm est. succurrendũ tamen legatario ad/
uersus fructuariũ, Marcellus ait. Si ad fiscũ portio hęreditatis peruenerit, cessabit ista stipu
latio: qui nec solet fiscus satisdãre. Qui minorẽ partẽ hæreditatis possidet, cum ex maiore
parte hæres sit: siquidẽ ipso iure minuatur portio hæreditatis: securior erit hæres. neque enim
ex maiore parte ex stipulatu tenetur legatarijs, quàm ex qua hæres est. Si uero nomen qui/
dem hæredis apud eos integrũ maneat, ueruntamẽ minus effectu habeant hęreditatis, & ca
uerint legatorũ nomine. uidentur onerari: quia ipso iure pro ea parte legata debẽt, pro qua
hæredes sunt. sed enim æquissimũ est, non maiorẽ partem legatarijs soluere, quàm cuius ha I
bent emolumentũ. hoc autẽ euenit, cum hæreditas pro aliqua parte ex Trebelliano restitui/
tur. nam pro rata exonerandi sunt hæredes eius partis nomine, cuius emolumentũ sibi ab/
latum est. Si ei, qui in alterius potestate erit, incerta die legatũ fuerit: cauebitur ei, qui ha/
bet eum in potestate, non præcisè, sed sub conditione: si cum eius legati dies cẽdit, in potesta
te sit. cæterũ si sui iuris inueniatur: iniquũ esse uisum est patri cautum esse, cum alij legatũ de/
beatur. quanquã & si sine hac adiectione caueretur, ueruntamen exceptione patrẽ uel domi
num submoueremus, si existentis conditionis tempore non haberent eos in potestate. eue/
nit tamen secundum hoc, ut in casu non sit de legato cautum. nam si existentis conditionis
tempore sui iuris sint: non erit cautum.

II. PAPINIANVS.

Nec si fortè uelit pater cauere, neminem amplius petiturum: compellendus erit hæres K
legatum, quod iam filius petere potest, alij, quàm cui debetur, exsoluere.

III. VLPIANVS.

Sed & ipsis, qui sunt in potestate, cauendum est: quemadmodum solet caueri, si eadem
res duobus sub diuersis uel contrarijs conditionibus relicta sit. duobus enim satisdãtur. sed
in utroque casu ijsdem personis satisdãtionem subituris.

IIII. IDEM.

Si ex caussa fideicommissi sit apud aliquem hæreditas, nec legatorum nomine satisdet:
in possessionem aduersus eum legatarius mittitur.

V. PAPINIANVS.

Postquã

A Postquam hæres ab hostibus captus est:conditio legati,cuius nomine proposita stipulatione cautum fuerat,exstitit fideiussores interim teneri negaui:quia neque ius,neque persona esset,ad quam obligandam uerba stipulationis dirigi possint. Imperator Marcus Aantoninus Iulio Balbo rescripsit:eum,à quo res fideicommissæ petebantur,cum appellasset,cauere:uel si non caueat,ad aduersarium transferri possessionem debere. Rectè placuit principi post prouocationem cautionem interponi.quod enim ante sententiam,si petitionis dies moraretur,fieri debuit:amitti post uictoriam dilata petitione nō oportuit.sed quare non caueat de fideicommisso,qui prouocauerit:si caueret aduersarius,ad eum possessio-
B nem esse transferendam rescripsit,cum alia sit edicti conditio.non enim exigitur à legatario uice mutua cautum,sed uicaria custodiæ gratia possessio datur:& qui obtinuit,in possessionem per prætorem aut præsidem inducitur.sed prætor quidem in omnium rerum possessionem,quæ in caussa hæreditaria permanent,omnimodo fideicommissi seruandi gratia esse permittit:princeps autem earum rerum nomine,de quibus fuerat iudicatum,mutuas admittit cautiones:sicuti cum de bonis suis conferendis filius accepta bonorum possessione cauere non potest,quia denegamus ei actiones:defertur conditio cauendi fratribus ex forma iurisdictionis,quod ex portione fratris consecuti fuerint,cum bona propria conferre cœperint,se restituturos.sed si nec ipsi cauere possint:utiliter probatum est,uirum bonū ab utraque parte eligendum,apud quem ut sequestrem fructus deponantur,quiq; utiles a-
C ctiones à prætore datas exerceat.possessio autem ex rescripto supra relato non aliter ad eū, qui fideicommissum petit,transfertur,quàm si cauerit:tametsi maximè aduersarius nō per inopiam,sed per contumaciam cauere noluerit. sed si is,qui uicit,non possit cauere:uel res deponenda,uel iurisdictio restituenda erit. Si dies aut conditio ad legati seu fideicommissi petitionem actionemúe differri dicatur,& ideo satisdatio desideretur,hæres autem per calumniam postulari contendat,& relictum neget:non aliter audiendus erit,qui cauere postulat,quàm si scripturam,quam relictam adfirmet,exhibuerit. Cum quærebatur,ubi fideicommissi seruandi caussa caueri oporteret:imperator Titus Antoninus rescripsit,si domicilium Romæ non haberet hæres,& omnis hæreditas in prouincia esset:ad satisdationem fideicommissi nomine in prouinciam fideicommissarium remittendum esse. quare si hæres in eum locum cauendi gratia remitti desideret,ubi domicilium habet:legatarius autem ibi
D caueri postulet:ubi est hæreditas:non erit hæres remittendus.idq; & imperator Titus Antoninus rescripsit.quibus literis adiectum est,si bona iam distracta sunt,uel testatoris permissu,uel concedente legatario:precium eorum fideicommissi seruandi caussa in deposito habendum. VI. VLPIANVS.

Si qvando incerta summa est fideicommissi:eius,qui cognoscit,taxatione quoq; fideiussores petuntur. Admonendi autem sumus,rebus publicis remitti solere satisdationem fideicommissorum,etiam si quando necessitas dandi intercedat.repromissio planè exigenda est,uoluntati defuncti statum iri.

VII. PAVLVS.

E Filio uel seruo sub conditione à patre dominoúe hærede instituto legatum est.huius legati satis petere non possunt.sed pendente conditione emancipatus uel manumissus,si satis petant:quæritur,an audiendi sint,ne beneficium patris dominiúe ipsis onerosum sit:an sibi imputare debeant,qui dederint eis postulandi aduersus se facultatē:sed melius est per mediocritatem caussam dirimere.ut cautioni tantum cum hypotheca suarum rerum committantur. VIII. VLPIANVS.

Cvm legatorum nomine satisdatum est:simul ac dies legatorum nomine cessit,protinus iisdem diebus etiam ex stipulatione debentur.

IX. PAVLVS.

Non tamē,ut statim peti possint.deberi enī dicimus,& quod die certa præstari aduersario oportet,licet dies nondū uenerit. X. POMPONIVS.

Si a te haerede legatum mihi sit sub conditione,tuq́ue postquam adieris

hæreditatem, satisdederis legatorum, & post mortem tuam ante aditam tuam hæreditatem F
conditio legati exstiterit: Sabinus ait, fideiussores mihi teneri: quia omnimodo dari oportet
legatum, & si in rem esset concepta stipulatio.

XI. CAIVS.

SI LEGATarij aduersus me in possessionem legatorum seruandorum causa missi sint, & procurator, uel quis alius meo nomine cauerit: perinde mihi prætor accommodat interdictum, quo iubentur discedere legatarij de possessione, ac si ego cauissem.

XII. MARTIANVS.

LICET, ut non petatur cautio, conditio testamento adscripta fuerit: non uidetur conditio. & ideo, licet desiderauerit quis caueri sibi, non uidetur conditione defectus: quia postquàm G
remitti talem cautionem iure publico placuit, nec onus cautionis sequitur, necq; conditio intelligitur.

XIII. NERATIVS.

EI QVOque, cui legatorum actio datur in eum, qui prætermissa institutione ab intestato possidet hæreditatem, legatorum nomine satisdatur: & nisi satisdetur: in possessionem legatorum seruandorum caussa mittetur. nam hæc quoq; prætor perinde salua esse uult, atq; ea, quæ iure ciuili debentur. idem Aristoni placet.

XIIII. IDEM.

HAEC stipulatio & in fideicommissis locum habet, si purè fideicommissum sit relictum, uel ex die certa, uel sub conditione: siue res aliqua, siue hæreditas, siue ius aliquod relictum est. Diuus quoq; Pius rescripsit: quoties euidens res est, ut certum sit, nullo modo fidei- H
commisso locum esse: per quàm iniquum esse, superuacua cautione onerari hæredem.

XV. PAVLVS.

ETIAM de præsenti legato locum habet hæc satisdatio: quoniam nonnullas moras exercitio iudicij habet. Si & ab hærede instituto legatorum satis acceperit legatarius, & à Trebelliano fideicommissario: utraq; quidem stipulatio cõmittetur, sed exceptione se tuebitur hæres: quia cauere non debuit. sed si pars hæreditatis restituta sit: ab utroq; cauendum est. Etiam si ab intestato debeatur fideicommissum: locum habet hæc stipulatio.

XVI. CAIVS.

SI DVO eiusdem nominis de legato contendant: utrisq; satisdaturum: nec onerari hæredem, cum possit eosdem fideiussores ad utranq; stipulationem adhibere: qui & ipsi nõ onerantur, cum futurum sit, ut uni teneantur. I

XVII. PAVLVS.

SI AB uno ex hæredibus legatorum satis acceperimus, cum ab omnibus hæredibus nobis legatum esset, & pars cohæredis adcrescat promissori: in totum fideiussores tenentur, si solidum legatum his cœperit deberi.

XVIII. SCAEVOLA.

QVAE filium legitimum relinquebat, patrem eundemq; conlibertum ex asse scripsit hæredem: fideiq; eius cõmisit, ut quidquid ad eum ex hæreditate eius peruenisset, cum morere-
tur, restitueret filio testatricis nepoti suo, & hæc uerba adiecit, SATIS A SEIO PATRE MEO
EXIGI VETO. quæsitum est. cum ille Seius substãtiam suam dissipet, & uereatur pater fidei- K
commissarij, ne inane fideicommissum constituatur: an ad satisdationem fideicommissi nomine pater defunctæ compelli possit? respondi. secundum ea, quæ proponerentur, non compellendum cauere. Idem quæsijt. cum testatrix apud maritum suum, ex quo filium relinquerat, res deposuisset, non exacta cautione depositionis: an ea res patri hæredi restitui deberet: an uero, quoniam emolumentum totius hæreditatis ad filium defunctæ reuerti deberet apud maritum remaneret, apud quem dos remansisset? respondit. quod mulieris mansisset, nec in dote fuisset: restituendum esse hæredi. Tutor, qui & cohæres pupilli erat, absente pupillo, cum admonerent eum legatarij fideicommissi nomine, in solidum ipse cauit. quæsitum est, an in pupillum adultum factum danda sit utilis actio? respondit, dandam.

A VT IN POSSESSIONE LEGATORVM VEL fideicommissorum seruandorum caussa esse liceat. TIT. IIII.

I. VLPIANVS.

SI QVIS, cum uetitus esset satis accipere, acceperit: an repeti satisdatio ista possit, ut hæres condicat liberationem? & si quidem sciens hæres indebitum cauit: repetere non potest. quid deinde si ignorauit remissam sibi satisdationem? potest cōdicere. si uero hoc non potuisse remitti crediderit: nunquid condicere possit, qui B ius ignorauit? adhuc tamen benignè quis dixerit satisdationem condici posse. quid deinde, si commissa sit stipulatio? fideiussores putamus exceptione uti posse, an non? & magis est, ut utantur exceptione: quia ex ea caussa intercessit satisdatio, ex qua non debuit. Nō exigit prætor, ut per hæredem stet, quò minus caueat: sed contentus fuit, per legatarium uel fideicommissarium non stare, quò minus ei caueatur. quarè si non fuerit, qui interpelletur cautionis nomine, hoc est is, à quo legatum fideiue commissum relictum est: omnimodo poterit legatarius & fideicommissarius in possessionem ex hoc edicto mitti: quia uerum est per eum, cui caueri oportebat, non fieri, quò minus caueatur. num tamen & satisdatio debet offerri legatario? sed sufficit, siue desiderauerit, & ei non caueatur: siue non habeat, à quo satis desideret. Si debitori liberatio sit relicta: non est exigenda cautio: quia habet penes se C legatum. quippe si conueniatur: exceptione doli mali uti possit. Ei, cui legatum solutum est, cum constet legatum non deberi: diuus Pius ad Aemilium Equestrem rescripsit, non debere prætorem satisdationem admittere. Tunc ante aditam hæreditatem satisdandum de legatis est, cum adhuc dubium est, an hæreditas adeatur. cæterum si certum sit repudiatam, uel omissam hæreditatem, uel abstentos necessarios hæredes: frustra hoc edictum implotatur: cum certum sit, legatum uel fideicommissum non deberi.

II. IDEM.

SI AVTEM certum sit hæreditatem needum aditam fuisse: nec satisdatio, nec possessio locū habet.

III. IDEM.

SI IS, à quo satis petitur, offerat cognitionē, & dicat, HODIE CONSTAT DE FIDEICOMD MISSO, HODIE AGAMVS: dicēdum est, cessare satisdationem: cum possit antè de fideicommisso, quàm de satisdatione constare. Nec non illa cognitio imploranda erit ab hærede, si fortè dicatur per calumniam satis peti. hoc enim commune est omnium satisdationum. diuus enim Pius rescripsit: eum, apud quem satis petitur, debere explorare, num per calumniam satis petatur. de qua re summatim debet cognoscere. Si procurator satis legatum desideret: siquidem mandatum ei sit: non habebit necesse de rato cauere, sed erit ei satisdandum. si uero dubitetur, an mandatum sit, uel non sit: de rato cautio erit exigenda. Si semel fuerit satisdatum: quæsitum est, an etiam rursus cauendum sit, si fortè dicatur egenos fideiussores esse datos? & magis est, ut caueri non debeat. hoc enim diuus Pius rescripsit Pacuuiæ Licinianæ. ipsam enim facilitati suæ expensum ferre debere, quæ minus idoneos fideiussoE res acceperit. neque enim oportere per singula momenta onerari eum, à quo satis petitur.

IIII. PAPINIANVS.

PLANE si noua caussa allegetur: ueluti quod fideiussor decesserit, aut etiam rem familiarem inopinatò fortunæ impetu amiserit: æquum erit præstari cautionem.

V. VLPIANVS.

IS, CVI legatorum fideiue commissorum nomine non cauetur, missus in possessionem nunquam pro domino esse incipit: nec tam possessio rerum ei, quàm custodia datur. neque enim expellendi hæredem ius habet: sed simul cum eo possidere iubetur, ut saltem tædio perpetuæ custodiæ extorqueat hæredi cautionem. Si alius damni infecti nomine missus sit in possessionem, alius legatorum seruandorum caussa: posse eum, qui legatorum seruandorum caussa in possessionem missus est, etiam damni infecti satisdare. qui

si sa-

si satisdederit: non aliter decedere de possessione debebit, quàm ei fuerit, cautum etiam F
eo nomine, quo se damni infecti obligauit. Si plures legatarij mitti in possessionem desi/derauerint: omnes uenire debent in possessionem. is enim, qui ex caussa legatorum possidet sibi, non alij possidet. Alia caussa est, cum creditores rei seruandæ caussa mittuntur in posses sionem. nam is, qui possidet, non sibi, sed omnibus possidet. Qui prior missus est legatari us in possessionem, non præfertur ei, qui postea mittitur. inter legatarios enim nullum ordi nem obseruamus, sed simul omnes æqualiter tuemur. Postquā rei seruandæ caussa credi tores possidere cœperunt, legatorum seruandorum gratia missus in possessionem, creditori bus potior non habetur. Qui in possessionem legatorum seruandorum caussa mittitur: in possessionem quidem rerum hæreditariarum omnimodo ueniet, hoc est earum, quæ in G
caussa hæreditaria manent. earum autem, quæ in caussa hæreditaria non erunt: non aliàs mittitur, quàm si dolo malo in ea caussa esse desierit: nec semper, sed caussa cognita. Bono rum autem appellatione hæ res comprehensæ uidebuntur, quarum proprietas ad hære/dem pertinet. sed & si uectigales agri sint, & si qua pignora testatori data: in eorum quoque mittetur possessionem. sed & in partus ancillarum, & fœtus pecorum, item fructus, æque o/mni modo legatarius & fideicommissarius mittentur. sed & si rem alienam defunctus bon a fide emerit: in possessionem eius mittendum legatarium constat. nam & hæc res in caussa hæreditaria est. Si deposita res apud defunctum fuerit, uel commodata: locum missio non habet: quia non sunt istæ res hæreditariæ. Si ex duobus hæredibus alter satisdare sit paratus, alter non: in partem eius missio locum utique habere debet. Missi itaque lega H
tarij impedient etiam ei, qui satisdedit, rei administrationem. quarè suadendum hęredi erit, ut in assem satisdet, ne administratio eius impediatur. Si ab impuberis substituto lega/ta sint relicta, & impubes decesserit: missio non solum in ea bona, quæ testatoris fuerunt, ue rum & ea quoque, quæ impubes adquisiuit, locum habebit. nam hæc quoque hæreditaria sunt. uiuo autem impubere: neque missio, neque satisdatio locum habet. Si hæres non sit, à quo fideicommissum relictum est, sed alterius nominis successor: dicendum est, ut edi/cto locus sit, & dolus eius sit æstimandus. sed & si hæredis hæres sit, qui dolo fecit: æquè no cere debebit. Dolum accipere debemus culpam latam, nec omnem dolum, sed qui in ne/cem legatariorum & fideicommissariorum factus est. Imperator Antoninus Augustus rescripsit, certis ex caussis etiam in propria bona hæredis legatarios & fideicommissarios I
esse mittendos: si post sex menses, cum aditi pro tribunali fuerint hi, quorum de ea re no/tio est, nec satis factum est: indeq; fructus percepturos, quoad uoluntati defunctorum sa/tisfiat. quod remedium seruabitur & aduersus eos, qui ex aliqua caussa fideicommisso mo/ram faciunt. Satisfactionis uerbum, licet latius patet, tamen ad exsoluendum legatum refertur. proinde & si remissa sit satisdatio, rescriptum locum habebit: quia mora fit solutio/ni. Sex autem mensium puto continuum tempus, non possessionum computandum.

Cessatum non accipimus, si pupillus tutorem non habeat, nec curatorem furiosus uel adolescens. nam frustratio non debet huiusmodi personis nocere, quæ sunt indefensæ. cer/te si iacuerit hæreditas aliquo tempore: hoc tempus de medio trahendum est. Quæri poterit, an in uicem usurarum hi fructus cedant, quæ in fideicommissis debentur. & cum K
exemplum pignorum sequimur: id, quod ex fructibus percipitur, primum in usuras, mox si quid superfluū est, in sortem debet imputari. quinimò & si amplius, quàm sibi debetur, per/ceperit legatarius: exemplo pignoratitiæ actionis etiam utilis actio ad id refundendum da/ri debebit. sed pignora quidem quis distrahere potest: hic autem frui tantum ei constitutio permisit, ut festinetur ad sententiā. Qui legatorū seruandorū caussa in possessionem mit/titur: & fructus custodire, & cętera debebit. & ratio quidem est, hęredem colere agros, et fru ctus redigere: sed custodire legatariū fructus oportebit, ne ab hærede consumantur. quod si hæres fructus nolit cogere: permittendum erit legatario cogere fructus, & coactos conserua re. quinimò & si tales sint fructus, quos primo quoq; tēpore uēnire expediat: uēdere quoq; legatario permittendum est, & precium seruare. In cæteris quoque rebus hæreditarijs miss(
in pos/

A in possessionem hoc erit officium, ut uniuersas res hæreditarias colligat, & ibi custodiat, ubi
domicilium defunctus habuit. & si nulla domus sit: habitationem conducat, uel horreum
quoddam, in quo res collectæ custodiantur. & puto ita legatarium custodire res hæredita-
rias debere: ut neque hæredi auferantur, neque depereant, deterioresúe fiant. Quod si ex cō-
stitutione quis in possessionem mittatur: curādum est, ne uis fiat utenti & fruenti legatar.o.
Satisfieri uoluntati defuncti sic accipitur: quoad uoluntati defuncti, uel ex fructibus, uel
aliunde satisfiat. Cōstitutio autem diui Antonini pertinet ad eos, à quibus utiliter fidei-
commissum relictum est: quamuis hæredes non sint. par enim utilitas est. In possessionē
missus legatorum seruandorum caussa, si litem eo nomine contestatus sit: non antè decede-
B re possessione debet, quàm ei pro lite fuerit cautum. Missus in possessionem, si non ad-
mittatur, habet interdictum propositum: aut per uiatorem, aut per officialem præfecti, aut
per magistratus introducendus est in possessionem. missio autem locum habebit, non tantū
si quis idipsum, quod legatum est, rogatus sit: uerumetiam si quid uel ex eo, uel pro eo resti-
tuere fuerit rogatus. Si Titio purè legatum fuerit, & fidei eius commissum sub conditio-
ne, ut Sempronio restitueret: non iniquè prætorem statuturum Iulianus scripsit, ut si antè,
quàm legatum consequatur legatarius, fideicōmissi conditionalis satis non det: magis Sem
pronio det legati persecutionem, ut is legatario satis det, deficiente cōditione reddi decem.
sed & si acceperit Titius ab hærede decem: æquum esse Iulianus ait, cogi eum inuicem satis-
dare, aut ipsa decem tradere, & Semproniū Titio cauere. & hoc iure utimur. id enim & Mar
C cellus ait. quid ergo si & legatum sub conditione sit relictum & fideicommissum, neque fidei-
commissi satisdetur: æquissimum erit fideicommissarium nomine legati satis accipere ab hę
rede, si ei legatarius non caueat: scilicet, ut & ipse legatario caueat. quod si iam accepit legata-
rius ab hærede satis: decernendum erit ex ea satisdatione magis fideicommissario, quàm le-
gatario dandam actionem, in eum scilicet casum, quo fideicommissi eius conditio exstitit.
ipsius etiam legati persecutio danda erit fideicommissario, si nondum solutum est, & condi-
tio eius exstitit: scilicet si fuerit fideicommissarius paratus cauere legatario.

VI. IVLIANVS.

SI PECVniæ numeratæ ususfructus legatus esset, & in testamento cautum, ne eo nomine
satisdaretur: proprietas legata non est, sed legatario permittendum satis dare, & usumfru-
D ctum pecuniæ habere. & procedendum est in hac propositione. sed nullæ prætoris erūt par
tes: quia nisi satisdetur, agi cum hærede non poterit. Qui fideicommissi seruandi caussa
in possessionem missus est: non prius de possessione discedere debet, quàm ei fideicommis-
sum solutum, aut eo nomine satisdatum fuerit. nam quod si integra re fieret, in possessionē
non mitteretur: id cum offertur, discedere à possessione debet.

VII. MARTIANVS.

CVM uenter in possessione est: nullus legatorum seruandorum caussa in possessionē esse
potest.

VIII. PAPINIANVS.

SI LEgatorum satis non detur: restituta hæreditate, in earum quoque rerum possessionem
legatarius mittēdus erit, quæ dolo malo eius, cui restituta est hæreditas, in hæreditaria caus
E sa esse desierunt.

IX. IDEM.

ETIAM si condemnatus hæres fuerit, nec pecuniam soluat: legatarius potest desiderare
mitti in possessionem. Cum sub conditionibus contrarijs eadem res duobus lēgetur: si
non caueatur, uterque mittitur in possessionem.

X. PAVLVS.

SIN nullæ sint res illæ hæreditariæ, in quas legatarij uel fideicommissarij mittantur: in rē
quidem hæredis mitti non possunt, sed per prætorem denegatas hæredi actiones ipsi perse
quentur.

XI. HERMOGENIANVS.

SI FIDEICOMmissorum uel legatorum seruandorum caussa missus in possessio-
nem eam rem teneas, quæ mihi per fideicommissum relicta est: æquius est, me eam ha-
bere potius, cui ea ipsa relicta est, quàm te, qui alterius fideicommissi nomine ingressus

in eam es.nam & si mihi sub conditione legatum sit,& tu medio tempore in possessionem F eius factus fueris legatorum seruandorum caussa,deinde conditio impleta sit:non denegabitur mihi eius rei integra persecutio.sic enim,& si statuliberum ex eadem caussa possidere cœpisses:impleta conditione eius,tamen libertatem eius impedire non potes. Si rei seruandæ caussa in possessionem missus sit proprius creditor hæredis,& rei per fideicommissum mihi relictæ adeptus fuerit possessionem:nihil me lædi exinde oportere conuenit:non magis,quàm si ab ipso hærede eam rem pignori accepisset.

XII. MAETIANVS.

MVNICIPIJS fideicommissum relinqui posse,dubium non est.sed si non caueatur: aduersus municipes quidem,non dubitamus ex hoc edicto iri in possessionem posse. ipsos uero G municipes,si his non caueatur,non idem eos adsecuturos:sed extrario remedio opus erit, uidelicet ut decreto prætoris actor eorum in possessionem mittatur.

XIII. CALLISTRATVS.

QVAMUIS minima res legata sit,uel per fideicommissum relicta:tamen si non soluatur ab hærede,uel eo nomine caueatur,cum caueri oporteat:in possessionem omnium bonorũ, quæ ex ea hæreditate sunt,legatarium siue fideicommissarium prætor legatorum seruandorum caussa mittit.

XIIII. LABEO.

QVAE legatorum seruandorum caussa in bonis est,in caussa uescendi deminuet:si filia, neptis,proneptis,uxorue sit,nec nupta sit,nec suum quidquam habeat. H

XV. VALENS.

INTERDVM licet dolo malo fecerit hæres,quò minus res in caussa hæreditaria maneăt: non poterit in possessionem earum legatarius mitti:ueluti si locum religiosum fecerit,aut quid publicè consecrauerit,permissu scilicet Imperatoris:aut aliquem non in fraudem creditoris manumiserit.

FINIT QVINTA PARS DIGESTORVM SEV PANDECTARVM de testamentis,deq; ijs,quæ ex caussa testamentorum pendent.

SEQVITVR SEXTA PARS DE BONORVM possessionibus &c. I

